8. Summi Apostolatus &c. Pro rectà justitiæ administratione, & litigantium, præsertim pauperum, utilitate de visitandis Causidicorum, & Notariorum officiis publicis, archivis, & curiis forensibus universis per S. R. E. Cardinalem, quolibet decennio eligendum: cui muneri obeundo nunc deputatur Eminentissimus Dominus Cardinalis Vincentius Petra. 491
9. Licet Sacra Tridentina &c. Regulare & claustrale institutum professos omnino prohibens quacunque de causa transire ad profitendam regulam alterius Ord. in quo regularis & claustralis observantia non vigeat: item cujuscunque Ordinis hospitalarii, aut militaris, vel etiam hospitalarii simul & militaris, licet in eis regularis & claustralis observantia vigeret. Facultas hujusmodi transitus imposterum concedendi reservatur uni summo Pontifici, præterea nemini. 493
10. Pastoralis Officii &c. Constitutio Renovatoria Bullæ *Apostolici Ministerii* circa disciplinam præsertim Regularem pro Regnis Hispaniarum. 495
11. In excelsa Sedis &c. Literæ quibus gratiæ, & privilegia à san. mem. Clemente PP. XI. aliàs concessa Academiæ Theologicæ in Archigymnasio Sapientiæ de Urbe erectæ confirmantur, & innovantur, aliaque plurima pro salubri ejusdem Academiæ directione, præsidio, & incremento conceduntur, cum diversis ordinationibus. 497
12. Sacrosanctæ Militantis &c. Constitutio per quam confirmatur Erectio Conservatorii pauperum Puellarum Oppidi *de Guimarens* Bracharen. Diœcesis in Monasterium Ordinis B. V. MARIÆ de Monte Carmelo, eademque, quatenus opus sit, suppleto quocumque defectu sanatur, & convalidatur: Moniales verò à Jurisdictione Archiepiscopi; & Parochi perpetuò liberantur, & Superioribus Fratrum dicti Ordinis immediatè subjiciuntur. 500
13. Exponi nobis nuper &c. Binæ Apostolicæ Litteræ forma Brevis expeditæ in quarum primis ejusdem Constitutio: *Paterna Sedis Apostolicæ providentia* pro Tertiariis Ordinis S. Francisci anno 1725. quarto Idus Decembris emanata ad Tertiarias Ordinis Servorum B. M. V. extenditur; & ampliatur; Ita ut à Jurisdictione, & dependentia Ordinariorum eximantur, & Priori Generali ejusdem Ord. pro tempore existenti Curæ, & Superioritati subjectæ omninò sint. 503
14. Ratio Justitiæ &c. In secundis verò perpetuis futuris temporibus locus Consultoris Sac. Rituum Congregationis uni ex Professoribus ejusdem Ordinis decernitur, & ordinatur. 503
15. Quotiescumque cogitamus &c. Constitutio de rectà administratione Hospitalium, & Montis pietatis Civitatis Cæsenæ. 504
16. Romanum decet &c. alia Declaratio Constitutionis sa. me. Innocentii Papæ XII. super exemptione Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque inferiorum Prælatorum Regni Neapolis à Spoliis, Cameræ Apostolicæ debitis, ac bonorum, per eos ex reditibus Ecclesiasticis aquisitorum, applicatione in commodum Ecclesiarum, illis commissarum, editæ, & à Sanctissimo D. N. ad casus, in quibus dicti præsules extra residentiam decesserint, ampliatæ; quod scilicet illa comprehendat etiam bona hujusmodi, de quibus iidem Præsules per Donationem, aliumve contractum inter vivos, cum reservatione eorum fructuum, usus, vel alterius commoditatis ad sui vitam aliter, quam favore Ecclesiarum prædictarum disposuerint. 506

FINIS.

BULLA

BULLARIUM ROMANUM.

CLEMENS XI. PONTIFEX CCXLVII.

Anno Domini mdcc.

Joannes Franciscus anteà dictus, Urbini natus est die xxiii. Julii mdcxlix. ex Albanorum Familiâ, clarâ, in primis apud Urbinates, ac opulentâ. Patrem habuit Carolum, & unicum Fratrem Horatium nomine, natu minorem. Matrem Helenam Moscam Pisaurensem Matronam triennis amisit. Pater, cui sedula Liberorum educatio maximè cordi erat, cognitâ præclarâ eorum indole, post puerilem illam institutionem, utrumque Romam adduxit, ubi Joannes Franciscus, de quo sermo Nobis est, liberalibus disciplinis eloquentiæ præsertim, & mox gravioribus Philosophiæ, Theologiæ, ac utriusque Juris studiis sub lectissimis Præceptoribus operam dedit. Earumdem insuper facultatum publicas Theses (urgente Patre, qui ipsum ostendere Aulæ, & assignare famæ prætermodum cupiebat) magnâ cum laude propugnavit, ac subindè in celebri Patriæ Universitate Doctorali laureâ in omnibus prædictis facultatibus ritè insignitus fuit. Græcas etiam literas ità didicit, ut non minùs græcè, quàm latinè doctissimus haberetur. His itaque instructus præsidiis, quibus vividum ingenium cum præcellenti judicio, assiduoque labore conjunctum accedebat; omnigenam eruditionem, & exquisitam in primis humanarum, divinarumque rerum notitiam sibi facilè comparavit. Quod eò felicius Illi, & ex sententiâ succesſit, quoniam non tritas omnium ferè Adolescentium vestigiis fallaces, & lubricas secutus est vias: non inanibus ætatis cupiditatibus, ac oblectamentis se abripi passus est; sed recto illo, etsi difficili, atque salebroso, ad virtutem itinere sibi proposito, totum se literis tradere, nullis uti hominibus, nisi literatis, ac probis, eos colere, ac observare, cum iis sua communicare studia, eorumque judicium exquirere, ab ipso juventutis limine sapienter instituit. Adhuc Adolescens plures habuit cum sacras in Templis, tum morales in publicis Academiis, latino, etruscoque sermone luculentas orationes, à verborum splendore, eloquentiæ luminibus, eruditionis varietate, sententiarumque pondere maximè commendatas; Quas insuper auditorum auribus longè jucundiores efficiebant Recitantis statura procera, vultus decorus, vox limpida, actio dignitatis, & gratiæ plena. Cum per ea tempora in Collegio Urbano Propagandæ Fidei ab aliquibus sacrâ eruditione, & Ecclesiasticæ antiquitatis notitiâ præstantibus Viris initium sumpsisset Academia, in qua de rebus ad Oecumenica Concilia, & Historiam Ecclesiasticam pertinentibus, ut etiamnum aliquandò fit, statis diebus disceptabatur; Joannes Franciscus noster ab ipsis Institutoribus illicò in eam adscitus fuit, ubi pluries de propositis argumentis doctè, eruditèque differens, concitatam sui expectationem cumulatè sustinuit. Illud tamen in publicâ Aulæ Romanæ luce laudem, & existimationem singularem Ipsi apud omnes conciliabat, quòd ejus spectata virtus nullo vitiorum confinio læderetur, & cum eximiâ morum innocentiâ, ac integritate, quam ad obitum usque diligentissimè custodivit, assiduum veræ pietatis cultum præclarè conjungeret.

Egregiâ, qua potiebatur, probitatis, & doctrinæ opinione multos Aulæ Proceres sibi majorem in modum obstrinxit, ac præ cæteris Cardinalem Franciscum Barberinum S. R. E. Pro-Cancellarium, Sacrique Collegii Decanum, erga ejusmodi probos, eruditosque Juvenes mirificè propensum, qui eum, quoad vixit, præcipuâ semper benevolentiâ complexus fuit, & quanti ipsum faceret, variis, iisque non vulgaribus beneficiis apertè declaravit. Nec sanè minori Albanus in pretio, & gratiâ fuit etiam apud magnam illam ingeniorum æstimatricem Christinam Alexandram Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Reginam, quæ præterito seculo non Urbem tantùm, sed Ecclesiam quoque universam insignibus virtutibus, gestisque suis eximiè illustravit. Hæc enim in Academiam paucorum, sed summæ, ac omnigenæ literaturæ Virorum, quàm suis in Ædibus instituerat, Joannem Franciscum nostrum spontè adscivit: familiari ejus consuetudine plurimùm delectabatur, quavis oblatâ occasione miris Ipsum ornabat laudibus, eumque ad maxima, & excelsa quæque natum palàm prædicabat; quin etiam, ut acerrimo, præstantissimoque erat judicio, Supremam Ecclesiæ Dignitatem Illi non semel, nec obscurè prædixit.

Cùm igitur præclaræ Albani dotes om-

nium ſermone celebrarentur, ac Is interea ætatem ad capeſſendos honores idoneam attigiſſet, qui tunc Chriſtianam Rempublicam perſanctè adminiſtrabat, INNOCENTIUS XI. Eum in ordinem Prælatorum, quos utriuſque Signaturæ Referendarios vocant, adlegit, ac inter Conſultores Sacræ Congregationis Rebus Conſiſtorialibus præpoſitæ cooptavit. Paulò poſt, ut illius prudentiam, quæ ceterarum omnium moralium virtutum Princeps, & Regina meritò dicta eſt, in minoribus Magiſtratibus probaret, Eum primùm Reatinæ Civitati, deindè Sabinæ Provinciæ, poſtremò Urbiveteri Gubernatorem præfecit. Quæ quidem munera Ipſe ita geſſit, ut incredibile ſui deſiderium illis populis, memoriamque nominis reliquerit immortalem, & ſimul Pontifici ſapientiſſimo cumulatè ſatisfecerit. Optabat profectò idem Pontifex Eum ad illuſtriora miniſteria provehere; ſed cum nullum tunc in Aulâ vacuum foret, quod animo conceperat, in aliud commodius tempus differre compulſus fuit. Intereà Cardinalis Carolus Barberinus, Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyter, qui Hominem impensè diligebat, & Aulâ Romanâ diutius abeſſe ægro animo patiebatur, à memorato Pontifice impetravit, ut ipſum ad Urbem revocare poſſet, eique munus committeret ſui in præfatâ Baſilicâ Vicarii, & Judicis.

Brevi itaque Romam rediturus ALBANUS filialis pietatis eſſe duxit Parentem, qui tunc apud Eum in Urbeveteri commorabatur, adverſâ affectum valetudine, & Patriam repetere cogitantem, illuc comitari. Statim ac Urbinum ambo pervenere, Patris ægritudo ſenſim eò uſque proceſſit, ut poſt aliquot menſes illi demum vitam eripuerit. Acerbum ex ejuſmodi caſu dolorem hauſit Præſul noſter, qui Parentem optimum, ſuique amantiſſimum ſummo in honore ſemper habuerat. Paterno funeri multas lachrymas, at longè uberiora Defuncti animæ ſuffragia tribuit. Patriâ tandem diſcedens ad Urbem revertitur, ubi injunctum ſibi munus diligenter obire, & ad cauſas cognoſcendas, quemadmodum juniores Prælati ſolent, incumbere cœpit eo planè ſucceſſu, ut qui anteà ſummi Oratoris laudem ſibi quæſiverat, non imparis deindè Juriſconſulti, ac Judicis integerrimi famam adeptus ſit. Intermiſſa inſuper politiorum literarum ſtudia, ad quæ plurimùm à naturâ ferebatur, lubens repetiit, & in Academiâ Reginæ CHRISTINÆ ALEXANDRÆ plures per ea tempora recitavit ornatiſſimas orationes, quarum una, illa nimirum, qua JACOBI II. Magnæ Britanniæ Regis laudes celebravit, Reginæ juſſu typis edita, ſingulari Eruditorum omnia plauſu excepta fuit.

Sed jam tempus erat, ut ALBANI virtus ſublimiori loco poſita, Chriſtiano Orbi univerſo teſtata fieret, & Catholicæ potiſſimùm Eccleſiæ uſui, atque præſidio foret. Itaque Cardinali Joanne Gualterio Sluſio, qui graviſſimum Apoſtolicorum Diplomatum, quæ Brevia ſecreta appellantur, Secretarii Officium ſub multis Pontificibus magnâ cum Doctrinæ, & fidei laude geſſerat, è vivis ſublato, INNOCENTIUS XI. illicò in ALBANUM oculos conjecit, eumque in Defuncti locum, plaudente Aulâ, ſubrogavit, ſimulque Vaticanæ Baſilicæ Canonicatu auxit. Eò in munere, undè illi ad altiores Dignitates, ac ipſam quoque Supremam B. Petri Cathedram gradus factus eſt, nedum eidem INNOCENTIO, verùm etiam ſubſecutis Pontificibus ALEXANDRO VIII., & INNOCENTIO XII. operam ſuam ità probavit, ut præcipuum authoritatis, & gratiæ locum apud omnes obtinuerit, omniumque Reipublicæ adminiſtrandæ conſiliorum, atque rationum vel author, vel particeps ſemper extiterit. Quantum porrò ALEXANDER VIII., ſapientiſſimus Princeps, Illius meritis, ac virtuti tribueret, indè manifeſtè colligitur, quòd initio Pontificatus Ipſum inter S. R. E. Cardinales adſcripſerit. In ampliſſimâ Dignitate, atque perarduo Miniſterio conſtitutus, non aliud umquam antiquius, nec enixius in votis habuit, quàm ut Religionis incrementa, & Apoſtolicæ Sedis honorem pro viribus promoveret. Literatorum prætereà Virorum patrocinium libentiſſimè ſuſcipiebat, ac iis præmia, munera, beneficia, etiam irrequiſitus, à Pontifice procurabat. Pluribus etiam omnium ordinum, quos rei familiaris anguſtiis conflictari noverat, quamvis ut Cardinalis, opibus non abundaret, de ſuo clam ſubſidia præbebat. Neminem ad ipſum negotii causâ adeuntem triſti vultu diſcedere patiebatur, ac ubi poſtulatis annuere non licuiſſet, benignis verbis poſtulantis animum ità lenire conſueverat, ut omnem ei moleſtiam penitùs abſtergeret.

Quo circà cum omnium amorem, & exiſtimationem ſibi meritò conciliaſſet, dignus Imperio, quin etiam Imperio proximus, palàm habebatur, etſi nondùm ei accederet prævalidum illud à ſenectute ſuffragium. Nec publicis ſermonibus, votiſque eventus defuit: Nam cum quinquageſimum primum ætatis annum vix exceſſiſſet, INNOCENTIO XII. vitâ functo à Sacro Collegio ſummâ, ac planè inſuetâ animorum, ſtudiorumque conſenſione, Succeſſor deſignatus fuit. Oblatam tamen Maximam in terris Dignitatem Ipſe, qui ejus onera præclarè intelligebat, ac de ſe demiſſiſſimè ſentiebat, quoad licuit, detrectavit. Eam tandem poſt Triduum illud, quod ob miram Electorum in propoſito firmitatem, nec imparem Electi in recuſatione conſtantiam, omnium fermè Annalium monumentis perpetuò celebrabitur, doctorum, piorumque Virorum, quorum ſententiam rogaverat, adductus conſiliis die 23. Novembris 1700. ſuſpiria inter, & lachrymas accepit, ac in hono-

rem

rem S. CLEMENTIS Papæ, & Martyris, cujus memoria eâ die recolitur, CLEMENTIS XI. sibi nomen imposuit. Subindè, cum nondùm Episcopali charactete insignitus esset, Titulumque gereret Presbyteri Cardinali S. Silvestri in Capite, à Cardinali Bullionio Episcopo Ostiensi, Sacrique Collegii Decano Episcopus consecratus, Pontificiâque Tiarâ die 8. Decembris ejusdem anni solemni ritu coronatus de more fuit.

Præcipuam suscepti Apostolatus Officii curam in eo rerum articulo agnoscens Christianæ Reipublicæ pacem, nihil non egit, ut gravissima inter Catholicos Principes tunc exorta dissidia, quæ mox in exitiale, diuturnumque eruperunt bellum, extingueret. Uno, eodemque tempore Orthodoxæ Religioni tuendæ, propagandæque intentus, Patriarcham primùm Antiochenum, tum Alexandrinum, ad Sinarum Imperatorem allegavit. Quamplures insuper in alias Orbis plagas misit Evangelii Præcones, Populorumque Magistros, & Pastores, quorum piis laboribus multi vel ab Ethnicâ superstitione ad CHRISTUM adducti, vel à Schismate ad Sanctam Romanam Ecclesiam revocati sunt. Duos Germaniæ Principes primi gradus, scilicet Antonium Ulricum Ducem Brunsvicensem, ac Luneburgensem, & Fridericum Augustum Electoralem Saxoniæ Principem, à Lutheranis erroribus abduxit. Sanam doctrinam ubique saram tectam custodire sategit, & salutaribus editis legibus Novatorum licentiam cohibuit. Celebrem, magnoque Partium studio diù agitatam de Sinicis Ritibus conrroversiam gravissimâ Constitutione diremit, ac prorsus è medio sustulit. Ejectos propter Fidei, vel Justitiæ cultum, & profugos paternâ charitate excepit, congruisque subsidiis in summâ temporum difficultate recreavit. Veterum laudatissimorum Pontificum exemplo in Solemnioribus Festis plures ad Populum sacras habuit Homilias, in quibus jam prælo vulgatis non Pontificiâ tantùm Majestate digna eloquentia, sed intima etiam Divinarum Scripturarum peritia, atque sincera, & incorrupta Sanctorum Patrum doctrina suspicitur. Antiquos Cardinalium Titulos, & aliàs fatiscentes Ecclesias ab ævi labe vindicatas restituit. Patriarchales Lateranensem, & Vaticanam Basilicas insignibus auxit ornamentis, nec modicam pecuniæ summam contulit, ut labantia Liberianæ tecta reficerentur. PIO V. P. M., ANDREÆ Avellino, FELICI de Cantalicio, & CATHARINÆ Bononiensi cœlestes honores decrevit. Turcarum Christianas Provincias, & Corcyram præsertim Insulam, oppugnantium ingentes copias non tam armis, & auro, conquisitisque auxiliis, quàm fusis ad Deum precibus terrâ, marique profligavit. Quamvis non integrâ, immò plerumque affectâ, & ægrâ uteretur valetudine, nemini tamen ipsum adeundi, alloquendique copiam umquam negavit, & infimam quoque plebem non rarò palàm audivit, quòd Principis esse diceret omnia scire, non omnia exequi. Urbanos, externosque Magistratus, ut leges custodirent, & Jus suum unicuique sine personarum acceptione tribuerent, identidem admonere non prætermisit, facilique ad Principem aditu in officio continuit. Cleri, Populique Romani morum disciplinam summâ, & numquam intermissâ vigilantiâ curavit; perditisque Adolescentibus à viâ malâ revocandis Domum, ubi Christianæ vitæ institutis, honestisque artibus imbuerentur, extruxit. Commodiori publici frumenti custodiæ, cui antiqua Horrea à superioribus Pontificibus constructa satis non erant, perampli Ædificii accessione consuluit, Capitolii majestatem multis antiqui operis ære suo coemptis Statuis, perfectoque ædificio, amplificavit. Sveciæ Reginæ CHRISTINÆ ALEXANDRÆ, de qua supra meminimus, ob relictum Regnum, ejuratam Hæresim, Catholicam Fidem susceptam, & usque ad obitum, qui multos ante annos Romæ contigerat, piè cultam, nobile Monumentum in Basilicâ Principis Apostolorum erexit. Vaticanam Bibliothecam plurimis exoticarum linguarum ab Oriente conquisitis manuscriptis Codicibus locupletavit. Natalis Soli non oblitus (quod natura ipsa cuique facit esse charissimum, & cujus amorem morales antiqui Philosophi eò usque laudibus extulerunt; ut affirmare non dubitaverint omnibus, qui Patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in Cœlo, ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur) Patriam, Conciveseque suos multiplicibus ornavit beneficiis, & pecuniis insuper non ex Apostolico Ærario depromptis, sed peculiari suâ paratis industriâ summam conflavit, qua publicum ejusdem Civitatis Æs alienum non leve, superiorum temporum iniquitate contactum, dissolveretur. In publicis calimitatibus, quas vel dura temporum conditio invexit, vel inscrutabilia Dei judicia immiserunt, charitatem erga Subditos, exterosque, & providentiam adhibuit singularem, nullumque ipsis deesse passus est temporale, aut spirituale subsidium, quod ad eas amoliendas opportunum videretur. A re Divinâ, statisque cæremoniis, ac solemnibus potissimùm Sacris, quæ summâ religione, ac majestate peragebat, numquam, nisi morborum incommodo præpeditus, abstinuit. Pietatem eximiè coluit, eamque Fidelium cordibus altiùs inserere omni industriâ satagebat. Nosocomia obire, ægros solari, & Sacramentis reficere: Christi doctrinâ rudes imbuere: peregrinis ad mensam in Palatio adhibitis cibaria suis ipse manibus frequenter ministrare dedignatus non est; in id sedulò, atque perpetuò intentus, ut nedum animarum Pastores, sed etiam reliqui Fideles omnes ex ejus verbis, factis-

Cicer in Somnii Scipio. 8.

que ſanctioris vitæ monita, atque præclara bonorum operum exempla ſumere poſſent. In deligendis iis, qui ad Reipublicæ munera, & Eccleſiaſticas Dignitates aſſumi deberent, conditionem, mores, literaturam, & merita cujuſque moroſiſſimè penſitabat, nulliſque humanis rationibus ad ea immerentibus, aut minùs idoneis deferenda ſe inflecti umquam paſſus eſt. Temporis momenta ita diſtribuebat, ut maximam partem orationi, & curis Apoſtolici Miniſterii, minimam ſomno, modicam aliis vitæ neceſſitatibus, nullam penitus otio impertiret.

Creavit Cardinales LXX., ac inter eos Archiepiſcopum Tarſenſem MICHAELEM ANGELUM DE COMITIBUS, qui illi in Pontificatu ſucceſſit, aſſumptoque INNOCENTII XIII. nomine, modò Catholicam Eccleſiam ſapienter æquè, ac feliciter moderatur. Eluxit in Eo Subditorum utilitates, & commoda, Urbiſque ſplendorem amplificandi perpetuum ſtudium, in excipiendis Supplicum votis clementia ſingularis, in publicis expediendis negotiis indefeſſus labor, in ſublevandis egentium neceſſitatibus inexhauſta beneficentia, in Apoſtolicæ Sedis authoritate, & juribus propugnandis robur invictum. Frugalis in ſe, parcus in ſuos, liberalis in alios, literarum potiſſimùm, bonarumque artium Profeſſores, quos in pretio habuit ſemper, & uſque ad obitum benigno fovit patrocinio: numquam elatus proſperis, nec fractus adverſis: juſtitiæ, pietatis, doctrinæ, aliarumque Romano Pontifice dignarum virtutum laudem ab ipſis etiam Romani Nominis hoſtibus obtinuit.

Gravi demùm, breviſſimoque conſumptus morbo, omnibus Eccleſiæ Sacramentis ſummâ religione perceptis, vivere deſiit die 19. Martii 1721. Qua quidem die BEATISSIMÆ VIRGINIS SPONSO S. JOSEPH conſecratâ ſi mortem oppetere ſibi contigiſſet, id maximi beneficii loco ſe habiturum fuiſſe vivus adhuc, & valens dictitare conſueverat; nam hauſto à Majoribus exemplo per omnes ætatis ſuæ gradus cultui ejuſdem Sancti Patriarchæ addictiſſimus fuit: quin etiam Illius novo ex idoneis Sacræ Scripturæ verbis compoſito Officio, quod Romano deindè Breviario inſertum eſt, veterem Fidelium erga ipſum Sanctum devotionem confovere, majoremque in modum augere ſtuduit. Compos itaque juſtiſſimi voti factus, poſt triduum conſuetarum novemdialium Exequiarum, in Baſilica Principis Apoſtolorum temporario tumulo mandatus fuit. Statim ab ejus obitu Romanorum, Exterorumque pietas adeò ſe in Illius venerationem effudit, ut frequentiſſimi ex utroque ſexu homines per omnia ferè diurni temporis momenta ad præfatum tumulum genibus flexis orantes conſpicerentur. Die verò 18. Martii Ann. 1722.; felicis ejuſdem in Domino obdormitionis pervigilio, cum Cadaver à memorato loco ad Conditorium, quod ſub Choro Baſilicæ, juxta humile Illius votum, curâ & ſumptibus ANNIBALIS Cardinalis ALBANI, S. R. E. Camerarii, ejuſdem Baſilicæ Archipresbyteri, prædictique Pontificis ex germano Fratre Nepotis conſtructum fuerat ſolemni pompâ comportaretur (cui quidem tranſlationi omnes, quotquot Romæ degebant, Cardinales, duobus exceptis ægritudine impeditis, interfuerunt) tantus populi ad ipſam Baſilicam concurſus factus eſt, ut Urbs penè tota ad recolendam, venerandamque extincti Pontificis memoriam confluxiſſe videretur. Alii porrò Feretrum manibus, vel ſaltem precatoriis coronis attingere, alii lachrymis, precibuſque illud comitari, ac obire, alii demùm Sepulcri recens disjecti, quo eôuſque occluſum fuerat, cæmenta, fractorumque laterum fruſta certatim arripere nitebantur, virtutum, ac meritorum Defuncti famâ permoti, quæ ſanè, glorificante Domino Servum ſuum, amplioribus in dies incrementis augetur. Vixit annos 71. menſ. 7. dies 25. Sedit ann. 20. menſ. 3. dies 26.

Pars prima continet Bullas, Conſtitutiones, Chirographa & Brevia Memorabilia à CLEMENTE XI. PONT. MAX. edita ac promulgata.

ANNO 1710.

JUBILEUM UNIVERSALE

I.

Ad implorandum Divinum auxilium initio Pontificatus pro ſalutari Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ regimine.

CLEMENS PAPA XI.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

IN ſupremo militantis Eccleſiæ Solio per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, meritis licèt imparibus, collocati, dum Pontificiarum curarum molem humilitati, atque infirmitati noſtræ impoſitam, ſi unquam aliàs, nunc certè inter tam gravia imminentium bellorum diſcrimina, aliaſque plurimas rerum, ac temporum difficultates, maximè oneroſam contuemur, crebra ex imo corde ſuſpiria, & uberes ex oculis lachrymas fundere cogimur, ingenti ſanè pavore correpti, ne in altitudinem maris delati, ſurgentibus undique tempeſtatum procellis obruamur. Quamvis verò in bonorum omnium largitore Deo, qui ſperantes in ſe confundi non patitur, ſpem noſtram collocantes, omnem pro ſalute commiſſi Nobis Dominici gregis laborem alacriter ſubire parati ſimus, nec non pro eo, quo publicæ quietis cuſtodiendæ deſiderio tenemur, quicquid in Nobis eſt virium, atque conſilii, in id conferre ſtudeamus, ut Principum Chriſtianorum animi, ſublatis omnibus illis, quæ concordiam turbare poſſent, arctiori, atque indiſſolubili charitatis vinculo conjungantur; attamen quia vani ſunt hominum conatus, niſi gratiæ cœleſtis ope adjuventur, ad veſ-

Bellorum inter Chriſtianos Principes imminentium pericula narrat.

trum

trum omnium, quibus noſtra impendenda eſt ſollicitudo, orationes confugimus, ut exoratus concordibus fidelium precibus Dominus, qui dat laſſo virtutem, & his, qui non ſunt, fortitudinem, & robur multiplicat, det Nobis ſedium ſuarum aſſiſtricem ſapientiam, populumque ſuum optatæ cumulet lætitia tranquillitatis. Hæc autem, ut ferventiori charitate, majorique fructu fiant, priſcum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum morem ſequentes, Eccleſiæ theſauros diſpenſationi noſtræ creditos proferre, & liberali manu erogare decrevimus.

Plenariam Indulgentiam elargitur adimplentibus opera hic indicta.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ex illa ligandi, atque ſolvendi poteſtate, quam Nobis Dominus, licèt indignis, contulit, univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in Alma Urbe noſtra degentibus, qui ſolemni Proceſſioni, quam feria quarta proximæ hebdomadæ, quæ erit tertia Dominica Quadrageſimæ, à Cappella publica Palatii noſtri Apoſtolici in Vaticano ad Baſilicam Principis Apoſtolorum unà cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quos in Romana Curia adeſſe contigerit; ac Chriſtianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos exiſtentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, univerſoque Clero, & Populo benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Eccleſias, ſeu Baſilicas, vel earum aliquam intra ſpatium ejuſdem, vel proximè ſubſequentis hebdomadæ, ſaltem ſemel viſitaverint, ibique per aliquod temporis ſpatium devotè, ut ſupra, Deum oraverint, ac quarta & ſexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata ſua confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Dominica die immediatè ſequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam, reverenter ſumpſerint, ac pauperibus aliquam eleemoſynam, prout unicuique ſuggeret devotio, erogaverint; cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Eccleſias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, ſeu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipſis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, poſtquam ad eorum notitiam hæ noſtræ pervenerint, deſignandas, vel Eccleſiarum hujuſmodi aliquam ſpatio duarum ſimiliter hebdomadarum à publicatione deſignationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, ſeu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurſurarum ſaltem ſemel viſitaverint ibique, ut ſupra, oraverint, ac quarta, & ſexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujuſmodi jejunaverint, pariterque peccata ſua confeſſi, ac in die Dominica immediatè ſequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam, Sanctiſſima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemoſynam, ut præmittitur, erogaverint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, ſicut in anno Jubilei viſitantibus certas Eccleſias intra, & extra Urbem prædictam concedi conſuevit, tenore præſentium concedimus, & elargimur.

Præſcribit adimplenda à degentibus extra Urbem. Regularibus, carceratis, & aliis impeditis.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primum ad ſua ſeſe domicilia receperint, ſuprascriptis peractis, & viſitata Eccleſia Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam conſequi poſſint, & valeant: Regularibus autem perſonis utriuſque ſexus, etiam in clauſtris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuſcumque tam laicis, quàm Eccleſiaſticis, ſæcularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate exiſtentibus, vel aliqua corporis infirmitate, ſeu alio quocumque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut illa Confeſſarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præſentium publicationem, ſeu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare poſſit, eaque injungere, quæ ipſi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Inſuper omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, tam laicis, quàm Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus, cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, tam in Urbe præfata, quàm extra eam, ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quàm cujuſvis Ordinis, & Inſtituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à jure, vel ab homine quavis cauſa latis, ſeu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis quamtumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ſive Nobis, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, & aliàs per quaſcumque noſtras, aut Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones: quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, quomodocumque reſervatis, in foro conſcientiæ, & hac vice tantùm abſolvere, & liberare valeant, & inſuper vota quæcumque (religionis, & caſtitatis exceptis) in alia pia, & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentia ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis.

Facultatem concedit eligendi Confeſſarios, quibus permittit, ut à reſervatis abſolvere, & vota commutare poſſint, religionis, & caſtitatis exceptis.

§. 3. Quapropter tenore præſentium in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuſcumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcumque Ordinariis locorum ubicumque exiſtentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cùm præſentium literarum tranſumpta, aut exempla, etiam impreſſa, acceperint, illa ſtatim abſque ulla mora, retardatione, vel impedimento per ſuas Eccleſias, & Diœceſes, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Eccleſiamque, ſeu Eccleſias viſitandas deſignent.

Mandat præſens Jubileum ab Ordinariis ubique publicari.

§. 4. Non intendimus autem per præſentes ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeu inhabilitate quoquò modo contracta diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeu habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ; neque etiam eaſdem præſentes iis, qui à Nobis & Apoſtolica Sede, vel ab aliquo Prælato, ſeu Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeù aliàs in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe, aut debere.

Declarat Jubileum non ſuffragari pro irregularitate publica, vel occulta, nec excommunicatis & ſuſpenſis publicè denunciatis.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quibus facultas abſolvendi in certis tunc expreſſis caſibus ita Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles indulgentiarum & facultatum hujuſmodi conceſſiones,

Derogat ampliſſimè quibuſcumque contrariis.

siones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sivè Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis. & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatà habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresè ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Fide adhiberi decernit exemplis authenticis.

§. 6. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earundem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Februarii MDCCI. Pontificatus nostri anno primo.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo primo, Indictione nona, die verò 25. Februarii, Pontificatus SS. D. N. D. Clementis Divinâ providentiâ Papæ XI. anno primo supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Vaticanæ, & Lucianæ, Cancellariæ Apostolicæ, Montis Citatorii, Aciei Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joannem Græcum SS. D. N. PP. Curs.

Laurentius Cristallinus Cursorum Magister.

ERECTIO

Congregationis Sublevaminis pro Alma Urbe.

Proœmium.

REverendiss. Cardinale Galeazzo Mariscotti. Fra le molte, e gravi cure, che c' occupano l'animo nel principio del nostro Pontificato, non è la minore quella del sollievo, e benefizio della nostra Città di Roma, non solo per quello riguarda il rinovare, promovere, e far rifiorire l'Arte dell'Agricoltura, d'onde può derivare sì rilevante benefizio all'istessa Città, la conservazione, ed augmento dell'Arti, che vi sono, e l'introduzione dell'altre, il facilitare il trafico, e negoziazione per mare, e per terra, il riformare, e togliere gl'abusi introdotti, mà ancora per quello riguarda il decoro, e stima del Senato Romano, il benefizio e sgravio della Camera Capitolina, e generalmente l'ottimo, e felice governo economico della medesima Città in tutte le sue parti. E benche da nostri Predecessori per il buon regolamento dell'Annona, e Grascia, tanto in detta Città di Roma, come in tutto il nostro Stato Ecclesiastico siano emanate diverse Costituzioni, e specialmente da Sisto V. e Paolo V. di fel. ricord. in data delli 23. Marzo 1587., e delli 7. Maggio 1588., e delli 19. Ottobre 1611. rispettivamente e istituite à tal effetto diverse Congregazioni, nientedimeno per la longhezza del tempo, ò per la morte di quelle Persone, ch'erano state deputate, ò per altra cagione sono in poco uso, e quasi del tutto antiquate; Dì quì è, che per conseguire con maggiore facilità il nostro intento unicamente diretto al publico bene, ed evitare la confusione, che per la multiplicità, e numero delle medesime Congregazioni potesse insorgere, abbiamo deliberato erigere, ed instituire una nuova Congregazione con sopprimere, & abolire l'antiche sudette; E perciò di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà Pontificia, sopprimendo, e abolendo l'antiche Congregazioni sopradette, erigiamo, & deputiamo una Congregazione degli Reverendissimi Cardinali Mariscotti, Spada, Panciatici, Francesco Barberino, e di S. Cesareo Camerlengo, e degli Monsignori Tesoriere Generale, Prefetto dell'Annona, Presidente della Grascia, Caffarelli, Origo, e Commissario della nostra Camera, e delli Marchese Antonio Santa Croce, Conte Alessandro Capizucchi, Urbano Rocci, e Tiberio Cenci, ò altri da deputarsi da Noi, Prefetto della quale vogliamo siate voi, Reverendissimo Mariscorti, e Segretario Monsignor Silvio de Cavalieri, con la facoltà di chiamarvi anco à vostro arbitrio, secondo, che richiederà la qualità delle materie, che dovranno essaminarvisi, li Conservatori pro tempore della detta Città di Roma, li Consoli dell' Agricoltura; ed altre Persone; Trasferendo in detta nuova Congregazione tutte, e singole facoltà concesse, e contenute nelle sopradette Costituzioni di Sisto V. e Paolo V. ed altri nostri Predecessori, il tenore delle quali vogliamo per espresso nel presente Chirografo; e in oltre dando, e concedendo alla medesima nuova Congregazione per le cose sopradette, e secondo richiederà la necessità, ò utilità publica, le facoltà opportune di fare Editti, e Regolamenti per il sollievo della detta Città di Roma, e specialmente per ben regolare l'Agricoltura, Annona, e Grascia, e generalmente per ogn'altra cosa, che potesse riguardare il buon governo temporale economico di essa Città, e Popolo di Roma, e Camera Capitolina; Dichiarando, che le facoltà rispetto all'Agricoltura, Annona e Grascia s'intendano concesse anche per tutto il nostro Stato. Volendo, e decretando, che il presente segnato da Noi, benche non ammesso, e registrato in Camera, secondo la Bolla di Pio IV. de registrandis nostro Predecessore, habbia il suo pieno effetto, e quel tanto, che sarà dalla medesima Congregazione risoluto, debba havere l'esecuzione, non ostante tutte, e singole cose premesse, e qualsivoglia altra Costituzione Apostolica munita con qualsivoglia clausola, uso, stile, e consuetudine in contrario, alle quali, e qualunque altra cosa facesse, ò potesse fare in contrario, deroghiamo per l'effetto sudetto, essendo così nostra mente, e volontà deliberata. Dato dal nostro Palazzo Apostolico di S. Pietro in Vaticano questo dì 1. Febraro 1701.

Clamens Papa XI.

Veteres Congregationes pro Annonæ regimine institutas abolet, & novam erigit.

Cui amplas tribuit facultates pro directione rerum ad Agriculturam, & Annonam, necnon ad œconomicum Cameræ Capitolinæ regimen pertinentium.

LITERÆ PROCESSUS

Publicatæ die Cœnæ Domini Anno MDCCI.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam

Exorditur ab obligatio-

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ

ne Romani Pontificis conservandi sartam tectam Fidem Catholicam.

pace, & tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicæ Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda, maximè elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeant, sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra sub CHRISTO capite, ejusque in terris Vicario Rom. Pontifice Beatiss. Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ unitatis dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita Divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quietæ gaudeant, ut futura quoque beatudine perfruántur. Ob quas sanè causas Rom. Pontifices Prædecessores nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spirituálem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium & salutaria justitiæ arma per ministerium Summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & justitiam, Deo auctore, tueri, vetustum, & solemnem hunc morem sequentes.

Excommunicat Hæreticos cujuscumque Sectæ, eorum Fautores, necnon legentes, & imprimentes, eorum libros & demum Schismaticos.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostrâ, quoscumque Hussitas, Vviclefistas, Lutheranos, Zvinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana Fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, & cujuscunque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresum continentes, vel de Religione tractantes sine auctoritate nostra, & Sedis Apost. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, necnon Schismaticos, & eos qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

Excommunicat, ac respectivè Interdicto supponit quascumque personas & Universitates Rom. à Pontifice ad futurum Concilium appellantes.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint. Universitates vero, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

Excommunicat Piratas Mare Sedis Apostolicæ infestantes, eorumque fautores.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum, præsertim à Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

Naufragorum Christianorum in quacumque maris regione bona surripientes.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa cujuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cujuscunque maris regionibus, & littoribus, surripuerint; ità ut nec ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

Imponentes nova Pedagia, & Gabellas, vel ea augentes.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova Pedagia, seù Gabellas, præterquam in casibus sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Falsificantes literas Apostolicas, & supplicationes signatas necnon falsò publicantes literas Apostolicas.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios Literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seù gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falsò publicantes Literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Deferentes ad Christiani nominis hostes, & hæreticos, arma & alia usui bellico apta; necnon nunciantes ad statum Reipublicæ Christianæ pertinentia in Christianorum damnum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos per nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresè, & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quàm alia quacunque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria ad Urbem deferunt.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Rom. Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiasticâ, vel mundanâ præfulgeant dignitate.

Offendentes sua, vel aliorum opera eos, qui ad Sedem Apost. veniunt, vel ab ea recedunt, & sine Jurisd. vexantes eos, qui Romæ commorantur.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem suâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; necnon illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel Nostris Judicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curiâ audent perpetrare.

Offendentes eos, qui ad Urbem devotionis causâ peregrinantur, vel ibi degunt, ac recedunt.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causâ devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Offendentes S. R. E. Cardinales, aliosque Ecclesiarum

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episco-

Prælatos, nec non Legatos, & Nuncios Sedis Apostolicæ.

pos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios aut eos à suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Offendentes eos, qui pro suis negociis ad Rom. Curiam recurrunt, ac eorum Procuratores, & Judices ex causis dd. negotiorum.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curiâ prosequentes, aut procurantes, negotiorumque Gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè, vel indirectè, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Appellantes à gravamine, vel futura executione Literarum Apost. ad secularem potestatem.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quàm Sæculares cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione Literarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, tam gratiam, quàm justitiam concernentium: necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Palatii nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad Curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab eâ instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quivè illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, super hujusmodi literarum, & processuum exequutione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, Parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam Partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, Exequutores, & Subexequutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè, vel occultè, quivè aliis quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

Impedientes editionem actorum executionis Literarum Apostolicarum necnon vexantes quomodolibet Partes Notarios, aliosque Officiales ex causa hujus executionis.

Temerè avocantes à Delegatis Sedis Apost. aliisque Judicibus Ecclesiasticis causas Beneficiales, & spirituales.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque, qui per se, vel alios, auctoritate propriâ, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumque cursum, & audientiam, ac Personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se in illarum cognitione, tanquam Judices interponunt; quivè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel aliàs, compellunt; vel exequutionem Literarum Apostolicarum, seu exequutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt; vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam, donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel aliâ quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

Impedientes executionem Literarum, Apostolicarum, aliarumque expeditionum, supradictorum Judicum.

§. 15. Quivè ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causâ, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur seu nostris & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præjudicatur.

Judices seculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia.

§. 16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quominùs sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundùm quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt: ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

Publicantes Statuta Ecclesiasticæ libertati præjudicialia, iisque utentes.

Impedientes Ecclesiarum Prælatos, aliosque Judices Ecclesiasticos ne sua jurisdictione utantur.

§. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causâ, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ sequestrant.

Recurrentes ad Curias Seculares ad eludenda Judicia Fori Ecclesiastici, & qui in his decreta edunt, vel præstant auxilium.

Usurpantes, & sequestrantes Jurisdictionem & fructus spectantes ad Sedem Apostolicam, & personas Ecclesiasticas ratione Ecclesiarum.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesia-

Imponentes collec-

tas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, eorumque bonis.

rum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujuſmodi abſque ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſsâ licentiâ imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innovantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tam in Lateranenſi noviſſimè celebrato, quàm in aliis Conciliis generalibus edita, cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

Judices Sæculares, qui ſe interponunt in Cauſis criminalibus contra Perſonas Eccleſiaſticas.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcunque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, Exequutores, Subexequutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus, contra Perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecificâ, & expreſsâ hujus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentiâ, quique hujuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illâ perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Occupantes almam Urbem, aliaſq; Civitates, & Provincias Eccleſiæ Romanæ, illiuſque juriſdictionem uſurpantes.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocumque titulo, vel colore invadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletan., Comitatum Venayſinum, Sabinen., Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trębariæ, Romandiolæ. Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & Loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Civitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Rom. Eccl. mediatè, vel immediatè ſubjecta: necnon ſupremam juriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt: necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.

Abſolutionem à cenſuris, ut ſupra, latis Ro Pontifici reſervat.

Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcumque his literis contenta, quouſque alii hujuſmodi proceſſus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omninò ſortiri.

Cæterum à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Rom. Pont., niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſisque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis piis, nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundanâ excellentiâ fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem; ac cujuſvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque ſcripturâ in genere, vel in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Excommunicatos absolvere præſumentes contra tenorem prælentium.

Quòd ſi fortè aliqui contra tenorem prædictum talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, gravius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, proceſſuri.

Pontificis abſolutio eos tantum comprehendit, qui à præmiſſis deſtiterint.

Declarantes, ac proteſtantes quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis cum vero propoſito ulterius ſimilia non committendi deſtiterint; ac quoad eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, ut præfertur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujuſmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, ſeu Capitularibus, locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac Nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari; quin etiam per hujuſmodi abſolutionem, aut quoſcunque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocunque tempore continuatam, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcumque juribus Sedis Apoſtolicæ, ac S. R. E. undecumque, & quandocumque quæſitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari poſſe, aut debere.

Derogat contrariis.

Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis cujuſcumque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu, quavis Eccleſiaſticâ, & mundanâ præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu locis à prædictâ Sede, ex quavis causâ, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quavis alia formâ, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuslibet obſervantiis, & ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus; ac ſententias, quominùs includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur, præſentes pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Etiam Indulto, quod quis excommunicari non poſſit, niſi facta ejuſdem Indulti mentione.

Affixio præſentium in Urbe vim habeat perſonalis præſentationis.

Ut verò præſentes noſtri Proceſſus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes, valvis Baſilicæ S. Jo. Lateran., & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Proceſſus hujuſmodi concernunt, quòd ad ipſos non pervenerint, aut quòd ipſos ignorarint, nullam poſſint excuſationem prætendere,

Mandat præsentes annuatim publicari per quoslibet Prælatos in propriis Ecclesiis.

aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, ut Processus ipsi, & præsentes literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eò fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo, mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium reducant, nuncient, & declarent.

Singuli Prælati, & animarum curam habentes, ac simplices Confessarii has literas penès se retinere debeant.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quavis authoritate deputati, transumptum præsentium literarum penès se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo primo, Nono Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Fides habenda Transumptis.

Sanctio pœnalis.

J. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

Philippus Porta.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Consimiles literæ Processus iisdem prorsus conceptæ verbis publicatæ fuere die Cœnæ Domini singulis sequentibus annis, usque dum Clemens XI. vitam cum morte commutavit.

IV.

FACULTAS.

Transferendi pensiones Ecclesiasticas usque ad summam scutorum centum monetæ Romanæ pro RR. PP. DD. in Signatura Justitiæ Votantibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex, Supremus gratiarum Dispensator in Terris à Domino constitutus, illos, qui assiduos, gravesque labores pro Justitia unicuique æqua lance administranda laudabiliter sustinent, specialibus privilegiis exornat, sicut eorum meritis convenire arbitratur. Itaque ad eximia Dilectorum Filiorum modernorum utriusque Signaturæ nostræ Referendariorum in Signatura nostra Justitiæ Votantium in Nos, ac Apostolicam Sedem merita, paternæ dirigentes consideRationis intuitum, eosque proinde, ac illorum Successores, ut eò alacriùs fidem, operam, industriam, atque sedulitatem in ejusdem Sedis obsequium adhibere studeant, specialis favore gratiæ prosequi volentes, & ipsorum modernorum Votantium singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum, præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu proprio, & ex certa scientiâ, & maturâ deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prædictis modernis, & pro tempore existentibus Referendariis dictæ Signaturæ Justitiæ Votantibus, ut ipsi pensiones annuas Apostolica sibi auctoritate super quibusvis fructibus Ecclesiasticis reservatas, & pro rempore reservandas usque ad summam centum scutorum monetæ dumtaxat, ad favorem unius, seu plurium personarum Ecclesiasticarum, seu Clericorum, ac aliàs pensionum hujusmodi capacium, etiam in mortis articulo, coram Notario, & testibus, & cum alicujus Prælati, seu Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ interventu transferre (servatâ tamen formâ Constitutionis fel. rec. Innocentii PP. XI. prædecessoris nostri super translatione pensionum editæ) liberè, & licitè possint, & valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus; aliove quolibet, etiam quamtumvis magno, & substantiali defectu, notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos juris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posset, neque ipsas præsentes literas, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, vel Romanos Pontifices successores nostros, & Sedem præfatam in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet, & quandocumque faciendis, comprehendi, vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriore datâ per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda, concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari; Sicquè, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios; & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, alioSve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, & irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter

Signaturæ Justitiæ Votantibus facultatem concedit transferendi pensiones usque ad summam scutorum centum monetæ.

Præscribit modum in translatione servandum.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

Executores deputat Cardinales V. Cancellarium, & Camerarium, & A. C.

ranter contigerit attentari. Quocirca Dilectis filiis noſtris ejuſdem S. R. E. Vicecancellario, & Camerarios & Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quandò opus fuerit, & quotiès pro parte prædictorum Votantium, ſeu alicujus eorum, vel aliorum intereſſe in præmiſſis pro tempore habentium deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes: illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ipſas præſentes literas. & in eis contenta hujuſmodi, ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ipſoſque modernos, & pro tempore exiſtentes Votantes, & alios, quos eædem literæ concernent in futurum, præſentium literarum, & in eis contentorum eorundem commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos, ſeu eorum quempiam deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri: Contradictores quoſlibet, & Rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in judicium non trahatur, ac quatenus opus ſit, de præſtando conſenſu in paritionibus, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſotum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Martii MDCCI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Oliverius.

V.

CONCESSIO

Privilegiorum pro nonnullis ſuis familiaribus.

CLEMENS PAPA XI.

Nomina Familiarium Sanctitatis Suæ.

VEnerabilibus fratribus Thomæ Ruffo Nicæno Cubiculi noſtri Præfecto, Ulyſſi Joſepho Gozzadino Theodoſien. Archiepiſcopis, Literarum noſtrarum in forma Brevis, quæ ad Principes ſcribuntur, Secretario, necnon Dilectis filiis Magiſtris Carolo Columnæ Romano Palatii noſtri Præfecto, Joanni Dominico Paracciano Romano Auditori noſtro, & Curtio Origo Romano in utroque Signatura noſtra Referendariis, libellorum ſupplicum Nobis porrectorum Secretario Prælatis domeſticis noſtris, ac Fabio de Abbatibus Oliverio Piſauren. Brevium noſtrorum ſecretorum Secretario, Bartholomæo Maſſei Montiſpolitianen. Pincernæ, Antonio Mariæ Raſpono Ravennaten., Rodulpho ex Comitibus Montis Veteris Fanen., Paulo Ubaldino Civitatis Caſtelli, Nicolao Sala Romano, Alexandro Bonaventuræ Urbinaten. Veſtiario, & Eleemoſynario ſecreto, Guido Paſſioneo Foroſempronien. notarum arcanarum Secretario, Joanni Mariæ Lanciſio Romano Medico ſecreto, Cubiculariis intimis, ſeu ſecretis, & Urbano Roccio Romano Florerio majori itidem Cubiculatio ſecreto, necnon Petro Marcellino Corradino Terracinen. Subdatario. Ac Joanni Paulo de Sanctis Camerinen. Caudatario, Petro Severii Feretran., Bartholomæo Fantono Urbinaten., Ludovico Marocco Romano, Cappellanis ſecretis, necnon Fabritio Felici Urbinaten., ac Joſepho Maganza Sarſinatem., Franciſco de Magiſtris Romano, Marino Severi Feretran., & Marco Antonio Adriani Romano reſpectivè Civitatum, vel Diœceſum Clericis, ſeù Presbyteris, vel Laicis Cubiculi noſtri adjutoribus, familiaribus continuis Commenſalibus noſtris ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Circumſpecta Romani Pontificis gratiarum diſpenſatoris providentia devotos, & fideles ſuos, illos præſertim, qui grata familiaritatis obſequia jugiter ei impendunt ac, quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare, & ornare, necnon ſpecialis benevolentiæ favoribus amplecti ſolet, prout perſonatum qualitatibus conſpici convenire. Hinc eſt, quòd nos ad grata familiaritatis obſequia, quæ vos, qui etiam continui commenſales noſtri exiſtitis, & quilibet veſtrum Nobis hactenus impendiſtis, & adhuc ſollicitis ſtudiis impendere non deſiſtitis, necnon ad vitæ, ac morum honeſtatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonas veſtras etiam familiari experientia juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea eaſdem perſonas veſtras peculiaris favore gratiæ, ac ſpecialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo ſublimare volentes, voſque, & quemlibet veſtrum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen., harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; Motu proprio, non ad veſtram, vel alterius pro vobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de merâ liberalitate, & certâ ſcientiâ noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine vos, & quemlibet veſtrum reſpectivè in noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios (ſine tamen præjudicio Dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apoſtolica auctoritate tenore præſentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, necnon auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionen, Bononien., Ferrarien., & Beneventan., omniumque, & ſingularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectorum Cives cum omnibus juribus, juriſdictionibus, prærogativis, & inſignibus debitis, & conſuetis creamus, ac conſtituimus, ac in numerum, & conſortium aliorum noſtrorum, & ejuſdem Sedis Notariorum, necnon Palatii, & Aulæ hujuſmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conſcribimus Vobiſque, etiamſi habitum, & rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxtà decreta Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati non deferatis, aut Civitates hujuſmodi non incolueritis, nec unquam in eiſdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuſcumque privilegiis, & facultati-

Exordium à ſolitos favores, & gratias elargiendi Familiaribus Pontificiis.

Motu proprio eoſdem Familiares creat Protonotarios, Comites Palatinos, Equites Nobiles Romanos & Cives Urbis, aliarumq; Civitatum Ditionis Eccleſiaſticæ.

bus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii noſtri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citra tamen exemptiones à Sacro Concilio Tridentino ſublatas, ita ut nedum quoad criminalia, ſed etiam quoad civilia ſubjaceatis Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, ſeu Tabelliones creandi, aliaque hujuſmodi privilegia à Notariis, & Comitibus præfatis prætenſa; ita ut illis nullibi uti valeatis, ac irritum, & inane exiſtat quidquid ſecus per vos, aut quemlibet veſtrum reſpectivè attentari contigerit) necnon Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, ac ſæcularium; etiam ex perſonis Romanorum Civium originariorum vacantium aſſecutione, & exercitio tam in Urbe, quàm in omnibus, & ſingulis Civitatibus prædictis, & aliàs ubique locorum, & gentium, necnon ſeſſionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, ac ſi privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujuſmodi pro vobis emanaſſent, uti, potiri, & gaudere, & in omnibus, & ſingulis Apoſtolicis, aliiſque literis, inſtrumentis, & ſcripturis publicis, & privatis deinceps nomine veſtro conficiendis Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanorum, & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives, prout libuerit, vos inſcribere, & illis ſubſcribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus, ac Civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis ſuſcriptionibus ſubreptitium, vel obreptitium, aut invalidum, ſed illud idem efficax in omnibus cenſeatur; necnon honoris cauſa Inſignia gentis noſtræ ſivè integrè, ſivè cum veſtris reſpectivè compoſita geſtare poſſitis, proùt vobis placuerit, concedimus.

Concilii Tridentini reformationem præſervat, ac in aliquibus privilegium reſtingit.

Inſignia gentilitia ſuæ Sanctitatis concedit.

§. 1. Et inſuper vos, veſtraque beneficia, & officia Eccleſiaſtica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque; illorum fructus, res, & jura ubicumque locorum, Regnorum, & Provinciarum, necnon in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjectis conſiſtentia, prædia, domos, poſſeſſiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, ac ſemoventia, necnon actiones, & jura præſentia, & futura cujuſcumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, ac cujuſvis etiam annui valoris, fructus redditus, & proventus hujuſmodi ſint, vel fuerint, ac etiam quæcumque à vobis vendenda, ac pro veſtris, ac familiarum veſtrarum uſibus emenda ab omnibus, & quibuſcumque decimis, quartis, & dimidiis partibus, ſubſidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, cæteriſque oneribus, & contributionibus tam urbanis quàm ruſticis, ordinariis, & extraordinariis realibus, perſonalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & molliturarum, & mercium cujuſcumque generis tranſitus, ſeu paſſus, & vecturæ, etiam in aliud territorium, ſeu Provinciam, Terra, Mari, & Flumine, necnon equorum mortuorum, ſtabulationum Militum, inſtitutionis Seminarii Eccleſiaſtici, aut quacumque alia quantumvis gravi, & graviſſima cauſâ (pro ſubventione contra Infideles dumtaxat exceptâ) nunc, & pro tempore impoſitis, ita quod vos, & quilibet veſtrum nihil omnino horum, aut aliorum ſimilium ſubire teneamini, nec per Cameræ Apoſtolicæ, aut alios Commiſſarios, ſeu vectigalium, & tributorum hujuſmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate ſuffultos aliàs quàm, ut præfertur, valeatis coarctari (quamdiù ſervitiis noſtris inſtiteritis dumtaxat) eximimus, & liberamus.

Eximit à Decimis, impoſitionibus, taxis, aliiſque tributis durante ſervitio.

§. 2. Ad hæc vobiſcum, & cum quolibet veſtrum reſpectivè; ut quæcumque duo diſſimilia, vel ſimplicia ſimilia ſub ſingulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, aut aliarum etiam Collegiatarum Eccleſiarum conſiſtentium, etiamſi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas etiam major, & principalis, Canonicatus, & præbenda, perſonatus, adminiſtratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, officium hujuſmodi conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura etiam juriſdictionalis immineat animarum, ſi alicui veſtrum aliàs canonicè conferantur, aut quiſque veſtrum eligatur, præſentetur, aut aliàs aſſumatur ad illa, & inſtituatur in eis, recipere, & dummodò illa omnia (uno excepto) perſonalem reſidentiam non requirant, inſimul quoad vixeritis retinere; necnon etiam, quamdiù Nobis inſervieritis tantùm, in beneficiis Eccleſiaſticis, etiam curatis (non tamen Parochialibus, nec Curatis cura animarum Parochianorum) per vos pro tempore reſpectivè obtentis, etiam de jure, ſtatuto, fundatione, vel privilegio perſonalem reſidentiam requirentibus, etiamſi dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis poſt Pontificalem majores, ac Collegiatis Eccleſiis hujuſmodi principales fuerint, perſonaliter reſidere non teneamini, nec per locorum Ordinarios, aut Eccleſiarum earundem Capitula, ſeu quoſvis alios ad reſidendum interim in illis inviti compelli poſſitis, omneſque, & ſingulos nihilominus veſtrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus, & proventus, durante ſervitio prædicto, cum eâ integritate (diſtributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum quâ illos perciperetis, ſi in eiſdem Eccleſiis, ſivè locis perſonaliter reſideretis, percipere, exigere, & levare; ac interim, vel poſtmodum, ſi volueritis, in Romana Curia, vel extra eam à quocumque, quem malueritis, Catholico Antiſtite gratiam, & communionem ejuſdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam ſacros. & Presbyteratus ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis feſtivis diebus, etiam extra tempora à jure ſtatuta, proprii Ordinarii, aut cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, ſi aliàs ad id idonei reperti fueritis, ſuper quo Antiſtitis conſcientiam oneramus, promoveri, & promoti in illis etiam in altaris miniſterio miniſtrare, necnon, etiamſi Presbyteri fueritis, ac dignitates, & officia obtinueritis, leges, & jura civilia, etiam publicè in ſcholis, & Univerſitatibus ſtudiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigeſimum ætatis annum non exceſſeritis, audire, & ſi habiles, & ſufficientes reperti fueritis, etiam ad Doctoratus gradum in hujuſmodi facultate vos promoveri facere, ipſaque jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in cauſis Eccleſiaſticis, & civilibus tantùm exercere liberè, & licitè poſſitis, & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Liceat quoque vobis, & cuilibet veſtrum aliquem idoneum, & approbatum ab Ordinario Presbyterum ſæcularem, vel cujuſvis Ordinis Regularem in veſtrum eligere Confeſſorem, qui vitâ cujuſlibet veſtrum comite vos, & quemlibet veſtrum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque

Concedit Indultum retinendi duo Beneficia ſub eodem tecto in tribus Eccleſiis.

Indultum non reſidendi, ac percipiendi fructus in abſentia quouſque durat ſervitium.

Indultum completo adhuc ſervitio ſuſcipiendi Ordines extra tempora, & ſine licentia Ordinarii.

Indultum audiendi Jus Civile, illudque docendi, & Cauſas Eccleſiaſticas, & Civiles patrocinandi.

Eligendi Confeſſarium, qui à cenſuris, & reſervatis abſolvere, & vota commutare poſſit, cum aliquibus tamen reſtrictionibus.

Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, & per vos incursis, & quibus vos etiam Apostolicâ auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, & quorumcumque votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas, etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum Officiorum) & denique ab omnibus, & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, videlicet à contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantùm in vitâ, & mortis articulo; in reliquis verò dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis (sine tamen alicujus præjudicio) auctoritate Apostolica absolvere, & vobis pro commissis pœnitentiam injungere salutarem, necnon vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, castitatisque, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Facultatem indulget transferendi Pensiones etiam alias translatas usque ad summam tercentorum ducatorum auri de Camera.

§. 3. Vobisque ulterius, & cuicumque vestrum respectivè, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seu aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ tam in dicta Curiâ, quàm extra eam, ad id per vos respectivè coram Notario, & Testibus fide dignis eligendi, seu eligendæ, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum Abbatialium, seu Capitularium, ac Episcopalium, & Archiepiscopalium, ac quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum curâ, & sine curâ sæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum regularium, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus etiam quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore assignata, & reservata, ac reservanda, pro summâ videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respectivè placuerit, simul, vel successivè in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet vestrum mortis articulo, cassare, & extinguere, ac postquàm cassatæ, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus, & emolumentis, seu illarum loco, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta hujusmodi usque ad summam, & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus Clericis, seu Clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, seu eorum Procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo, & formâ, quibus vobis assignatæ, & reservatæ, seu assignata, & concessa fuerint respectivè, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illa aliàs cassari, & reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones, & fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi, etiam pluries cassata, & de novo assignata fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam literis Apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eritis, integrè persolvendas, servatâ tamen formâ Constitutionis fœl. rec. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris Nostri super translationibus pensionum editæ, reservare, constituere, & assignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis de speciali gratia indulgemus.

Indultum testandi, & quomodolibet disponendi usque ad summam sex mille ducatorum auri de Camera, etiam sine solemnitatibus.

§. 4. Necnon etiam vobis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, ac jurisdictionibus, cæterisque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non sint Altaris, seu Altarium Ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seu alicui speciali earundem Ecclesiarum Divino cultui, seu usui deputata, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac juribus, & actionibus ad vos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, quibus vos forsan præesse contigerit, necnon Monasteriorum, Prioratuum, Præposiurarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum curâ & sine curâ sæcularium, & quorumvis Ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, reddituum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventibus vobis reservatorum, & assignatarum, ac reservandorum, & assignandarum, quos, & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, & aliàs quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus, & pensionibus annuis, necnon vestra, & cujuslibet vestrum industriâ, & labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen acquisitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & aliàs quavis occasione, vel causâ, seu contemplatione ad vos perventis, & perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ, & jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta Curia, quam extra eam ubique locorum, etiam penès Beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quæ generali appellatione bonorum, & supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus, ac si specificè, & singillatim exprimerentur, & denominarentur, pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camera pro unoquoque vestrum, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus, & proventibus, & pensionibus debitis, & debendis (servatâ tamen formâ Constitutionum Apostolicarum jam editarum, & si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis) etiam cumulativè, cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, & habendis, tam pro decentibus, & honestis impensis funebribus

quàm, etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque locorum piorum favorem, & usum, ac aliàs pro arbitrio, & voluntate vestris, & cujuslibet vestrum absolutis testari, & testamento, codicillis, & fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos, quàm causâ mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis, scripturâ etiam minus solemni, coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedulâ sola manu vestra scriptâ, vel subscriptâ, & aliàs in omnibus, & per omnia, prout & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ Curiâ, & in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione præsentis, vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatem, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velitis, & intendatis, semel, atque iterum, aut pluriès disponere, statuere, & ordinare, ita ut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum seu aliàs dispositum à vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni alio meliori modo valeat, & servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, & dispositiones, ordinationes, legata, & statuta pluries, ac toties, quoties vobis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apostolica earumdem tenore præsentium plenam, & liberam concedimus facultatem.

Liberat à spolio, & vult in casu obitus ab intestato bona deferri ad hæredes sanguinis, iisque deficientibus ad Familiares, qui fuerint nominati.

§. 5. Et insuper statuimus, & ordinamus, vobisque indulgemus, quod si vos ab intestato, & sine ullâ, vel cum minus validâ bonorum, & rerum, ac fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum dispositione in dictâ Curiâ, vel extra eam tàm continuâ, quàm interpolatâ inibi cujuslibet vestrum respectivè mansione, ac etiam extra beneficia vestra, vel alia loca debitæ à vobis residentiæ personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedatis, omnia, & singula bona, res, & jura etiam, ut præfertur, qualificata, necnon spolia cujuscumque quantitatis, & valoris existentia, etiam ex prædictis, & alias undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes vestri sanguinis integrè deveniant, & illis deficientibus inter familiares vestros arbitrio personæ, seu personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de aliâ dispositione, vel intentione vestrâ, scripturâ etiam minus solemni, secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seu executores omninò exequi, & adimplere, illique se conformare in omnibus, & per omnia debeant. Et nihilominus quæcumque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia forsan à vobis, etiam nullâ, vel minus sufficienti facultate suffultis de hujusmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & aliàs quomodolibet factâ cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum fient, ex nunc, prout ex tunc, & è contra pro dictâ sex millium ducatorum approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, specifica, & expressa de illis mentio præsentibus habenda esset, supplemus. Districtiùs inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis, necnon Cameræ prædictæ Præsidentibus Clericis, ac eorum, necnon Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, cæterisque cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate, & potestate fungentibus, sub excommunicationis majoris, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, ne Universitates, Collegia, ac loca, & legatarios, hæredes, & personas, necnon testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi executores prædictos directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio molestare audeant quoquo modo, vel perturbare.

Confirmat dispositiones, quæ super Bonis fieri contigerit, necnon illarum supplet defectus.

Inhibet, nè molestentur Universitates, Hæredes, Legatarii, & Executores occasione dictarum dispositionum.

§. 6. Ac decernentes prædicta omnia, & singula, præsentesque literas, & testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit tam vigore præsentis, quàm etiam aliarum concessionum vobis factarum, & deinceps in genere, & in specie faciendarum cum inde secutis, & secuturis, etiamsi vos intra Curiam, aut in quacumque aliâ Mundi parte extra Ecclesias, & beneficia personalem residentiam requirentia qualitercumque qualificata per vos nunc, & pro tempore obtenta, etiam pro vestrâ sola voluntate, & nullâ subsistente causâ non residendi, ab humanis decedere contigerit, sub literis rec. me. Pii Papæ IV. prædecessoris pariter nostri contra quoscumque Episcopos, Archiepiscopos, & alios Prælatos, necnon Parochialium Ecclesiarum Rectores, cæterosque residentiæ personali prædictæ adstrictos extra illam quomodocumque decedentes septimo Kalen. Decembris Pontificatus sui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, & sub quibuscumque aliis Constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, Decretis, declarationibus Apostolicis, Cancellariæ Apostolicæ Regulis ex quibuscumque causis, quantumcumque maximis, urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, & divini cultus augmentum, ac consistorialiter etiam à Nobis, & Sede prædicta hactenus, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minimè comprehendi, sed semper ab illis excepta, & quoties emanata fuerint, toties in pristinum, & validissimum statum, & etiam sub posteriori datâ, etiam cum derogationibus, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis Decretis per vos eligendâ apponendis, & latissimè specificandis reposita, restituta, & plenariè reintegrata, ac de novo concessa, validaque, & efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios, & omnes effectus, quos de jure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, stipulati, validi, & effieacis contractus inter vos ex una, ac Nos, & Cameram prædictam ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad Ecclesiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam status, & personæ vestræ mutationem cessare, nec per similes, vel dissimiles gratias vobis concessas, & concedendas confundi, sed ipsis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & si quid in una ex facultatibus hujusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, seù quæ bona jura, & actiones hujusmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut executores prædictos ad tertiam, seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel Fabricæ, aut beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra Infideles, & quibusvis aliis quantumlibet piis usibus solvendum, ac cum iis desuper componendum,

Clausulæ præservativæ.

vel

vel vos ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut confirmationem præsentium à Nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia simili gratia, seu confirmatione illius vobis quomodocumque concedendi, de præsenti mentionem aliquam faciendam ullatenus teneri, nec ad id ulla unquam necessitate cogi posse.

Clausula sublata.

§. 7. Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem S. R. E. Cardinales, necnon pro tempore existentes dictæ Cameræ Camerarium, Præsidentes, & Clericos in quâvis causâ, & instantiâ, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Ostien., & Portuen. Cardinalibus Episcopis, & Dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per Apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte vestrâ desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi firmitèr observari, ac vos illis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes vos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earundem præsentium tenorem quomodolibet indebitè molestari, inquietari, vel perturbari: Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac legitimis, super his haben. servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit; auxilio brachii sæcularis.

Executores præsentium Literarum designat.

Derogat contrariis.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac piæ me. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris etiam nostri de unâ, & in Concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, necnon Lateranen. Concilii noviss imè celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & in posterum edendis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac rec. mem. Alexandri Papæ VI. pariter prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, necnon ejusdem Bonifacii Papæ VIII., per quam concessiones fructus in absentia percipiendi sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii Papæ IV. prædecessoris etiam nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in dicta Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita quod præsentes in eadem Camerâ nullo unquam tempore registrari facere teneamini, ac similis rec. Urbani Papæ VIII. pariter prædecessoris nostri de pensionibus aliàs translatis iterum non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus, tam Urbis, quàm aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati existitis, & quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædictorum, necnon quorumvis Collegiorum, & officiorum dictæ Curiæ, & Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis, & non impetrandis literis Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel ab aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis utendo vos per vos, vel Procuratores vestros præstiteritis forsan hactenus, vel vos in posterum præstare contigerit juramentum, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitalibus, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque prædictis, ac illorum Communitatibus, & Universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum exactoribus, & appaltatoribus, & aliorum onerum redemptoribus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum statuti, & constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia similibus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur expresè, vel tacitè, quòd Urbis nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus, habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque Præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitalis tam ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione pensionibus Clericis sæcularibus, & aliis personis, etiam Apostolicâ auctoritate reservandis, gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascumque literas Apostolicas, & quasvis etiam derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, & tum demum Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non

aliàs, nec alio modo, & ſemper in omnibus, quæ ſic fient etiam de ſimili conſilio, derogationibus ſit appoſita clauſula, quod illarum effectum ſortiantur de conſenſu Magiſtri, & Conventus prædictorum, & non aliàs, nec alio modo; quodque ipſi exactores, & appaltatores decimas, pedagia, & onera hujuſmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad ſolutionem, ſeu contributionem cogere, & compellere poſſint, ſeu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat in genere, & in ſpecie, ad effectum præſentium ſufficienter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe decernimus; quodque vos primam non feceritis in Eccleſiis hujuſmodi perſonalem reſidentiam conſuetam, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Præſcribit quædam adimplenda ante uſum Notariatus.

§. 9. Volumus autem, quod antequam gratiâ creationis in noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios vobis, ut ſupra, facta perfrui valeatis, in manibus alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ profeſſionem fidei juxtà articulos pridem à Sede prædicta propoſitos expreſsè emittere, & ſolitum fidelitatis juramentum præſtare omninò teneamini; Quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ubique adhibeatur in judicio, & extra, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Mandat fidem haberi Tranſumptis harum Literarum.

§. 10. Cæterùm volumus pariter, atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus ſimiles teſtandi de bonis, ac penſiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, quorum reſpectivè etiam familiares continui commenſales erant, & conceſſæ fuerunt, præſentes literæ quoad facultates teſtandi de bonis, & transferendi penſiones hujuſmodi minimè ſuffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die v. Aprilis MDCCI. Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Oliverius.

Prohibet, nè Indulta teſtandi, & penſiones transferendi ſuffragentur iis, qui alia hujuſmodi Indulta obtinuerunt.

VI. CONCESSIO

Indulgentiæ Plenariæ Chriſtifidelibus Italiæ, & Inſularum adjacentium, Divinam opem implorantibus pro Pace inter Principes Chriſtianos.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

QUòd jam pluriès indictis publicè precibus à Patre miſericordiarum ſupplici, devotaque humilitate flagitavimus, ut Regum, ac Principum Chriſtianorum animos, ſublatis diſcordiis, arcto, atque indiſſolubili charitatis vinculo conjungere dignaretur; id nunc præcipuè, cùm armorum ſtrepitus in dies creſcere, atque ad Chriſtiani ſanguinis effuſionem, non ſine maximo animi noſtri dolore, fermè in circuitu Jeruſalem deveniri conſpicimus, ferventiori ſpiritus ardore, majorique animi contentione faciendum cenſemus: ut Clementiſſimus Dominus, & Deus noſter, qui facit pacem in ſublimibus, & Reges in thronis collocat, fidelem Populum ab iracundiæ ſuæ terroribus liberet, noſtroſque labores, & curas, ac ſpem, quam in ejus ineffabili bonitate collocavimus, optatæ cumulet lætitia tranquillitatis. Nuper ſiquidem omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex certis à Nobis tunc deſignatis Almæ Urbis noſtræ Eccleſiis, ſeu Baſilicis, in quarum qualibet per tres continuos dies Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicæ fidelium veneration expoſitum fuerat, devotè viſitaſſent, ibique auxilium de Sancto in præſentibus Eccleſiæ, ac Chriſtianæ Reipublicæ urgentiſſimis neceſſitatibus invocaſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſimus. Nunc autem Divinam opem ſimilibus Chriſtianæ pietatis operibus in universâ quoque Italia, & Inſulis adjacentibus implorari cupientes; Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœceſum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum univerſæ Italiæ, & Inſularum adjacentium hujuſmodi, ſeu eorum Vicariis in ſpiritualibus Generalibus præſentium ſerie committimus, & mandamus, ut ſtatimatque ipſarum præſentium literarum tranſumpta, ſeu exempla, etiam impreſſa, ad eos pervenerint, in aliquibus ſuarum reſpectivè Civitatum, & Diœceſum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum Eccleſiis per eos deſignandis memoratum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum feriis ſextis, ac Sabbatis, & Dominicis duarum continuarum Hebdomadarum publicè pariter fidelium venerationi exponi curent: Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui aliquam ex Eccleſiis hujuſmodi eo tempore, quo idem Sanctiſſimum Sacramentum publicæ venerationi ibidem ſic expoſitum fuerit devotè viſitaverint, ac aliquo ex iiſdem Sabbatis jejunaverint, & verè pœnitentes, ac confeſſi die Dominicâ immediatè ſequenti Sabbatum hujuſmodi ſacra Communione refecti fuerint, ac in eiſdem Eccleſiis ante prædictum Sanctiſſimum Sacramentum per aliquod temporis ſpatium, prout unicuique ſuggeret devotio, pias ad Deum preces effundendo Divinam opem pariformitèr invocaverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem ſimiliter concedimus, & elargimur. Regularibus verò utriuſque ſexus in clauſurâ viventibus, qui pariter uno ex dictis Sabbatis jejunaverint, eorumque reſpectivè Eccleſias in aliquo ex memoratis diebus viſitaverint, ac verè pœnitentes, & confeſſi, Sacrâque Communione in aliquâ ex Dominicis hujuſmodi refecti, Deum, ut ſupra, oraverint, ut eamdem plenariam Indulgentiam, & peccatorum remiſſionem conſequantur, indulgemus. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra habeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Julii, Pontificatus noſtri Anno primo.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti MDCCI. Indictione nona, die verò 30. Menſis Julii, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno primo, ſupradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Jo. Philippum Caſtiglia Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſ.

Sebaſtianus Vaſellus Pro Curſ. Mag.

EXTEN-

EXTENSIO

Facultatis transferendi pensiones usque ad summam scutorum centum monetæ aliàs concessæ Votantibus Signaturæ Justitiæ, & Declaratio, quod etiam dimissi Votantium hujusmodi Officiis eâ uti possint.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

CReditæ nobis divinitùs dispensationis ratio exigit, ut illos, qui plus laboris, & obsequii in Apostolicæ Sedis honorem, ac Ecclesiæ Catholicæ utilitatem jugiter perferre, & impendere non desistunt, peculiari paternæ charitatis affectu prosequentes, eis uberiora Pontificiæ nostræ benignitatis dona largiamur.

Prioris Indulti substantiam exponit.

§. 1. Aliàs siquidem Nos tunc, & pro tempore existentibus Referendariis Signaturæ nostræ Justitiæ Votantibus perpetuò concessimus, & indulsimus, ut ipsi pensiones annuas Apostolica auctoritate eis super quibusvis fructibus Ecclesiasticis reservatas, & pro tempore reservandas usque ad summam centum scutorum monetæ dumtaxat, ad favorem unius, seu plurium Personarum Ecclesiasticarum, seu Clericorum, ac aliàs pensionum hujusmodi capacium, etiam in mortis articulo, coram Notario, & Testibus, ac cum alicujus Prælati, seu Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ interventu transferre (servatâ tamen formâ Constitutionis fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris nostri super translatione pensionum editæ) liberè, & licitè possent, & valerent, & aliàs prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 28. Martii proximè præteriti expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum haberi volumus, uberiùs continetur. Nunc autem Nos ad

Merita Votantium Signaturæ Justitiæ commendat.

egregia Dilectorum Filiorum modernorum ejusdem Signaturæ Justitiæ Votantium merita paternæ dirigentes considerationis intuitum, ac benignè perpendentes, quantum ipsi singulari sint Sedi præfatæ adjumento, Romanæque Curiæ ornamento, eosque proinde, ac illorum Successores, ut alacriores in dies ad præstanda eidem Sedi obsequia reddantur, amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & ipsorum modernorum Referendariorum Signaturæ Justitiæ hujusmodi Votantium singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præfatis modernis, & pro tempore existentibus Referendariis ejusdem Signaturæ Justitiæ Votantibus, ut ipsi, etiam dimissis Votantium hujusmodi Officiis, facultate transferendi pensiones annuas usque ad summam centum scutorum monetæ à Nobis per nostras literas præfatas, ut præfertur, concessâ uti, frui, & gaudere liberè pariter, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac si Officia Votantium hujusmodi tunc exercerent, tenore præsentium, concedimus pariter, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quamtumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, seu ad terminos Juris reduci, aut in controversiam revocari, sed adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, vel Romanos Pontifices Successores nostros, & Sedem præfatam in genere, vel in specie, aut aliàs quomodolibet, & quandocumque faciendis comprehendi, vel comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac etiam de novo, sub quacumque posteriori datâ per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligendâ, concessas intelligi, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari.

Eis indulget, ut etiam dimissis Votantium officiis facultate transferendi pensiones illis aliàs concessa uti, & gaudere possint.

§. 2. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, alioswe quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

§. 3. Quocircà Dilectis Filiis Nostris ejusdem S. R. E. Vicecancellario, ac Camerario, & Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte prædictorum Votantium, seu alicujus eorum, vel aliorum interesse in præmissis pro tempore habentium desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsas præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsosque modernos, & pro tempore existentes Votantes, & alios, quos eædem literæ concernent in futurum, præsentium literarum, & in eis contentorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos, seu eorum quempiam desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ in supradictis nostris literis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque, Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Augusti MDCCI. Pontificatus nostri Anno Primo.

Executores deputat. Card. V. Cancellarium, & Camerarium, & A. C.

F. Oliverius.

CONCESSIO

Plurium Indulgentiarum perpetuarum pro Congregatione Missionis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

PIas personarum Ecclesiasticarum Congregationes in Militanti Ecclesia ad Dei laudem, & gloriam, spiritualemque Christifidelium ædificationem providè institutas, ut ad pia, & salutaria, quæ exercent, opera promptiores, alacrioresque reddantur; Indulgentiis, & peccatorum remissionibus invitamus, & confovemus, proùt ad earum devotionem, animarumque salutem augendam conspicimus in Domino expedire.

§. 1. Hinc est quòd nos Congregationem Missionis in vinea Domini ad animarum salutem strenuè laborantem spiritualibus Indulgentiarum muneribus cumulare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, prætèr, & ultra omnes, & quascumque alias Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes eidem Congregationi hactenus quomodolibet, & ex quâvis causâ, Apostolicâ auctoritate concessas, omnibus, & singulis Presbyteris, Clericis, & Laicis, qui dictam Congregationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit, *plenariam*: Illis quoque, qui Congregationem hujusmodi ingressi, & in ea viventes quatuor vota simplicia, nempe Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, necnon stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vitæ tempore saluti pauperum rusticanorum applicandi, post biennium probationis juxta Constitutiones prædictæ Congregationis auctoritate Apostolicâ confirmatas emiserint, & verè similiter pœnitentes, & confessi, eo die sacra Communione refecti fuerint, itidem *plenariam*: Ac præfatis Presbyteris, Clericis, & Laicis nunc, & pro tempore existentibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pariter pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen JESU ore, si potuerint, sin minus corde, devotè invocaverint, etiam *plenariam*: Prætereà eisdem præsentibus, & futuris Presbyteris, Clericis, & Laicis verè similiter pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam dictæ Congregationis Ecclesiam, vel Oratorium, vel Parochialem Ecclesiam Loci, ubi pro tempore commorabuntur, die festo Conversionis Sancti Pauli à primis vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro felici Congregationis præfatæ progressu, & propagatione, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, *plenariam*: Insuper eisdem Presbyteris, Clericis, & Laicis, qui spiritualia exercitia per octiduum continuum in aliqua ejusdem Congregationis domo peregerint, & interea verè quoque pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac ut præfertur, oraverint, similiter *plenariam* semel in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 2. Ac demum eisdem Presbyteris, Clericis, & Laicis præsentibus, & futuris in memoratâ Congregatione viventibus, qui singulis diebus conscientiam suam diligenter examinaverint, cum proposito à peccatis abstinendi, & se corrigendi, ac Litanias Beatæ Mariæ Virginis devotè recitaverint, & ut suprà expressum est, oraverint, *centum dies* pro unoquoque die, quo id egerint, de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consuetâ relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Superioris Generalis Congregationis prædictæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Novembris MDCCI. Pontificatus Nostri anno primo.

F. Oliverius.

CONFIRMATIO IX.

Decreti Sacrorum Rituum Congregationis, quo Officium cum Missa de Beato Augustino Dalmata pro Civitatibus Lucerina, Zagabrienſi, & Tragurienſi, necnon earum Diœcesibus, & pro Ordine Prædicatorum de communi tamen Confessorum Pontificum indulgetur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper ad supplicationem Dilecti Filii Antonini Cloche Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Lucerina Canonizationis Beati Augustini Dalmatæ Ordinis Prædicatorum Episcopi Zagabrienſis, & demum Lucerini. Cùm Sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Petrucci sub die XIX. Junii MDCC. cum subsecuta approbatione Sanctissimi censuerit constare de Cultu immemorabili B. Augustino prædicto præstito; Pater Antoninus Cloche Ordinis Prædicatorum Magister Generalis humiliter Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit, quatenus concedere dignaretur, ut in Civitate Lucerina continuari possit in celebratione Festi dicti Beati Augustini cum Officio, & Missa propriis ejusdem Beati, prout asserebatur fuisse hactenus recitatum, necnon ut idem Indultum ad totum Ordinem Prædicatorum, ad Provinciam Beneventanam, in qua sita est Civitas Lucerina, ad Civitatem, & Diœcesim Tragurienſem, Patriam ejusdem Beati; Necnon ad Civitatem, & Diœcesim Spalatrinam benignè extendere dignaretur: Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Gabrielli, tam in voce, quàm in scriptis Reverendissimo Archiepiscopo Myren. Fidei Promotore audito, accedentibus piis supplicationibus Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Ursini Archiepiscopi Beneventani, Archiepiscopi Spalatrini, Episcopi Lucerini, ac aliorum Episcoporum totius Provinciæ Beneventanæ, & Episcopi Tragurienſis, Sanctissimo Domino Nostro porrectis, & ad eamdem Sacrorum Rituum Congregationem remissis, Officium cum Missa de Beato Augustino prædicto pro Civitatibus Lucerina, Zagabrienſi, &

Tragurienſi, necnon earumdem Diæceſibus, & pro Ordine Prædicatorum, de communi tamen Confeſſorum Pontificum, poſſe concedi cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit, die prima Octobris MDCCI. Et factâ deinde de prædictis per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, die XIX. ejuſdem menſis Octobris, & anni MDCCI. G. Cardinalis Carpineus. Loco † ſigilli.

§. 1. Cum autem, ſicut dictus Antonius Magiſter Generalis Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decretum hujuſmodi, quo firmiùs ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſideret; Nos ipſum Antoninum Magiſtrum Generalem ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequen., harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur; quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die IV. Aprilis MDCCII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

F. Oliverius.

X.

DECLARATIO

Ut quotieſcumque Feſtum S. Franciſci Xaverii inciderit in primam Dominicam Adventus, illud in feriam ſecundam immediatè ſequentem cum Indulgentiâ transferatur.

BEATISSIME PATER.

CUm ſa. me. Gregorius XV. in literis in forma Brevis die 8. Junii 1622. omnibus, & ſingulis utriusque ſexus Chriſtifidelibus, verè pœnitentibus, confeſſis, & Sacra Communione refectis, qui Eccleſias Societatis Jeſu, vel earum aliquam in Feſto S. Franciſci Xaverii, tunc die ſecunda Decembris celebrari ſolito, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei, devotè viſitaverint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditèr in Domino, & in perpetuum conceſſerit; & ſan. me. Urbanus VIII. in ſuis pariter literis 22. Decembris 1638. præfatum Feſtum quandocumque in Dominicam primam Adventus inciderit, in unum ex diebus infra octavam dicti Feſti cum eadem Indulgentia tranſtulerit; Deinde ſan. me. Innocentius X. in ſuis item litteris 27. Octobris 1651. in dicto caſu incidentiæ Feſti in Dominicam primam Adventus, celebrationem ejuſdem Feſti in feriam ſecundam immediatè ſequentem, cum Indulgentia, futuris etiam perpetuis temporibus transferri mandaverit; Cumque demum ſa. me. Alexander VII. in ſuis pariter literis 18. Julii 1662. Feſtum prædictum S. Franciſci Xaverii die ſecunda Decembris tunc, ut ſupra, celebrari conſuetum, in diem tertiam ejuſdem menſis, etiam cum Indulgentiâ, perpetuò celebrandum tranſtulerit, nullâ mentione factâ caſus incidentiæ ſuperius enunciatæ; excitatum fuit dubium, an adhuc vigeat pro dicta Indulgentia ſanctio Innocentii X., vel ſtandum ſit poſtremo Decreto Alexandri VII., ex quo dubio, cum aliqua ritus difformitas oriri poſſit, Procurator Generalis ejuſdem Societatis, ad ritus uniformitatem in Societate uuiversâ ſervandam, ad pedes Sanctitatis Veſtræ humiliter provolutus, ſupplex orat; ut tam anno currenti 1702., quàm futuris quoque temporibus in perpetuum declarare, & decernere, dignetur, ſervandum eſſe Breve ſan. me. Innocentii X., non obſtante Brevi ſa. me. Alexandri VII. ita ut quandocumque Feſtum S. Franciſci Xaverii, quod hodie tertia Decembris celebratur, in Dominicam primam Adventus inciderit, in feriam ſecundam immediatè ſequentem, & ſic in diem quartam cum Indulgentiâ plenaria transferatur. Quam Deus &c.

Sanctiſſimo D. N. D. CLEMENTI Papæ XI.

Pro

Procuratore Generali Societatis Jeſu.

Die XXIV. Novembris 1702.

Sanctiſſimus declaravit Servandum eſſe Breve ſa.me. Innocentii X., non obſtante Brevi ſa. me. Alexandri VII.

F. Oliverius.

CONFIRMATIO XI.

Decreti D. Card. Protectoris Ordinis Carmelitarum, authoritate Sacr. Congregationis negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ facti, quo declaratur facultatem erigendi Confraternitates S. Mariæ Montis Carmeli competere dumtaxat Superioribus Generalibus Ordinis Carmelitarum tam Calceatorum, quàm Excalceatorum, & ab aliis erectas non eſſe legitimas; & plura alia ſtatuuntur quoad modum recipiendi habitum, ſeu Scapulare pro acquiſitione ſacrarum Indulgentiarum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte Dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis Congregationis Hiſpaniæ Fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis

Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposito exposito: Quod non ita pridem nonnulli dictæ Congregationis Hispaniæ Fratres in Peruviam Conventum Congregationis hujusmodi ibi fundaturi profecti essent; Scapularia ejusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Christifidelibus illarum partium absque legitimâ ad id facultate, seu auctoritate distributa fuisse, & adhuc distribui compererant: Et cum necessarium esset, ut illa recipientes ad consequendas Indulgentias; & gratias spirituales ea gestantibus, & quædam præscripta opera pia peragentibus à Sede Apostolica concessas alicui ex Confraternitatibus scapularis hujusmodi adscriberentur: hæcque adscriptio nonnisi à Prioribus Conventuum Fratrum Carmelitarum, sive Calceatorum, sive Excalceatorum, aut ab eis, qui facultatem à Superioribus Generalibus, vel Provincialibus, si ad id delegatam haberent, fieri valeret; in dictis verò partibus nullus reperiretur, nec unquam fuisset fundatus Conventus prædictorum Fratrum Calceatorum, neque dicti Fratres Excalceati ullam facultatem hujusmodi cuiquam delegassent; præsumendum erat dicta Scapularia forsan ab aliquo sub figmento attributæ sibi facultatis turpis lucri gratia distributa, & minimè benedicta fuisse; & in eadem expositione subjuncto, quod per hujusmodi distributionis abusum, pietas dictorum Christifidelium eludebatur, ac facultati dictis Fratribus Carmelitis specialiter competenti adscribendi ipsos Christifideles Confraternitatibus præfatis, eisque dicta Scapularia distribuendi præjudicabatur. Ideoque pro parte dicti Procuratoris Generalis etiam supradictæ Congregationis Hispaniæ nomine, præfatæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut quò abusui, & ex eo emergentibus inconvenientibus hujusmodi occurreretur, declarare dignaretur Indulgentias, & gratias spirituales præfatas illis tantùm suffragari, qui à dictis Prioribus, aut ab aliis, quibus necessaria, & opportuna ad id facultas à memoratis Superioribus Generalibus, & Provincialibus attributa esset, prædicta Scapularia ab illis benedicta recepissent, & in posterum recepturi essent; eadem Congregatio Cardinalium per suum Decretum die XII. Augusti anni proximè præteriti emanatum, attenta relatione Dilecti Filii nostri Josephi dictæ S. R. E. Cardinalis Sacripantis nuncupati Ordini præfati apud Nos, & dictam Sedem Protectoris sibi super præmissis facta, eidem Josepho Cardinali, & Protectori benignè commisit, ut veris existentibus narratis circa dicti Procuratoris Generalis preces id statueret, quod pro suo arbitrio, & prudentia expedire censuisset; Unde ipse Josephus Cardinalis, & Protector Decretum edidit, tenoris qui sequitur, videlicet: Josephus Tit. S. Mariæ Transpontinæ Presbyter Cardinalis Sacripantes totius Ordinis Carmelitarum apud Sanctam Sedem Protector. Inhærentes arbitrio per Sacram Congregationem S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium propositam Nobis, ut præfertur, benignè impertito, censemus esse indulgendum, seu declarandum, prout tenore præsentis auctoritate Nobis, ut supra delegatâ injungimus, & declaramus Confraternitates nuncupatas Sanctæ Mariæ Montis Carmeli instituendas, seu erigendas esse à Superioribus Generalibus Ordinis Carmelitarum tam Calceatorum, quàm Excalceatorum: ab aliis autem, quam à prædictis institutas, seu erectas; non fuisse, nec esse, seu fore legitimas, neque in illis acquiri Indulgentias, seu gratias spirituales hujusmodi Confraternitatibus concessas; Admissos insuper ad aliquem canonicè erectam Confraternitatem hujusmodi, teneri primâ vice recipere habitum, seu Scapulare benedictum à Superioribus Religionis, vel ab alio Sacerdote, cui dicta benedicendi facultas fuerit attributa, ac per hujusmodi admissionem cum aliquibus piis operibus Indulgentias à Summis Pontificibus concessas acquiri; aliter autem admissos, seu admittendos, seu Scapularia aliàs, quàm, ut supra, dicitur pro prima vice benedicta, seu distributa, ac benedicenda, seu distribuenda recipientes, seu recepturos, Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium non fuisse, nec esse, seu fore participes; salva tamen semper auctoritate Apostolica circa erectiones, & Indulta Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium, si quæ fuerint à Sancta Sede factâ, & concessâ, seu in posterum fient, & respectivè concedentur. Datum in Dataria Apostolica ex Ædibus nostræ habitationis hac die VIII. Septembris 1701. Joseph Cardinalis Sacripantes Protector. Loco † Sigilli.

Decretum Card. Protectoris.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, & servetur exactiùs; Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret: Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum à memorato Josepho Cardinale, & Protectore editum, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis aliâ firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceteriſque contrariis quibuscumque.

Pontifex confirmat præfatum Decretum cum clausulis consuetis.

§. 2. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in

judicio,

judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Novembris MDCCII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

F. Oliverius.

Loco † Annuli Piscatoris.

XII.

CONCESSIO

Indulgentiarum Christifidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium, Divinum auxilium implorantibus in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper Nos ad Divinam opem in præsentibus Christianæ Reipublicæ urgentissimis necessitatibus implorandam in omnibus Almæ Urbis nostræ Patriarchalibus, & Collegiatis, ac Parochialibus, & aliis quibusvis Secularium, & Regularium utriusque sexus Ecclesiis campanam majorem per quindecim dies continuos à secunda Dominica Adventus proximè præteriti computandos, horâ secundâ noctis quotidie per spatium octavæ partis horæ pulsari jussimus. Ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui durante sono campanæ hujusmodi flexis genibus, vel aliter, prout valuissent, quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam devotè recitassent, ac Divinam clementiam exorassent, ut Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam benignè largiri, necnon Catholicam Religionem à gravibus sibi imminentibus periculis, ac damnis pro suâ immensâ bonitate immunem servare dignaretur, singulis diebus, quibus id egissent, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxavimus: Insuper iisdem Christifidelibus, qui præmissa per integrum quindecim dierum hujusmodi curriculum peregissent, ac in uno eorumdem quindecim dierum verè pœnitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, aliquam ex Ecclesiis, seu Basilicis Urbis præfatæ in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ dicatis itidem devotè visitassent, divinamque clementiam ibidem similiter imploràssent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

§. 1. Nunc autem, ut iram Domini flagitiis hominum provocatam multiplicatis in dies Christianæ pietatis operibus placare studeamus, ac quod fideliter petimus, validiori conjunctarum precum intercessione ab Omnipotentis Dei misericordiâ impetremus, Divinum auxilium in universa Italia, & Insulis illi adjacentibus pariformiter invocari cupientes; Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum universæ Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus harum serie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad illos pervenerint, campanas quotidie pariter per quindecim dies continuos ab eis præfiniendos spatio octavæ partis horæ in suarum respectivè Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum tam Sæcularium, quàm Regularium utriusque sexus Ecclesiis pulsari mandent, ac Ecclesias, ut infra, visitandas designent, seu designari curent; Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui durante sono campanarum hujusmodi quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pariter recitaverint, divinamque clementiam, ut supra, imploraverint, quocumque die id egerint, similem pœnitentiarum relaxationem. Illis verò, qui continuatâ per dictos quindecim dies ejusmodi devotione in uno eorundem quindecim dierum verè pœnitentes, & confessi, ac sacrâ Communione refecti, Ecclesias per memoratos Ordinarios, & Prælatos, seu eorum Vicarios respectivè, sive illorum jussu designandas devotè visitaverint, ibique Divinam clementiam similiter imploraverint, plenariam itidem omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concedimus pariter, & elargimur.

§. 2. Cæterum regularibus utriusque sexus in perpetuâ clausurâ viventibus, necnon aliis Christifidelibus præfatis in carcere, vel corporis infirmitate, aliove quolibet impedimento detentis, qui Ecclesias, ut præmittitur, designandas, visitare nequiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius ex approbatis, seu approbandis ab Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere possit, quæ ipsi pœnitentes adimplere poterunt, concedimus similiter, & indulgemus. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Januarii MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo tertio, Indictione undecima, die verò 5. mensis Januarii, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno tertio, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris, in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis; & consuetis Urbis per me Thomam de Unionibus SS. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Magist. Curs. Joannes Baptista de Capellis Apost. Curs.

XIII.

JUBILEUM

Pro Christifidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium, Divinam opem implorantibus in præsentibus necessitatibus.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

DE salute Dominici gregis curæ nostræ divinitus commissi paternæ charitatis studio soliciti in-

Christianæ Reipublicæ calamitates narrat.

ter tot tantasque, quibus Christiana Respublica his calamitosissimis temporibus undequàque premitur, angustias, publicis pluries indictis precibus, ad sacram Misericordiarum Domini aram cum omni fiduciâ accedere non prætermisimus, supplici, devotâque humilitate flagitantes, ut clementissimus Dominus noster cordium contritorum holocausta in odorem suavitatis accipiens, fidelem populum ab iracundiæ suæ terroribus liberaret, ac spem, quam in ejus ineffabili bonitate reponimus, optatæ tandem cumularet lætitiâ tranquillitatis. Verùm nondum oblito Domino delicta populi sui, ac de peccatis nostris adhuc vindictam sumere meditante, cum nuperrimè ejus vocem, quâ commota est, & contremuit terra, auribus nostris, sub potenti manu Dei humilitati, non semel audiverimus; hoc ipsum verò propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus evenisse probè agnoverimus, ac proinde Christifideles tam in Almâ Urbe nostrâ, quàm in aliis quibusdam Status nostri Ecclesiastici, necnon Regni Neapolis Civitatibus & Diœcesibus, quas manus Domini propriùs tetigit, degentes, opportunaque cælestis opis auxilia flagrantissimo cordis affectu implorare cupientes, ad iram Dei, quæ flagitiis hominum assiduè lacessitur, per salutaris pœnitentiæ lamenta, ac jejunia, & eleemosynas, sinceraque, & unanimes obsecrationes, atque orationes placandam, prolatis largâ manu Ecclesiæ thesauris, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, iterum atque iterum excitare studuerimus; Id ipsum nunc, ut & reliqui quoque Christifideles Italiæ universæ, & Insularum illi adjacentium, scissis per veram pœnitentiam cordibus, ac auctis per jejuniorum labores, & eleemosynarum largitiones viribus orationis, facere connitantur, eos omnes, & singulos paternè adhortandos, & monendos, eorumque pietatem, erogatis itidem amplissimis cælestium gratiarum muneribus, incitandam, atque fovendam esse censuimus.

Et novissimum Terræ motus flagellum, quo plurima loca, & ipsa Alma Urbs concussa fuere.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, & solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licèt indignis, contulit, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in universâ Italiâ, & Insulis ei adjacentibus hujusmodi degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarium hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum, saltem semel devotè visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, ac quartâ, & sexta feriis, & Sabbatho alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem præfatam constitutas concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Plenissimam Indulgentiam, & peccatorum remissionem elargitur adimplentibus opera, quæ præscribit.

§. 2. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primùm ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel Majore, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscunque tam Laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, vel Regularibus etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper præfatis omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti in universâ Italiâ, & Insulis ei adjacentibus prædictis, sicut præmittitur, degentibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis ut præfertur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quâvis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, seu Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam per literas die Cœnæ Domini legi solitas, & alias quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeat; & insuper vota quæcumque (Religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in suprædictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Explicat opera à Navigantibus, Claustralibus, Carceratis, Captivis, & Infirmis adimplenda pro consecutione Jubilei.

Facultatem Confessariis tribuit absolvendi à reservatis, & commutandi Vota, Religionis, & Castitatis exceptis.

§. 3. Quapropter harum serie in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus atque mandamus Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & quibuscumque Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum Italiæ, & Insularum ei adjacentium hujusmodi, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum ibi exercent, ut cum primùm easdem præsentes literas, sive illarum transumpta, seu exempla etiam impressa acceperint, illas, seu illa statim, & absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi; & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; neque easdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolicâ Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum Partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Jubileum ubique publicari mandat.

Declarat suffragari non debere excommunicatis & publice denunciatis, nisi infra terminum præfixum satisfecerint.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinatio-

Derogat contrariis quibuscumque.

nationibus Apostolicis, præsertim illis, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, seù Institutorum Regularium etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præmissum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentes nostræ literæ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Martii MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo septingentesimo tertio, Indictione undecima, die vero 12. mensis Martii Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno tertio, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris, in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, & consuetis Urbis, per me Thomam de Unionibus Sanctissimi D.N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. Thomas Orlandus.

XIV.

CONFIRMATIO

Quorumdam Capitulorum cum deputatione Vicarii Generalis, & Definitorum, aliisque Ordinationibus pro Ordine Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

REdemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui charitas est, & Deus pacis, vices licèt immeriti, gerentes in terris, ea, quæ inter Christifideles quoscumque, & præsertim illos, qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati sunt, religiosæ tranquillitatis stabiliendæ studio providè, prudenterque disposita, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolabilia permaneant Apostolici muniminis nostri præsidio, cum id à Nobis petitur, libenter corroboramus, & aliàs felici ipsorum Religiosorum statui, regimini, & quieti providemus, sicut conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Franciscus Ruiz Ordinis Fratrum Santissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, & Clemens à Jesu Fratrum Discalceatorum Congregationis Gallicanæ ejusdem Ordinis Procuratores Generales, quod occasione variarum controversiarum, quæ dicti Ordinis statum, & religiosam quietem diu perturbarunt, ad majorem Dei gloriam, ac pro felici, prosperoque ipsius Ordinis regimine & gubernio condita fuerunt nonnulla Capitula, per quæ videlicet ordinatur. Primo; ut Fratres omnium Provinciarum dicti Ordinis observare promittant illius Constitutiones, & additiones à fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro approbatas, in iis tamen, quæ infrascriptis non adversantur; & casu, quo in proximè futuro Capitulo Generalis ejusdem Ordinis aliquid pro felici ipsius Ordinis gubernio statuendum sit, sive scilicet ampliando, sive declarando dictas Constitutiones, sive etiam aliquam de novo condendo, possit id fieri accedente consensu majoris, & sanioris partis Vocalium; Ità tamen, ut quod inibi statutum fuerit, nullam vim, nec efficaciam habeat, nisi prius ab hac S. Sede confirmatum fuerit. II. Electio Ministri Generalis dicti Ordinis nunquam à solis quatuor antiquis Provinciis Galliæ, sed ab omnibus Provinciis ipsius Ordinis fiat, sicut per primitivas, & fundamentales ejusdem Ordinis leges in prima, & nona rec. mem. Innocentii III., ac decima Clementis IV. Romanorum Pontificum Prædecessorum pariter nostrorum literis sub plumbo expeditis, & prædictis ab Alexandro Prædecessore approbatis Constitutionibus contentas disponitur, necnon anno MDCLXXXVII. à dictâ Sede declaratum fuit. Porro quicumque dicti Ordinis Religiosus cujuslibet Nationis in Ministrum Generalem ipsius Ordinis eligi possit, omnesque Religiosi vocem activam, & passivam in electione hujusmodi habentes, vel habituri, ea, quæ in Constitutionibus, earumque additionibus prædictis ordinantur, semper observare debeant. III. Idem observetur in Capitulis Generalibus correctivis, in quibus ea omnia, quæ in dictis Constitutionibus, & additionibus ordinantur, observanda sint. IV. Ministris, seu Superioribus localibus quatuor antiquarum Provinciarum Franciæ, Campaniæ, Normandiæ, & Picardiæ dicti Ordinis vox activa in Capitulis Generalibus minimè competat, prout nec competit Ministris, seu Superioribus localibus hujusmodi aliarum Provinciarum ejusdem Ordinis. V. Omnes Superiores locales sint triennales, & eorum electiones fiant secundùm dictas Constitutiones. VI. Dictum proximè futurum Capitulum Generale, quod erit electivum simul, & correctivum, Dominicâ quartâ post Pascha Resurrectionis Dominicæ anni proximè venturi MDCCIV. in Conventu Cervi Frigidii nuncupato dicti Ordinis celebretur, ibique agatur, num de cætero omnia Capitula Generalia electiva dicti Ordinis in eodem Conventu habenda sint; ejusmodi verò deliberatio per suffragia majoris partis Vocalium fieri, illiusque confirmatio à Sede prædictâ obtineri debeat: Præterea in eodem proximè futuro Capitulo Generali locus pro Capitulis Generalibus correctivis de sexennio in sexennium de cætero celebrandis determinari possit, hujusque determinationis confirmatio à dictâ Sede pariter obtineri debeat. VII. Dicta Capitula Generalia correctiva de sexennio in sexennium, quemadmodum per Constitutiones, & earum additiones prædictas declaratur, celebrentur, & in illis Procurator Generalis (qui in hâc Almâ Urbe residere tenebitur) ac Definitores Generales dicti Ordinis ad sexennium tantùm eligantur, eaque omnia, quæ in

Fratres observare promittant statuta, & additiones ab Alexandro VII. approbatas.

Minister Generalis Ordinis ab omnibus Provinciis eligatur, & quilibet Religiosus cujusvis Nationis ad id munus eligi possit.

Superioribus localibus quatuor Provinciarum Franciæ, atque etiam aliarum Provinciarum Ordinis vox activa in Capitulis generalibus non competat.

Superiores locales sint triennales.

Locus determinetur pro Capitulis Generalibus electivis, & correctivis.

Capitula Generalia correctiva de sexennio in sexennium celebrentur, & in eis Procurator Generalis, & Definitores Ordinis tantùm eligantur.

eisdem

eiſdem Conſtitutionibus, & additionibus ordinantur, obſerventur. VIII. Miniſter Generalis dicti Ordinis ſit perpetuus, prout memoratis Innocentii, & Clementis Prædeceſſorum literis, ac Conſtitutionibus convenit, & ab initio ejuſdem Ordinis uſque ad annum MDCLXXXV. quo quondam Petrus Mercier illius, dum vixit, Miniſter Generalis obiit, ſemper obſervatum fuit. IX. Semper, & in perpetuum ſint decem Definitores Generales Ordinis prædicti, nempe quinque pro novem Provinciis Galliæ, & quinque pro Provinciis Hiſpaniæ, Italiæ, & Luſitaniæ, unus ſcilicet ex Caſtellæ, alter ex Bethicæ, alius ex Aragoniæ, alius ex Italiæ, & alius demum ex Luſitaniæ Provinciis, pro ipſis reſpectivè Provinciis; Quod ſi aliquem ex dictis Definitoribus ab humanis decedere, aut qualibet aliâ de causâ deficere contigerit, Miniſter Generalis dicti Ordinis pro tempore exiſtens intra tres menſes à notitiâ illius obitus, vel amotionis, aut defectus numerandos, alium Definitorem Generalem ex Provinciâ illius, qui defunctus, vel amotus fuerit, aut defecerit, propriâ auctoritate nominet; Si verò eum intra dictos tres menſes non nominaverit, tunc Miniſter Provincialis Provinciæ hujuſmodi cum illius Definitoribus Provincialibus illum ex ipsâ Provinciâ nominet, & eligat pro eâdem Provinciâ. X. Procurator Generalis totius Ordinis prædicti in Capitulo Generali correctivo ad ſexennium tantùm alternatim eligatur, ita ſcilicet pro uno ſexennio ſit ex Hiſpaniæ, Italiæ, aut Luſitaniæ, pro alio verò ſexennio ex Galliæ Provinciis prædictis; Is autem in Urbe prædicta pro gerendis negotiis totius Religionis, reſidere debeat, ibique expenſis omnium Provinciarum dicti Ordinis ſuſtentetur juxta dictas Conſtitutiones: Cæterum primus Procurator Generalis hujuſmodi ſit ex dictis Hiſpaniæ, Italiæ, aut Luſitaniæ Provinciis, ſequenti verò ſexennio ſit ex prædictis Provinciis Galliæ. XI. Serventur dicti Ordinis Conſtitutiones libro 1. cap. 37. §. 12. pag. 205. XII. Miniſtri Generales dicti Ordinis pro tempore futuri habeant facultatem liberè, & per ſe ſolos nominandi duos Secretarios Generales, qui eis aſſiduè inſerviant, & aſſiſtant, quorum unus ſit ex dictis Galliæ, alter verò ex Hiſpaniæ, Italiæ, aut Luſitaniæ Provinciis, quique juxta Conſtitutiones, & additiones prædictas graduati de juſtitiâ eſſe debeant, & ambo vocem in prædictis Capitulis Generalibus electivis habeant, ac expenſis ipſorum Miniſtrorum Generalium ſuſtententur. XIII. Quoad Graduatos, Magiſtros, Præſentatos, & Prædicatores Generales Ordinis præfati pro dictis Provinciis Galliæ per memoratum proximè futurum Capitulum generale provideatur.

§. 2. Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Franciſcus, & Clemens Procuratores Generales Capitula hujuſmodi, quo firmiùs ſubſiſtant, & ſerventur exactiùs Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri, ac aliàs opportunè in præmiſſis à Nobis provideri, & ut infra, indulgeri ſummoperè deſiderent. Nos ipſorum Franciſci, & Clementis Procuratorum Generalium votis hâc in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ac eorum, & infra nominatorum Fratrum expreſsè profeſſorum Ordinis prædicti ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorumdem Franciſci, & Clementis Procuratorum Generalium nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper hoc negotio, à Nobis ſpecialiter deputatæ conſilio, prænarrata Capitula cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

§. 3. Cæterum felici, proſperoque dicti Ordinis regimini, & gubernio ſalubriter providere cupientes, ac de infraſcriptorum ejuſdem Ordinis profeſſorum fide, prudentiâ, integritate, charitate, vigilantiâ, & Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, dilectos filios Gregorium de la Forge in Sacra Theologia Magiſtrum in Vicarium Generalem, ac Joſephum du Bois Conventus de Cala pro antiquis Provinciis Franciæ, & Normandiæ: Joannem Roubaud Conventus de Catalauno pro Provinciis Campaniæ, & Picardiæ: Ignatium Vigneaux Conventus de Medulco dicti Ordinis reſpectivè Miniſtros pro Provinciis Linguæ Occitaniæ, & Provinciæ ejuſdem Ordinis: & Michaelem Troſſier Exprovincialem pro Provinciis Galliæ, & Provinciæ Congregationis mitigatæ, ſeu reformatæ nuncupatæ prædicti Ordinis: necnon dictum Glementem à Jeſu Procuratorem Generalem, qui Conventus Sancti Dionyſii de dictâ Urbe prædictæ Congregationis Gallicanæ Miniſter exiſtit, pro Provinciis Provinciæ, & Italiæ dictæ Congregationis Gallicanæ, & Vincentium Tavarez itidem in eâdem Sacrâ Theologiâ Magiſtrum Fratres expreſsè profeſſos ejuſdem Ordinis pro prædictâ Luſitaniæ Provinciâ in Definitores Generales Ordinis hujuſmodi reſpectivè, qui nunc deficiunt, uſque ad proximè futurum ipſius Ordinis Capitulum generale, quod dictâ Dominicâ quartâ poſt Paſcha Reſurrectionis Dominicæ celebrandum erit, cum omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, eâdem auctoritate harum ſerie conſtituimus, & deputamus. Alios autem quatuor Definitores cæterarum Hiſpaniæ, & Italiæ provinciarum prædictarum nunc exiſtentes in ſuis muneribus continuare, hoſque omnes decem Definitores Generales vocem in dicto proximè futuro Capitulo generali habere, in futurum verò per ipſum Capitulum generale, quod eos hac prima vice tantum confirmare valeat, de illis provideri debere, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & ordinamus. Prætereà eidem Gregorio eâdem auctoritate concedimus, & indulgemus, ut dictum Capitulum generale convocare, ac in eo præſidere, ibique etiam in Miniſtrum Generalem dicti Ordinis eligi liberè, licitè, & validè poſſit, & valeat, ipſumque Gregorium adverſus quodcumque impedimentum ratione prædictarum controverſiarum, ſeu illarum occaſione quomodolibet contractum ad officium Miniſtri Generalis hujuſmodi obtinendum, & exercendum, auctoritate, & tenore prædictis opportunè habilitamus, habilemque, & capacem facimus, & declaramus; demum omnes actus tempore dictarum controverſiarum, tam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quàm in Definitoriis, ac in particularibus, & privatis tractatibus, ſeu Inſtrumentis, aut aliàs quomodolibet factos, & geſtos, necnon omnes, & ſingulas inſtitutiones Superiorum, collocationes Fratrum, & profeſſiones in dicto Ordine hactenus factas, & emiſſas, adverſus quoſcumque juris, & facti defectus, qui propter controverſias hujuſmodi deſuper quovis modo intervenerunt, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, intelligi, vel prætendi valerent, dictâ auctoritate earundem tenore præſentium revalidamus, ipſoſque defectus ſupplemus, tollimus, ſanamus, & abolemus.

§. 4. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedien-

Miniſter Generalis Ordinis ſit perpetuus

Definitores Generales ſint decem, & quomodo, & quibus ex Provinciis aſſumendi.

Procuratoris Generalis munus duret ad ſexennium, & ex qua Natione aſſumi debeat.

Miniſter Generalis nominare, ac deputare valeat duos Secretarios Generales, unum nempe ex Gallia, alium ex aliis Provinciis.

De Conſilio S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium præfata Capitula confirmat.

Conſtituit, & deputat Miniſtros, qui Ordinem uſque ad proximum Capitulum generale gubernent.

Vicarium generalem habilitat, ut in Miniſtrum Generalem eligi poſſit.

Officiales deputatos ab

obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis omnibus, & singulis Ordinis, & Congregationum hujusmodi Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut suprascriptos Fratres ad officia eis respectivè per præsentes demandata, illorumque liberum exercitium juxtà earumdem tenorem præsentium recipiant, & admittant, illosque recognoscant, & illis in omnibus, quæ ad eadem officia pertinent, pareant, & obediant, faveantque, & assistant respectivè; Ac decernentes pariter ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri, debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, illiusque Congregationum, & Provinciarum præfatarum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, & illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra habeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDCCIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Loco † Annuli Piscatoris.

F. Oliverius.

omnibus recognosci, illisque debitam obedientiam præstari mandat.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

Derogat contrariis quibuscumque.

CONCESSIO

Anno 1704. XV.

Indulgentiarum pro Christifidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Zelum, ac Religionem Christifidelium universæ Italiæ, necnon Insularum illi adjacentium, eo potissimùm recurrente tempore, quo illorum plurimi vocem Domini, quâ commota est, & contremuit terra, non semel audiverunt, ad gratias Divinæ bonitati pro receptis beneficiis agendas, ejusque opem in aliis gravissimis Christianæ Reipublicæ, ac Catholicæ Religionis præsentibus necessitatibus ferventiùs implorandam, spiritualium gratiarum muneribus incitare cupientes: Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum universæ Italiæ, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus Generalibus harum serie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad illos pervenirent, campanas quotidie per quindecim dies continuos ab eis præfiniendos spatio octavæ partis horæ in suarum respectivè Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum, tam Secularium, quàm Regularium utriusque sexus Ecclesiis pulsari mandent, ac Ecclesias, ut infra, visitandas designent, seu designari curent; Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui durante sono campanarum hujusmodi quinquies orationem Dominicam, & totidem vicibus salutationem Angelicam in honorem quinque vulnerum Domini Nostri Jesu Christi flexis genibus, seu aliter, prout poterunt, devotè recitaverint, ac Divinam Clementiam, ut supra, exoraverint, quocumque die id egerint, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu aliàs per eos debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus; Illis verò, qui præmissa per dictos quindecim dies continuos præstiterint, & in uno ex illis verè pœnitentes, & confessi, ac sacrâ communione refecti, Ecclesias per memoratos Ordinarios, & Prælatos, seu eorum Vicarios respectivè, sive illorum jussu designandas devotè visitaverint, ibique, sicut præmittitur, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur.

Cæterum Regularibus utriusque sexus in perpetuâ clausurâ viventibus, necnon aliis Christifidelibus præfatis in carcere, vel corporis infirmitate, aliove quolibet impedimento detentis, qui Ecclesias, ut præmittitur, designandas, visitare nequiverint, ut ejusmodi visitationem Confessarius ex approbatis, seu approbandis ab Ordinariis, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere possit, quæ ipsi pœnitentes adimplere poterunt, concedimus similiter, & indulgemus. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die V. Januarii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo quarto, die 5. Januarii, Indictione 12. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus quarto, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Cancellariæ Apostolicæ, in Monte Citatorio, Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nicolaum Vasellum Apost. Curs.

Sebastianus Vasellus Pro Mag. Curs.

DAMNATIO

XVI.

Et prohibitio Libelli typis editi sub titulo: *Veritable Tradition de l'Eglise sur la predestination & la grace &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maison & Societé de Navarre. A Liege MDCCII.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierit libellus quidam, cui titulus: *Veritable Tradi-*

rior de l'Egliſe, ſur la predeſtination & la grace &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maiſon & Societé de Navarre. A Liege chez Nicolas le François, proche les Carmes en Isle, à la prudence MDCCII. Nuperrimè verò Venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales in totâ Republicâ Chriſtianâ contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores à Sede Apoſtolicâ ſpecialiter deputati, auditâ libelli hujuſmodi cenſurâ, illum ad minus, tamquam impium, blaſphemum, necnon fulgidiſſimo Catholicæ Eccleſiæ lumini, maximoque Doctori Sancto Auguſtino quinimò ipſimet Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedi injurioſum, damnandum, & prohibendum eſſe cenſuerint: Hinc eſt, quod Nos pro commiſsâ Nobis divinitùs gregis Dominici curâ, animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex præfati libelli lectione, & uſu provenire poſſent, paſtorali ſollicitudine, quantum cum Domino poſſumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, qui ejuſdem Sancti Doctoris præcelſam doctrinam magno ſemper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus veſtigiis firmiter inhærere volentes, de memoratorum Cardinalium conſilio, libellum prædictum auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ac legi, ſeu retineri prohibemus, ipſiuſque libelli impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, etiam ſpecificâ, & individuâ mentione & expreſſione dignis, ſub pœnâ excommunicationis per Contrafacientes ipſo facto abſque aliâ declaratione incurrendâ, à qua nemo à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium obtinere valeat, omninò interdicimus. Volentes, & auctoritate præfatâ mandantes, ut quicunque libellum hujuſmodi penès ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, atque conſignare teneantur; hi verò exemplaria ſibi ſic tradita illicò flammis aboleri curent: In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Ut autem eædem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs perducantur, nec quiſquam illarum ignoranter allegare poſſit, volumus, & auctoritate prædictâ decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; ſic verò publicatas omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficere, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Ipſarum autem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem tam in judicio, quàm extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur eiſdem præſentibus, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVIII. Januarii MDCCIV. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo quarto, Indictione XII. *die verò* XXVIII. *Januarii, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus quarto, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis per me Nicolaum Vaſellum SS. D. N. Papæ Curſ.*

Pro D. Magiſtro Curſorum Sebaſtianus Vaſellus Curſor.

DAMNATIO,

XVII. Reprobatio, ac prohibitio quorumdam Foliorum impreſſorum ſub titulo: *Acte d'Appel interjetté par le Procureur General de Lorraine, & Barrois de l'execution du Bref du 22. Septemb. dernier &c.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm Nos aliàs per quaſdam noſtras in ſimili formâ Brevis literas librum quemdam Gallico idiomate conſcriptum, & in duas partes diviſum, ſub titulo: *Ordonnance de Leopold I. Duc de Lorraine, & de Bar &c. donnée à Nancy au Mois de Juillet* 1701. *A Nancy Chez Paul Barbier Imprimeur, & Libraire à la Ville Neuve MDCCI.* damnaverimus, & reprobaverimus, ac legi, ſeu retineri prohibuerimus, & aliàs, prout in prædictis noſtris literis die XXII. Septembris proximè præteriti expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur; Subinde verò ad Apoſtolatus noſtri notitiam perveniſſet in vulgus circumferri quædam Folia eodem gallico idiomate typis impreſsa, quibus titulus: *Acte d'Appel interjetté par le Procureur General de Lorraine, & Barois de l'execution du Bref du 22. Septembre dernier rendu contre l'Ordonnance de Son Alteſſe Royale du mois de Juillet* 1701. *de notre Saint Pere le Pape Clement XI. mal informé, à notredit Saint Pere le Pape, lors qu'il ſera mieux informé, avec l'Arrêt d'enregiſtrement d'icelui*: Nos nonnullos ex Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, alioſque in Sacrâ Theologiâ Magiſtros, & in Decretis Doctores ad eorumdem Foliorum examen delegimus, qui omnes Folia ipſa, tanquam continentia propoſitiones falſas, temerarias, calumnioſas, in praxi pernicioſas, Eccleſiæ injurioſas, ac juriſdictionis, & libertatis Eccleſiaſticæ læſivas, ſimiliter damnanda, & prohibenda eſſe cenſuerunt. Auditis itaque eorumdem Cardinalium, Magiſtrorum, & Doctorum ſententiis, creditum Nobis à Domino paſtoralis curæ, atque vigilantiæ munus, quantum Nobis ex alto conceditur, ſalubriter exequi cupientes, de ipſorum Cardinalium conſilio, Folia ſupradicta auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium damnamus pariter & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, illorumque impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, etiam ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione dignis, ſub pœnâ excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque aliâ declaratione incurrendâ, à quâ nemo à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

§. 1. Volentes, & eâdem auctoritate mandantes, ut quicumque Folia hujuſmodi penès ſe habuerint, illa ſtatim atque præſentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, atque conſignare teneantur. Præterea eadem folia, necnon appellationem, arreſtum, aliaque in eis contenta quæcumque nemini ſuffragari poſſe, ad effectum impediendi, declinandi, ſeu etiam ſuſpendendi executionem præfatarum noſtrarum literarum, quæ juxta earum formam, & tenorem ſervari omninò debeant, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus. Non obſtantibus conſtitutionibus,

& ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate præfatâ similiter decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, & sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Februarii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo septingentesimo quarto, Indictione XII., *die verò undecima Februarii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus quarto, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Horatium Pierum S S. D. N. P. P. Cursorem.*

Pro D. Magistro Cursorum Sebastianus Vasellus Cursor.

CONFIRMATIO

XVIII. Et Ampliatio Constitutionis Pauli P P. III. Privilegiis Neophytorum quoad bona temporalia, cum aliis Ordinationibus pro faciliori Infidelium, ac præsertim Judæorum conversione.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium à debito providendi, ne Infidelium conversio retardetur.

PRopagandæ per universum Terrarum Orbem Christianæ Fidei, cujus illibatum, ac perenne Depositum Romana in primis servat Ecclesia, pro commissi Nobis Apostolici muneris debito jugiter intendentes, dum in remotissimas quasque partes Evangelii præcones ablegare satagimus, in eam simul curam diligenter incumbimus, ut quicumque disjectis Infidelitatis tenebris ad verum Justitiæ Solem, qui Christus est, agnoscendum, eo adjuvante festinant, nullis, quoad fieri potest humanarum rerum obstaculis impediantur; sicque ad Catholicæ Ecclesiæ gremium ex omni natione, quæ sub cœlo est, eò frequentior, quò facilior expediatur accessus.

Eapropter decet curam habere de rebus temporalibus eorumdem Infidelium.

§. 1. Quamvis enim non temporalium rerum commodo, sed æternæ potiùs hæreditatis intuitu ad suscipiendam Christi Fidem Infideles allici oporteat, quin etiam edoceri præcipuam Christiani hominis gloriam in eo maximè sitam esse, ut terrena despiciat, existimetque omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini Nostri; nihilominus rationi congruum, & piæ Matris Ecclesiæ institutis consentaneum arbitramur ita paternam nostram erga eos, qui adhuc in Fide parvuli lacte potiùs, quàm cibo solido nutriendi sunt, providentiam temperare; ut infirmiores quique à Christianæ Religionis proposito amittendarum facultatum, incurrendæque potiùs miseræ egestatis horrore non retrahantur: cum potiùs juxta Canonicas sanctiones, eos, qui ad Fidem veniunt, melioris conditionis esse oporteat post Baptismum, quàm, antequam Fidem susciperent, haberentur, & in illis etiam impleri debeat Christi certa promissio: Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

Ob id Summi Pontifices plura privilegia in Neophytos contulere.

§. 2. Quam quidem ob causam complures Romani Pontifices Prædecessores nostri, pro traditâ sibi divinitùs in iis, quæ ad ejusdem Sanctæ Fidei favorem, & propagationem pertinent, Apostolicâ potestate, multa in Neophytorum commodum privilegia concesserunt, aliis quoque additis ordinationibus, quibus & indemnitati ipsorum, & Christianæ Religionis dignitati, & faciliori simul infidelium conversioni consultum foret; Præcipuè verò fel. rec. Paulus PP. III. Apostolicam Constitutionem edidit in hæc verba, videlicet

Tenor Constitutionis same Pauli III.

§. 3. Paulus Papa Tertius. Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Judæos, & alios Infideles quoslibet ad Fidem Catholicam converti, & prætextu bonorum per eos antea possessorum ab eadem Fide non distrahi, motu poprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, hac in posterum valitura Constitutione sancimus, quod cuicunque eorumdem Judæorum, & Infidelium, ad dictam Fidem converti volenti, etiam si in patriâ potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunque, tam mobilia, quàm immobilia intacta, & illæsa permaneant. Ita ut etiam filii familias, & in patriâ potestate, ut præfertur, constituti, legitimâ, & quâcunque portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de jure, seu successione bonorum eis alias debitorum, per eorum parentes fraudari, aut privari non possint, neque debeant; sed eis integrè, etiamsi contra voluntatem parentum suorum ad Fidem ipsam conversi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur.

Retentionem bonorum conceditInfidelibus, ac Judæis conversis, filiisque familias legitimam.

Bona illicitè acquisita personis, quæ notæ sunt restitui debent: aliàs applicentur ipsis Conversis.

§. 4. Et si bona ipsa ex usura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, & notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de jure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur malè ablatum) illa eisdem personis omninò restituantur; personis verò non extantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios usus convertenda, bona hujusmodi eisdem Judæis, & aliis Infidelibus, in favorem susceptæ Baptismatis, tanquam in pium usum liberè concedimus, eaque apud ipsos sic conversos Judæos, & alios Infideles, remanere decernimus. Interdicentes sub divini anathematis pœnâ, quibusvis tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis, ne ullam super bonis hujusmodi quovis quæsito colore molestiam inferant, aut inferri patiantur; sed magnum se feciisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint.

Hortatur Christi Fideles, ut Neophytis opem ferant.

§. 5. Et quoniam, ut scriptum est, qui habuerit substantiam mundi hujus, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso? si ipsi conversionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam Ecclesiasticos, quàm Sæculares, per viscera misericordiæ Dei nostri exhortamur, ut ipsis Conversis manus porrigant adjutrices: ipsi quoque Diœcesani non solùm Christianos ad subveniendum ipsis exhortentur, sed etiam tam de reditibus Ecclesiarum, prout poterunt, quàm de his, quæ ad pauperum usus per ipsos convertendos devolvuntur, hujusmodi Neophytos sustentare non negligant, ipsosque à detractioni-

bus, & contumeliis paterna affectione defendant.

Privilegia Civilitatis concedit

§. 6. Et quoniam per gratiam Baptiſmi Cives Sanctorum, & domeſtici Dei efficiuntur, longéque dignius exiſtit regnare ſpiritu, quàm naſci carne, eâdem Conſtitutione ſtatuimus, ut Civitatum, & locorum, in quibus ſancto Baptiſmate pro tempore regenerabuntur, verè Cives ſint, & privilegiis, ac libertatibus, & immunitatibus, quæ alii ratione nativitatis, & originis dumtaxat conſequuntur, gaudeant.

Inſtruendi ſunt in articulis Fidei, ac ritibus Eccleſiæ.

§. 7. Curent inſuper Sacerdotes baptizantes, & alii de ſacro fonte eos ſuſcipientes, tam ante baptiſmum, quàm poſt, illos in articulis Fidei, ac legis novæ præceptis, Catholicæque Eccleſiæ ritibus diligenter inſtruere, & tam ipſi, quàm Diœceſani operam dent, ne cum aliis Judæis, ſeu Infidelibus, ſaltem per longum tempus, converſentur, ne, ſicut quandoque contigit, ab infirmitate curatis modica occaſio ad priſtinam damnationem recidivam efficiat.

Curandum ab Epiſcopis; ut matrimonia contrahant cum originariis Chriſtianis.

§. 8. Et quoniam experientia teſte compertum eſt mutuam ipſorum Neophytorum inter ſe converſationem, ipſos in Fide noſtrâ fragiliores reddere, ac ſaluti ipſorum plurimùm officere, hortamur locorum Ordinarios, ut quantum pro incremento Fidei viderint expedire, curent, & ſtudeant Neophytos ipſos cum originariis Chriſtianis matrimonio copulare.

Ut abſtineant omninò à ritibus antiquæ Sectæ.

§. 9. Et prohibeant eiſdem ſub gravibus pœnis, ne mortuos more Judæorum ſepeliant, aut Sabbata, aliaſque ſolemnitates, & antiquæ ſectæ ritus quoquo modo obſervent, ſed & Eccleſias, & prædicationes, prout alii Catholici, frequentent, & in omnibus Chriſtianorum moribus ſe conformes reddant.

Contravenientes quoad prædicta, denuncientur, & puniantur.

§. 10. Contemptores autem prædictorum, per Sacerdotes, in quorum Parochiis degent, aut alios ad quos de jure, vel antiquâ conſuetudine de talibus inquirere ſpectat, aut etiam per alios quoſcunque, Diœceſani, ſeu Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis deferant, & invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, per eos taliter puniantur, quod aliis tranſeat in exemplum. Et inſuper de his omnibus, in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis diligens fiat inquiſitio, & tam circa Epiſcopos, & Sacerdotes in præmiſſis negligentes, quàm ipſos Neophytos, & Infideles prædictos contemptores, opportunum adhibeatur remedium.

Pœna contra defenſores Neophytorum in obſervantia ſupradictorum rituum, & eoſdem Neophytos.

§. 11. Si quis autem cujuſcumque gradus, vel præeminentiæ fuerit, hujuſmodi Neophytos, ne obſervationem ritus Chriſtiani, & aliorum præmiſſorum complectantur, foverit, aut defenderit, pœnas contra Fautores Hæreticorum promulgatas, ipſo facto incurrat; Neophyti verò, ſi ſe corrigere poſt monitionem canonicam neglexerint, & ad vomitum judaizantes redire comperti ſint, contra eos tanquàm perfidos hæreticos, per Ordinarios locorum ſecundùm Sacrorum Canonum inſtituta procedatur.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis, indultis, & literis etiam Apoſtolicis, ſeu etiam Regiis, vel Imperialibus eiſdem Judæis, vel Infidelibus quomodolibet conceſſis, quæ quatenus in detrimentum Catholicæ fidei, aut nominis Chriſtiani, ſeu aliquorum ex præmiſſis, quomodolibet vergant, & ad effectum præſentium, caſſamus, & irritamus, ac caſſa, & irrita eſſe decernimus, aliis decretis, & conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ ſuper præmiſſis ſunt condita, in ſuo robore duraturis.

Decretum annuæ publicationis.

§. 13. Et, ut hujuſmodi ſanctæ Conſtitutionis jugis memoria habeatur, & ne quiſquam ipſius ignorantiam prætendere poſſit, illam per ſingulas Cathedrales, & Collegiatas Eccleſias, aliaque pia loca, in quibus uberior erit Fidelium concurſus, ſemel in anno ad minus infra divina publicari volumus, & decernimus.

Fides habenda tranſumptis.

§. 14. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferre, volumus, & etiam declaramus, quod earundem præſentium tranſumptis, ſeu copiis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ubicunque forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Data Conſtitutionis Paulinæ.

§. 15. Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Martii milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno octavo.

Continuatio Conſtitutionis ſan. mem. Clem. XI.

§. 16. Nos igitur, ne tam ſalubris Conſtitutionis memoria temporis diuturnitate deficiat, & obſervantia neglectu cujuſpiam obſoleſcat, aut etiam Fidei hoſtium dolo notitia converti volentibus ſupprimatur, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus hujuſmodi negotium commiſimus expendendum, conſilio, atque etiam motu proprio, ex certâ ſcientiâ, ac maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eamdem præinſertam Conſtitutionem, omniaque, & ſingula in eâ contenta tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innovamus, eamque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari perpetuis futuris temporibus debere ſtatuimus, & mandamus.

Confirmat præinſertam.

§. 17. Simulque, ad omnis dubitationis umbram penitus removendam, eadem à memorato Paulo Prædeceſſore ſtatuta clariùs explicantes, & quatenus opus ſit, etiam ampliùs extendentes, bona quælibet adventitia, quocumque modo talia cenſeantur, ad filios familias Chriſtianam Religionem profitentes, utpote à patriæ poteſtatis jugo, quo parentibus infidelibus ſubdebantur, ſacri Baptiſmatis beneficio prorſus exemptos, pleno jure ſpectare, neque ſuper illis uſumfructum, aut aliud quodcumque jus præfatis parentibus, quamdiu in infidelitate permanſerint, ullo modo competere; è contra verò parentes ipſos alioſque quoſcunque, qui Converſis, eorumque deſcendentibus aliàs alimenta, ſen Dotem præſtare quocunque titulo, etiam in ſubſidium tenerentur, ad eadem alimenta, ſeu Dotem illis ſubminiſtranda pariter teneri, & obligatos eſſe poſt converſionem eorum, ſimiliter tenore præſentium declaramus, atque etiam ex integro ſtatuimus, decernimus, & mandamus.

Illius diſpoſitionem extendit etiam ad bona adventitia Filiorum familias, necnon præſtationem dotis, & alimentorum.

Juxta Conſtitutionem ſa. me. Gregorii XIII. dat. die 13. Septembris 1581. prohibet, ne Infideles, ac Judæi occultent, vel quocumque modo diſtrahant bona in fraudem filiorum converſorum additis nonnullis proviſionibus.

§. 18. Et quoniam Infidelium, ac præ cæteris Judæorum, malitiam eo uſque in odium Chriſtiani nominis proceſſiſſe pluries compertum eſt, ut bona ſua occultando, ſeu in alios transferendo, vel aliàs de illis inter vivos, vel etiam in ultimâ voluntate diſponendo, Filios, alioſque Conſanguineos ad Chriſti Fidem converſos eorumdem bonorum ſucceſſione, ad quam ab inteſtato legitimè admittendi fuiſſent, aut etiam ſpe ſucceſſionis ejuſdem fraudare tentaverint; Idcirco Nos, rec. mem. Gregorii PP. XIII. Prædeceſſoris noſtri, qui per ſuas quaſdam ſub annulo Piſcatoris die 13. Septembris 1581. Pontificatus ſui anno decimo datas literas hujuſmodi malo, utpote in Chriſtianæ Fidei detrimentum cedenti, occurrendum meritò cenſuit, veſtigiis inhærentes, Judæos quoſlibet, ſicut & alios Infideles, bona ſua, & jura quæcunque in præjudicium filiorum, aut aliorum Conſanguineorum, qui aliàs ipſis ab inteſtato decedentibus ſucceſſuri eſſent, & Chriſtianam ſuſceperint Religionem, quocunque modo alienare, ſeu occultare, vel diminuere inter vivos, aut in quâlibet ultimâ voluntate non poſſe; ſed potiùs eadem bona, & jura quæcunque (traditâ ſtatim poſt Baptiſmum legitimâ quibuſcunque aliàs poſt obi-

tum

tum competeret eorumdem (integrè conservare teneri, & obligatos esse ; tamque ipsos , quàm alios bonorum eorumdem detentores , vel occupatores ad illa , seu eorum rationes , quoties opus fuerit , exhibenda , & de eisdem Inventarium legitimè faciendum , & de utendo , & fruendo arbitrio boni viri cavendum , opportunis juris , & facti remediis compelli posse ; atque in eorum bonis , & juribus , si in infidelitate decesserint , ipsorum Filios , seu alios quoscunque Consanguineos , ut præfertur , Christianos eodem prorsus modo , & jure , nullâ etiam obstante ingratitudinis, aut aliâ quantumvis legitimâ exhæredationis causâ, quam , ob suscepti postea Baptismi venerationem , sublatam prorsus esse volumus , succedere debere , ac si iidem Judæi, seu alii Infideles , nullum fecissent , aut ordinassent testamentum , vel aliam ultimam voluntatem ; omnesque , & singulas bonorum , & jurium , sive inter vivos , sive in ultimâ voluntate, alienationes , distractiones , aut alias dispositiones prædictas in hujus nostræ Constitutionis fraudem , & in odium Christianæ Fidei factas , seu potiùs attentatas censeri , ac nullius propterea roboris , & momenti esse , motu , scientiâ , & potestatis plenitudine similibus , tenore præsentium , sancimus , decernimus , & ordinamus.

Præcipuum dum exprimit pro Judæorum conversione.

§. 19. Cæterum ne dum providâ sollicitudine temporalia Conversis ad Fidem commoda comparamus , spirituale animarum lucrum negligere videamur in Convertendis ; quemadmodum Infideles cæteros , qui longè sunt , sacris Missionibus institutis , Evangelicâ prædicatione instruere non cessamus ; ita de Judæis etiam , qui magno numero inter Christianos vivunt , & nostris quodammodo oculis obversantur , æternâ salute procurandâ præcipuè cogitamus. Tristitia enim Nobis magna est (fidenter cum Apostolo dicimus ,) & continuus dolor cordi nostro , dum paterni amoris visceribus miseremur Israeliticam gentem , olim Deo amabilem populum , quem elegit Dominus in hæreditatem sibi , & custodivit quasi pupillam oculi sui ; nunc autem (postquam Judaica in summum sceleris erumpente perfidiâ , verè iratus est furore Dominus in Populum suum , & usque in finem abominatus est hæreditatem suam) velut gregem sinè Pastore dispersum per invia quæque, & inaquosa miserè divagantem , ac verbi Dei , quod illi unicum supereſt , salutari pabulo destitutum , solo scilicet literæ , quæ occidit , à Judæis cortice deguſtato , spiritu verò , qui vivificat , ab animalibus hominibus non percepto.

Aliam Constitutionem san. me. Gregorii XIII. sub die prima Septembris 1584. quoad conciones ad Hebræos habendas innovat.

§. 20. Propterea ad eosdem Judæos in Sanctæ Fidei veritate salubriter erudiendos , & trahendos ad Christum , ea omnia , & singula , quæ de sacris lectionibus , seu sermonibus per singulas hebdomadas ad ipsos , ubicunque eorum Synagogæ fuerint , habendis memoratus Gregorius Prædecessor noster in aliis suis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo quarto Kalendis Septembris , Pontificatus sui anno tertiodecimo editis Apostolicis literis , quarum tenorem pro expresso in præsentibus haberi volumus , sapienter constituta sunt , ab omnibus , ad quos pertinet , inviolatè servari , & sicuti in desuetudinem abierunt , in usum revocari præcipimus , & mandamus ; Concionatores omnes , qui ad id munus electi fuerint , specialiter admonentes , iisque etiam in nomine Domini districtiùs injungentes , ut memoratos Judæos non injuriis , contumeliis , aut nimiâ verborum asperitate , quibus in Judaicâ magis perfidiâ obsirmarentur , sed charitate potiùs , & mansuetudine , quàm mitis nos , & humilis corde Christus edocuit , velut oves errantes ad Sanctæ Ecclesiæ causas suaviter allicere, & patefactâ ex veterum potissimum , quas venerantur , Scripturarum oraculis , Christianæ veritatis luce , velamen ab oculis eorum detrahere omni studio satagant , ut ex Judaicæ pravitatis tenebris, quibus obscurati sunt oculi eorum , ne videant , Dei Omnipotentis operante virtute , liberentur.

Concionatoribus injungit, ut in concionibus benignè agant.

§. 21. Postremò Judæos omnes , cæterosque Infideles quoscunque , qui ad Baptismi gratiam, Deo donante , pervenerint , omnibus Ecclesiarum Prælatis , ac secularibus etiam Principibus per misericordiæ Dei nostri viscera commendamus , ut eos patrocinio foveant ; authoritate adjuvent, potentiâ tueantur , neque ab aliis , præsertim verò à Judæis , aut quibusvis Infidelibus ullâ in re indebitè vexari patiantur ; Universosque ubique Terrarum Christifideles in Unigeniti Filii Dei , & Salvatoris nostri Jesu Christi , cujus vice fungimur , nomine hortamur , & obsecramus, ne venientes ex Infidelitate , præsertim pauperes , despiciant , aut averſentur ; sed potiùs novellâ hujusmodi Ecclesiæ germina officiis , ac beneficiis , prout quisque poterit , excolere , & irrigare non desint , atque , ut veros in Christo fratres , ac domesticos Fidei effectos benignè excipiant , in necessitatibus sublevent, & omni demum Christianæ charitatis genere prosequantur ; ut de suscepto Sanctæ Fidei proposito gaudium ipsorum sit plenum , & exultatio , iis verò , qui foris sunt , & adhuc infidelitatis caligine detinentur , ad ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium properandi desiderium excitetur.

Ecclesiarum Prælatis , ac Sæcularibus Principibus, omnibusque Christifidelibus Neophytos commendat.

§. 22. Decernentes easdem præsentes literas , etiam ex eo , quod quicunque in præmissis interesse habentes , seu habere quomodolibet prætendentes eisdem non consenserint , aut vocati , seu auditi non fuerint , aliâque quâvis de causâ , quantumvis legitimâ , & in corpore juris clausa, de ullo subreptionis , vel obreptionis , seu nullitatis vitio , aut intentionis nostræ , vel alio quocunque defectu notari , impugnari , vel in controversiam revocari , aut ad terminos juris reduci nullatenus posse , sed semper , & perpetuò validas , firmas , & efficaces existere , & ab iis , ad quos spectat , & in futurum spectabit , inviolabiliter observari ; Sicque per quoscunque Judices Ordinarios , & Delegatos quâvis authoritate fungentes , etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores , & S. R. E. Cardinales , etiam de Latere Legatos , sublatâ eis , & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi , & interpretandi facultate , & authoritate ubique judicari , & definiri debere ; irritum quoque , & inane , quidquid secus super omnibus , & singulis præmissis , vel circa ea à quoquam quâvis authoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta roborantia cum clausula sublatâ , & irritante.

§. 23. Non obstantibus de jure quæsito non tollendo , ac cæteris nostris , & Cancellariæ regulis , aliisque Constitutionibus , & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus , necnon aliis quibuslibet , etiam Juramento , Confirmatione Apostolicâ , aut aliâ quavis firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus , Privilegiis quoque , indultis , & literis , etiam Apostolicis , seu etiam Regiis , & Imperialibus eisdem Judæis , vel Infidelibus quibuslibet singulis , aut eorum Universitatibus quomodolibet , & ex quibusvis causis , etiam publicis , gravissimis , & urgentissimis , atque etiam titulo oneroso , & vim contractus hinc inde obligatorii inducente conceſſis , quæ quatenùs in detrimentum Catholicæ Fidei , quam humanis quibusque rationibus quicunque debet præferre Christianus , quomodolibet vergant , & ad effectum dumtaxat præsentium cassamus , & irritamus ac cassa , & irrita esse decernimus , aliisque omnibus sub quibuscunque verborum tenoribus , & formis quomodolibet in contrarium præmissorum editis ,

Derogatio contrariorum.

confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respectiva habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Decretum annuæ publicationis.

§. 23. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus innotescant, quibuscunque locorum Ordinariis, in quorum Diœcesibus aliqua Judæorum Synagogâ, aut notabilis aliorum Infidelium numerus reperiatur, injungimus, & mandamus, ut ea omnia, quæ à Nobis, ut præfertur, constituta, & ordinata sunt, ad eorumdem Judæorum, aliorumve Infidelium notitiam quotannis semel, seu pluries, & eo modo, qui iisdem Ordinariis opportunior visus fuerit, sermone vernaculo deduci faciant, & in memoriam revocari; atque ut nemo prorsus earumdem literarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, ac præfatæ Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ, necnon in acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, prout moris est, publicentur, & affigantur; quæ sic publicatæ, & affixæ omnes, & singulos perindè afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Affixio in Urbe vim habeat personalis intimationis.

Fides habenda Transumptis.

§. 24. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 25. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, declarationis, extensionis, statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis, ordinationis, præceptorum, admonitionis, commendationis, irritationis, cassationis, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quarto. Quinto Idus Martii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

J. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

Philippus Porta.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo quarto, Indictione XII. *die verò undecima Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno quarto supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum SS. D. N. PP. Cursorem.*

Pro D. Magistro Cursorum Thomas Orlandus Cursor.

CONCESSIO

XIX.

Indulgentiæ plenariæ perpetuæ visitantibus Ecclesias Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis Dominicâ tertiâ mensis Septembris.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctæ Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut Cœlestium munerum thesauros dispensationi nostræ à Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam Fidelium religionem, & animarum salutem speramus in Domino profuturum. Supplicationibus itaque Dilecti Filii Joannis Petri Bertazzoli Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum dicti Ordinis, tam hactenùs erectis, quàm imposterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, Dominicâ tertiâ mensis Septembris à primis Vesperis usque ad occasum Solis Dominicæ hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Junii MDCCIV. Pontificatus nostri Anno Quarto.

F. Oliverius.

DEPUTATIO

Anno 1705.

XX.

R. P. D. Vicesgerentis pro tempore in Judicem privativum quarumcumque causarum civilium, criminalium, & mixtarum Domus Cathecumenorum Urbis, locorumque piorum illi annexorum, necnon Cathecumenorum, & Neophytorum, eorumque liberorum cum derogatione quibuscumque contrariis.

Monsignor Vescovo di Veroli nostro Vicegerente.

Exordium.

ESsendoci stato rappresentato, per parte della Casa de Catecumeni di Roma, Chiesa della Madonna de Monti, luoghi Pii ad essa annessi, e Neofiti, che li nostri Predecessori considerando, che detta Casa, e Luoghi pii, come eretti, e fondatti nella Città Capitale del Christianesimo per propagare la nostra Santa Fede, e li Neofiti, come germogli novelli, e persone, che dalle loro tenebre sono venute alla luce del Santo Vangelo, erano degni d'una singolar protezzione della Chiesa Romana, trà gl' altri molti privilegii à loro concessi havevano con loro lettere in forma di Bre-

Cathecumeni, & Neophyti olim fuberant Cardinali Protectori.

Qui quascumque eorum causas privativè quoad omnes alios cognoscebat.

ve assegnato in perpetuo a detti Luoghi pii un Cardinale della S. R. C. per Protettore, il quale per evitar le spese delle liti, & la distrazzione in diversi Tribunali, come anche l'ingiurie, ò vessationi, che si potessero dare, specialmente dall' Infideli stessi, ò dalla Natione Ebrea a' Neofiti, e per facilitare alla detta Casa, Luoghi pii, e Neofiti l'esattione de' loro crediti, e assegnamenti, particolarmente da pagarsi d'all Universitá degl'Ebrei di Roma, e altre Universitá parimente d'Ebrei esistenti nel nostro Stato Ecclesiastico, havesse la facoltà privativa rispetto à tutti gl'altri Tribunali, e Giudici di conoscere tutte le Cause attive, e passive, tanto civili, come criminali di detti Luoghi pii, e de'Neofiti, come dalle lettere in forma di Breve della fel. ric. di Paolo Terzo l'anno 1542. li 19. Febraro, confermate dalla fel. ric. di Paolo Quarto sotto li 23. Marzo 1556., e da Pio Quarto sotto li 23. Gennaro 1560., e da altri nostri Predecessori, e che dopo il Decreto, ò Decreti d'una Congregatione Particolare confermato, ò, confermati dalla fel. ric. d'Innnocenzio XII. nostro Predecessore sotto il di 24., e 31. Agosto 1692., ne' quali fu abolita la giurisditione contentiosa a Cardinali della S. R. C. Protettori di Luoghi pii, e furono soppressi molti Tribunali particolari, detta Casa de' Catecumeni, e detti Luoghi pii, come anche i Catecumeni, e Neofiti, distratti da diversi Tribunali, habbiano molti pregiudizi, e frequenti vessationi patito.

Ejusmodi jurisdictio, & Tribunal ab Innocentio XII. abolitum, suppressumque fuit.

Pontifex omnes, & quascumque illorum causas à quibuscumq; Judicibus, & Tribunalibus avocat.

§. 1. Noi per tanto per far conoscere la Paterna pietà, che habbiamo verso li detti Luoghi pii fondati per la conversione d'Infedeli, la quale è il nostro primo Instituto Apostolico, e verso li Catecumeni, e Neofiti, che sono venuti, e in futuro verranno alla nostra Santa Fede, quali sono degni della nostra special protezzione, e assistenza, di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Potestà Apostolica, avocando à noi tutte, e singole liti, e cause, si civili come criminali, e miste, attive, e passive di detta Casa de' Catecumeni, Luoghi pii annessi de' Catecumeni stessi, e Neofiti, figli di primo grado de' medesimi Catecumeni, e Neofiti, e mariti di Neofite, ò di figlie di primo grado di Neofiti mosse, ò respettivamente da moversi in avvenire da qualsivoglia persona, e contro qualsisia persona per qualunque causa in qualsivoglia Tribunale, avanti qualsisiano Giudici Ordinarii, Delegati, Ecclesiastici, e Secolari, Congregazione anche de' Reverendissimi Cardinali, e generalmente avanti qualsisiano Giudici, benche privilegiati, e privilegiatissimi, le medesime liti, e cause, tanto attive, quanto passive, anco già instrutte nello stato, e termine, nel quale si trovano al presente, e anco tutte l'altre cause, che in avvenire, e in qualsivoglia tempo s'introdurranno, attive, e passive, civili, criminali, e miste; pro, ò contro detta Casa de' Catecumeni, e Luoghi pii annessi, Catecumeni, e Neofiti, e loro figli di primo grado, ò mariti di Neofite, ò pure delle loro figliole di primo grado in prima istanza, le commettiamo, e respettivamente le rimettiamo a Voi; come nostro Vicegerente di Roma, e all'altri Vicegerenti, che saranno pro tempore per gl'Atti del Notaro del nostro Vicario di Roma, ò d'altri Notari di altri Tribunali da deputarsi sempre da' Deputati di detta Casa de' Catecumeni privativamente ad ogn'altro Giudice, Tribunale anche Collegiale, e Magistrato, e Notaro, con piena, ampla, libera, e assoluta facoltà, e autorità di poterle con tutti i loro incidenti, dependenti, emergenti, annessi, connessi, e anco con la clausola quam, & quas conoscere, decidere, finire, e terminare, ancorche si trattasse, ò procedesse per vigore di oblighi Camerali, e giurati, e che le persone, che havessero interesse, si attivamente, come passivamente in dette liti, e cause, fossero Basiliche, Chiese, Cappelle, e Religioni, Commende, Monasteri, Conventi, Ospedali, Confraternitate, e anche Luoghi pii anco insigni, e quantosivoglia privilegiati, e privilegiatissimi, e ancorche fossero Pupilli, Vedove e Minori, anche per causa de' mercedi, alimenti e doti, e qualsisiano altre persone, che havessero privilegi tali, che per comprenderli havessero bisogno di special menzione, e di potere nelle dette cause procedere ogni giorno, e ora, non però feriato in honor di Dio, senza servatione di termini sostantiali, confezzioni d'estratti, e registri, ed ancora senza produzzioni d'Instromenti, e Scritture publiche, mà con le sole copie semplici, ò indicatione di quelle a vostro, e de' vostri Successori arbitrio, e ancora senza de posito ò pagamento di sportole, ò propine, con le sole citationi domi dim. copia, per contradette, ò per editto anco fuor di Roma, e tutto il nostro Stato Ecclesiastico in qualsivoglia luogo, benche de jure per Costitutioni, Statuti, Stili, e Consuetudini fossero necessarie di farle personalmente, e di esseguire tutto ciò sommariamente, e essecutivamente, e senza strepito, e figura di Giuditio, e veduta la sola verita del fatto, posposta, e rimossa ogni qualunque appellatione, e ricorso, fuori che al Nostro Auditore, tanto nella seconda, quanto che in altre istanze, anco per capo di restituzione in integrum, e non ad altro Tribunale, benche supremo, dandovi perciò ancora piena, e ampla facoltà, e autorità di avvocare, e reassumere le cause, e liti sudette da qualunque Giudice, ò Tribunale, come sopra, e à quelli inhibire sotto le pene, e censure à vostro arbitrio, che non ardischino porvi più le mani, nè ingerirvisi in modo alcuno.

Cum facultate procedendi summariè, solaque facti veritate inspecta.

Necnon reassumendi, & inhibendi cuicumque Judici, & Tribunali etiam sub censuris.

Easque committit V. Gerenti pro tempore.

Etiamsi agerentur cum personis quantuncunque privilegiatis.

§. 2. Volendo, e decretando, che al' presente nostro Chirografo non possa in alcun tempo opporsi di sorezzione, obrezzione, ò difetto della nostra volontà, e intentione, nè di alcun altro vitio, ò difetto, benche sostantiale, e formale, e che ammettendosi, e registrandosi in Camera, secondo la dispositione della Bolla di Pio Quarto nostro Predecessore de registran. &c. vaglia, e debba haver sempre il suo pieno effetto, esecutione, e vigore con la semplice nostra sottoscrizzione, e ancorche non siano stati chiamati, citati, nè sentiti qualsisiano persone, e Luoghi pii, che havessero già mosse liti, e cause contro della Casa de' Catecumeni, Luoghi pii annessi, e Neofiti, e Persone sopra specificate, e qualsisiano altre Persone, le quali sopra di ciò direttamente, ò indirettamente, ò in qualunque altro modo havessero, ò pretendessero di havere interesse, e che sopra tutte, e singolo cose sudette, e così e non altrimenti debba sempre giudicarsi, deffinirsi, e interpretarsi, tanto da Voi, quanto da altri, che pro tempore vi succederanno, senza che altri possano ingerirsi nè in giudicare, nè interpretare, ancorche fossero Legati da Latere, overo Auditori della nostra Rota, Camera, Segnatura, e qualsisiano altri Giudici Ordinarii, Commissarii, Delegati, e Subdelegati, come sopra, togliendo Noi ad essi, e à ciascheduno di loro sopra le cose sudette la facoltà, e autorità di giudicare, interpretare, e diffinire altrimente, e dichiarando Noi adesso, per quando potesse venire il caso, preventivamente irrito, nullo, e invalido tutto ciò, che in contrario si facesse, non obstanti le Costitutioni d'Innocenzio VIII., Giulio II., Gregorio XIII., Gregorio XIV., Innocenzio XII., e altre de' Sommi Pontefici sopra le facoltà di qualsisiano Giudici, e Tribunali, qualsivoglia privilegii a qualsisia Persona fosse conceduti, e competenti

Derogat quibuscumque contrariis ordinationibus cum clausula sublata, & decreto irritanti.

tenti per le qualità de' contratti, e Persone sudette, la regola della nostra Cancellaria de jure quæsito non tollendo, e qualsisiano altre Costitutioni, & Ordinationi Apostoliche de nostri Predecessori, Leggi civili, e canoniche, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, ò potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, ancorche contenessero clausole insolite derogatorie e derogatorie di derogatorie, supplendo Noi con la pienezza della nostra potesta à qualsivoglia difetto, sì sostantiale, come formale, che sopra ciò potesse intervenire, havendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto per questa volta sola, & all' effetto sudetto amplamente, & in ogni altro miglior modo deroghiamo. Dato nel Nostro Palazzo Vaticano questo dì 21. Gennaro MDCCV.

Clemens Papa XI.

Die Veneris 30. Januarii 1705. Præsens Chirographum Sanctissimi in plena Camera Apostolica exhibitum, & præsentatum fuit, illudque commissum Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Alexandro Falconerio Cameræ Apostolicæ Clerico, deindè die Mercurii 4. Februarii ejusdem anni cit. desuper Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Silvio de Cavaleriis Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissario Generali ad relationem ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi Domini Falconerii admissum, & registratum fuit in libro Signaturarum ejusdem Sanctissimi fol. 147.

Ita est Antonius Petruccius Reverendæ Cameræ Apostolicæ Secretarius.

XXI.

CONFIRMATIO

Decreti Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo sancitur constituendum esse Procuratorem Generalem pro Discalceatis, & Recollectis, qui Romæ in Conventu Aracœlitano resideat, & plura alia circa regimen eorumdem Regularium statuuntur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs ad supplicationem Dilectorum Filiorum Fratrum Provinciarum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum, & Recollectorum nuncupatorum familiæ Ultramontanæ emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositâ Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Negociis, & Consultationibus Episcoporum; & Regularium præposita, re maturè discussâ, & perpensis objectionibus ex adverso oppositis per Patrem Procuratorem Generalem de Observantiâ, referente Eminentissimo Domino Cardinali Sperello sub diebus 15. Junii, & 31. Augusti, ac iterum sub die 7. Decembris Anni 1703. censuit constituendum esse Procuratorem Generalem pro Discalceatis, & Recollectis, qui Romæ, & in Conventu Aracœlitano debeat residere, donec de alio Conventu in Urbe ei provideatur, una cum Socio, qui eidem in munere Secretarii deserviat: Officium autem ipsius duret per sexennium, videlicet ab uno Capitulo Generali ad aliud, isque res peragat omnium Discalceatorum, & Recollectorum tam Hispaniæ, & Italiæ, quam etiam Galliæ, aliarumque Regionum, & Provinciarum, exceptis Germano-Belgicis, qui, nullâ factâ innovatione, remanere valeant sub dicto Procuratore Generali de Observantiâ. Et similiter quotquot ex Poloniâ, Bohemiâ, aliisque Provinciis hactenùs fuerunt sub Procuratore Generali Reformatorum Cismontanæ Familiæ residente in Conventu S. Francisci ad Ripam, sub eodem remanere debeant, cui nusquam præjudicium inferatur, sed præcedentiæ, & alia Jura semper illæsa permaneant. Ad hujusmodi Officium alterâ vice assumi debeat unus ex Recollectis, & alterâ unus ex Discalceatis, idque ab eorum Vocalibus in Capitulo Generali. Electio autem fiat per schedulas, & vota secreta, nemine proponente. Socius verò Secretarii munere functurus, cum Procurator erit ex Recollectis, assumatur ex Discalceatis; & è contra, cum erit ex Discalceatis, assumatur ex Recollectis. Pro hac primâ vice sit Procurator Generalis Pater Joannes Damascenus Mesnard Recollectus Provinciæ S. Dionysii, cujus Officium ex nunc incipiat, & duraturum sit usque ad aliam electionem faciendam ex familiâ Discalceatorum in Capitulo Generali anni 1712. Et quia ipse Pater Mesnard est absens extra Italiam, donec ad Urbem venerit, ejus partes, & vices impleat Pater Isidorus à Jesu Discalceatus Provinciæ S. Josephi in Castellâ. Hujusmodi Procuratoris munus sit in omnibus simile muneri Procuratoris Generalis Reformatorum Cismontanæ Familiæ cum iisdem facultatibus, & prærogativis quibuscumque. Romæ &c. G. Cardinalis Carpineus. Locus † sigilli.

Decretum Sac. Congregationis.

§. 1. Cum autem, sicut pro parte eorumdem Fratrum Nobis nuper expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, & servetur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimùm desiderent. Nos præfatos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiastici sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus, super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac quatenus opus sit, Provinciarum, Conventuum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus

Confirmatur salva authoritate Sacr. Congregationis.

autem

autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xij. Martii MDCCV. Pontificatus nostri Anno Quinto.

F. Oliverius.

XXII.

CONFIRMATIO

Et Innovatio Constitutionum Innocentij Papæ X. & Alexandri Papæ VII. adversus Jansenianam hæresim editarum cum nonnullis declarationibus pro debita illarum observantia adjectis.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum. Dei Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium à solicitudine curandi observantiam eorum, quæ pro extinguendis pravis erroribus Prædecessores ordinarunt.

VIneam Domini Sabaoth, quæ est Catholica Ecclesia, pro commisso Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere custodire, atque excolere omni studio, atque industriâ jugiter satagentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris ad succrescentes in illa pernicios arum novitatum vepres radicitùs evellendos prudenti, salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut quibuscunque Inimici Hominis molitionibus dejectis, firmiùs semper, atque exactiùs observentur, Apostolici muniminis nostri præsidio libenter roboramus, atque aliàs desuper solicitudinis, & providentiæ nostræ partes interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad fidelem, ac tutam orthodoxæ veritatis custodiam, necnon Animarum pretioso Unigeniti Dei Filij Domini Nostri Jesu Christi Sanguini redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Narrat sanme. Alexandrum VII. confirmasse Constitutionem fel. rec. Innocentii X. condemnatoriam quinque propositionum excerptarum è Libro Cornelii Jansenii.

§. 1. Sanè postquam fel. rec. Innocentius Papa X. Prædecessor Noster per quamdam suam desuper editam Constitutionem quinque famosas Propositiones ex libro Cornelij Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus* excerptas Apostolici censura judicii ritè confixerat, rec. mem. Alexander Papa VII. etiam Prædecessor noster ad ejusmodi jam damnatos errores è Christifidelium mentibus prorsus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationes penitùs evertendas, prædictam Innocentii Prædecessoris Constitutionem, toto illius inserto tenore, confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit, sua in id pariter editâ Constitutione tenoris, qui sequitur, videlicet.

Tenor Constitutionis Alexandrinæ.

§. 2. Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad Sanctam Beati Petri Sedem, & Universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquiùs ex muneris nostri debito esse duximus, quàm ut sanctæ Fidei nostræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati tradita Nobis à Deo potestate opportunè consuleremus. Ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ decisionis, sive declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur; ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum.

Exordium à debito conservandi integritatem Fidei.

§. 3. Emanavit siquidem aliàs à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm occasione impressionis Libri, cui titulus *Augustinus* Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant. Secunda. Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Tenor dictarum propositionum.

Diligentiæ adhibitæ pro illarum discussione.

§. 4. Nos quibus inter multiplices curas quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis pervenire possit; pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, ac pluribus in Sacrâ Theologiâ Magistris, easdem quinque propositiones, ut supra, Nobis oblatas fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus. Cùm autem ab initio hujuscemodi discussionis, ad Divinum implorandum auxilium multorum Christifidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus; postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos solicitè implorata Sancti Spiritus assistentiâ, tandem Divino Numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem.

Condemnatio earumdem propositionum cum particulari in singulas censura.

§. 5. Primam prædictarum propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habeat vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem

Refertur Constitutio Innocentii X. condemnatoria, quinque propositionum, ut supra.

nem fudiſſe: falſam, temerariam, ſcandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Præceptum Chriſtifidelibus injunctum parendi ſupradictæ dennitioni.

§. 6. Mandamus igitur omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, ac prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut Contradictores, & rebelles quoſcunque per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, omninò coerceant, & compeſcant.

Proteſtatio condemnationis citra approbationem aliarum propoſitionum in ſupra narrato libro contentarum

§. 7. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenij. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, pridie Kal. Junij, Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Data Conſtitutionis Innocentianæ.

§. 8. Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelij Janſenii non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere, magno cum Chriſtifidelium ſcandalo, non reformident.

Continuatio Conſtitutionis Alexandrinæ.

§. 9. Nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter, & attentè perſpeximus, utpote qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica authoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt, eâ profecto diligentiâ, quâ major deſiderari non poſſet, quamcunque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, ut omnes Chriſtifideles in ejuſdem Fidei unitate ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis Officij, ac maturâ deliberatione, præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt *Auguſtinus* excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe declaramus, & definimus, ac uti tales, inuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum ſingillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum ſæpè dicti Cornelii Janſenij, cui titulus *Auguſtinus*, omneſque alios tam manuſcriptos, quàm typis editos, & ſi quos forſan inpoſterum edi contigerit, in quibus prædicta ejuſdem Cornelij Janſenii Doctrina, ut ſupra, damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſtifidelibus, ne prædictam Doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palàm, vel occultè imprimant, ſub pœnis, & cenſuris contra Hæreticos in Jure expreſſis ipſo facto abſque aliâ declaratione incurrendis.

Definitivè declarat, ſupradictas propoſitiones à fel. rec. Innocentio X. proſcriptas fuiſſe in ſenſu à Janſenio intento. Prohibitio librorum, & defenſionis doctrinæ Janſenii.

Præceptum curandi obſervantiam Conſtitutionis Innocentianæ.

§. 10. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ac Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, ut præinſertam ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, Declarationem, ac Definitionem, juxta præſentem noſtram determinationem, ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliiſque juris, & facti remediis, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, Decimo ſeptimo Kalend. Novembris, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Data Conſtitutionis Alexandrinæ.

§. 11. Subinde verò, quò omnis Apoſtolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander Prædeceſſor, priſcum Eccleſiæ morem ſequutus, certam edidit Formulam ab omnibus Eccleſiaſtici Ordinis, tam Secularibus, quàm Regularibus perſonis ſubſcribendam per aliam ſuam hac in re promulgatam Conſtitutionem tenoris ſequentis, videlicet

Proſequitur Conſtitutio ſan. me. Clementis XI. enarrans formulam editam à recol. me. Alex. VII.

§. 12. Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apoſtolici divinâ providentiâ Nobis, quamvis immeritis, commiſſi ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque ſaluti, & Fidelium tranquillitati conſulere apta, & idonea eſſe judicantur, animum, & curam omnem, quantum licet, in Domino applicemus.

Tenor Conſtitutionis ejuſdem Alexandri VII.

§. 13. Quamobrem Cornelii Janſenii hæreſim, in Galliis præſertim ſerpentem, ab Innocentio X. fel. rec. Prædeceſſore noſtro ferè oppreſſam, ad inſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in varios gyros, & cavillationum defluxus euntem ſingulari Conſtitutione ad hunc finem editâ altero aſſumptionis noſtræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut multiplices Hoſtis humani generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum noſtrarum ſcopus, quibus operam, & induſtriam ſuam egregio ſane ſtudio Venerabiles Fratres noſtri Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regni Galliæ, earundem Conſtitutionum Apoſtolicarum exequutioni præcipuè intenti contulerunt, & Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuo, ac conſtantiſſimo animo porrexit.

Recenſet geſta pro extinctione Hæreſis Janſenianæ, quæ plenum adhuc effectum non habuerant in Galliæ Regno.

§. 14. Cùm autem præfatus Rex Chriſtianiſſimus eodem Religionis zelo ductus per ſuum in Urbe Oratorem Nobis ſignificari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi poſſe, quàm ſi omnes certam Formulam ſubſcriberent noſtra authoritate firmatam, in quâ quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui titulus *Auguſtinus*, excerptas ſincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantocyus expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omneſque removendos obtentus, flagitaverit.

Inſtantia Regis Chriſtianiſſimi, pro impetranda à Sede Apoſtolica formula, in qua damnarentur ſuprad. propoſitiones.

§. 15. Nos tam piis dicti Regis Chriſtianiſſimi votis benignè annuendum eſſe ducentes, Formulam infraſcriptam ab omnibus Eccleſiaſticis, etiam Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon aliis quibuſcumque Eccleſiaſtici Ordinis, tam Regularibus, quàm Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliiſque Collegiorum Rectoribus, atque Magiſtris ſubſcribi diſtinctè mandamus; idque intra tres menſes à die publicationis, ſeu notificationis præſentium; aliàs contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremiſſibiliter procedi volumus juxta Canonicas Conſtitutiones, & Conciliorum Decreta.

Præceptum ſubſcribendi formulam injunctum omnibus Eccleſiaſticis, & Graduatis.

Formula à ſupradictis ſubſcribenda

§. 16. Ego

Tenor Formulæ.

§. 16. Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus* excerptas, & in sensu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Decreta firmitatis cum clausula sublata, & irritante.

§. 17. Decernentes insuper præsentes literas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenos, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate; ac irritum, & inane, si secus super his à quocunque quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Commissio curandi observantiam.

§. 18. Quo circa Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis præsentes literas, & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequutioni mandari, ac observari ob omnibus curent, & inobedientes quoscunque per sententias, censuras, & pœnas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit brachii sæcularis auxilio, omninò compellant.

Fides habenda Transumptis.

§. 19. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 20. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & Ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, Quintodecimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno decimo.

Data Constitutionis Alexandrinæ.

Sequitur continuatio Constitutionis sa. me. Clementis XI.

§. 21. Sic equidem Causa finita est; non tamen sic, ut par erat, finitus est error, Apostolico toties mucrone percussus: Neque enim defuere, nec adhuc desunt, homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes; qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quæstionibus, quantum in ipsis est, involvere, & implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apostolicæ Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim quasdam piæ memoriæ Clementis Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Episcopos, necnon binas similis memoriæ Innocentii Papæ XII. etiam Prædecessorum nostrorum die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respectivè datas literas, in erroris sui patrocinium advocare, temerario planè ausu, non erubescunt: Perinde ac si memoratus Clemens Prædecessor, qui eisdem suis literis se Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutionibus supradictis firmissimè inhærere, ac à dictis quatuor Episcopis veram, & totalem obedientiam, adeòque Formulæ, à præfato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, editæ sincerè per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quàm nullam prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsâ admisisset; dictus verò Innocentius XII. Prædecessor, dum sapienter, ac providè prædictas quinque propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præ se ferunt, damnatas esse pronunciavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac à præfatis Innocentio X., & Alexandro VII. Prædecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset, dictaque Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo immutare voluisset iisdem ipsis literis, quibus eas in suo robore fuisse, & esse, seque illis firmiter inhærere verbis apertissimis asserebat.

Narrat jactationes quorumdam hominum non opus esse, ut quis interiùs damnet sensum Jansenii, sed sufficere silentium obsequiosum.

§. 22. Præterea iidem inquieti homines sparsis undequaque scriptionibus, ac libellis, exquisitâ ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuriâ, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti: Ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Jansseniani libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interiùs, ut hæreticum, damnet; sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quæ quidem assertio, quàm absurda sit, & animabus Fidelium pernicioſa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim; dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolicâ Sede damnatam Ecclesia Universalis exhorruit, adhuc interiùs abjicere, & corde improbare detrectant,

Alii asseruerunt licitè subscribi posse prænotatam formulam ab iis, qui interiùs non damnant, uti hæreticam Jansenii doctrinam.

§. 23. Quin etiam eò impudentiæ nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint præfatæ formulæ à memorato Alexandro Prædecessore præscriptæ subscribi licitè posse, etiam ab iis, qui interiùs non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri. Quasi verò, contra quam scriptum est: Qui loquitur veritatem in corde suo, & : Qui jurat proximo suo, & non decipit; hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere; dum ejusdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt; seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Exponit adhuc errores durare, ac siniſtra interpretatione eludi quasdam literas in forma Brevis scriptas à sa. me. Clemente IX. & Innocentio XII. adversùs conantes infringere observantiam præinsertarum Constitutionum.

Providè hisce malis mederi pergit.

§. 24. Hinc est, quod Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, & quotidie in deteriùs vergit, remedium adhibendum, non minus demandatæ Nobis omnium Ecclesiarum solicitudinis debito, quàm plurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac præsertim Regni Galliarum, Episcoporum zelo ac precibus excitati, ne hujusmodi pravi homines Catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impunè pergant, & simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, docentes, quæ non oportet; neve ullus, apud eos quoque, qui bonâ, ut aiunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente, ac sententiâ Apostolicæ Sedis ampliùs ambigendi superſit locus; Divino prius tam privatis nostris, quàm publicè indictis precibus, implorato præsidio, ac re maturè discussâ, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in Sacrâ Theologiâ Magistrorum suffragiis; Primò quidem præinsertas Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque, & singu-

Confirmat præinsertas Constitutiones sa. mem. Innocentii X. & Alexandrii VII.

la in eis contenta authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, confirmamus, approbamus, & innovamus.

Definitivè declarat obsequioso silentio satis non fieri obedientiæ debitæ iisdem Constitutionibus, sed requiri internam, & verbalem condemnationem propositionum, eodemque modo subscribendam esse Formulam.

§. 25. Ac insuper, ut quævis imposterum erroris occasio penitùs præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solùm (nam & impii in tenebris conticescunt) sed, & interiùs obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant; hac nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione: Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christifidelibus, ut hæreticum, non ore solùm, sed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ Formulæ subscribi licitè posse; itaut qui secus, aut contra, quoad hæc omnia, & singula, senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus, & singulis illarum censuris, & pœnis omninò subjaceant, eâdem authoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus.

Decreta roborantia cum clausula sublatâ, & irritante.

§. 26. Decernentes pariter easdem præsentes, & præinsertas literas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Præceptum super observantia præsentis Constitutionis.

§. 27. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus, & mandamus, ut singuli in suis respectivè Diœcesibus, ac Locis suæ jurisdictioni subjectis, ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequutioni mandari, & observari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omninò coerceant, & compellant.

Fides habenda Transumptis.

§. 28. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 29. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quinto, Decimo septimo Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

J. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

Locus ✠ Plumbi.

Philippus Porta.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo quinto, Indictione decimatertia, die verò decimasexta Julii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno Quinto, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Magnæ Curiæ Innocentianæ Montis Citatorii, in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Thomam de Unionibus ejusdem SS. D. N. PP. Cursorem.

Publicatio.

Joannes Græcus Mag. Curs.

CONFIRMATIO

XXIII.

Decreti Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo Manuale Cæremoniarum Provinciæ S. Evangelii de Mexico Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia approbatur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilectorum filiorum Fratrum Provinciæ S. Evangelii Mexican. in Indiis Occidentalibus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expositio, quod aliàs in Capitulo Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe Anno MDCC. celebrato pro bono regimine spirituali, & temporali omnium Provinciarum Indiarum dicti Ordinis, ac ad occurrendum incommodis, & gravibus malis, quæ oriebantur ex instabilitate Cœremoniarum, & Rituum, quos Commissarii novæ Hispaniæ, & Regni Peruani Ordinis prædicti Ritibus propriæ, alteriusque Provinciæ conformare nitebantur, sancitum, ac sub privationis Officii pœnâ dictis Commissariis injunctum fuerat, ut permitterent Provincias vivere juxtà suas laudabiles Cœremonias, & Ritus in his, quæ non erant contra Sanctæ Sedis præscriptum, nec ea quoquomodo innovare, aut alterare attentarent, decernendo irritum, & inane quidquid in contrarium feciſſent, committendo insuper pro tempore existenti Ministro Generali, & Commissario itidem Generali Indiarum dicti Ordinis in Oppido Matriti pro tempore commoranti, ut Statutum hujusmodi inviolabiliter observari facerent, & aliàs, proùt in dicto Statuto uberiùs dicebatur contineri.

Decretum Capituli generalis habiti anno 1700.

§. 1. Subinde verò ad instantiam tunc etiam existentium Fratrum dictæ Provinciæ, ac etiam de ejus Superiorum jussu hujusmodi Cœremoniæ, & Ritus per Dilectum Filium Isidorum Alphonsum de Castaneira Fratrem dicti Ordinis expresè professum in septem Paragraphos, quibus titulus: Manuale Cœremoniarum Provinciæ Sancti Evangelii de Mexico juxtà ordinem prædicti Capituli Generalis collectæ fuerant. Et in eadem expositione subjuncto, quod verebatur, ne temporis decursu præmissâ ab aliquo Superiore, non sine gravi dictæ Provinciæ spirituali, temporalique jactura moderarentur, aut innovarentur; Ideòque ipsi Exponentes quo Statutum, seu Decretum hujusmodi perpetuò servaretur, nec illud ullo unquam tempore à Superioribus dictæ Provinciæ, nisi de ejus consensu immutaretur plurimùm cupiebant, Decretum hujusmodi una cum dictæ Provinciæ cœremoniis, ficut præmittitur, congestis, auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium confirmari. Emanavit ad eorum supplicationem ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui

Fr. Isidorus Alphonsus de Castaneira author Cæremonialis Provinciæ S. Evangelii de Mexico.

Idem Cæremoniale approbatur à

se-

Sac. Congregatione Episcoporum anno 1705. die 8. Augusti.

sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositâ, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, & attentis narratis petitam confirmationem Oratoribus benignè concessit. Romæ VII. Augusti MDCCV. N. Cardinalis Acciajolus: Loco † sigilli.

Pontifex confirmat Decretum ejusdem Sac. Congregationis salva &c.

§. 2. Cùm autem sicut dicti Exponentes Nobis subindè exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Salvâ tamen semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium.

Cum Decreto irritanti.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Septembris MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

F. Oliverius.

XXIV. UNIO PROVINCIÆ ITALIÆ

Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationi Hispaniæ ejusdem Ordinis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Amedeus de Sanctis Frater expressè professus, ac Procurator Provinciæ Italiæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quòd cum aliàs tunc existentes Fratres Discalceati trium Conventuum Italiæ dicti Ordinis, ob defectum regularis observantiæ, aliisque justis, & rationabilibus de causis in Congregatione tunc pariter existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositâ probatis, & justificatis, proprias obligationes nequaquam adimplere, minusque aliquos, sivè in spiritualibus, sivè in temporalibus religiosos progressus facere valerent, seque proindè Congregationi Hispaniæ Fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis uniri petiissent, & successivè Superiores dictæ Congregationis consensum unioni hujusmodi præstitissent, ac deindè iidem Fratres Discalceati Provinciæ præfatæ supplicem libellum fel. rec. Innocentio Papæ XI. Prædecessori nostro pro unione hujusmodi obtinendâ porrexissent, isque ab ipso Innocentio Prædecessore ad dictam Cardinalium Congregationem, & ab eâdem Congregatione ad bon. mem. Alderanum S. R. E. præfatæ Cardinalem Cybo nuncupatum dicti Ordinis, dum vixit, apud eumdem Innocentium Prædecessorem, & Sedem Apostolicam Protectorem remissus fuisset, dictus quidem Alderanus Cardinalis, & Protector suum pro dictâ unione votum justis de causis una cum eo relatis præfatæ Congregationi Cardinalium exhibuit; verùm cum die quintâ Maii MDCXC. causa in ipsâ Cardinalium Congregatione proposita fuisset, dilato circa dictam unionem negotio, emanavit ab eâdem Congregatione Decretum, quo pro tunc ex tribus Conventibus præfatis constituta fuit separata, supradictæ nempè Italiæ Provincia, quorum Conventuum Religiosi sub obedientiâ Ministri Generalis dicti Ordinis juxtà formam tamen in quibusdam rec. me. Urbani PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri literis in simili formâ Brevis die XII. Septembris MDCXXIX. expeditis præscriptam permanerent. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Religiosi observantiam Constitutionum dictæ Congregationis Hispaniæ in solemni eorum Regulari professione expressè promiserint; adeoque eas observare teneantur; illæ verò ipsos ad subjectionem pro tempore existenti Ministro Generali ejusdem Congregationis Hispaniæ omninò obligent, ipsique proindè, quo faciliùs vota sua Altissimo reddere, & propria Instituta regularia adimplere valeant, memoratæ unionis gratiam summoperè expetant: Nobis propterea dictus Amedeus humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Proœmium.

Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum.

§. 1. Nos igitur ipsius Amedei votis, hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris dictæ S. R. E. Cardinalibus super causâ hujusmodi unionis dictæ scilicet Provinciæ Italiæ, omniumque ejus Religiosorum præfatæ Congregationi Hispaniæ inter eumdem Amedeum ex unâ, & Dilectum etiam filium Vincentium Coppolam Procuratorem Generalem dicti Ordinis ex alterâ partibus controversâ à Nobis specialiter deputatorum, qui ipsos Amedeum, & Vincentium Procuratorem Generalem, tam ore, quàm scriptis informantes audiverunt, negotioque maturè perpenso, justis, ac rationabilibus de causis unio-

Pontifex unit, & annectit Provinciam Italiæ Congregationi Hispaniæ.

nem præfatam fieri posse consuerunt, consilio, præfatam Provinciam Italiæ dictæ Congregationi Hispaniæ, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, unimus, conjungimus, annectimus, & incorporamus, ac Dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti Ministro Generali ejusdem Congregationis subjicimus.

§. 2. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac memorati Urbani Prædecessoris super erectione Congregationis reformatæ Fratrum pariter Discalceatorum dicti Ordinis, & quibusdam nostris, etiam in simili formâ Brevis die XVIII. Augusti MDCCIII. super unione, seu confirmatione Capitulorum unionis totius ejusdem Ordinis respectivè emanatis literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon præfatæ Congregationis Cardinalium Decretis, ac Provinciæ Conventuum, Congregationum Hispaniæ, & Reformatæ, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur; si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Novembris MDCCV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

F. Oliverius.

Cum Decreto irritanti, & clausulis salutaribus.

ANNO 1706.

XXV.

ASSIGNATIO

Loci fixi perpetui inter Auditores Rotæ Perusinæ uni ex Civibus Civitatis Urbini, qui in illius Studii Generalis Universitate ad lauream doctoralem in utroque Jure promotus, & Collegio Generali Doctorum ejusdem Civitatis adscriptus sit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut Dilecti Filii Communitas, & Homines Civitatis nostræ Perusin. Nobis nuper exponi fecerunt, dudum in dicta Civitate Tribunal Rotæ nuncupat. ad Causarum decisionem per quasdam fæl. rec. Clementis PP. VII. Prædecessoris nostris literas in simili formâ Brevis expeditas erectum, ac per statuta, & ordinationes ipsius Tribunalis vigore facultatis per dictas Clementis Prædecessoris literas attributæ condita, expresse cautum fuerit, ut quatuor Auditores, quibus Tribunal hujusmodi constat, Exteri, seu Forenses esse deberent, nunc tamen unus eorum juxtà aliarum rec. mem. Clementis PP. X. Prædecessoris pariter nostri in eâdem formâ Brevis emanatarum literarum dispositionem ex Doctoribus Legistis, qui de Collegio Doctorum dictæ Civitatis Perusin. existant, & alter in vim conventionis aliàs inter eamdem Civitatem Perusin. ex una, & Civitatem pariter nostram Maceraten. ex altera partibus initæ, ac per Nos hodiè, seu nuper per nostras in pari formâ Brevis literas confirmatæ, ex Civibus ipsius Civitatis Maceraten. respectivè eligendi sint; reliqui verò duo ex aliis etiam Civitatibus, seu locis liberè eligantur; Ac proinde ipsi Exponentes perpetuum aliquod sinceræ eorum in Nos devotionis, propensæque in Civitatem etiam nostram Urbinaten., Patriam nostram dilectissimam, voluntatis, nec non præclaræ, quàm de eadem Civitate habent, æstimationis argumentum extare cupientes, post maturam à Magistratu, & deinde in publico, & generali Consilio dictæ Civitatis Perusin. communibus suffragiis habitam deliberationem, Nobis supplicandum esse duxerint, ut singulis quadrienniis, quibus juxtà prædictarum Clementis VII. Prædecessoris literarum formam ad Auditorum præfatorum electionem deveniri solet, unum eorum è Civibus dictæ Civitatis Urbinaten., quam plurium semper doctrinæ, & integritatis laude præstantium Virorum copia florere conspiciunt, de cætero assumendum esse decernere dignaremur; Nos ipsorum Exponentium votis hac in re favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. super Consultationibus Civitatum, Terrarum, & Locorum Status nostri Ecclesiastici, auctoritate Apostolica deputatorum, qui rem maturè discusserunt, consilio, ut de cætero perpetuis futuris temporibus unus ex Auditoribus Tribunalis Rotæ præfati, quotiescumque eosdem quatuor Auditores renovari contigerit, è Civibus, dictæ Civitatis Urbinaten., qui in illius Studii generalis Universitate ad Doctoratus lauream in utroque Jure promoti, necnon Collegio etiam generali, ut vocant, Doctorum ipsius Civitatis adscripti fuerint, ac cæteroquin qualitatibus in Tribunalis præfati erectione, seu aliàs requisitis præditi reperiantur, ab illis, ad quos spectat, servatis aliàs servandis, eligi, seu assumi debeat, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Civitatis Perusin.,

Statuit, ut quatuor constaret Auditoribus exteris, seu forensibus.

Clemens X. unum ex ipsis ex Collegio Doctorum Civitatis Perusinæ eligi indulsit.

Alterum eligi ex Civibus Civitatis Maceratæ juxta conventionem inter d. Civitatem, & Civitatem Perusiæ initam indulsit Clemens XI.

Itaut duo tantùm Auditores ex aliis locis eligendi superessent.

Civitas Perusina supplicavit Sanctitati suæ, ut locum fixum in dicta Rota uni Civi Urbinati decerneretur.

Sua Sanctitas de consilio Sac. Consultæ annuens petitioni.

Locum fixum perpetuum in d. Rota assignat uni ex Civibus Civitatis Urbini, qui in illius Universitate lauream doctoralem susceperit, & Collegio Doctorum ejusdem Civitatis adscriptus, aliisque necessariis requisitis præditus sit.

Cum clausula sublata, decreto irritanti, & derogationibus opportunis.

Clemens VII. Rotam Perusinam erexit.

Perusin., & Tribunalis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 30. Januarii MDCCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

F. Oliverius.

XXVI.

INDULTUM

Pro Militibus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani annuam navigationem contra Infideles suscipientibus, ut eâ occasione in bellicis ipsorum navibus Missam celebrari facere possint tranquillo mari, cœloque sereno, & cum assistentia alterius Sacerdotis, seu Diaconi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Franciscus de Marevil Frater Miles Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, aliique Præfecti, seu Capitanei Navium bellicarum, ac Fratres Milites ejusdem Hospitalis, quod cum aliàs fæl. rec. Pius IV., & Sixtus V. Romani Pontifices Prædecessores nostri Fratribus Militibus dicti Hospitalis privilegium utendi in terrâ Altari portatili in navigationibus, quas ipsi singulis annis contra Infideles suscipere solent, concesserint, prædictum verò privilegium eis inutile reddatur, eo quia magnæ Naves, quibus dictos Infideles de præsenti insequuntur, in alto mari navigant, ac rarissimè terram attingunt: ipsi Exponentes ad consulendum spirituali consolationi Navigantium, & ad tollendam omnem controversiam, quæ super alio Indulto hac in re per rec. mem. Innocentium Papam VIII. Prædecessorem pariter nostrum die 28. Aprilis 1485. (ut asseritur) concesso, oriri posset, facultatem celebrari faciendi Missam in Navibus hujusmodi, in quibus, cum magni ponderis, & firmæ structuræ existant, & quælibet ipsarum quinquaginta, & ultra tormenta ænea bellica sustineat, nullum in celebratione Missæ inconveniens enasci potest, sibi à Nobis concedi plurimùm desiderant. Nobis propterea prædicti Exponentes, ac etiam Dilectus Filius Raymundus de Perellos, & Roccafull Magnus Magister memorati Hospitalis, humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur piis ejusdem Raymundi Magni Magistri votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, dictosque Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridendini Interpretum consilio, ejusdem Exponentibus, & pro tempore existentibus Fratribus Militibus Hospitalis prædicti petitam facultatem celebrari faciendi Missam in supradictis magnis Navibus occasione dictæ navigationis, dummodò Naves hujusmodi enunciatæ qualitatis sint, ac celebratio Missæ, eo dumtaxat tempore, quo mare tranquillum, & cœlum serenum reperiatur, & cum assistentiâ alterius Sacerdotis, seu Diaconi fiat, itaut periculum effusionis sanguinis in dictâ celebratione minimè adsit, authoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus; Salvâ tamen semper in præmissis authoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Martii MDCCVI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

F. Oliverius.

XXVII.

ERECTIO

Computistariarum Locorum Montium.

CLEMENS PAPA XI.

MOtu proprio &c. Aliàs à fælicis recordationis Paulo Papa V. Prædecessore Nostro emanavit Motus proprius tenoris, qui sequitur, videlicet: Paulus Papa V. Motu proprio &c. Cùm Romani Pontifices Prædecessores Nostri, & forsan Nos ex justis causis in Montium erectionibus, & institutionibus Officia Secretariatus videlicet, & Computistariarum pro uno Secretario, seu Computista idoneo, qui rationem administrationis bonorum, & fructuum Montium hujusmodi tenere, & de eis, quæ ad loca Montium, & eorum possessores ea in parte spectant, notam sumere, ac patentes literas super eorum concessionibus expedire, aliaque munia respectivè obire debeant, Apostolicâ authoritate erexerint, & instituerint, seu erexerimus, & instituerimus, officia verò hujusmodi, sicut accepimus, nonnulli tanquam per successionem Parentum, & Antenatorum suorum ad se spectantia, alii in vim assertarum deputationum nulliter factarum, ac venditionum ab eorum occupatoribus similiter factarum, alii per modum provisionis, & tacitè, alii etiam nullo titulo occupata detineant, illaque ad eorum libitum in aliorum, quam nostris manibus, ac etiam coram solis Notario, & Testibus resignare, & vendere præsumpserint, Sede Apostolica desuper inconsultâ, in præjudicium jurium dictæ Sedis, & Cameræ Apostolicæ. Nos igitur, ne de cætero officia hujusmodi Personis minus idoneis conferantur, providere, & cum plurimum intersit Cameræ prædictæ, ut ejus bonorum, & proventuum per Ministros idoneos, & peritos, quantum fieri potest, ratio habeatur, indemnitati Sedis, & Cameræ prædictarum consulere volentes, Motu proprio simili, & ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præsentium tenore omnia, & singula Officia Secretariarum, & Computistariarum Montium tam vacabilium, quàm non vacabilium de Urbe, sic ut præfertur, erecta, & instituta, quorum concessio, & assignatio, & quælibet alia dispositio ad Nos, & Sedem prædictam spectare, & pertinere dignoscitur, & de quibus per Nos, aut Romanos Pontifices Prædecessores nostros specialiter dispositum hactenus non fuit, à primæva eorum erectione, & institutione vacare, & vacavisse declaramus, & decernimus: Ea verò, quæ in erectionibus

Motus proprius Pauli V. quoad Secretarias, & Computistarias Montium.

Quas in Officia vacabilia, & resignabilia erexit.

Montium hujusmodi, seu alias erecta non fuerunt, ex nunc, prout ex tunc in Officia vacabilia, & resignabilia ad instar aliorum Romanæ Curiæ Officiorum Apostolica auctoritate tenore præsentium erigimus perpetuò, & instituimus, eisque sic erectis, & institutis, omnes, & singulos honores, salaria, & emolumenta solita, & quæ hactenus dictorum Officiorum detentores, licitè tamen, perceperunt pro illa obtinentium substentatione etiam perpetuò applicamus, & appropriamus. Decernentes nullum præter Nos, & Romanos Pontifices pro tempore existentes de Officiis prædictis disponere potuisse, sivè posse, illaque tam primâ vice à primævâ erectione, seu institutione hujusmodi, ut præfertur, vacantia, quàm etiam cum primum per cessum, vel decessum, aut resignationem, privationem, vel quamvis aliam amissionem illa obtinentium, seu aliàs quomodolibet vacare contigerit, per Nos, & Romanos Pontifices pro tempore existentes dumtaxat per viam supplicationis in Dataria nostra ad instar aliorum Officiorum vacabilium dictæ Curiæ concedi, & resignari debere, & si quis ex eorum Officiorum detentoribus, idoneitate sibi suffragante, illud, vel illa, quæ detinet, aut aliquod aliorum assequi intendat, supplicationem super illius, vel illorum concessione in dicta Dataria infrà semestre proximum omninò expedire teneatur; alioquin ab eorum exercitio amotus, & illis perpetuò privatus censeatur eo ipso, & ab illo, vel illis penitùs abstineat, præsentemque nostrum Motum proprium, & literas forsan desuper conficiendas ex quacumque causa, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, vel annullari posse, sed valida, & efficacia existere, suosque effectus sortiri debere, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, vel Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio &c., etiam consistorialiter, ac cum datæ præsentium expressa mentione, ac sub quibuscumque tenoribus, & formis, nec non cum quibusvis clausulis pro tempore factis, & concessis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, nec non quoties illas revocari, vel limitari, aut suspendi, seu eis derogari contigerit toties in pristinum statum etiam sub priori datâ restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, & de novo concessas esse, & censeri. Sicque per quoscumque Judices &c. etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublatâ, &c. judicari &c. debere, irritumque &c. non obstante regula nostrâ de non tollendo jure quæsito, quatenus opus sit, nec non Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Collegiorum, & Officiorum hujusmodi, ac Montium erectionibus, & institutionibus, si in aliquo obstent, eorumque statutis, privilegiis, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam motu proprio, aut consistorialiter concessis, quibus omnibus &c. eorum tenores &c. etiam si de illis &c. hac vice specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis. Fiat Motu proprio C. Et de erectione institutione, applicatione, singulis decretis derogatione, aliisque præmissis, ut supra latissimè extenden.; Et quod præsentis Motus proprii sola signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra illud, regulâ contrariâ quâcumque non obstante. Per præsentes autem non intendimus alicui Officiali, Collegio, seu cuicumque personæ, cui expressim facultas disponendi de dictis Officiis, vel eorum aliquo per Nos, vel Antecessores nostros forsan concessa fuit, in aliquo præjudicare, sed illis, & cuilibet eorum sua jura intacta, & illæsa remaneant. Fiat C. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem pridie idus Julii anno decimo quarto. Et subinde piæ memoriæ Alexander VII. pariter Prædecessor noster Montes Restauratos primæ, secundæ, & tertiæ erectionis instituendo, Computistarias eorumdem locorum Montium in Officia vendibilia, & per obitum eorum, qui illa obtinuerint, vacatura erexit, voluitque per Datariam Apostolicam ad instar aliorum Officiorum Romanæ Curiæ conferri, Personis tamen per Thesaurarium Generalem pro tempore existentem quoad peritiam approbandis, seu commendandis, prout in diversis literis itidem motu proprio expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis habemus, fusius continetur. Cùm autem Urbanus VIII., Innocentius XI., & alii forsan Pontifices Prædecessores nostri diversas alias Montium erectiones fecerint, atque instituerint, in quibus de Officiis Computistariarum hujusmodi, aut diversimodè dispositum fuit, aut non ita clarè in Officia vacabilia erecta fuerunt; Hinc est, quod inter Datariæ nostræ Administros, & Dilectum Filium Thesaurarium Generalem nostrum exortum est dubium super modo, & formâ concedendi, & expediendi Computistarias prædictas; cui dubitationi, ne cleri negociorum expeditioni impedimento esset, pro posse, sicuti tenemur, providere volentes, illius cognitionem, discussionem, & resolutionem Venerabilis Fratris Prodatarii nostri, & nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum particulari Congregationi prout de jure demandavimus, & à Congregatione prædicta, fundamentis utriusque in voce, & in scriptis deductis accuratè discussis, sub diebus 16. Martii 1705., & 10. Februarii 1706. declaratum, & resolutum fuit, providendum esse de omnibus Officiis Computistariarum per organum Datariæ, Personis tamen approbandis per Thesaurarios pro tempore, quam declarationem, & resolutionem subinde ad Nos relatam sub die 11. ejusdem mensis Februarii approbavimus, & executioni jussimus demandari; Ne autem materia hæc plenè discussa, & resoluta imposterum revocetur in controversiam, omnes Montium institutiones per Prædecessores nostros factas, & illarum tenores, ac datas præsentibus pro expressis habentes, ac Pauli, & Alexandri prædictorum, & forsan aliorum Pontificum Prædecessorum vestigiis inhærentes motu pari omnes, & singulas locorum Montium tam erectorum, quàm fortassè imposterum erigendorum Computistarias in Officia vacabilia, vendibilia, & resignabilia, quatenus opus sit, de novo erigimus, & instituimus, & pro erectis, & institutis, tanquam in primæva dictorum Montium fundatione haberi volumus, & decernimus. Statuentes, quod Computistariarum Officia sic erecta perpetuis futuris temporibus per Nos, & Romanos Pontifices pro tempore existentes dumtaxat per viam supplicationis in Dataria nostrâ, & per organum ejusdem expedienda ad instar aliorum Officiorum dictæ Curiæ, Personis tamen approbandis per Thesaurarios pro tempore, solutis tamen, ultra pretium pro compositione in concessione, seu resignatione singularum Computistariarum locorum Montium per prædictos Prædecessores nostros jam erectorum, & institutorum octo quoad Sancti Petri nunc a prima usque ad nonam erectionem inclusivè, ultra emolumenta Monti Datariæ nostræ debita, ac aliis octo quoad prædictos Restauratos, & Novennales, ac Fidei, comprehensis ejusdem Montis Datariæ emolumentis, ac quoad Communitatis

Ac in Dataria perpetuò resignari, & expediri debere decrevit.

Cum clausula sublata, & decreto irritanti.

Alexander VII. Computistarias Montium restauratorum in officia vacabilia, & venalia erexit.

Urbanus VII. & alii Pontifices de similibus Officiis diversimodè disposuerunt.

Ortâ quæstione de modo, & forma expediendi similes Computistarias, Pontifex eam definiendam commisit particulari Congregationi.

Quæ censuit de ejusmodi Officiis providendum esse per organum Datariæ Personis tamen approbandis per Thesaurarium generalem.

Pontifex ejusmodi resolutionem confirmat.

ac Religionis vacabilis, comprehensis similiter emolumentis Montis Datariæ hujusmodi, necnon quoad Sancti Pauli Religionis respectivè Montes ducatis duobus auri de Camera, computatis emolumentis prædicti Montis Datariæ, seu aliàs soluta compositione arbitrio dicti Prodatarii nostri, & illius pro tempore Successorum, juxtà qualitatem locorum in singulo Monte existentium concedi, & resignari debeant. Mandantes propterea, ut si quis Computistariarum Officium, seu Officia sine titulo per organum Datariæ expedito quocumque modo nunc detineat, supplicationem super illius, seu illorum concessione in Datariâ nostra infra tres menses proximos, prævia prædicti Thesaurarii approbatione, omninò expedire teneatur, alioquin ab exercitio amotus, & Officia Computistariarum hujusmodi vacare eo ipso censeantur. Decernentes præsentem nostrum Motum proprium, ac literas forsan desuper conficiendas, & in eis contenta ex quacunque causâ nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, retractari, vel annullari posse, sed semper valida, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, vel Constitutiones Apostolicas, seu Cancellariæ Apostolicæ regulas, etiam per Nos, & Successores nostros, etiam motu proprio, etiam consistorialiter, ac cum datæ præsentium expressâ mentione, & sub quibuscumque tenoribus, & formis, necnon cum quibusvis clausulis, & decretis pro tempore factis, & concessis, seu concedendis comprehendi, sed semper ab illis excepta, necnon quoties illa revocari, seu limitari, vel suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum. & eum, in quo antea erant, statum & sub priori datâ restituta, reposita, & plenariè reintegrata, ac de novo concessa esse, & censeri, sicque, & non aliàs per quoscumque Judices &c. etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublatâ &c. judicari &c. debere, irritumque &c. decernere, non obstantibus per prædictos Prædecessores nostros in erectionibus supradictorum Montium aliter, seu in contrarium dispositis, ac regulâ nostrâ de jure quæsito non tollendo, quatenus opus sit, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam motu proprio, aut consistorialiter concessis &c., quibus omnibus &c., eorum tenores &c., etiamsi de illis &c., hac vice specialiter, & expressè motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Eique inhærendo mandat, omnes Montium Computistarias expediri per Datariam Personisâ Thesaurario approbandis, soluta certa pecuniarum quantitate.

Clausula sublata cum decreto irritanti.

Fiat Motu proprio J. F.

Et quod erectionum Montium hujusmodi tenores etiam veriores habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis; & de perpetuis erectione, institutione, cognitione, discussione, resolutione, approbatione, executione, voluntate, decreto, statuto, mandato, derogatione, aliisque præmissis, quæ hic pro sufficienter, & ad partem repetitis habeantur, ac aliàs, prout supra, in literis latissimè extensi; Et cum decreto, quod sola præsentis nostri Motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra, regulâ quacumque contrariâ non obstante, seu, si videbitur, literas desuper, etiam per viam de Curiâ, quandocunque expediri. Et cum alio decreto, quod moderni Computistæ, qui deindè post acquisitum officium habuerunt alios Montes additos, non teneantur ad augmentum pretii pro additionibus hucusque factis; Illi verò, qui nullo modo pretium persolverunt, illud omninò solvere teneantur Datariæ Apostolicæ ad rationem bononenorum, seu bajoccorum duorum cum dimidio pro quolibet loco. Datum Romæ apud S. Petrum sexto Idus Aprilis Anno VI.

Fiat J. F.

J. Pro-Datarius.

Die, mense, & Anno, quibus supra, supradictus Motus proprius affixus, & publicatus fuit in Acie Campi Floræ, ac Curia Innocentiana Montis Citatorii, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nicolaum Vasellum SS. D. N. Papæ Curs.

Joseph Batialis Magister Cursorum.

JUBILEUM UNIVERSALE. XXVIII.

Ad implorandam divinam opem pro pace inter Principes Christianos, & aliis præsentibus Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

EX eminenti Principis Apostolorum Sede, in quâ per ineffabilem Divinæ suæ bonitatis abundantiam, meritis licèt imparibus, collocare Nos voluit Altissimus, terrarum Orbem universum, nostras videlicet curas, solicitè circumspicientibus Nobis, miserior in dies, semperque luctuosior se offert Christianæ Reipublicæ facies. Cum gravissimo siquidem, ac verè lachrymabili totius penè Europæ incendio Christiani Principes inter se decertantes (quæ olim extrema minatus est Deus inimicis nostris, atque iis, qui insurgunt adversus Nos) diuturno nimium, & sanè acerbissimo bello se invicem depascuntur, ac proprio sanguine, quasi musto, inebriantur. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur. Visitavit profectò Nos Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terram spatiosam. Ascendit fumus in irâ ejus, & ignis à facie ejus exarsit. Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. Sed nunquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Absit. Non enim oblivisciturmisereri Dominus, nec continet in irâ misericordias suas; sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate, effundet in Nos divitias misericordiæ suæ, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis humili confessione agnoscamus, dignosque pœnitentiæ fructus faciamus. Adeamus itaque cum fiducia ad thronum gratiæ, ac ne exprobrari Nobis audiamus propheticum illud: quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terrâ, ne dissiparem eam, & non inveni: & effudi super eos indignationem meam, obsecrationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus Divinam iram, acceptabili hoc Dominici Adventus tempore, placare studeamus, Regique pacifico, qui proximè venturus est, ut pacem annuntiet hominibus bonæ voluntatis, in

Exordium à continuatis Christianæ Reipublicæ calamitatibus ob acerbum inter Christianos Principes bellum.

Fideles hortatur, ut divinam indignationem placare contendant, & in divinam misericordiam fiduciam collocent.

novitate vitæ ambulantes humiliter occurramus. Suppliciter ab eo petamus, ut flagella, quibus nos corripit ad emendationem, clementer à nobis avertat, & qui castigat nos propter scelera nostra, ipse salvet nos propter misericordiam suam; potissimum verò eum deprecemur, quatenus septimo, quem nunc Divinâ favente clementiâ inimus, nostri Pontificatus anno faciat remissionem, ut verè sit Sabbatum terræ requietionis Domini, sublatisque dissidiis sedeat Christianus populus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ. Hæc autem ut ferventiori spiritus ardore, majorique fructu peragantur, ex prisco Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ more cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit divina dignatio, aperire, & largâ manu erogare decrevimus.

Solemnem Processionem indicit à Cappella Palatii Vaticani ad Basilicam Principis Apostolorum.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illâ ligandi, atque solvendi potestate, quàm Nobis Dominus, licèt indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui solemni processioni, quàm feria quinta proximæ hebdomadæ, quæ erit secunda Adventus, à Capellâ publicâ Palatii nostri Apostolici in Vaticano ad Basilicam Principis Apostolorum una cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino agemus, devotè interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, ejusdem Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proximè subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devotè, ut supra, Deum oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominicâ die immediatè sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam, reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ, decursurarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominicâ immediatè sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam Sanctissimâ Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primùm ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant.

Omnibus, qui eidem Processione interfuerint, vel Patriarchales Basilicas enunciatas visitaverint, & opera præscripta adimpleverint, plenissimam Indulgentiam in forma Jubilei elargitur.

Eamdem Indulgentiam extendit ad alios quoscumque fideles extra Urbem degentes.

Necnon ad navigantes, & iter agentes.

§. 2. Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, sæcularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Et Regulares utriusque sexus.

§. 3. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfatâ, quàm extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quâvis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant; & insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Licentiam tribuit eligendi Confessarium approbatum, cui facultatem concedit absolvendi à censuris, & casibus reservatis, & commutare vota, religionis, & castitatis exceptis.

§. 4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cùm præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla morâ, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam eisdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum Partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Ordinariis locorum præsentis Jubilei publicationem injungit.

Non intendit dispensare super irregularitate publica, vel occulta, nec facultatem tribuere super ea dispensandi, multoque minus absolvendi excommunicatos, suspensos, & interdictos palam denunciatos.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur,

Ampliſſimè derogat omnibus contrariis.

vatur, ut nec etiam ſimiles, vel diſſimiles indulgentiarum, & facultatum hujuſmodi conceſſiones, niſi de illis expreſſa mentio, aut ſpecialis derogatio fiat, cuiquam ſuffragari queant, necnon regula noſtra de non concedendis indulgentiis ad inſtar, ac quorumcunque Ordinum, & Congregationum, ſive Inſtitutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus, Congregationibus, & Inſtitutis, illorumque perſonis quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac formam in eis traditam pro ſervata habentes, hac vice ſpecialiter, nominatim, & expreſsè ad effectum præmiſſorum derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem præſentes noſtræ, quæ ad ſingula loca deferri non poſſunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus ut earundem præſentium tranſumptis, vel exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ubique locorum, & gentium eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die ſecunda Decembris MDCCVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D.N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo ſexto, Indictione XIV., *die verò* 3. *Decembris Pontificatus SS. D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ſexto ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Lateranenſis, Vaticanæ, & Lilerianæ, Cancellariæ Apoſtolicæ, Montis Citatorii, Aciei Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Sebaſtianum Vaſellum SS. D. N. P. P. Curſorem.*

Joannes Græcus Curſorum Magiſter.

Anno 1707. XXIX.

DECLARATIO

Nullitatis quamplurium decretorum, ordinationum, mandatorum, edictorum, aliorumque geſtorum in Ditione Ducis Sabaudiæ, tam ultra, quàm citra montes, libertati, immunitati, & juriſdictioni Eccleſiaſticæ, atque authoritati Apoſtolicæ præjudicialium, cum illorum damnatione, revocatione, & abolitione, ac inſuper cum decreto quod ii, qui illa perpetrarunt, eâque de causâ Eccleſiaſticas cenſuras Sedi Apoſtolicæ reſervatas incurrerunt, minimè propterea liberi cenſeantur ab obligatione geſta hujuſmodi etiam per ſeipſos revocandi, & abolendi, vel aliàs debitam eidem Sedi, & Eccleſiæ ſatisfactionem realiter exhibendi, ad hoc, ut abſolutionis beneficium obtinere valeant.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur ſeries plurium attentatorum, quæ tempore à me. Innocentii XII. in præjudicium Sanctæ Sedis, ac libertatis Eccleſiaſticæ geſſerunt Miniſtri Ducis Sabaudiæ.

ALiàs cum ad fel. record. Innocentii Papæ XII. Prædeceſſoris noſtri aures perveniſſet, plura per Miniſtros Dilecti Filii Nobilis Viri Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis, & Pedemontii Principis, ejuſque Magiſtratus Laicos, videlicet Delegatos ſuper conſervatione, ac reunione regeſtri, & ratificatione, contractuum nuncupatos, necnon Senatus Nicienſem, & Taurinenſem geſta fuiſſe, & attentata Sedis Apoſtolicæ authoritati, & Eccleſiaſticæ juriſdictioni, libertati, atque immunitati nedum contraria, ſed illarum læſiva, ac prorſus deſtructiva, necnon Generalibus Conciliis, & Sacris Canonibus, ac Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus penitus adverſantia: Inter alia verò eidem Innocentio Prædeceſſori innotuiſſet, quod prius, nempe die 18. Septembris 1697. præfati Delegati ſuper conſervatione, & reunione regeſtri, & ratificatione contractuum, edictum typis mandatum publicaverant, in quo inter cætera §. 6. continebatur præceptum Sindicis, Conſiliariis, Secretariis, ac aliis regimini; & gubernio Civitatum, Terrarum, & locorum ditionis ejuſdem Victorii Amedei Ducis pro tempore præpoſitis injunctum ſub certis inibi expreſſis pœnis, ne aliquod beneplacitum, vulgò: Placet: de cetero amplius concederent, ad hoc, ut quiſquam clericalem ſtatum aſſumeret, vel jam minoribus ordinibus initiatus ad ſacros ordines promoveri poſſet, minuſque ſuper quantitate patrimoniorum ſacrorum convenirent, niſi prius Officialem, Patrimonialem Generalem nuncupatum, certiorem facerent de inſtantiis, quas ſibi, & à quibus pro dicto beneplacito, ſeu placet obtinendo fieri contingeret, tranſmiſſa eidem informatione tam qualitatum, & capacitatis perſonarum, quàm numeri Parochialium Eccleſiarum in Civitatibus, terris, & locis prædictis exiſtentium, atque Eccleſiaſticorum celebrantium, & ad ſacros ordines promotorum nondum celebrantium, aliorumque Clericorum, qui in illis reperirentur, necnon numeri fratrum, & ſororum, & quantitatis bonorum Inſtantium, prout etiam, an parentes haberent, & an bona per illos poſſeſſa obnoxia eſſent alicui hypothecæ ad favorem Communitatum, ſeu Univerſitatum, civitatum, terrarum, & locorum hujuſmodi, ad hoc, ut dictus Patrimonialis opportunam relationem ipſis Delegatis facere valeret, & ab ipſis decerneretur, quid expedire conveniret circa ejuſdem Beneplaciti, ſeu Placet conceſſionem, ac Patrimoniorum conſtitutionem, juxta Eccleſiæ indigentiam, & Concilii Tridentini diſpoſitionem; Idem Innocentius Prædeceſſor Venerabili Fratri Archiepiſcopo Taurinen. mandavit, ut congruam moderationem, ſeu declarationem præfati edicti in partibus Eccleſiaſticæ libertati, & juriſdictioni præjudicialibus obtinere ſatageret; Quod ſanè ſpatio viginti ſeptem menſium fruſtra fuit ab ipſo omni ſtudio tentatum, donec tandem die 17. menſis Decembris 1699. renovata fuit ejuſdem edicti publicatio, addita declaratione, quod in edicto prius publicato fuerant demandatæ præfatæ diligentiæ, ad hoc, ut Patrimonialis generalis, ſupplendo negligentiam Officialium Communitatum, & Univerſitatum, poſſet ſecuriùs earum ſtatum Superioribus Eccleſiaſticis repræſentare, ut pro eorum prudentiâ, atque juſtitiâ, præjudicio, quod illis ex nimis aucto Eccleſiaſticorum numero reſultaſſet, remedium afferre poſſet, ipſum coercendo ad limites neceſſitatis, atque utilitatis Eccleſiarum, necnon patrimoniorum exceſſum ad formam Concilii Tridentini ſupradicti reducendo; Quâ tamen declaratione inſufficienti compertâ, poſtquam pro eâ obtinenda, quæ ſufficiens fuiſſet, inutiliter trium menſium ſpatio renovatæ fuerant inſtantiæ, fuit tandem per Archiepiſcopum prædictum die 20. Martii 1700. publicatum Edictum die 18. Septembris 1697., quo cautum fuit, ne beneplacitum pro aſſumentibus ſtatum clericalem, vel promovendis ad ſacros ordines amplius concederetur, niſi certa forma ſervata.

Renovatio ejuſdem Edicti ſecuta die 17. Decembris 1699. cum inſufficienti declaratione.

Edictum Archiepiſcopi Taurinenſis

declaratorium nullitatis utriusque precedentis Edicti.

tum, quo nulla declarata fuerunt ea, quæ per Delegatos præfatos prius edita, & promulgata fuerant in iis partibus, quas idem Archiepiscopus Ecclesiasticæ libertati, & jurisdictioni adversari, & eisdem læsionem inferre posse arbitratus fuit.

Edictum diei 12. Julii 1699. promulgatum in Civitate Hipporegiensi super recognitione Personarum Ecclesiasticarum ad effectum solutionis annui oneris *del Tasso* facienda per Laicos Ministros cum aliis ordinationibus.

§. 1. Cumque pariter ad ejusdem Innocentii Prædecessoris notitiam devenisset, quod die 12. Julii 1699. in Civitate Hypporegiensi fuerat authoritate laicali publicatum Edictum, quo Ministris publicis præcipiebatur, ut cum omni celeritate, ac diligentiâ recognoscerent omnes Personas Ecclesiasticas, Universitates, Corpora, atque Collegia, non concurrentia solutioni annui oneris *Tasso* nuncupati, pro bonis in Catastro descriptis, & ab ipsis possessis, ac similiter pias Confraternitates eadem bona detinentes, pro quibus nedum à prædicti, sed etiam aliorum onerum solutione eximebantur, ejusmodi verò recognitionem, & informationem transmitterent Delegatis generalibus super reunione, ac conservatione regestri, procedendo interim ad sequestrum super fructibus bonorum in Catastro descriptorum, absque ullâ personarum exceptione, cum aliis etiam dispositionibus, quibus læsa remanere poterat Ecclesiastica libertas, & jurisdictio. Ac præterea significatum fuisset Edicti præfati publicationem in aliis etiam Pedemontanæ ditionis Civitatibus factam fuisse, adeoque pro veriori rei habenda informatione scriptum fuisset omnibus illius Regionis Episcopis, ut super hoc referrent, & interim defensioni, atque conservationi Ecclesiasticæ libertatis incumberent: Habitâ ex ipsorum responsis notitiâ nedum dictæ publicationis nonnullis in locis sequutæ, sed quod varii, gravesque alii abusus in præjudicium Ecclesiasticæ immunitatis, atque jurisdictionis alicubi irrepserant, ultra particularia remedia juxta casuum exigentiam præscripta, generaliter à Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præposita, demandata fuit præfatis Episcopis publicatio contrarii edicti, qua Ecclesiæ jura sarta, & tecta servarentur, & novis, quæ in dies excrescere poterant, præjudiciis obviaretur, quod sanè per nonnullos Pedemontanæ ditionis Episcopos, prout in mandatis habuerant, peractum fuit. Verùm ejusmodi contrariorum edictorum publicationem, scilicet tam illam ab Archiepiscopo Taurinen. factam contra Edictum, sicut præmittitur, emanatum à Delegatis super conservatione, de reunione regestri die 18. Septembris 1697., & renovatum die 17. Decembris 1699., quàm aliam expresse demandatam à memoratâ Congregatione Cardinalium, & editam à tunc existente Episcopo Hypporegiensi, ac à nonnullis aliis Episcopis contra aliud edictum, ut præfertur, publicatum in dicta Civitate Hypporegiensi die 12. mensis Julii 1699. ægreferentes Delegati super conservatione, ac reunione regestri ad instantiam Patrimonialis generalis die 12. Maii anni 1700. novum ediderunt edictum, sive, ut aiunt, Rescriptum typis mandatum, & publicè affixum, in quo declararunt, esse non potuisse mentem ejusdem Archiepiscopi edicta prius ab ipsis promulgata irritare, & quatenus voluisset, id præstare non potuisse; nullum propterea, invalidum, ac irritum ipsius Archiepiscopi edictum declarando, ac insuper præcipiendo in omnibus, & per omnia suorum edictorum observantiam, non obstante illorum irritatione factâ per dictum Archiepiscopum, illum monendo, ne illorum executionem in posterum turbaret, sub pœnâ reductionis suorum bonorum temporalium, eodemque modo irritum declararunt aliud edictum per aliquos ex Episcopis, sicut præmittitur, promulgatum, similiter declarando mentem eorumdem esse non potuisse contrario edicto ipsorum jurisdictiones turbare, & quatenus voluissent, non potuisse id peragere, neque exactionem onerum certorum, ac solvi consuetorum à possidentibus bona in Catastro descripta, atque edictorum super hoc editorum executionem impedire; Ac propterea attentâ notorietate antiquæ possessionis eadem onera exigendi, in eâ conservandum esse Ducale Patrimonium, cum inhibitionibus opportunis, præcipiendo insuper eorumdem laicalium edictorum omnimodam observantiam sub pœnis quoad Laicos etiam corporalibus, & monendo Episcopos, ut abstinerent ab ulteriori perturbatione in concernentibus tam executionem edictorum quàm onerum exactionem sub pœna reductionis eorum bonorum temporalium. Non tulit profectò idem Innocentius Prædecessor inultam remanere tam gravem Ecclesiasticæ libertatis, atque Jurisdictionis læsionem, sed approbando Decretum à præfata Congregatione Cardinalium hac in re editum die 8. Junii dicti anni 1700. ejusdem executionem Archiepiscopo Taurinen., aliisque Episcopis injunxit; Tenor autem Decreti est, ut sequitur: *Archiepiscopo Taurinen., qui procedat, prout de Jure tam contra Delegatos, quàm Patrimonialem, & Fornerium pro publicatione Edicti emanati sub die 12. Maii, necnon contra omnes, qui executionem eidem Decreto præstiterint; communicetur Episcopis ordo datus Archiepiscopo, & injungatur eisdem, ut in casu publicationis præfati Edicti in eorum Diœcesibus procedant, prout de jure contra Affixores & Publicatores, & quatenus de eisdem non possit constare, procedant in genere, declarando incursos in censuras omnes, qui tale Edictum promulgaverint, vel eidem dederint executionem, & deinde procedant, prout de jure contra omnes, qui præfato edicto in eorum Diœcesibus dederint executionem.* Cumque dictus Archiepiscopus, in executionem mandati sibi injuncti, affigi jussisset Monitorium contra ipsos Delegatos, & Patrimonialem generalem, aliosque inibi expressos, & comprehensos, iisdem assignando terminum quindecim dierum ad comparendum, & dicendum causam quare declarari non deberent incursi in censuras, & pœnas à Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus comminatas, propter publicationem præfati Edicti editi die 12. Maii ejusdem anni, nedum per Curiæ laicalis Satellitum Præfectum, vulgò Baroncellum, Monitorium præfatum cum notorio contemptu defixum fuit, sed non expectato lapsu termini in eo assignanti per eosdem Delegatos ad instantiam ipsius Patrimonialis die 3. Augusti dicti anni 1700. editum, & successivè die 5. ejusdem mensis publicatum fuit novum Edictum, in quo præviâ declaratione assertæ notoriæ nullitatis, & injustitiæ Monitorii supradicti, eumdem Archiepiscopum, cum manifesto authoritatis excessu, monere ausi sunt, ut illud revocaret intra terminum duorum mensium, ac ab omni ulteriori processu abstineret sub pœnâ reductionis suorum bonorum temporalium, aliisque (ut erroneè assertum inibi fuit) de Jure, atque usu permissis; inhibendo insuper omnibus in Monitorio comprehensis, ne coram quocumque Judice Ecclesiastico in dicta causa comparerent sub pœnâ mortis naturalis. Ac sub eâdem datâ emanavit, atque typis mandatum & publicè affixum fuit simile Edictum Senatus Taurinen. ad instantiam Procuratoris generalis, declarans nullatenus per edicta dictorum Delegatorum fuisse læsam libertatem, ac jurisdictionem Ecclesiasticam, quinimò evidenter laicalem per Archiepiscopi, & aliorum Episcoporum Edicta fuisse violatam, ac propterea confirmans omnia per eosdem Delegatos, uti ad naturalem, & legitimam

Publicatio ejusdem Edicti in aliis Locis Ditionis Pedemontanæ.

Edicta supradictis contraria promulgata per nonnullos Episcopos.

Edictum diei 12. Maii anno 1700. quo Ministri irrita declararunt edicta Archiepiscopi, aliorumque præsulum cum aliis ordinationibus.

Decretum S. Congregationis Immunitatis approbatum à san. me. Innocentio XII., quo mandatum fuit, ut supradicti Prælati procedant contra Ministros, prout de Jure.

Affixio Monitorii facta ex parte Archiepiscopi pro declaratione incursus censurarum, illiusque defixio.

Edictum Ministrorum contra Archiepiscopum pro revocatione Monitorii aliisque provisionibus.

Edictum Senatus Taurinensis declarans per alia Ministrorum Edicta non fuisse læsam libertatem Ecclesiasticam cum monitione; ut revocaretur dictum Monitorium.

(quod non minus perperam prætensum fuit) defensionem gesta, monendo ipsum Archiepiscopum, ut pariter intra terminum duorum mensium revocaret, & à registris suæ Curiæ aboleret, & expungeret præfatum Monitorium, uti nullum, atque injustum, omnesque actus illud concernentes, ac insuper nullam in eo comprehensis molestiam inferret, nec ulteriùs turbaret jurisdictionem laicalem sub eâdem pœnâ reductionis suorum bonorum temporalium, & respectivè quoad laicos in Monitorio comprehensos, qui coram Tribunali Ecclesiastico comparuissent, mortis naturalis.

Abusus potestatis laicalis commissus à Senatu Nicien. in cognitione causæ exactionis fructuum Ecclesiæ Parochialis Rocasteronis vacantis, ad Cam. Apost. spectantium cum actis subsecutis.

§. 2. Grave etiam accidit eidem Innocentio Prædecessori non minùs Ecclesiasticæ libertati, quàm suæ, & Sedis Apostolicæ jurisdictioni inflictum vulnus per Senatum Nicien. assumendo scilicet cognitionem causæ ad instantiam Cajetani Albanelli provisi de Ecclesiâ Parochiali Loci Rocasteronis Glandeven. Diœcesis in Comitatu Nicien. sitâ, pro impediendâ exactione fructuum inexactorum dictæ Ecclesiæ ad Cameram Apostolicam pertinentium, super quibus ab eodem Senatu decretum fuit sequestrum cum eorum successivâ relaxatione ad favorem ipsius Cajetani, ac ulterius turbando Jurisdictionem Nunciaturæ Apostolicæ, ad quam juxta facultates eidem à Sede prædictâ tributas ejusmodi cognitio privativè spectabat, sicuti etiam ratione præventionis, intolerabili siquidem ausu, idem Senatus temerè mittens manus in messem alienam, sub prætextu assertæ notoriæ nullitatis sententiæ excommunicationis latæ contra præfatum Cajetanum in Tribunali ejusdem Nunciaturæ, ob recursum ab ipso factum ad Senatum in spretum jurisdictionis ipsius Nunciaturæ, prævia admissione appellationis interpositæ per Procuratorem Fiscalem mensæ Episcopalis Glandevensis, ac per Procuratorem Fiscalem Patrimonialem generalem, inhibuit ipsi Cajetano, ne coram alio Judice, præter Senatum, compareret, sub pœna reductionis bonorum, præcepitque Syndicis Universitatis dicti loci, & cuicumque Personæ, ne auderent eumdem impedire in libero exercitio Parochialis officii, quamvis à Tribunali Nunciaturæ fuisset, ut præfertur, nominatim excommunicatus, ob idque ex Ecclesiæ præcepto vitandus, & à divinorum nedum administratione, sed etiam participatione suspensus, atque submotus. Ac insuper idem Senatus contra Procuratorem Cameræ Apostolicæ, licèt notoriè exemptum, procedere ausus fuit, ipsum citando ad comparendum cum subsequutâ reductione bonorum tam Josephi Aude Advocati Cameræ prædicti, quàm Canonici cognominati Torrini tunc Subcollectoris Apostolici, in odium actuum ab ipsis gestorum, ut proprio muneri satisfacerent. Dum verò opportunæ reparationi per tunc existentem Episcopum Nicien. in executionem Decreti memoratæ Congregationis Cardinalium opera dabatur, nova emersit attentati species; Nam Ven. Frater Archiepiscopus Ebredunensis, tanquam Metropolitanus ex abrupto, nullâque judiciariâ formâ servatâ, sibique omninò incompetentem authoritatem cognoscendi de Juribus S. Sedis, & de gestis per illius Nuncium, absque dubio Superiorem suum, assumendo, & quod magis intolerabile est, sese supra ipsum extollendo, ad petitionem præfati Cajetani, licèt ante rejectam, & ad quos de jure à tunc existente Episcopo Glandevensi suo Ordinario, apud quem ille prius institerat, remissam temerè declaravit nunquam in Diœcesi Glandeven. spoliorum Jus usu fuisse receptum, eidem Cajetano, aliisque omnibus Ecclesiasticis suæ Metropolitanæ Jurisdictioni subjectis propterea inhibendo, ne dictum Jus spoliorum direc-

Declaratio Archiepiscopi Ebredunensis super asser. incompetentia Juris spoliorum favore Cam. Apost. in Diœcesi Glandeven. cum aliis ordinationibus.

tè, vel indirectè unquam recognoscerent; præterea nullam esse pronunciavit sententiam excommunicationis contra dictum Cajetanum latam à Tribunali Nunciaturæ, absolutionem eidem ad cautelam tribuendo, licitumque in dicta Provincia recursum ad Senatum in materiâ spoliorum, uti semper usitatum, asseruit. Cujus sanè ordinationis, tanquam notoriâ nullitate ob defectum Jurisdictionis in materiâ, de quâ agebatur, infectæ, nec minus Ecclesiasticæ immunitati adversantis, quàm jurium hujus Sanctæ Sedis manifestè læsivæ demandata fuit cassatio, revocatio, & annullatio tunc existentibus tam Nuncio Taurinen., quàm Prolegato Avenionen., prout ambo illam cum omnibus inde secutis cassarunt, revocarunt, & annullarunt; Sed cùm dictus Prolegatus affigi jussisset valvis Ecclesiæ dicti Loci Rocasteronis declarationem desuper ab eo editam, fuit carceribus mancipatus Cursor ad id peragendum transmissus, & in aliis plurium mensium spatio detentus, quousque fugâ sibi consuluit. Similiter nec potuit prædictus Episcopus Nicien. exequi mandata dictæ Congregationis Cardinalium procedendi, prout de Jure, contra Senatum, non repertis ob illius perhorrescentiam Ministris, vel Officialibus, qui eidem parere voluerint, ut ipse eidem Congregationi rescripsit.

Cassatio præmissorum facta per Nuncium Taurinensem, & Prolegatum Avenionensem cum attentatis subsecutis ex parte Secularis Potestatis.

§. 3. Nec minus temerarium extitit, quod ab eodem Nicien. Senatu attentatum fuit occasione prætensionis, quod Subditi ditioni temporali Comitatus Nicien., Ventimilien. Diœcesis, vigore assertorum privilegiorum, trahi non possent extra temporale dominium ejusdem Comitatus pro cognitione Causarum in prima instantia coram Episcopo peragenda. Ad hanc siquidem prætensionem confovendam, immemor idem Senatus, quod non licet laicali potestati in concernentia causarum spiritualium cognitionem sese ingere, ac multò minus Judici Ecclesiastico circa propriæ Jurisdictionis exercitium legem imponere, loco recurrendi, ut aliàs peractum fuerat, ad Sedem Apostolicam prædictam, ad quam unicè eorundem assertorum privilegiorum declaratio spectabat, publico Edicto die 26. Novembris 1697. edito, vetuit omnibus Subditis, ne pro ullâ causâ comparerent in Tribunali Episcopi Ventimilien. sub pœnâ privationis gratiæ Principis, eundemque Episcopum monuit, ut intra terminum viginti dierum deputaret Vicarium in parte suæ Diœcesis subditâ in temporalibus ditioni Nicien., cum facultate decidendi omnes causas, tam contentiosas, quàm gratiosas, sub pœnâ reductionis Bonorum à Mensa Episcopali possessorum, quorum fruitione deinde dictus Episcopus ob non factam petitam deputationem fuit per abusum potestatis laicalis violenter privatus: Præterea eodem anno 1697. idem Senatus Nicien. mandavit tunc existenti Vicario foraneo Loci Sospelli, ut cognosceret omnes causas, & illas, pro quibus ei defecisset authoritas, concessis testimonialibus, ad tunc pariter existentem Nuncium Taurinensem remitteret; Quocirca d. Episcopus, postquam spatio trium annorum plures, & sanè ferventissimas instantias, quamvis inutiliter, fecerat pro reintegratione suæ Mensæ, sui tandem muneris partes esse censuit, parendo etiam mandatis memoratæ Congregationis Cardinalium, quosdam Ministros laicos censuris innodatos declarare; ipse verò Senatus Nicien. in eam prorupit audaciam, ut ad arcam Domini non quidem erigendam, sustinendamque, quod adhuc severâ, ingentique adeò ultione fuisse à Deo punitum in sacris paginis legimus, sed ad illam deturbandam, prosternendamque sacrilegas manus extollere non erubuerit, ac inaudito forsan hactenus ausu, sanctissimæ Ecclesiæ

Edictum Senatus Nicien. promulgatum die 26. Novembris 1697., quo Subditi temporalis Ditionis Comitatus Nicien. prohibentur non obstan. asser. privilegiis comparere in Curia Episcopali Ventimilien. cum aliis attentatis subsecutis.

Declaratio incursus censurarum facta per Episcopum Ventimilien. contra quosdam Ministros laicos.

instituta, atque præcepta intervertere tentaverit: Cùm enim non minus providè, quàm salubriter Ecclesia jubeat Excommunicatos, velut igne, & aqua interdictos, & tanquam putrida membra Canonicæ severitatis mucrone abscissa, ne totum corpus inficiant, ab omnibus Christifidelibus esse vitandos, ipse Senatus publico, typisque tradito Edicto laicali jurisdictioni Subditis, mortis naturalis pœnâ contravenientibus impositâ, præcepit, ut cum illis commercium haberent. At cum pariter Ecclesiæ præcepto statutum sit, ut censuris irretiti à communione Fidelium, ac divinorum participatione arceantur, peculiari etiam impositâ pœnâ iis, qui illos ad spirituale consortium admitterent, Senatus itidem præfatus, quem hac re obsequendi potiùs manebat necessitas, quàm authoritas imperandi, solemniter edixit, atque omnes Ecclesiasticos monuit, ut eosdem Excommunicatos ad communionem in divinis reciperent, & Sacramentorum participes redderent, cum comminatione gravium pœnarum in casu contraventionis. Licèt autem Edictum hujusmodi in hac dumtaxat posteriori parte, seu clausula Ecclesiasticos, ut præfertur, tangente, ex speciali jussu supradicti Victorii Amedei Ducis revocatum fuerit, nihilominus cum in aliis omnibus ejus partibus expressè præservatum, adeòque confirmatum fuerit, nova potius per insufficientem, ac imperfectam ejusmodi revocationem Ecclesiæ læsio illata fuit, quàm prior reparata.

Alterum Edictum Senatus Nicienſis, quo mandatum fuit, ut omnes cum Excommunicatis converſarentur, & Eccleſiaſtici eos in divinis admitterent.

Zelus ſa. me. Clementis XI. pro emendatione ſupradictorum abuſuum.

§. 4. Hæc sanè omnia, quæ dum in humanis ageret memoratus Innocentius Prædecessor, contigerunt, ac Nobis, qui dum Cardinalatus honore fungebamur, Congregationibus, in quibus de rebus hisce actum fuit, pluries interfuimus, apprimè innotuerant, una cum aliis præsentium temporum facilè prævisis calamitatibus, mentis nostræ oculis obversata effecerunt, ut Nos ad Supremi Apostolatus apicem, non minus inviti, quàm immerentes vocati, totâ animi contentione graviſſimum hoc onus subire detrectaverimus; Verùm quia obsequi tandem debuimus divinæ vocis imperio, primas profectò pastoralis solicitudinis nostræ partes esse duximus lapidem omnem movere, ut Ecclesiasticæ libertatis Violatores ad cor redirent, & recogitantes flagella, quibus divina ultio ejusmodi criminum reos percutere consuevit, debitam Ecclesiæ satisfactionem exhiberent; Dum hæc tamen, omnibus adhibitis Apostolicæ longanimitatis, & paternæ benevolentiæ mediis agebamus, non sine maximo animi nostri mœrore accepimus, à præfato Senatu Nicienſi, mala malis accumulando, per suum Decretum die 19. Januarii 1701. editum, admissam fuisse appellationem pro parte Procuratoris Fiscalis generalis Ducalis interpositam à Decretis Curiæ Legationis Avenionen., & Tribunalis Nunciaturæ Taurinensis super circumscriptione, & cassatione sententiæ irregularis, ac totaliter incompetentis latæ per Curiam Archiepiscopalem Ebredunensem die 7. Maii 1700. in causâ superius relatâ dicti Cajetani Albanelli; Quo sanè Decreto typis impresso dictus Senatus eò temeritatis processit, ut declarationes tam Legationis, quàm Nunciaturæ præfatarum, tanquam nullas, & abusivas pronunciare, atque damnare non erubuerit. Novis hisce injuriis lacessiti patienter adhuc sustinuimus; Quinimò cum post elapsos quamplures terminos à Nobis assignatos ad præstandas necessarias, & frustra diù expectatas reparationes, Nobis exhibita fuisset instantia pro parte tunc existentis pro eodem Victorio Amedeo Duce apud Nos, & Sedem prædictam Residentis, ut aliquem ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deputaremus, cum quo de his rebus agere posset, quamvis omnia jam diù in dicta Congregatione Cardinalium maturè discussa, & Nobis quoque plerumque intervenientibus, & suffragantibus, supra relatæ resolutiones captæ, & partim etiam executioni demandatæ fuissent, eodem Innocentio Prædecessore ne dum approbante, sed jubente; Adhuc tamen, ut verè possemus dicere, quid ultra potui facere, & non feci? Dilecto Filio Nostro Sperello Tituli Sancti Joannis ante Portam Latinam ejusdem S. R. E. Presbytero Cardinali Sperello nuncupato commisimus, ut ea, quæ per dictum Residentem, ejusque Defensores deducerentur, audiret, & Nobis referret. Verùm post aliquos inter eosdem Sperellum Cardinalem, & Residentem hac in re habitos congressus contigit, ut dictus Residens re infectâ ab hac Urbe discesserit. Nova interim in dies in præfati Victorii Amedei Ducis ditionibus Ecclesiæ vulnera infligi acerbiori semper doloris sensu intelleximus; Ortâ scilicet jampridem, nempe anno 1698. controversia inter Mensam, & Curiam Episcopalem Augustanam Provinciæ Tharantasien. ex una, ac Canonicos Regulares Sancti Ægidii Loci de Verresio ex altera partibus, super Jure conferendi nonnullas Parochales Ecclesias, introductoque Judicio in Tribunali Nunciaturæ supradictæ, utrâque Parte consentiente, ac jura sua in eodem deducente, secutâ vacatione duarum ex dictis Ecclesiis, Procurator Fiscalis dictæ Curiæ Episcopalis Augustanæ causam deferre studuit ad Sabaudiæ Senatum, eidem exponendo, quod licèt Episcopus reperiretur in possessione dictas Ecclesias conferendi, fuerint tamen eidem per præfatos Canonicos Regulares illatæ molestiæ, cum præsentatione citationis cum inhibitione, ejusque executione; & quia per Tribunal Nunciaturæ dictis Canonicis Regularibus decreta fuerat manutentio, dictus Promotor Fiscalis ad eumdem Senatum appellaverat, à quo citationem nedum contra ipsos, sed etiam contra Judicem Ecclesiasticum obtinuit; Ac tandem comparere coactis eisdem Canonicis Regularibus coram dicto Senatu, prodiit Sententia, per quam revocata fuit præcedens, tanquam (ut malè prætensum fuit) nulliter, & abusivè per Tribunal Nunciaturæ lata, simulque omnibus Ecclesiasticis, & aliis prohibitum fuit sub pœnâ nullitatis, ac scrutorum mille auri, aliisque, ne ad dictum Tribunal causas deferrent; Et hæc quidem sententia in Civitate Augustana ad sonum tubæ publicata fuit die 10. Maii anni 1701. Gravia profectò fuerunt hæc, & mucrone Canonicæ severitatis resecanda: Unde contra ea clamare non cessavimus, ita Domino Nos per Prophetam admonente, ac Apostolici muneris debito exigente, ne veluti canes muti non valentes latrare, ac lupos gregem Dominicum devastantes arcere negligentes corriperemur, & spiritualis interitus ovium Nobis à Domino commissarum rei evaderemus. Verùm præfati Senatus, aliique laicæ Jurisdictionis Ministri, atque Officiales, veluti aspides surdi, & aures suas obturantes, ne vocem venefici incantantis sapienter audirent, adhuc in sua malitiâ perseverantes, & obdurati, nec paternis exhortationibus nostris, nec minis flecti potuerunt, ut animarum suarum saluti consulerent, & Ecclesiæ, quàm toties, & tam graviter læserant, satisfacerent; Quin potius hæc inter novum aliæ Ecclesiasticæ libertati, & Sedis Apostolicæ authoritati vulnus inflictum fuit, dum ex abrupto, quâcumque ejusdem Sedis reverentiâ postpositâ, Dilectus Filius Alexander Codebo jampridem Auditor Nunciaturæ præfatæ, tuncque illam in Civitate Taurinensi nomine nostro administrans, ab omnibus ipsius Victorii Amedei

Commiſſio data cla. me. Card. Sperello, ut in præmiſſis ageret cum Miniſtro Ducis Sabaudiæ.

Appellatio interpoſita per Promotorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis Auguſtanæ à Decreto Tribunalis Nunciaturæ ad Senatum Sabaudiæ in cauſa Menſæ Epiſcopalis, & quoſdam Regulares.

Sententia dicti Senatus revocatoria Judicati Nunciaturæ cum prohibitione amplius deferendi cauſam ad dictum Tribunal.

Decretum ſupradicti Senatus diei 19. Januarii 1701. pro admiſſione appellationis à Decretis Prolegati Avenion., & Nuncii Taurinen.

Dimiſſio Auditoris Nunciaturæ è Civitate Taurini.

dei Ducis eo tempore à dicta Civitate abſentis, dominiis, in manifeſtum tam Clericalis Ordinis, quàm Muneris, quod de mandato noſtro exercebat, contemptum dimiſſus fuit, aſſignato eidem brevi duorum dierum termino pro diſceſſu à Civitate præfatâ; & quatuor ab universâ dicti Victorii Amedei Ducis ditione, ne quidem illi permiſsâ facultate Nos de hoc ſibi injuncto diſcedendi præcepto per Curſorem citatis equis tranſmittendum certiores reddendi, noſtrumque deſuper reſponſum expectandi, itaut in locum Tilliolarum nuncupatum, huic Sanctæ Sedi etiam in temporalibus ſubjectum ſe recipere coactus fuerit.

Diligentiæ adhibitæ, ut præfati Senatus, & Miniſtri Laici Eccleſiæ ſatisfacerent: & Breve à ſan. me. Clemente XI. Duci Sabaudiæ conſcriptum pro conſequenda emendatione præmiſſorum quod tamen effectu caruit

§. 5. His omnibus maturâ deliberatione perpenſis, & implorato prius divino præſidio, die 7. Februarii 1702. ſuper præmiſſis omnibus dictæ Congregationis Cardinalium, qui rem totam diligenter, ac maturè coram Nobis diſcuſſerunt, vota exquiſivimus, iiſque auditis, novum aliud paternæ noſtræ longanimitatis experimentum facere decrevimus; ac proindè noſtras in formâ Brevis expeditas literas ſupradicto Victorio Amedeo Duci conſcripſimus, in quibus acerbiſſimum cordis noſtri dolorem ob ea, quæ ab illius Magiſtratibus adversùs Eccleſiaſticam libertatem, Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam, debitamque huic Sanctæ Sedi obſervantiam attentata fuerunt, fusè explicavimus, eumque propterea admonuimus, rogavimus, atque obſecravimus, ut per egregiam, & ad magna quæque, ac præclara propenſam, quam ſortitus fuerat, animi indolem, per uberem erga ipſum, ejuſque Domum divinæ beneficentiæ fontem, per veterem denique, & conſtantem noſtram in ipſum voluntatem, auferret tandem malum de domo Iſrael, omnique morâ poſtpoſitâ, quæ injuſtè acta fuerant, celeri, & magnanimâ retractatione revocaret, Eccleſiæ priſtinam dignitatem, & læſa Jura reſtitueret, Noſque ipſos à tam gravi, qua angebamur, ſolicitudine liberaret. Neque enim alias tot, tantaque mala, quibus Eccleſiæ authoritas lædebatur, ſacrorum Canonum norma contemnebatur, & ipſa Beati Petri Sedes injuria afficiebatur, traditæque à Domino claves impetebantur, diutius, abſque animæ noſtræ periculo, divinæque indignationis incurſu diſſimulare valebamus. Porrò has ipſas literas tunc in humanis agenti bo. me. Carolo, dum vixit, S. R. E. Cardinali Barberino nuncupato, quem eidem Victorio Amedeo Duci ob præclaras; & nunquam ſatis laudatas ejus animi dotes ſummoperè acceptum eſſe noveramus, conſignavimus, ut illas ipſi Victorio Amedeo Duci, quàm celeriùs fieri poterat, tranſmitti, ſimulque rem totam ad ipſum ſincerè deferri curaret, non dubitantes, quin eà diligenter perſpectâ, ex ipsâ, qua præſtat, animi magnitudine omnia perperam geſta protinus emendaret; Verùm non modo conceptâ hac ſpe fruſtrari Nos vidimus, ſed alia, & quidem non minus gravia præfatæ Sedis juriſdictioni, & libertati Eccleſiaſticæ in illis partibus præjudicia in dies inferri percepimus.

Edictum ſupradicti Ducis publicatum die 3. Maii anni 1703. ſuper executione, ac interpretatione alterius lati an. 1563. Eccleſiaſticæ libertatis læſivi cum certis proviſionibus.

§. 6. Etenim die tertiâ Maii 1702. nomine ipſum Victorii Amedei Ducis publicatum fuit Edictum in executionem, ac interpretationem, ſive ampliationem, ut in eo aſſerebatur, alterius Edicti ab ejus Tritavo lati anno 1563., cujus tamen longæva abeò inobſervantia ſatis illud viribus carere monſtraverat; in quo quidem numero Edicto plura continebantur circa ſucceſſionem Perſonarum, & Communitatum Regularium & circa dotes Monialium, Eccleſiaſticæ juriſdictionis uſurpationem manifeſte præſeferentia, ejuſdemque libertatis ſummoperè læſiva: declarando ſcilicet omnes Religioſos utriuſque ſexus cujuſvis Ordinis in Regionibus ultramontanis ipſius Victorii Amedei Ducis temporali dominio ſubjectis degentes, etiam Societatis JESU, atque Ordinis Militaris S. Joannis Hieroſolymitani, poſt emiſſam profeſſionem ſive expreſſam, ſive tacitam, per vota ſolemnia, vel ſimplicia, civiliter mortuos, & incapaces teſtandi, ac de propriis bonis diſponendi, tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem, ac generaliter quoque incapaces omnium effectum, ac actuum civilium, & ullas recipiendi, aut colligendi ſucceſſiones tam præteritas, quàm futuras; ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, eaſdem propterea deferendo proximioribus Conſanguineis Jure ordinario ſucceſſivo; quodque per profeſſionem votorum ſolemnium, vel ſimplicium expreſſam, ſaut tacitam, purificatæ cenſerentur omnes ſubſtitutiones, perinde ac ſi Religioſi præfati naturaliter defuncti fuiſſent, relictâ ſolùm ipſis facultate recipiendi annuam penſionem vitalitiam convenientem, titulo ſumptus, & alimentorum, ſicut Senatus æquum judicaſſet; Ac inſuper earundem ſucceſſionum incapaces declarando dictum Ordinem, & Religionem Sancti Joannis Hieroſolymitani, & omnes alios Ordines, & Religioſas Communitates, Societates, Conventus Eccleſiaſticos, Regulares, & Seculares, & Militares, ſicut etiam Collegia Cathedralium, Collegiatarum, & alias omnes Societates Eccleſiaſticas, Regulares, & Seculares per diſpoſitiones titulo univerſali, per teſtamentum, codicillos, aut donationem causâ mortis, & etiam per donationem inter vivos, & titulo particularis legati, præter unam ſextam partem ſuppellectilium dictorum Donantium, aut Teſtatorum, etiam ex cauſa ingreſſus in dictas Religiones, Monaſteria, Societates, & Conventus, exceptis Hoſpitalibus, & Ordine Militari Sanctorum Mauritii, & Lazari. Præterea in eodem Edicto additum fuit, quod Religioſi utriuſque ſexus, qui per ſex annos habitum regularem cujuſcumque Ordinis detuliſſent, numerando ſexennium à die ſuſcepti habitus regularis hujuſmodi quoad eos, qui illum poſt expletum decimum ſextum ſuæ ætatis annum ſuſceperunt: quoad alios verò qui illum ante dictam ætatem ſuſceperunt, à fine dicti decimi ſexti anni, etiamſi nullum feciſſent votum, vel tantùm vota ſimplicia, cenſerentur mortui civiliter, & privati omni jure civili, tam pro caſibus præteritis, quàm futuris, ipſos quoque privatos declarando facultate poſſidendi propria ſua bona, quovis tandem prætextu depoſuiſſent, vel deponerent habitum regularem in futurum, quibus tamen adjudicari poſſet à Senatu aliqua proviſio alimentaris de bonis Parentum, vel Religionis, à quâ egreſſi fuiſſent, prout dictus Senatus æquum judicaſſet, facultatem reclamandi ad ſexennium, ut ſupra, computandum, citatis intereſſe habentibus reſtringendo: ita quod, non obtentâ ultimis duobus annis declaratione nullitatis, reclamationes amplius non attenderentur; Circa verò receptiones Religioſorum utriuſque pariter ſexus, in eodem edicto diſpoſitum, & declaratum fuit, quod Domus, Conventus, Societates, aut Monaſteria, cùm reciperent aliquos Religioſos, nihil poſſent acceptare quovis prætextu ſumptuum, ingreſſus in Religionem, novitiatus, ſuppellectilium, veſtium, fundationum, & aliorum, niſi mille florenos illarum partium; liberum tamen eſſet dictis Religioſis ſibi reſervare ex eorum bonis penſionem quinquaginta florenorum ſimilium, quæ penſio extendi poſſet ad ſummam ducentorum florenorum, ratione ſtudiorum tantùm, & hoc per decennium à die profeſſionis; Et quoad Religioſas, & Moniales, Monaſteria, in quæ ingreſſæ fuiſſent, acceptare nihil poſſent

quovis

quovis prætextu ſumptuum, ingreſſus in Religionem, novitiatus, dotis, ſupellectilium, veſtium, fundationum, aut aliorum, niſi ſummam pro qualitate locorum in præfato edicto taxatam, impoſitâ contravenientibus certâ pœnâ pauperibus applicandâ, ex bonis temporalibus Monaſteriorum, & Regularium Communitatum ſumendâ. Poſtremò in eodem edicto ſancitum fuit, quod hæc omnia effectum haberent retroactivum quoad ſucceſſiones, aliaſque res delatas præfatis Communitatibus, quæ, ut præfertur, incapaces declaratæ fuerant quidquam conſequendi, quod illis fuiſſet delatum per actus ultimæ voluntatis, exceptis tamen rebus, quæ eiſdem Communitatibus per ſententiam jam fuiſſent adjudicatæ, & hoc quidem edictum verificatum, atque, ut dicitur, per Senatum Sabaudiæ interinatum fuit die 17. Aprilis 1703. inhærendo præcepto deſuper in ejus calce ſpecialiter inſerto, licèt quoad clauſulam retroactivam, & bona à Communitatibus ſupradictis pacificè poſſeſſa, fuerit ab eodem Senatu modificatum. Porrò ambigi nequit, quin omnia in illo diſpoſita manifeſtam Eccleſiaſticæ poteſtatis, & authoritatis uſurpationem, ejuſdemque libertatis violationem præſeferant, nullatenus tolerabilem. Quamvis verò incertus ad Nos pervenerit rumor ſuſpenſam ſubinde fuiſſe præfati edicti executionem, nihilominus, præterquamquod nullum hactenus ſuſpenſionis hujuſmodi certum accepimus documentum, nemo non intelligit ſolam ſuſpenſionem minimè ſufficientem fuiſſe ad præmiſſam graviſſimam læſionem tollendam.

Exponitur publicatio.

§. 7. Præterea cùm ad retundendas graves, & frequentes moleſtias, quas Ducales Miniſtri ſubditis, & feudatariis hujus Sanctæ Sedis Locorum Montaſiæ, Ciſternæ, & Cortanſæ non ſine manifeſto directi, & ſupremi dominii ad Nos, & ad eamdem Sedem in prædictis locis unicè, & privativè ſpectantis, pridem intulerant, novaſque, quas illis inferre præfati Miniſtri minabantur, inſtante Dilecto Filio Commiſſario Generali Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, per Dilectum Filium Noſtrum Joannem Baptiſtam S. R. E. Cardinalem Spinulam nuncupatum, ejuſdem S. R. E. Camerarium, die 8. Auguſti 1702. expeditum atque tranſmiſſum, & eorumdem feudorum Syndicis præſentatum, necnon Feudatariis eo, quo licuit, modo intimatum fuiſſet monitorium; quo diſtrictè prohibebatur, ne alium Supremum Dominum, præter Sedem Apoſtolicam, & Romanam Eccleſiam recognoſcere auderent, fuit ad ſimilem Patrimonialis Ducalis requiſitionem menſe Septembris 1702. per Cameram, quam vocant Computorum aliud publicatum, & reſpectivè intimatum Edictum, ſeu Decretum, quo, prævia declaratione nullitatis, & invaliditatis ejuſdem monitorii, tam ipſis Feudatariis, qui eatenùs Sedem, ejuſque ſupremam authoritatem conſtanter recognoverant, ipſis etiam Sabaudiæ Ducibus id approbantibus, quàm Syndicis Univerſitatum, atque Vaſſallis ſub graviſſimis pœnis præcipiebatur, quod de cætero ſupremam tantùm ipſius Victorii Amedei Ducis authoritatem recognoſcerent; Ad hujus verò Edicti publicationem præfatarum Univerſitatum Syndicos vi, metuque Ducales Miniſtri compellere tentarunt, omnibuſque renuentibus, nonnulli in Civitate Aſtenſi deprehenſi, carceribus mancipati, alij verò, qui ad illam accedere recuſarunt, militaribus copiis à dictis feudis violenter extracti, ſimiliter detenti fuerunt, morte etiam ſclopo illata alteri ex ipſis, qui fuga ſibi conſulere ſtuduerat.

Monitorii S. R. E. Cardinalis Camerarii, quo ſubditis Montaſiæ, Ciſternæ, & Cortanſæ injuncta fuit recognitio privativa Sedis Apoſtol. in ſupremam Dominam.

Edictum Cameræ Computorum Ducis Sabaudiæ ſuper declaratione aſſert. nullitatis dicti monitorii ac recognitione in ſupremum Dominum ad favorem d. Ducis facienda.

Violentiæ illatæ Syndicis ſuprad. locorum.

Edictum Senatus Taurinen. diei 2.

§. 8. Nec minor apparuit alia Senatus Taurinenſis audacia; cùm enim Venerabilis Frater Epiſcopus Aquenſis à divinis ſuſpendiſſet Parochum Loci Mombaldoni, ejus Diœceſi ſubjecti, quamvis ſiti in ditione temporali ejuſdem Victorii Amedei Ducis, pro coercenda illius inobedientiâ, ex quo comparere contumaciter recuſaverat, licèt pluries vocatus ad ſe expurgandum de gravibus delictis, de quibus fuerat delatus, & ſignanter, quod in manifeſtum, ac deteſtabilem contemptum Clavium, ad Divinorum participationem admiſiſſet Comites Franciſcum, Dominicum, & Michaelem ſuos Fratres, per publicarum ſchedularum affixionem, ſequutam die quinta Februarii 1701., tanquam excommunicatione irretitos denunciatos, ipſiſque præſentibus, & aſſiſtentibus celebraſſet, habito ad memoratum Senatum recurſu per Procuratorem Fiſcalem laicalem, promulgatum fuit edictum ab eodem Senatu die ſecunda Decembris 1701., quo præfatum Epiſcopum monuit, ſub pœnâ reductionis bonorum temporalium, ne ipſum Parochum extra ditionem Ducalem evocaret, ſed in illa Vicarium deputaret, eidem Parocho inhibendo, ne alibi compareret, ſub ſimili pœnâ reductionis bonorum temporalium, ſuper cujus Edicti affixione in Palatio Prætorio ſequutâ, ſumptis contra ipſum Parochum per Curiam Epiſcopalem informationibus, eoque in contumacia perſeverante, atque in Divinis miniſtrante, necnon in Parochialis officii exercitio, ſe ſe immiſcente, die 22. dicti menſis Decembris idem Parochus declaratus fuit irregularis, ac ſubinde in executionem mandatorum dictæ Congregationis Cardinalium, die 24. ejuſdem menſis Decembris expeditorum ad compeſcendam ejus proterviam, & conſulendum ſpirituali bono animarum ipſi commiſſarum, die 24. Januarii ſubſequentis tam ipſius Parochialis, quàm aliarum ruralium Eccleſiarum valvis affixum fuit edictum, quo ipſe omnibus nunciabatur à Divinis ſuſpenſus, & irregularis, ac ad omnem Eccleſiaſticam functionem peragendam inhabilis, interdictâ ei Sacramentorum adminiſtratione, ac reſpectivè receptione; Quâ tamen ſuſpenſionis, & irregularitatis publicâ denunciatione contemptâ, præfatus Parochus celebrare continuavit, omnemque lapidem apud dictum Senatum movit, ut impediretur Sacerdoti, ſupplendis ejus vicibus deputato, Parochialis muneris exercitium; Quocirca novum ab eodem Senatu expeditum fuit Edictum die 27. Aprilis 1702. ad ſimilem inſtantiam Procuratoris Fiſcalis, quo Epiſcopus, ſub pœna reductionis bonorum temporalium, iterum monebatur, ut revocaret proviſiones contra dictum Parochum captas, & Vicarium in ditione Ducali pro exercenda juriſdictione deputaret, eidemque Parocho prohibebatur, ne alibi perſonaliter, vel per Procuratorem compareret. Unde dictus Parochus, edicti hujuſmodi authoritate fretus, magis in dies contumax, & ordinariæ, ac delegatæ authoritatis contemptor evaſit, dum animo prorſus obdurato, iterum ſuſpenſus, & irregularis declaratus, reſpondere, & comparere detrectavit.

Anno 1707. Decembris 1701., quo Epiſcopus Aquenſis monebatur, ne extra ditionem temporalem dicti Ducis evocaret Parochum Loci Mombaldoni à divinis ſuſpenſum.

Declaratio irregularitatis dicti Parochi cum affixione edicti ſuper illius ſuſpenſu à Divinis, & irregularitate.

Edictum alterum d. Senatus die 27. Aprilis 1702. quo Epiſcopo demandatum fuit ut revocaret proviſiones editas contra dictum Parochum.

§. 9. Ad hæc idem Senatus Taurinenſis in aliam prorupit temeritatem; nam die 10. Octobris 1702. ad inſtantiam Procuratoris Generalis Ducalis juriſdictionis, per decretum typis impreſſum inhibuit omnibus Fratribus Familiæ, ſeu Conventus Ordinis Minorum Sancti Franciſci, Conventualium nuncupatorum, ne executionem darent cuidam ſententiæ de mandato Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ die 15. Julii 1702. contra Carolum Auguſtinum Mallettum Fratrem expreſsè profeſſum dicti Ordinis, latæ, qua

Decretum ejuſdem Senatus diei 10. Octobris 1702. prohibens executionem ſententiæ excommunicationis latæ contra Carolum Auguſtinum Mallettum Ordinis Minorum Conventualium.

ipſe

ipse declaratus fuerat excommunicatus, omnibusque gradibus, & officiis sui Ordinis privatus, ob damnabilem recursum habitum ad laicalem potestatem, ad effectum impediendi accessum Custodum Conventuum ejusdem Ordinis in ditione ipsius Victorii Amedei Ducis existentium, ad Provinciale Capitulum, quod in Civitate Alexandrinâ Provinciæ Mediolanen. celebrati debebat, mandatum ab eadem laicali potestate impetrando, quo illis sub pœnâ Ducalis indignationis præcipiebatur, ne ab eadem ditione recederent, illudque Custodibus ipsis intimando, qui omnes ei paruerunt; Dictam porrò sententiam, quamvis Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, ac præcipuè Literarum quotannis in die Cœnæ Domini legi solitarum dispositioni conformem, adhuc tamen memoratus Procurator Generalis Ducalis jurisdictionis, in recursu ad dictum Senatum habito, evidenter, & intolerabiliter injustam asserere non erubuit, ipseque Senatus, ejusdem instantiæ annuendo, præfatæ sententiæ publicationem, & executionem, ac ne quidquam in præjudicium dicti Caroli Augustini innovaretur, quousque habitus fuisset recursus, ad quem de jure competeret, sub eadem Ducalis indignationis pœnâ districtè prohibuit; Unde idem Carolus Augustinus, præmissorum calore fretus, spretâ excommunicatione, qua per dictam sententiam fuerat innodatus, in Divinis ministrare ausus fuit, & ob id irregularis evasit.

Ordinatio Senatus Nicienſis, ne Episcopus Antonino Arnaud Officiali Archiepiscopi Ebredunensis inhiberet exercitium Vicariatus Loci Barcinonettæ in propria Civitate.

§. 10. Inter hæc ad Nostrum pervenit auditum, aliud à Senatu Niciensi Ecclesiasticæ auctoritati illatum præjudicium; cum enim supradictus Episcopus Nicensis auctoritate prius ordinariâ, & deinde sibi delegatâ à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhibuisset cuidam Antonino Arnaud Fratri expressè professo Ordinis Prædicatorum, Officiali deputato ab Archiepiscopo Ebredunensi, pro exercenda jurisdictione Metropolitica prius in loco nuncupato Barcinona, seu Barcinonetta, in ejus Diœcesi sito, & in temporalibus subdito Gubernio Nicensi, exerceri consueta, ac deinde translato illius exercitio in ipsam Civitatem Nicensem, ne in eam se se ingereret, cum id manifestè tenderet in turbationem, atque imminutionem ordinariæ jurisdictionis ipsius Episcopi, & Sacrorum Canonum sanctioni adversaretur, ut eadem Congregatio declaravit, habito recursu per eumdem Antoninum ad Senatum prædictum, ipse die 14. Decembris 1701. monuit præfatum Nicensem Episcopum, ne sui officii exercitium ipsi Antonino impediret, sub prætextu publici populorum beneficii, cum commination pœnæ reductionis ejus bonorum temporalium, eamdemque monitionem, & inhibitionem renovavit die 26. Januarii 1702. ad instantiam Procuratoris Fiscalis Laicalis, etiam post acceptam notitiam decreti præfatæ Congregationis, officii hujusmodi exercitium improbantis, additâ ulterius sub eadem pœnâ, necnon Ducalis indignationis, prohibitione cuilibet Personæ, etiam Ecclesiasticæ, ullam citationem exequendi, vel intimandi sententiam, aut ordinationem cujuscumque Tribunalis extra Statum siti, prout de facto impedita fuit intimatio memorati Decreti, cum citatione per Episcopum præfatum transmissâ, malè scilicet prius habito, & postea etiam detento quodam Clerico, pro eâdem præsentandâ, adhibito.

Deploratur in his omnibus violatio libertatis Ecclesiasticæ.

§. 11. Cùm autem præmissa omnia, nimium sanè per Nos hucusque tolerata, libertatem, immunitatem, ac jurisdictionem Ecclesiasticam manifestè læserint, & violaverint, ac lædant, & violent, nec non Nostris, ac Sedis Apostolicæ juribus, atque authoritati maximum, & gravissimum intulerint, atque adhuc inferant; quinimò in ipsorum Senatuum, Magistratuum, Judicum, Officialium, aliorumque tam Mandantium, quàm Consulentium, Exequentium, illisque favorem, & auxilium quoquo modo Præstantium, aut Approbantium, & cum possint, non Impedientium, nec Corrigentium perniciem, ac præterea in scandalum plurimorum tendant, animasque pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi sanguine redemptas in gravissima pericula conjecerint, & deplorandis malis involvere pergant; Cumque adhuc Senatus, Magistratus, Judices, Officiales, aliique prædicti, eisque adhærentes, & ab ipsis gesta approbantes post plures, ac toties repetitas nostras paternas monitiones à pluribus annis factas & diligentias, atque instantias adhibitas pro gestorum hujusmodi retractatione ab eis obtinendâ, adhuc id minimè præstiterint, nec Ministro Apostolico, laicali authoritate à Ditione memorati Victorii Amedei Ducis, sicut præmittitur, expulso, adhuc fuerint revocata, ac sublata impedimenta, ad hoc ut possit ad suam residentiam suique muneris exercitium liberè redire. Hinc est quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum Assertores in Terris à Domino constituti sumus, omniumque Christifidelium curam, & solicitudinem supernâ dispositione gerimus, ac proindè tam graves sæcularis potestatis abusus diutiùs dissimulare non possumus, libertatem, immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam sartam, tectamque, atque illibatam tueri, & conservare, necnon animarum periculis, quantùm Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, necnon Senatuum, Magistratuum, Judicum, Officialium, aliorumque præfatorum qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes; Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præfata omnia, & singula Decreta, Ordinationes, Mandata, & Edicta, ac alia quælibet à Senatibus, Magistratibus, Judicibus, & Officialibus supradictis, aliisque quibusvis Personis, etiam specificâ, & individuâ mentione dignis, in præmissis, seu eorum occasione in præjudicium libertatis, immunitatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque authoritatis Apostolicæ respectivè quovis modo emanata, edita, acta, gesta, & perpetrata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitùs, & omninò nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, & perpetuò fore, neminemque ad illorum observantiam teneri; imò nec ea à quopiam observari posse, vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi, seu quasi possidendi, vel præscribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi, debere, tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, ac pro damnatis, re-

Declaratio nullitatis omnium, & singulorum præmissorum.

Revocatio, & reprobatio.

probatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

Decretum firmitatis censurarum, & obligationis reponendi in pristinum omnia præmissa, cum reservatione aliarum pœnarum.

§. 12. Cæterum cum notorii, & explorati Juris sit eos omnes, qui Decreta, Ordinationes, Mandata, & Edicta prædicta ediderunt, promulgarunt, aut quoquo modo pro iis insteterunt, vel illis usi fuerunt, eaque executioni demandarunt, ac alia præmissa, vel eorum aliqua perpetrarunt, necnon illorum Fautores, Consultores, Mandantes, & Adhærentes, atque in eorum sequelam, & executionem gesta approbantes, Censuras Ecclesiasticas à Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari solitis inflictas, necnon feudorum, si quæ eis à Romanâ, vel aliis Ecclesiis concessa fuerunt, privationis, ac omnium, & quorumcumque privilegiorum, gratiarum, ac indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris quomodolibet forsan concessorum amissionis pœnas, eo ipso, incurrisse, nec à censuris hujusmodi à quoquam, nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eò ipso, quò convaluerint) absolvi, & liberari posse, ac insuper inhabiles, & incapaces esse, qui absolutionis, & liberationis beneficium consequantur, donec supradicta Decreta, Ordinationes, Mandata, Edicta, omniaque in eorum executionem, gesta, atque secuta, & quomodolibet attentata publicè retractaverint, revocaverint, cassaverint, & aboleverint, eaque novis Edictis, Ordinationibus, Mandatis, atque Decretis è medio sustulerint, ac omnia in pristinum statum plenariè, & cum effectu reintegraverint, dictoque nostro, & Sedis prædictæ Administro liberum regressum ad suam residentiam cum plenario sui Officii exercitio respectivè permiserint, vel aliàs debitam, & condigna Ecclesiæ, ac Nobis, & huic Sanctæ Sedi satisfactionem in præmissis præstiterint: idcircò illos omnes etiam specialissimâ mentione dignos, necnon illorum Successores in officiis, à retractatione, revocatione, cassatione, & abolitione Decretorum, Ordinationum, Mandatorum, Edictorum, aliorumque præmissorum per seipsos faciendâ, vel aliàs debitâ, & condigna Ecclesiæ, ac Nobis, & dictæ Sedi satisfactione realiter, & cum effectu in eisdem præmissis exhibendâ, præsentium literarum, seu alio quocumque prætextu minimè liberos, & exemptos, sed semper ad hæc obligatos fore, & esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, earumdem tenore præsentium decernimus, & pariter declaramus; Facultatem insuper quandocumque procedendi ad alia canonica, & severiora remedia, quatenus præfati Ecclesiasticæ libertatis, & Jurisdictionis Apostolicæ violatores in sua contumaciâ persistentes, censuras, & pœnas Ecclesiasticas hujusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, Nobis, & eidem Sedi expresse reservantes.

Decretâ roborantia cum clausula sublata, & irritanti.

§. 13. Decernentes etiam easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd præfati, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni, illis non consenserint, sed ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac cogitato & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet, quâcumque prœeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet Personis, etiam quâcumque Ecclesiastica, vel mundanâ Dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ, observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Affixio præsentium vim habeat personalis intimationis.

§. 15. Cùm autem eædem præsentes literæ in locis Ditionis prædicti Victorii Amedei Ducis subjectis nequeant tutè publicari, ut hactenus experientia compertum est, & Nobis notoriè constat, prout tenore præsentium declaramus, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis

in

in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. mensis Maii Anno MDCCVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Fides habenda Transumptis.

Die 17. Maii anno 1707.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo septimo die prima mensis Augusti Indictione 15. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno septimo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis Urbis per me Benedictum Baldi Apostolicum Cursorem.

Sebastianus Vasellius Mag. Curs.

XXX.

INDULGENTIA PLENARIA

Perpetua pro visitantibus Ecclesias tam Fratrum, quàm Monialium tertii Ordinis S. Francisci in Festis diebus S. Ludovici Regis, & S. Elisabethæ Reginæ Hungariæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut Cœlestium munerum Thesauros dispensationi nostræ à Domino creditos fideliter erogemus, cùm id ad augendam in Terris Sanctorum in Cœlis cum Christo regnantium venerationem, excitandamque, & fovendam erga illos fidelium devotionem, & ad Animarum salutem speramus in Domino profuturum. Supplicationibus itaque Dilecti Filii Bonaventuræ Guglieri Ministri Generalis Tertii Ordinis S. Francisci nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœniten., & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum, quàm Monialium ejusdem Ordinis hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubique locorum existentibus in Sancti Ludovici Regis, ac Sanctæ Elisabethæ Reginæ Hungariæ festis diebus, à primis vesperis usque ad occasum Solis Festorum hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, seu Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis obsignatis, ubique eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 23. Maii MDCCVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

F. Oliverius.

DECLARATIO

XXXI.

Nullitatis cujusdam Concordiæ in Sedis Apostolicæ, & S. R. E. præjudicium initæ super hybernis stationibus, quas Milites Germani in Ducatu Parmæ, & Placentiæ locarunt: firmis remanentibus Ecclesiasticis censuris eidem Sedi reservatis, per eos quovis modo incursis, qui tam eâ occasione loca Ducatus prædicti invaserunt, & perturbarunt, quàm nuperrimè onera, & gravamina bonis personarum Ecclesiasticarum ejusdem Ducatus intulerunt.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

AD Apostolatus nostri notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ ante aliquot menses pervenit, quod cùm prius, videlicet mense Novembri proximè præterito, nonnullæ Germanorum militum legiones in plura loca Ducatus Parmæ, & Placentiæ ex inopinato irrupissent, dictorumque locorum incolis plurima, & sanè gravissima damna intulissent, ac insuper legionum hujusmodi Ductores, seu Moderatores hybernas ibidem stationes de facto, ac violenter se figere velle declarassent: nec ad mala ista avertenda quidquam profuissent plures tam à Dilecto Filio Nobili Viro Francisco Farnesio Parmæ, & Placentiæ Duce, quàm à Dilectis Filiis Communitatibus, & Hominibus Civitatum Parmen., & Placentin. adductæ rationes, eo potissimùm fundamento innixæ, quod Ducatus ipse, & ejus loca prædicta Nobis, & huic Sanctæ Sedi, etiam in temporalibus, mediatè subjecta essent, ideòque ab ejusmodi oneribus, ac gravaminibus libera prorsus, & immunia esse deberent; tandem mense Decembri subsequenti Communitatibus, & Hominibus præfatis assentientibus, qui tamen vi, & necessitate coacti, nec alio, quàm imminentia graviora mala propulsandi consilio, hæc peragere protestati fuerunt, ipsoque Francisco Duce ob easdem rationes annuente, inita fuit super præmissis quædam concordia in decem capitula, seu articulos distincta, cujus tenor est, qui sequitur, videlicet:

Exponit irruptiones militum Nationis Germanicæ in loca Ducatus Parmæ, & Placentiæ, ac declarationem inibi figendi stationes hybernas.

Articoli concordati tra S. E. il Sig. Marchese di Priè, come Plenipotentiario di Sua Maestà Cesarea in Italia, in virtù dell' Imperiale Diploma dell. 4. Maggio scaduto, e l' Illustrissimo Sig. Governatore Francesco Malpeli Deputato da S. A. Serenissima il Signor Duca di Parma coll' intervento delli Illustrissimi Signori Conte Gio. Francesco Marazzani Visconti, e Marchese Annibale Scotti, due Cavalieri di questo Publico di Piacenza, dal quale coll' approvazione, e consenso dell' A. S. Serenissima, come da suo benignissimo foglio in data de' 20. Novembre prossimo passato, sopra il regolamento del presente Quartiere d' Inverno, che si è preso di fatto ne' Stati di Parma, e Piacenza, mediante l'ingresso delle Truppe Cesaree, e Collegate, non ostanti li vari ricorsi, e le rimostranze più efficaci fatte dal predetto Sig. Duca, e col mezzo de' suoi Ministri, come pure da queste Communità di Parma, e Piacenza, s'è venuto all' accordo infrascritto, affinche si stabilisca il buon ordine, e si scansino li maggiori danni, e pregiudizi.

Quamvis Ducatus prædictus mediatè subsit Sedi Apost., & ob id à Duce, & hominibus dd. Civitatum fuerit reclamatum.

Tenor Concordiæ hac de re initæ per Marchionem de Priè cum Hominibus dictarum Civitatum.

Procœmium ejusdem Concordiæ cum protestatione recursuum à Duce, & dictis hominibus habitorum.

Determinatio, ac distributio contributionum ex causa dictarum stationum faciendarum à Laicis.

I. Si è fissato dal sudetto Sig. Marchese di Priè per parte del Commissario Cesareo l'ammontare di esse quartiero alla somma di doppie novantamila di Spagna, ò loro valore, delle quali ne toccheranno doppie sessanta settemila settecento cinquanta alli particolari secolari d' essi due Stati (esclusa la tengente delli Ecclesiastici riservata n'ell' Articolo nono) da sborsarsi ne' termini, e modi infra espressi alla Cassa Cesarea per il mantenimento delle Truppe, che restaranno acquartierate in questi Stati, e de' Regimenti di Cavalleria, che si sono rimosse per maggior sollievo di essi, mediante la qual somma sarà bonificato tutto ciò, che verrà somministrato in natura dal Paese tanto per le porzioni da bocca, che di Cavalli, e dovranno pure non meno li Signori Generali, ed Officiali, che li Soldati communi (escluse le infrascritte porzioni) pagare pontualmente la carne, vino, e tutti li commestibili, che saranno tassati à giusti prezzi, & seguendo qualche disordine contro il buon regolamento, che si publicherà, e stabilirà, ne' quartieri, sarà riparato con ogni più accurata diligenza da' Signori Commandanti de' Regimenti, che dovranno obbligare li transgressori ad una congrua indennizazzione, la quale ove non si ottenesse col loro mezzo, si ricorrerà all' Eccellentissimo Signor Generale della Cavaleria Marchese Visconti Commandante in questo quartiero che farà dar loro la dovuta sodisfazione.

Bonificatio Panis submini-strati tam per Ecclesiasticos, quam per Sæculares in computum dictarum contributionum.

II. Hà pure condescesо detto Signor Marchese di Priè alla compensa di doppie cinquemille dalla total somma delle doppie 90000. tanto à favore degl' Ecclesiastici, secondo la loro porzione, che de' Secolari, in sconto del pane somministrato in occasione dell passaggio dell' Armata Cesarea nello scorso mese d' Agosto, di cui si promise la restituzione, come pure del Pane, & altri commestibili ricevuti in più occasioni dalle Truppe Assiane, e dal Corpo delli 500. Cavalli commandati ultimamente dal Tenente Colonnello Sant' Amor, e si è havuto in ciò pure qualche riguardo alli Carri, che verranno proveduti da essi Stati per la vettura de' Grani, ed Avena, che converrà introdurre da varie parti per la sossistenza delle Truppe, e per non accrescere la penuria del Paese, cui verranno concessi gl' opportuni Passaporti, che saranno bramati tanto per acqua, che per terra, per l' introduzione pure de' Grani, che mancassero al loro bisogno.

Destinatio terminorum solutionis contributionum explendæ à Laicis.

III. Per facilitar maggiormente il Paese al pagamento della sudetta somma spettante à' Secolari, si è convenuto per patto espresso, che saranno sborsate le due terze parti, che importano doppie 42500. nel mese d' Aprile, & l' altra terza parte di doppie 21250. mediante l' obbligazione de' migliori Banchieri di questi Stati in dua termini, cioè la metà nel mese d' Agosto, el' altra metà in Ottobre dell' anno prossimo venturo, con le quali somme si dichiara da detto Sig. Marchese di Priè, che s'intende sodisfatto per parte del Signor Duca alle obbligazioni feudali, che gli corrono verso Sua Maestà Cesarea.

Erectio Montis, ac assignatio fundi pro faciliori exactione sub certis legibus.

IV. Come si è creduto spediente per minore peso di questi Stati di devinire all' erezzione d'un Monte per un capitale di doppie trenta sei mila, e più, così si publicherà senza ritardo nel mense corrente, Sarà destinato per fondo di esso Monte, che ascenderà à doppie di Spagna 36000. è più, un reddito annuo da assegnarsi sopra li propri effetti di S. A. Serenissima à raggione del cinque per cento, che dal giorno dell' impiego correrà à favore de' Compratori. Si daranno in oltre tutte le cautele possibili per sicurezza, & invito di essi Compratori, & à questo fine s'obbligheranno non solo li Publici delle Città di Parma, e Piacenza, mà ancora in solidum sei delle Case più commode, e benestanti, e li migliori Banchieri d' ambedue dette Città, il puntuale pagamento de' frutti, come sopra, di trimestre in trimestre à termini maturati, & alla restituzione del Capitale in due termini, cioè doppie 18000. in Ottobre dell' anno 1708., e l' altre 18000. o più nello stesso mese del 1709. Perche poi detti Signori hanno dubitato (attese le circostanze de' presenti tempi) di non poter ritrovare tutta la somma per riempire il Monte, però si è benignamente accollato S. E. il Sig. Marchese se Priè (nel caso sudetto) di prendere sopra di se il carico di trovare una, o più Persone, che suppliscano fino alla somma di doppie vintimila nella compra d' esso Monte, la quale fra tanto dall' E. S. sarà compensata in detti termini. Si è però convenuto, che si pratichino senza ritardo da sudetti Signori tutte le possibili diligenze a Milano, Genova, o Bologna per rinvenire il più prontamente, che si potrà, tutta essa somma, ed ove ciò riesca, & a misura ch' entrerà il denaro, si fara sborsare indilatamente alla Cassa Cesarea di guerra.

Præscribitur modus submini-strandi victualia.

V. A fine d' accertare il punto più essenziale, che si è discusso, cioè il modo di potere stabilire, e combinare col serviggio Cesareo, e sossistenza delle Truppe, la conservazione del Paese, e perciò il sostentamento del Popolo, e del bestiame (attesi li frequenti passaggi di Truppe, la penuria de' grani, e de' foraggi, che si prova nel corrente anno per la siccità della scorsa estate, e le straordinarie innondazioni ultimamente accadute) si è convenuto, che l' obbligazione per parte del Paese di provedere il pane sia puramente ristretta alli tre Reggimenti Imperiali di Cavalleria, e Dragoni, e sarà bonificato per oncie trenta di peso, che importa per cadauna porzione, & oncie dieci otto carne al giorno; che farà somministrata dal Paese, doppia una di Spagna al mese, compresе lire dodeci di questa moneta di Piacenza, che saranno pagate per il vino, che si venderà à' Soldati nel Paese stesso a'giusti prezzi; Quanto poi alle Truppe di Prussia sarà totalmente a carico del Commissariato Cesareo il provederle, e l'introdurre grani per la sossistenza loro, e saranno puramente somministrate le vetture dal Paese entro il Territorio; Si farà però l' anticipazione per un mese di tre milla porzioni di pane ogni giorno, il quale sarà pontualmente restituito in tanto grano della medesima specie; Dovrà pur anche somministrarsi il foraggio con Carri del Paese, e distribuirsi, con tutto il miglior ordine, e la più esatta misura che sarà possibile, cioè a ragione di quindeci libre di fieno per ogni porzione da Cavallo, e si provederà per quattro milla in circa, secondo la ripartizione, specificazione, che sarà data da' Commissari di guerra di Sua Maestà Cesarea, purche si lasci la necessaria sossistenza per il bestiame, senza la quale non havrebbe potuto questo Paese assumere, ne supplire alle sudette obbligazioni; Si restringerà però esso bestiame al numero puramente indispensabile alla coltura de' Terreni, & alla metà delle Vaccherie, e si destineranno pur' anche Commissari da ambe le Parti per fare la ricognizione, e conscrizione de' foraggi, e procurare, che tutto ciò sia posto pontualmente in esecuzione.

Taxatio pretii commeatuum pro servitio equorum.

VI. Si è fissato il prezzo del foraggio, regolato alle sudette libre 15. al giorno, e due terzi di doppie di Spagna ogni mese, e l' altro terzo per l' avena di libre 8. per porzione, che si somministrarà dal Paese sino al fine di Gennaro prossimo (passato il qual tempo sarà tenuto il Commissario Cesareo a provederle) con facoltà al Paese medesimo di poter somministrare in difetto dell' avena sudetta altri grani confacevoli alla sossistenza della Cavalleria Imperiale, secondo una giusta porzione, che dovrà stabilirsi col sudetto Signor Marchese Generale Visconti, e dove venissero dette

te

te porzioni da Cavallo ad eſſere calcolate a maggiore prezzo nello Stato di Milano, ſi ſeguirà la ſteſſa regola.

Onus Subditorum præſtandi habitationem, aliaſque commoditates pro indigentiis militum.

VII. Mediante le acennate preſtazioni, & obligazioni, non dovranno li ſudetti Stati eſſere aſtretti, ne ſogetti ad alcun' altro peſo, toltone il coperto con l' uſo del fuoco, lume, e letto, o pure pagliarizzo, ſecondo il commodo de' Paeſani per li Soldati in caſa de' Particolari, & eſigendoſi di più, ſi farà ſodisfare da loro Officiali. Parimente non ſaranno aſtretti li Stati ſudetti, che a dare il puro coperto, e la legna (in qualla quantità, che ſarà limitata dal Signor Generale Viſconti) per li Signori Generali, & Officiali, li quali pure non potranno obligare il Paeſe a ſomminiſtrare il foraggio per li loro Cavalli, il quale poteſſe eccedere le porzioni, che ſono a loro aſſegnate &c.

Compenſatio ſubminiſtrationum præcedenter factarum in prædictis commeatibus.

VIII. Sarà compenſato nella detta ſomma l' ammontare del foraggio per tutti li Reggimenti Ceſarei, e Pruſſiani dal tempo, che ſono entrati in queſto Paeſe, e ſono ſtati di paſſaggio dal principio dello ſcorſo meſe di Novembre, e perche non ſi può fare preſentemente un' eſatto calcolo di tutto ciò, che di foraggio, & avena hanno ricevuto, ſi dichiara, che per temperamento d' equità ſi compenſarà ogni porzione a quattro quinti di doppia, ſi fara pure rimborſare d'a Reggimenti il pane, carne, e vino che ſi giuſtificarà eſſere ſtato dal ſudetto tempo ſomminiſtrato, o ricavato dal Paeſe. Lo ſteſſo ſi praticarà eſattamente nell' avvenire per tutte le Truppe, che occorreſſe di far paſſare per queſti Stati, eccettuato il foraggio in erba, che ſi ſomminiſtrarà ſenza alcun pagamento del Paeſe, ſpirato il termine de' quartieri.

Præſervatio exigendi ab Eccleſiaſticis ratam dictarum contributionum.

IX. Per eguagliare il peſo del preſente quartiere, e ſollevare queſti Stati dovranno concorrere li Particolari tutti indiſtintamente, ancorche privilegiatiſſimi, mentre l' A. S. Sereniſſima iſteſſa effettivamente concorre per la quota de' ſuoi beni, e come li Eccleſiaſtici, ſiano Secolari o Regolari, poſſedono buona parte de' terreni in ambi detti Stati, & hanno già concorſo altre volte a' quartieri, come pure concorrono anche attualmente per la quarta parte de' Secolari al mantenimento de' Preſidi di Parma, e Piacenza, così ſi riſerva il Commiſſario Ceſareo la facoltà nelle dovute, e legitime forme, di ricavare da eſſi la loro rata ſino a doppie ventunmille, e ducento cinquanta, mediante il che reſtano pure eſenti li beni de' ſudetti Eccleſiaſtici dalli danni maggiori, che havrebbero potuto patire indiſtintamente, quando non ſi foſſero divertiti con li ſudetti temperamenti, nel che tutto però ſi proteſta per parte de' Secolari di non voler havere alcuna parte, ne ingerenza.

Obligatio utendi exacta diſciplina in hybernis ſtationibus.

X. Il Sig. Marcheſe Generale Viſconti Commandante di queſte Truppe farà oſſervare ogni più eſatta, diſciplina nelli ſudetti quartieri alla mente, e conformità di queſto ſtabilimento, ed invigileranno pure li Signori Commiſſarii di Sua Altezza Sereniſſima, e di queſti Stati, accio ſi adempiſca a tutto ciò per parte di eſſi, & affinche ſi faccia la più giuſta, e proporzionata diſpoſizione e diſtribuzione de' quartieri.

Dat. ſupradictæ concordiæ.

In fede di che ſi è ſottoſcritta la preſente, e munita de' reſpettivi Sigilli. Piacenza nel Convento di S. Savino li 14. Decembre 1706.

Il Marcheſe di Prie. Franceſco Malpeli Governatore, e Delegato. Gio. Franceſco Marazzani Viſconti. Annibale Scotti.

Nullitas ejuſdem concordiæ tamquam læſivæ ſupremo Sedis Apoſt. dominio in d. Ducatu.

§. 1. Porrò licèt explorati juris eſſet concordiam prædictam, quàm non quidem approbandi, ſed penitus, & omninò reprobandi animo præſentibus inſerendam duximus, utpote noſtrorum, & dictæ Sedis jurium, necnon directi, ac ſupremi dominii Nobis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in Ducatu ſupradicto competentis manifeſtè læſivam nullius prorſus eſſe roboris, & momenti; ac inſuper notum eſſet fel. rec. Urbanum PP. VIII. Prædeceſſorem noſtrum Apoſtolicæ Sedis, & Romanæ Eccleſiæ præfatarum jura à quibuſcumque præjudicialibus hujuſmodi per quaſdam ſuas die v. Junii MDCXLI. expeditas literas ampliſſimè præſervaſſe; adeòque nullâ prorſus opus eſſet ulteriori declaratione, ad hoc ut eadem Concordia, tanquam irrita, inanis, ac invalida ab omnibus haberi deberet: nihilominus, cùm ad Nos delata res eſſet occaſione petiti à Nobis beneplaciti ſuper iis, quæ in nono capitulo, ſeu articulo ejuſdem Concordiæ quoad portionem, ſeu ratam pecuniarum à Perſonis Eccleſiaſticis tam Secularibus, quàm Regularibus Ducatus prædicti perſolvendam, ſicut præmittitur, conventa fuerant, Nos beneplacitum hujuſmodi denegando, Concordiam præfatam non modò à Nobis approbari non poſſe, ſed ſemper reprobari, ac damnari debere non obſcurè declaravimus; quinimò animo revolventes quàm diras, omnique humanæ poteſtati terribiles cenſuras, & pœnas irrogent canonicæ ſanctiones ſpiritu Dei conditæ, quæque deterrima, ingeminatæ quotannis Eccleſiæ voces imprecentur iis, qui Eccleſiaſtica jura violant, aut bona diripiunt, vel illis damna, & onera divinis, humaniſque legibus vetita inferre non verentur, per quaſdam noſtras ad eumdem Franciſcum Ducem die v. Januarii proximè præteriti manu noſtrâ conſcriptas literas eos omnes, qui loca prædicta, ſicut præmittitur, invadere, illaque, ac ſupremam juriſdictionem in eis Nobis, & eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ competentem perturbare, & vexare temerè, & de facto præſumpſerunt, cenſuras, & pœnas ſupradictas incurriſſe, nec eis illas à Nobis quovis modo remiſſas, vel condonatas intelligi debere, diſertè ſignificavimus: ſperantes, ubi hæc innotuiſſent, abundè ſufficere poſſe, ut redirent Prævaricatores ad cor, abſque eo quod Nos apertiùs ad ſeveriora procedere cogeremur.

Reprobatio ejuſdem concordiæ, utpote comprehenſæ ſub diſpoſitione Bullæ quotannis publicari ſolitæ in die Cœnæ Domini.

Narratur immiſſio militum in Domos, & Bona Eccleſiaſticorum ſolvere detrectantium ratam contributionum.

§. 2. Cùm autem, ſicut accepimus, non ſolùm ſtudia hæc noſtra optato, quem ſperabamus, fructu vacua remanſerint, ſed, quod maximè deplorandum eſt, Perſonis Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus prædictis portionem, ſeu ratam pecuniarum in dicto nono capitulo, ſeu articulo, ſicut præmittitur, conventam ſolvere meritò recuſantibus, eò quia neceſſarium ad id noſtrum, & dictæ Sedis beneplacitum non modò non conceſſum, ſed expreſsè, ut præfertur, à Nobis denegatum fuerat, inaudito, ac deteſtabili auſu plures militum turmæ in earumdem Perſonarum Eccleſiaſticarum domos, prædia, ac bona immiſſæ fuerint, ibidem expenſis Perſonarum hujuſmodi permanſuræ, donec illæ tadio affectæ portionem, ſeu ratam prædictam realiter, & cum effectu perſolverint: hæc verò, quæ nonniſi ſummo omnium rectè ſentientium horrore, ac mœrore audiri potuerunt, nullatenùs tolerabilem libertatis, immunitatis, ac juriſdictionis Eccleſiaſticæ violationem importent.

Memorat propriam obligationem hiſce malis occurrendi, & diligentias ab Epiſcopis adhibendas.

§. 3. Hinc eſt quod Nos, qui omnia paternæ charitatis officia, quæ pro ejuſmodi tollendis malis ſedulò adhibere curavimus, vana hactenus, & inania experti fuimus, quique ex commiſſi Nobis divinitus Paſtoralis muneris debito, quorumcumque eidem Romanæ, aliiſque inferioribus Eccleſiis, necnon quibuſvis Perſonis, & bonis Eccleſiaſticis competentium jurium Aſſertores in terris à Domino conſtituti ſumus: tametſi non dubitemus Venerabiles Fratres Epiſcopos illarum partium, quorum zelum excitare non prætermiſimus, ſtrenuè, ac fortiter hac in re muneris ſui partes impleturos eſſe; & forſan etiam jam impleviſſe, ac inſuper certò credamus tam iniqua militum facinora, ac etiam iniquiora conſilia longè ab æquiſſimâ Chariſſimi in Chriſto Filii

Insinuatio ejuſdem reprobationis facta Duci Parmæ.

nostri Josephi Romanorum Regis in Imperatorem electi mente aliena esse, quinimò ipsum in eos, qui illa perpetrarunt, severè, ut omnis justitia exigit, animadversurum esse speremus: nihilominus, ne in tanta Ecclesiæ afflictione diutiùs silentes, ac Sacerdotibus Ministris Domini inter vestibulum, & altare plorantibus, & dicentibus: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium: otiosi, ac desides, incumbenti Nobis Apostolicæ servitutis officio deesse videamur, ac nimiâ longanimitate proditæ Ecclesiasticæ libertatis, desertæque turpiter Dei causæ Rei efficiamur, exurgentes in Domino, ac tam memorati Urbani Prædecessoris, quàm rec. mem. Leonis PP. X. etiam Prædecessoris nostri, qui per quamdam suam octavo Kalen. Junii anno MDXV. editam constitutionem Personas omnes etiam specificâ, & individuâ mentione dignas, quæ Civitates, Terras, & loca ad dictam Romanam Ecclesiam mediatè, vel immediatè pertinentia, præsertim verò Parmen., & Placentin. Civitates invasissent, excommunicavit, anathematizavit, ac maledictionis, & damnationis æternæ mucrone percussit, vestigia sectantes; ac insuper Apostolicis literis, quas plurimi Romani Pontifices Prædecessores nostri die Cœnæ Domini legi, & promulgari fecerunt, & Nos similiter singulis annis legi, & promulgari fecimus, ac signanter canonibus decimo octavo, & vigesimo literarum hujusmodi, firmiter inhærentes. Motu proprio, & ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertam concordiam, ejusque articulos, & capitula quæcumque cum omnibus, & singulis in eis, eorumque quolibet contentis, ac inde secutis, & quandocumque secuturis, ipso jure nulla, irrita, invalida, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuò foret, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, imò nec ea à quopiam observari potuisse, vel debuisse, nec ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, aut præscribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, vel facta non fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus.

Declarat inhærere Constitutionibus Antecessorum & Bullis diei Cœnæ Domini.

Declarat nullitatem suprarelatæ concordiæ cum omnibus inde secutis.

Tollit vim juramento, & quodcumque jus, & actionem ex eo descendentem.

Reprobat eamdem concordiam.

§. 4. Firmas præterea, ac salvas esse volumus, atque decernimus quascumque censuras, & pœnas Ecclesiasticas, quas ii omnes, qui præmissa perpetrarunt, ab Episcopis supradictis juxta ea, quæ ipsis mandavimus, palàm, & publicè de more denunciandi, vel forsan jam denunciati, tam scilicet, qui terras, & loca Ducatus supradicti, ut præfertur, invadere, perturbare, & prænarratis modis vexare, quam qui prædicta onera, & gravamina Personis, ac bonis Ecclesiasticis Ducatus hujusmodi inferre, & imponere, per se, vel alios, directè, vel indirectè præsumpserunt, necnon Adhærentes, Fautores, & Defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes, quocumque tandem gradu, seu dignitate præfulgeant, propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt; à quibus post debitam damnorum illatorum refectionem, ac aliàs condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem, nonnisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo constituti, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ, atque cum reincidentiâ eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari valeant.

Declarat inhærere Constitutionibus Antecessorum & Bullis diei Cœnæ Domini.

Declarat nullitatem suprarelatæ concordiæ cum omnibus inde secutis.

Tollit vim juramento, & quodcumque jus, & actionem ex eo descendentem.

Reprobat eamdem concordiam.

Decreta firmitatis censurarum contra Perturbatores, & Invasores prædicti status, necnon imponentes onera Ecclesiasticis Personis, ac bonis.

§. 5. Decernentes etiam easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod præfati, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specificâ, & individuâ mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacunque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, aliove quocumque, etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite à jure, vel facto, aut statuto, consuetudine, vel privilegio resultante notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci ullatenus posse, sed ipsas præsentes literas semper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Absolutionem reservat Papæ.

Decreta roborantia cum clausula sublata, & irritante.

§. 6. Non obstan. præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, & quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo; legibus quoque, etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis aliâ firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibuscumque Personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissimâ mentione dignis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil

Derogatio contrariorum.

peni-

penitus omisso, & formâ in illis traditâ observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris

Dat. die 27. Julii ann. 1707.

die 27. Julii MDCCVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo septingentesimo septimo, die prima mensis Augusti Indictione 15. Pontificatus SS. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno septimo supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ aliisque locis solitis, & consuetis Urbis, per me Benedictum Baldi Apost. Curs.

Sebastianus Vasellius Mag. Curs.

XXXII.

COMMUNICATIO

Et Extensio omnium privilegiorum, & facultatum, quæ Ordinibus Mendicantium, & Congregationi Clericorum Regularium ministrantium Infirmis competunt, ad Congregationem Fratrum Bethlemitarum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INjuncti Nobis cælitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut paternam Sacrarum Religionum, & Congregationum Christianæ charitatis, & Hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes pium illarum exercitium, & Institutum, quo labores expeditiùs suscipiendo, illud alacrius continuent, & ferventiùs exequantur, liberalibus gratiarum, & privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut Dilectus Filius Michael de Jesu, & Maria Congregationis Fratrum Bethlemitarum nuncupat, in Hospitalibus Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus se exercentium in Romana Curiâ Procurator Nobis nuper exponi fecit, dicta Congregatio aliàs à fel. rec. Innocentio PP. XI. Prædecessore nostro per quasdam suas desuper in simili forma Brevis die 26. Martii 1687. expeditas literas in Religionem erecta fuerit; Fratres verò dictæ Congregationis tria essentialia vota in illa ad instar cæterorum Ordinum, & Institutorum à Sede Apostolicâ confirmatorum de præsenti emittant, aliaque multiplicia, atque insignia pietatis, & Christianæ charitatis opera erga Pauperes, & Convalescentes in eorum Hospitalibus degentes non sine spirituali animarum beneficio exercuerint, & in dies exercere non desinant. Ut autem illa semper impensiùs, & indefessi obeant, & continuent, ipse Michael plurimùm cupiat gratias, & privilegia Ordinum Mendicantium, & Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quæ alias rec. me. Urbanus PP. VIII. Prædecessor pariter noster Ordini, tunc Congregationi nuncupat. Fratrum Sancti Joannis Dei communicavit, & concessit: Nosque subinde nempe die xxv. Junii MDCCI. per quasdam nostras in simili itidem formâ Brevis desuper expeditas literas ad Congregationem charitatis sub titulo S. Hippolyti Martyris in Indiis sub certis modo, & formâ tunc expressis extendimus, prædictæ Congregationi Fratrum Bethlemitarum, illiusque Fratribus, & locis à Nobis pariter communicari & concedi.

Congregatio Bethlemitarum erecta fuit ab Innocentio XI.

§. 2. Nos eamdem Congregationem Fratrum Bethlemitarum, & pia illius Instituta confovere, & promovere, ac proinde d. Michaelem, & dilectos Filios Fratres Congregationis hujusmodi specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus ejusdem Michaelis nomine Nobis super hac humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attentâ relatione Dilecti Filii nostri Thomæ Mariæ Ferrarii tituli S. Clementis ejusdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis S. Clementis nuncupati super præmissis dictis Cardinalibus factâ, omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, cæterasque gratias, præeminentias, & indulta, cujusvis generis existentia, spiritualia, & temporalia, qualiacumque illa sint, dummodò tamen sint in usu, & non sint revocata: vel aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, vel memoratis Regularibus dictæ Congregationis Bethlemitarum Institutis non adversentur, prædictis Ordinibus Mendicantium, & Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, eorumque Conventibus, domibus, & aliis locis Regularibus, ac Ordinum, & Congregationis hujusmodi Generalibus, Præsidentibus & quibusvis aliis Superioribus, Prælatis, & Capitulis etiam Generalibus, Provincialibus, seu intermediis eorumque Diffinitoribus, Prioribus, Novitiis, Fratribus, Conversis, Donatis, & quibusvis eorum Regularibus Personis tam in Urbe, quàm etiam in quibuscumque Mundi partibus existentibus, & illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, seu per Nos, & Successores nostros, aut aliàs auctoritatem habentes concessa sunt, & concedentur, ac quibus de jure, usu, vel consuetudine, privilegio; seu concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim quàm divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, ad prædictam Congregationem Bethlemitarum, & singula illius Hospitalia, domos, & alia loca Regularia, illorumque Superiores, Prælatos, & quascumque Regulares Personas auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò extendimus, illaque eis communicamus, & de novo concedimus, ac suffragari volumus.

De consilio Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium.

Omnia Indulta concessa, & concedenda Ordinibus Mendicantibus, & Congregationi Ministrantium infirmis.

Amplissimè extendit, & communicat Congregationi Bethlemitarum, ejusq; domibus.

§. 3. De-

Constitutionem roborat clausulis salutaribus, & decreto irritanti.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores deputat locorum Ordinarios, & A. C.

§. 4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, nec non Dilecto Filio Causarum Curiæ Cam. Apost. Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis, & Fratrum d. Congregationis Bethlemitarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem plenum earum effectum sortiri, & obtinere, illisque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere; non permittentes quemquam desuper contra illarum tenorem sub quovis Prætextu, & causâ etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, quinimò quidquid in contrarium attentari, vel fieri continget, omninò semper in pristinum reponi: Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia oportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Cum amplissimis derogatoriis.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac piæ memoriæ Bonifacii PP. VIII. etiam Prædecessoris nostri de unâ, & in Concilio generali editâ de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinum, & Congregationis Clericorum Regularium hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresè, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo, & formâ derogari possit, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque; Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Julii MDCCVII. Pontificatus Nostri Anno septimo.

F. Oliverius.

Fides adhibeatur transumptis.

DECLARATIO XXXIII.

Nullitatis gestorum à Præside, aliisque Ministris, & Officialibus Regiæ Audientiæ Civitâtis Aquilan., libertati, & Immunitati Ecclesiasticæ præjudicialium, tam circa cujusdam Rei, qui Clericatum allegaverat, condemnationem, non expectatâ desuper declaratione Ecclesiæ, quam circa sequestrum bonorum Mensæ Episcopalis Aquilan., & subinde secutam ejectionem bon: mem: Ignatii de la Zerda tunc Episcopi Aquilan. è sua Diœcesi, cum illorum omnium damnatione, revocatione, & abolitione.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ponderat ærumnas, quas ex causa tuendæ Immunitatis Ecclesiasticæ passus fuit bo: me: Ignatius la Zerda Episcopus Aquilanus.

AB ipsis Pontificatus nostri primordiis non sine gravi animi nostri molestiâ seriò perpendimus quot, quantasque non multò ante obitum fel. rec. Innocentii Papæ XII. Prædecessoris nostri tunc in humanis agens bo: me: Ignatius de la Zerda, dum vixit, Episcopus Aquilan. ærumnas, & contumelias à tunc existentibus Præside, Auditoribus Rotæ, Advocato Fiscali, aliisque Ministris, & Officialibus Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilan. pertulerit, eò quia Ecclesiæ jura sarta tecta pro viribus tueri, illaque à Laicorum violationibus fideliter, ac strenuè asserere non dubitaverat.

Narrat, illum anathema vibrasse in Ministros Regiæ Audientiæ ob affectum ultimo supplicio Clericum Josephum Carosi.

§. 1. Nobis siquidem innotuerat, quòd aliàs postquam d. Ignatius Episcopus q. Josephum Carosi, qui unius, seu plurium homicidiorum reus asserebatur, Clericali charactere, quemadmodum ex pluribus testium depositionibus, aliisque non levibus documentis apparebat, insignitum, in potestatem Curiæ Laicalis dictæ Civitatis incidisse, ipsamque Curiam ultimi supplicii sententiam in illum jam latam executioni demandari facere paratam esse compererat, sub comminatione censurarum Ecclesiasticarum Ministros, & Officiales præfatas monuit, ut dictum Josephum unà cum actis ad suam Curiam Episcopalem remitterent; quod cùm illi, suspensâ dumtaxat contra eumdem Josephum sententiæ supradictæ executione, minimè præstitissent, eos iterum, parendo mandatis Congregationis tunc existentium S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis Jurisdictionalibus præpositæ, sub eâdem comminatione monuit, ut ipsum Josephum sibi consignarent, ad effectum cautè eum custodiendi in carceribus Ecclesiasticis, vel saltem illum, prævià debitâ cautione, in carceribus Laicalibus nomine Ecclesiæ pro tutiori custodiâ retinerent; donec ipse Ignatius Episcopus omnibus maturè perpensis, ac servandis declarasset, an de Clericatu ejusdem Josephi verè constaret.

§. 2. Verùm per Ministros, & Officiales prædictos comminatione censurarum hujusmodi penitus contemptâ, idem Josephus ad ultimum supplicium traductus, eoque affectus fuit; Unde

dictus

dictus Ignatius Episcopus, ut tam gravem injuriam Ecclesiæ, à qua de veritate dicti Clericatus juxta Sacrorum Canonum dispositionem privativè cognosci, & judicari debebat, illatam vindicaret, prædictos Ministros, & Officiales memoratas censuras Ecclesiasticas propter præmissa incurrisse declaravit; dicti verò Ministri, & Officiales cœco consilio & odio abrepti eò inconsiderationis, & temeritatis postmodum devenerunt, ut nonnullos tunc pariter existentium Ministrorum dictæ Curiæ Episcopalis, eorumque, qui examen ad favorem dicti Josephi super præmissi subierant, Consanguineos absque ulla sexus, vel ætatis distinctione carceribus nuncupaverint, ac insuper sequestrum super bonis Mensæ Episcopalis Aquilan. apposuerint, &, quod gravissimum, ac plenè detestabile fuit, ipsius Ignatii Episcopi à dictâ Civitate, totoque Regno Neapolitano expulsionem, ingeminatâ Præconis voce in publicâ ejusdem Civitatis plateâ, promulgari fecerint, ac subinde Militum, & Satellitum, seu Birruariorum turbâ stipati ad Palatium Episcopale accedere, illudque ingressi eidem Ignatio Episcopo violentiâ, & minis adjunctis, semel, atque iterum exilium intimare ausi fuerint, itaut dictus Ignatius Episcopus, quò se à violentiâ, & minis hujusmodi eximeret, Ecclesiam suam Aquilan., sibique commissum Dominicum gregem deserere, ac è præfato Regno exire coactus fuerit, eademque Ecclesia Aquilan. suo Pastore in gravissimis, quibus reperiebatur, angustiis destituta remanserit.

Narrat in odium excommunicationis plures molestias illatas Ministris Curiæ Episcopalis, sequestrum bonis Mensæ appositum, ac violentam Episcopi ejectionem è sua Sede.

§. 3. Hæc profectò omnia animo revolventes, ac in quantum per illa Ecclesiæ libertas, necnon Episcopalis Jurisdictio, sacerque character, & sublimis dignitas vilipendium, & contemptum adducta fuerint, sedulâ cordis nostri meditatione cogitantes, ne tam indigna, probrosaque facinora inulta remanerent, in eam deveneramus sententiam quæ aliàs à Congregatione nonnullorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositorum, de quorum numero tunc in minoribus constituti eramus, à præfato Innocentio Prædecessore super præmissis specialiter deputatâ, inita fuerat, quæque ipsius Innocentii Prædecessoris infirmitate, ac deinde obitu supervenientibus executioni demandari minimè potuerat; quod scilicet dicta Civitas Aquilan., ejusque Diœcesis Ecclesiastico interdicto subjicerentur; Verùm sperantes mitiùs agendo fore ut redirent Prævaricatores ad cor, ejusmodi consilium exequi distulimus, & interim nullum studium, nullamque diligentiam, aut operam prætermisimus, ut eos ad suos excessus agnoscendos, illosque condignâ pœnitentiâ delendos, præcipuè verò ad dictum Ignatium Episcopum à memorato ejus auxilio ad suam residentiam honorificè revocandum, omnesq; prænarratos actus libertatis Ecclesiasticæ læsivos cassandos, & abolendos converteremus.

Deliberatio puniendi hos excessus per interdictum Civitatis Aquilæ.

§. 4. Interea tamen cùm dictis Prævaricatoribus de die in diem resipiscere differentibus, ac secundum duritiam suam, & impœnitens cor thesaurizantibus sibi iram in die iræ, dictus Ignatius Episcopus à Civitate, & Diœcesi hujusmodi exul ab humanis decessisset, adeòque eâ unicâ spe, qua animi nostri mœrorem solabamur, quod scilicet per ipsius Ignatii Episcopi honorificum ad suam Ecclesiam reditum violata Ecclesiastica libertas, læsusque Episcopalis dignitatis honor aliqua ex parte reparari potuissent, frustrati remansissemus valde turbatum fuit cor nostrum, indeque pristinum de apponendo Ecclesiastico interdicto præfato consilium reassumpsimus; Verùm antequam ad publicationem literarum Interdicti hujusmodi procederemus, infelix illa Civitas horribili terræmotu concussa, ac prorsus eversa remansit, itaut in ejus excidio justi, & misericordis Dei inscrutabilia judicia, & investigabiles vias ejus mirati fuerimus: licet enim eam tantâ plagâ percusserit, & afflixerit Dominus, adhuc tamen illam in multitudine misericordiæ suæ respexisse visus fuit, disponendo, ut tempore dicti terræmotus Ecclesiastico Interdicto præfato supposita minime reperiretur. Porrò miser ille, ac penè luctuosus dictæ Civitatis status ad commiserationem, potius, quàm ad ulteriorem vindictam Nos movit, ac propterea memorati Interdicti publicatione, ne afflictionem afflictis adderemus, suspendimus. Cùm tamen interea præfati Ministri, & Officiales, Cœlo, terrâque frustra clamantibus, pro tot, tantisque injuriis, & offensionibus Ecclesiæ, ut præfertur, illatis, ne minima quidem ex parte tot annorum spatio satisfacere curaverint, ne illæ ex diuturniori tolerantiâ negligi penitus, aut dissimulari videantur, ac Ecclesiasticæ Immunitatis Violatorum in dies crescat audacia, ea tandem, quæ Pastoralis officii nostri ratio postulat, implere decrevimus.

Suspensio ejusdem deliberationis ob spem resipiscentiæ.

§. 5. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in terris à Domino constituti sumus, libertatem, Immunitatem, ac Jurisdictionem Ecclesiasticam à temerariis, & perniciosis hujusmodi conatibus, quantùm Nobis ex alto conceditur, illæsam tueri, & conservare cupientes, ac omnium, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta, & gesta sunt, seriem, causas, & circumstantias etiam aggravantes, necnon Tribunalium Ministrorum, Officialium, & aliorum quorumcumque in præmissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omniâ, & singula per prædictos Præsidem, Auditores Rotæ, Advocatum Fiscalem, aliosque Ministros, & Officiales Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilan., nec non quoscumque alios in præmissis quomodolibet culpabiles tam circà condemnationem præfati Josephi, ac sequestrum bonorum Mensæ Episcopalis Aquilan., quàm circa supradicti Ignatii Episcopi exilium, & expulsionem, ac aliàs in præmissis, seu eorum occasione in præjudicium libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ quomodolibet acta, decreta, gesta, & ordinata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, temerariè attentata, & de facto præsumpta, nulliusque omnino roboris, & momenti esse, & perpetuò fore, tenore præsentium declaramus.

Terræ motus quo dicta Civitas eversa est.

Taciturnitas Regiorum Ministrorum.

Declaratio nullitatis omnium gestorum in condemnatione Josephi Carosi, appositione sequestri, ac Episcopi expulsione, cum omnibus indè secutis.

§. 6. Et nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, quatenus de facto processerunt, motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuò revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu, penitus, & omnino vacuis semper haberi debere, earumdem tenore præsentium decernimus, & pariter declaramus, illaque damnamus, & reprobamus; Firmis tamen remanentibus censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas Præses, Auditores Rotæ, Advocatus Fiscalis, Ministri, Officiales, aliique præfati propter præmissa quovis modo incurrerent, à quibus nonnisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente post debitam, & condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem (præterquam in mortis

Rescissio, ac revocatio omnium præmissorum.

Præservatio firmitatis censurarum contra supradictos Ministros cum reservatione absolutionis Sedi Apost.

articulo, & tunc cum reincidentiâ in eaſdem cenſuras eo ipſo, quo convaluerint) abſolvi, & liberari valeant: ac expreſsè inſuper Nobis, & huic S. Sedi reſervatâ facultate, quatenus illi minimè redierint ad cor, ad alia canonica, & ſeveriora remedia, quandocumque Nobis placuerit, procedendi.

Decreta roborantia cum clauſula ſublata, & irritante.

§. 7. Decernentes etiam ipſas præſentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod præfati, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individuâ mentione & expreſſione digni illis non conſenſerint, ſeu ad ea vocati, citati & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia quâlibet etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu, notari, impugnari infringi, retractari, incontroverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci ſeu adverſus illas aperitionis oris reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; Sed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & ejuſdem Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obſtan. præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo; aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, & ſtylis etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis præfatis, aliiſve quibuſlibet Judicibus, Curiis, Tribunalibus, & Perſonis, etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecialiſſimâ mentione dignis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & formâ in illis tradità obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Affixio præſentium in Urbe vim habeat perſonalis intimationis.

§. 9. Ut autem eædem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari; ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; Utque ipſarum literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 21. Maii 1707. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Fides habenda tranſumptis.

Dat. die 21. Maii 1707.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo ſeptimo, die prima menſis Auguſti, Indictione 15., Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Clementis Divina providentia Papæ XI. anno ſeptimo ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Benedictum Baldi Apoſtolicum Curſorem.

Sebaſtianus Vaſellius Mag. Curſ.

CAROLUS DE MARINIS

Protonotarius Apoſtolicus, Utriuſque Signaturæ Sanctiſs. D. N. Papæ Referendarius, nec non Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generatis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, ac Cenſurarum, tam in eâdem Romanâ Curiâ, quàm extra eam latarum, & Literarum Apoſtolicarum quarumcumque univerſalis, ac merus Executor, necnon in præſenti Causâ à SS. D. N. Clemente P P. XI. ſpecialiter Delegatus.

Monitorium Auditoris Cameræ ſuper declaratione incurſus Cenſurarum contra Miniſtros Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilæ.

UNiverſis, & ſingulis RR. Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, Parochialiumque, & Collegiatarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, necnon Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino &c.

Exponitur condemnatio Clerici Joſephi Caroſi facta per Regiam Audientiam, non obſtante illius remiſſione petita per Epiſcopum ad propriam Curiam.

Noveritis fuiſſe nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad inſtantiam Perill. & Excellentiſſimi D. Philippi Antonii Totti Sanctiſſimi D. N. PP., ejuſque Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Procuratoris Fiſcalis, & expoſitum, quod cùm de menſe Martii 1700. ſeu &c. quondam Joſeph Caroſi de Terra Foſſæ, Aquilanæ Diœceſis, carceratus à Curia Laicali Civitatis Aquilæ, & ſucceſſivè per Regiam Audientiam ejuſdem Civitatis pro uno, ſeu pluribus homicidiis, morti, ut ferebatur, damnatus, allegaſſet in Foro

Episcopali Clericatum primæ Tonsuræ; tunc in humanis agens Fr. Ignatius de la Zerda Episcopus Aquilanus, ut Immunitatem Ecclesiasticam pro viribus tueretur, ac præjudiciis, quæ ei ex capturâ dicti Josephi, & respectivè executione sententiæ contra illum latæ inferri potuissent, oportunè occurreret; captis primùm nonnullis probationibus super præfato Clericatu, mox sub die 12. dicti mensis Martii, ad instantiam sui Promotoris Fiscalis, Monitorium contra Ministros præfatæ Regiæ Audientiæ; pro obtinendâ remissione dicti Josephi, unà cum actis ad suam Curiam Episcopalem, sub pœnâ excommunicationis majoris, decrevit, & exequi mandavit, cui quidem Monitorio non integraliter obsequentes iidem Ministri Regiæ Audientiæ, sed dumtaxat suspensâ executione sententiæ, præfatum Josephum è Cappellâ, seu, ut vocant, Confortariâ, educi, & ad carceres publicos poni mandarunt; unde postmodum, scilicet sub die 29. dicti mensis Martii, idem Episcopus parendo mandatis Sacræ Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ, aliud Monitorium expediri, & exequi curavit contra præfatos Ministros Regiæ Audientiæ, jubendo ipsis pariter sub pœna excommunicationis majoris, ut consignarent, vel consignari facerent ante dictum Josephum ad effectum cautè eum custodiendi in carceribus Ecclesiasticis, vel saltem, ut iidem Ministri Regii, accedente tamen obligatione Personæ legitimæ, in formâ validâ, pro tutiori custodiâ, illum retinere deberent in carceribus laicalibus nomine Ecclesiæ, donec in Judicio Ecclesiastico emanasset sententia declaratoria, an gaudere deberet, vel non privilegio Clericatus; Verùm dicti Ministri, acceptis, ut fama tulit, responsis à Civitate Neapolis pro omnimodâ executione sententiæ, prænominatum Josephum versùs finem dicti mensis Martii; prædictis Monitoriis neglectis, nullâque habitâ ratione censurarum in eis comminatarum, ultimo supplicio, scilicet, furcarum, extra Civitatem affici fecerunt; quamobrem præfatus Episcopus, ne inultum relinqueret vulnus planè gravissimum Ecclesiasticæ Immunitati, & Jurisdictioni, sicut præmittitur, inflictum, excommunicatos, & excommunicatione majori innodatos declaravit, & publicavit Doctores Nicolaum Gaudiosi, Antonium Cortes Auditores Rotæ Regiæ Audientiæ, Fulvium Salsanum Advocatum Fiscalem, & Cajetanum Milani Magistrum actorum ejusdem Regiæ Audientiæ, reservando Præsidem, & nonnullos alios Officiales pro gubernio Provinciæ, & Causarum prædictæ Regiæ Audientiæ. Delatâ postmodùm notitiâ declarationis hujusmodi tunc existenti Proregi Neapolitano, ab eodem, & tunc pariter existentibus Regentibus Regii Collateralis binæ literæ datæ diebus 3. & 24. mensis Aprilis 1700. eidem Episcopo fuerunt conscriptæ, in quarum primâ monebatur, ut in posterùm abstineret à petendâ remissione prætensorum Clericorum, nisi prius servatus fuisset allegatus, at semper à S. Sede Apostolica improbatus, Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ, nec non revocaret Censuras latas contra antedictos Ministros Regiæ Audientiæ. In altera verò præfatus Episcopus fuit vocatus Neapolim; Ac insuper in odium Justitiæ, Libertatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Consanguinei Ministrorum, & Officialium Curiæ Episcopalis, & Testium, alioquin Ecclesiastico caractere insignitorum, qui ad favorem antedicti Josephi, ad effectum probandi Clericatum recepti fuerunt, tam masculi, quam fœminæ, nullâ habitâ ratione sexus, & ætatis, carceribus authoritate laicali mancipati fuerunt. Cùmque dictus Episcopus se Neapolim contulisset, ibique per longum temporis spatium inutiliter moratus esset, absque eo quod ad audientiam memorati Proregis unquam admissus fuisset, tandem de ordine sa: mem: Innocentii PP. XII. inde discessit, ac ad pascendas oves sibi commissas reversus fuit ad Civitatem Aquilæ, quo cùm perveniisset, excommunicatos declaravit, ob mortem illatam dicto Josepho reliquos Ministros, aliàs reservatos pro gubernio Provinciæ, nempè Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti Præsidem dictæ Civitatis Aquilæ, & Doctorem Gasparem Narbonam, alterum ex Auditoribus Rotæ Regiæ Audientiæ, ac pariter excommunicatum declaravit Philippum Mancini Procuratorem Fiscalem, & Sabbathum Raito Actuarium prædictæ Regiæ Audientiæ, ex causâ appositionis sequestri super fructibus, & redditibus Mensæ Episcopalis. Qui tamen Philippus, & Sabbathus, necnon Cajetanus Milani Magister Actorum, postquam eorum quilibet Ecclesiæ satisfecerat, plenariam absolutionem obtinuerunt: Quibus sic ita se habentibus sub die 20. Julii dicti anni 1700. sono tubæ per Præconem, cum notorio contemptu, & maximo totius Populi scandalo, fuit ter publicata expulsio dicti Episcopi ab ejus Civitate, Diœcesi, & toto Regno, & respectivè eidem Episcopo ausu temerario, Dei timore posthabito, ac Dignitatis Episcopalis reverentia prorsus neglecta, fuit præsentatum Præceptum in formâ publicâ, & sigillo munitum, tenoris sequentis videlicet: *Carolus Dei gratia Rex &c. Don Orontio Monforte Duca di Laurito, Marchese di San Giuliano utile Signore delle Terre di Montano, e Massicelle, Prencipe del Sagro Romano Imperio, Presidе, Governatore dell' Armi e Commissario Generale della Campagna in questa Provincia di Abruzzo ultrà &c. Noi Dottor Nicola Gaudiosi Capo di Rota, Auditori Dottor Antonio Cortes, Dottor Cesare di Capua, e Dottor Fulvio Salsano de Luna Auditor Fiscale della Regia Audienza di detta Provincia &c. Avendoci Sua Eccellenza ordinato con dupplicati dispacci, uno in data de' 10. del corrente Mese di Luglio, e l' altro de' 17. del medesimo, che si ordini a questo Monsignor Vescovo della Città dell' Aquila D. Fr. Ignazio della Zerda, che come inconfidente di S. M., che Dio guardi, e del suo Real Dominio, e indegno della sua Real grazia, per aver perturbata la publica quiete di questo Regno, & essere stato disobediente agl' ordini Reali, che parta subito da questo Regno, e che in quello non ritorni senza special permessa della præfata Eccellenza, & acciò possa con tutta sollecitudine obbedire nell' istesso tempo, che li sarà notificato nella forma solita, quanto Sua Eccellenza commanda, se gli fà noto; che avanti della Porta della sua abitazione sta pronta la lettiga per condurlo fuori di detto Regno, in esecuzione degl' ordini di detta prefata Eccellenza. Aquila li 20. Luglio 1700. Loco † Sigilli. Il Duca di Laurito, Nicolaus Gaudiosus, Antonius Cortes, Cesare di Capua, V. Fiscus, Aniellus de Petris Secretarius &c.* Sicque idem Episcopus, ex quo Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum præscriptis inhærere, & suo muneri, & Episcopali Officio pro defensione Ecclesiasticæ Immunitatis satisfacere voluit, compulsus fuit abire, & suam Ecclesiam Pastoris solatio destitutam relinquere. Quamobrem in Civitate Reatis se recepit, ubi post aliquod tempus à sua Ecclesia exul, ex hac vitâ migravit, rebusque aliis &c. Prædicta omnia memorati Don Orontius Monforte Dux Lauriti, Nicolaus Gaudiosi, Antonius Cortes, Cæsar de Capua, Fulvius Salsano de Luna Auditores Rotæ, & Advocatus Fiscalis respectivè Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilæ, nec non Procurator Fiscalis, & Aniellus de Petris Secretarius commiserunt, & patrarunt; pœnas propterea, ac censuras in Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi solitâ contentas, damnabiliter incurrendo, tam conjunctim, quàm separatim, & divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo non solùm &c.

Excommunicatio per Episcopum indicta contra nonnullos ex Ministris dictæ Audientiæ.

Vexationes illatæ Episcopo, & Officialibus illius Curiæ.

Declaratio incursus Censurarum contra Præsidem Aquilæ, aliosque Ministros

Publica expulsio Episcopi è dicta Civitate.

Tenor præcepti ejusdem expulsionis.

Mora ejusdem Episcopi in Civitate Reatis, ejusque obitus.

sed

sed & omni &c. super quibus &c. Quæ omnia, ut pro parte ejusdem D. Procuratoris Fiscalis subjungebatur, cùm evenerint circa tempus longæ, lethalisque infirmitatis sa: me: Innocentii PP. XII. ejusdem subsecutus obitus fuit in causa, ut injuria Ecclesiasticæ Immunitati tam enormiter inflicta, vindicari tunc temporis minimè valuerit. Verùm ad Summi Apostolatus apicem evectus Sanctissimus D. N. Clemens Papa XI., patienter adhuc, & suaviter ex sua innatâ Clementia agendum ducens, paternis officiis egit, ut debita satisfactio præstaretur Immunitati, & libertati Ecclesiasticæ tam graviter læsæ, sperans, quod Violatores illius, animo revolventes flagella, & calamitates, quibus Divina Justitia ejusdem læsiones sæpè ulta est, ideoque resipiscentes, & ad cor revertentes, quidquid adversus Immunitatem Ecclesiasticam, & Ecclesiam ipsam actum, gestumque fuerat, corrigerent, & emendarent. Quoniam verò intra plurium annorum spatium, qui à die ejusdem enormissimæ læsionis Immunitatis Ecclesiasticæ effluxerunt, illius Violatoribus longanimitate Sanctitatis Suæ semper abutentibus, eorum resipiscentiæ spes omnis prorsus evanuit; Justitia profectò ulteriorem non patitur desidiam, in adhibendis iis remediis, quæ de jure competunt, ad corrigendos, & emendandos tam graves excessus. Quamobrem ad instantiam, & pro parte præfati D. Procuratoris Fiscalis fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenus, firmis remanentibus censuris latis contra supradictos Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudiosum, Antonium Cortes, Gasparem Narbonam, ac Fulvium Salsanum de Luna, occasione prædictæ executionis sententiæ contra prænominatum Josephum Carosi, & sine præjudicio procedendi ad similem declaratoriam incursus Censurarum hujusmodi, tam pro expulsione prænominati Episcopi, quàm pro aliis omnibus præmissis contra alios quoscumque in eisdem præmissis repertos culpabiles cujuscumque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existant, etiam specialissimâ mentione dignos, suis loco, & tempore nominan. & cognominan. de opportuno juris remedio providere, & Monitorium extra Romanam Curiam, & ad Partes, ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur. Nos igitur Carolus de Marinis Auditor, & Judex antedictus, debitam præstantes obedientiam, & respectivè inhærentes Decreto à Sanctissimo D. N. edito in Sacra Congregatione Generali Immunitatis Ecclesiasticæ habitâ coram Sanctitate Sua, tenoris sequentis videlicet: *Aquilana. Cùm de anno* 1700. *die* 20. *Julii de mandato Orontii Monfortis Ducis Lauriti tunc temporis Præsides Civitatis Aquilanæ, & aliorum Ministrorum ejusdem Regiæ Audientiæ, fuerit per abusum potestatis laicalis, cum maximo Jurisdictionis Ecclesiasticæ, & Dignitatis Episcopalis contemptu, & omnium Christifidelium scandalo violenter expulsus à sua Diœcesi, & toto Regno Neapolitano, tunc in humanis agens Fr. Ignatius de la Zerda illius Civitatis Episcopus, Sanctiss. D. Noster videns non sine magno animi suo mœrore irritos, & inanes evasisse omnes conatus, quos adhibuerat, & omnes terminos, quos ex innata animi sui Clementia, per plurium annorum spatium assignaverat, pro obtinenda congrua tanto vulneri jurisdictioni Ecclesiasticæ, & Episcopali Dignitati inflicto, reparatione, & evidenter agnoscens, ejusdem reatus Auctores abuti sua paterna longanimitate, prospicere omninò intendens tuitioni Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ sibi divinitus creditæ, in Congregatione Generali Eminentissimorum, & Reverendissimorum S.R. E. Cardinalium, & Prælatorum controversiis Jurisdictionalibus, & Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum habita in Palatio Quirinali coram Sanctitate Sua, die infrascripta, auditis in tam gravi causa omnium suffragiis, decrevit, & mandavit, ut super præfata expulsione, tam manifestè Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ læsiva; A.C. procedat, servatis servandis, contra prædictum Orontium Monfortem, omnesque alios culpabiles ad declaratoriam incursus omnium censurarum in Bulla Cœnæ, & in aliis Apostolicis Constitutionibus, & Sacris Canonibus contentarum. Romæ hac die* 17. *Junii* 1704. *Gaspar Cardinalis Carpineus. I. Archiepiscopus Athenarum Secretarius Loco † Sigilli.* Petitioni hujusmodi annuentes, vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus, & in virtute s. obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus statim visis seu receptis præsentibus, & postquam præsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum requisitus fuerit, ex parte nostra, imò verius Apostolica auctoritate, antedictos Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudiosi, Antonium Cortes, Cæsarem de Capua, Fulvium Salsanum olim Præsidem, Auditores Rotæ, Advocatum Fiscalem respectivè Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilæ, necnon illius Procuratorem Fiscalem, & Aniellum de Petris Secretarium ejusdem, moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, citari & requiri faciatis, eisdemque, & cuilibet ipsorum præcipiatis, & mandetis, prout Nos eosdem harum serie, citamus, monemus, & requirimus, eisdemque, & cuilibet eorum præcipimus, & mandamus per præsentes primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra quadraginta quinque dierum spatium, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro secundo, & reliquos quindecim pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonica monitioni assignamus, & vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ in Judicio coram Nobis, vel infrascripto Perillustri, & Excellentissimo D. Antonio Sabbaino Locumtenente nostro in Criminalibus Generali, legitimè comparuisse, & comparere, & deducendum & allegandum causam quare non debeat ipsos, & eorum quemlibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solitâ contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, & respectivè ipsi non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, & super præmissis cum dicto D. Procuratore Fiscali, & aliis cum quibus opus fuerit, juri stetisse, deque illorum innocentiâ, si quæ sit, legitimò docuisse, præsentique nostro Monitorio omninò paruisse. Certificantes eosdem sic monitos, requisitos, & citatos, quod si in prædicto Monitorio termino non comparuerint, vel aliquis ipsorum non comparuerit; Nos nihilominus, sive dictus in Criminalibus D. Locumtenens noster infrascriptus ad ulteriora juris, & facti remedia, & ad declarationem incursus pœnarum prædictarum, usque ad sententiam, illiusque executionem inclusivè, prout juris fuerit, per contradictas, vel Edictum publicum, procedemus, sive procedet, eorum contumaciâ, vel absentiâ, & aliis quibuscumque non obstantibus. Et cùm Nobis constet per Testes fide dignos, de mandato nostro examinatos, ad Civitatem Aquilæ, & alia loca in Regno, & ad prædictos Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudiosi, Antonium Cortes, Cæsarem de Capua, Fulvium Salsano olim Præsidem, Auditore Rotæ, & Advocatum Fiscalem respectivè Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilæ, aliosque, ut supra, citandos, & monendos, pro præsenti nostro Monitorio exequendo, tutum non patere accessum, volumus, & au-

Diligentiæ adhibitæ per sa: me: Clementem XI., ut Ministri resipiscerent.

Instantia Procuratoris Fiscalis pro decernendo præsenti Monitorio contra eosdem Ministros.

Decretum S. Congregationis Immunitatis pro confectione Processus coram A.C. super narratis excessibus.

Monitio contra supradictos Ministros ad comparendum, & dicendum causam quare non debeant declarari incidisse in censuras.

ctoritate noſtra decernimus, præſens noſtrum Monitorium in Romanâ Curiâ ad valvas Magnæ Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & extra eam inconfinibus hujus Status Eccleſiaſtici, verſus Regnum Neapolis, nempe in Civitatibus Aſculi, Reatis, Terracinæ, Verularum, & Civitatis Vetulæ, necnon Terrarum Nurſiæ, Montis S. Joannis, Sublaci, & Ceprani ad valvas Cathedralium, & reſpectivè majorum Eccleſiarum, per dimiſſionem, & affixionem illius copiæ, & in actis infraſcripti Notarii legitimè reproductum, ita eoſdem Monitos arctare. & adſtringere perinde valeat, ac ſi perſonaliter, & magis legitimè executum foret, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curia Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti mileſimo ſeptingenteſimo ſeptimo, Indictione decimâ quintâ; die verò trigeſimâ menſis Julii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno ſeptimo.

Affixio hujus Monitorii in Urbe, & confinibus vim habeat perſonalis executionis.

Die 30. Julii anno 1707.

Antonius Sabbainus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Loco ✠ Sigilli.

Paulus Fatius Curiæ Cauſ. Cam. Apoſt. Not.

DAMNATIO,

XXXIV.

Reprobatio, & prohibitio quorumdam Opuſculorum, & aliorum quorumcumque Librorum, & Libellorum, tam editorum quàm edendorum adverſus Decretum Apoſtolicum ſuper remotione R. P. D. Petri Coddæi Archiepiſcopi Sebaſteni à Vicariatu Apoſtolico Miſſionum Hollandicarum, necnon ſuper damnatione quarumdam illius ſcriptionum, cum prohibitione, ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ, idem Decretum de cætero quomodocumque impugnandi, ſivè ei contra veniendi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm (ſicut Nobis innotuit) obtentu tam defendendæ cauſæ Venerabilis Fratris Petri Coddæi Archiepiſcopi Sebaſteni, quem Nos dudum ab Apoſtolico Hollandiæ, illique fœderatarum Provinciarum Vicariatu, noſtro deſuper die 3. Aprilis 1704. edito Decreto, removendum duximus, quàm tuendarum quarumdam ejuſdem Petri Archiepiſcopi ſcriptionum, quas eodem Decreto damnavimus, & prohibuimus: quamplurimi inquietorum Hominum, & publicæ tranquillitati adverſantium operâ in lucem prodierint, & in dies prodeant libelli, quorum evulgatione exortæ hactenus inter Catholicos illarum Partium turbæ, atque diſſidia foventur; imò & pravæ doctrinæ ſemina ad ſimplicium ſubverſionem, non ſine maximo orthodoxæ fidei detrimento diffunduntur: Nos dum de aliis tam gravi morbo, in animarum Nobis ab Altiſſimo commiſſarum perniciem vergenti, opportunè adhibendis remediis ſedulò cogitamus, aliquos interea ex iiſdem libellis, qui ad Apoſtolatus Noſtri notitiam pervenerunt, Latino, Gallico, & Belgico reſpectivè Idiomate typis impreſſos, Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus in tota Republicâ Chriſtianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sede Apoſtolicâ ſpecialiter deputatis examinandos commiſimus, quorum tituli ſunt infraſcripti, videlicet:

Apologia pro Clero Eccleſiæ Batavorum Romanæ Catholicæ, ſeu rationes, ob quas Clerus cenſuit in locum Reverendiſſimi Archiepiſcopi Sebaſteni non eſſe illico recipiendum D. Theodorum Cokkium. Per Joannem Palæopiſtum. Delphis apud Henricum Van Rhyn, 1702.

Aſſertio Juris Eccleſiæ Metropolitanæ Romano Catholicæ adverſus quoſdam, qui eam ad inſtar Eccleſiarum per Infidelium perſecutiones deſtructarum Jure priſtino penitus excidiſſe exiſtimant. Per I. C. E. I. V. Licent. ejuſdem Eccleſiæ Canonicum. Delphis Typis Henrici Rhenavi, 1703.

Imago Pontificiæ Dignitatis penicillo Sacrarum Scripturarum, ac Traditionis nativè delineata: Ubi quid Pontifici Romano competat, vel non competat, collectis ex Eccleſiaſtica ſupellectile documentis, luculenter, ac compendio demonſtratur. Auctore Deſiderio Paleophilo. Conſtantiæ apud Æneam Sylvium, 1704.

Cleri Catholici per Fœderatum Belgium, & Archiepiſcopi Sebaſteni Religio vindicata contra Libellum Memorialem de ſtatu, & progreſſu Janſeniſmi in Hollandia. Joannis Clerici in S. Auguſtinum cenſura refellitur. Scripta varia ad rem pertinentia ad calcem appenduntur. Authore Chriſtiano Philireno Preſbytero S. T. Profeſſore. Trajecti ad Rhenum, 1703.

Motivum Juris pro Capitulo Cathedrali Harlemenſi. Harlemi Typis Nicolai Braau, 1703.

Refutatio reſponſi ad Libellum, cui titulus: Motivum Juris pro Capitulo Cathedrali Harlemenſi, ſive Elucidatio ulterior Jurium ejuſdem Capituli. Harlemi Typis Nicolai Braau, 1703.

Epiſtola Petri Coddæi Archiepiſcopi Sebaſteni ad Catholicos Incolas Fœderati Belgii de ſuo ad Urbem itinere, ac de muneris ſui adminiſtrandi interdictione. Trajecti ad Rhenum typis Theodori ab Eyndem, 1704.

Epiſtola ſecunda Petri Coddæi Archiepiſcopi Sebaſteni ad Catholicos Incolas Fœderati Belgii, Trajecti ad Rhenum ex Bibliopolio Theodori ab Eynden, 1704.

Even redige Samenſpraek ophot Veruvyzen Van Onſen Saligmaker Jeſus Chriſtus, en op de Zaek Van den Arſchbiſchop Van Sebaſten.

Xenicum Chronographicum, ſive Selecta Innocentiæ per invidiam calumniamve oppreſſæ exempla Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Petro Coddæo Archiepiſcopo Sebaſteno &c. Pro ſtrena, oblata cordis, & animi ſinceritate 1705.

Lettre de Monſieur N. à un Seigneur d'Angleterre ſur la demande s'il eſt bon demploier les PP. Jeſuites dans une Miſſion? Qu'on à trouvé à propos de donner derechef au public en tant qu'elle fournit de la lumiere dans l'affaire de Monſeigneur de Sebaſte, 3. Fevrier 1686.

Klagende Merkuur Opgedragen aan de Herr Franciſcus Fairlemnt Theol. Doct. Door Henrick Spoor Ph. & Med. Doct. Tot Utrecht Gedrukt Voor den Autheur by Johan Viſch, 1703.

Lettre d'un Homme de qualité pour ſervir de réponſe à une autre, à Luy addreſſée par Monſeigneur l'Internonce Apoſtolique avec la Bulle, qui à pour Titre, Datee à Rome le 7. d'Avril, 1703.

Adeodatus Pr. Compresbyteris de Clero per Fœderatum Belgium D. Theodor. Cokkium, ut Provicarium non recipientibus S.P.D. Delphis apud Henricum Van Rhyn, 1703.

Reſponſio Henrici Spoor ad Epiſtolam ſibi ſcriptam à D. Internuntio Bruxellenſi edita Latino, & Belgico idiomate, & data Ultrajecti.... Maii 1703.

Lamenta, & querelæ Sponſæ Sebaſtenæ, per Clementem XI. viduatæ, ad eundem pro Sponſo ſuo.

Cato Uticenſis redivivus ad ampliſſimos Archidiœceſeos Ultrajectenſis, & Diœceſeos Harlemenſis Capitulares Viros. Pro Aris, & Focis.

Gisberti Amſtelii expoſtulatio altera adverſus Loioliras, fœdos Societatis Jeſu deſertores. Coloniæ apud Balthaſar ab Egmont, 1704.

Collyrium Theodoro de Cok dono miſſum per M.M. A.P.C. Cordis amicitia, 1704.

Declaratio, & reſponſiones ab Archiepiſcopo Sebaſteno, cum in Urbe eſſet, EE. DD. Cardinalibus tradita, & jam Orbi pandita Chriſtiano, 1704.

Avis ſinceres aux Catholiques des Provinces Unies ſur le decret de l'Inquiſition de Rome contre M. l'Archevêque de Sebaſte Vicaire Apoſtolique avec pluſieurs Piéces, qui ont raport à ſon affaire, 1704.

Reflexions ſuccintes ſur la lettre d'un Catholique Romain à un de ſes Amis d'Italie, touchant l'etat preſent des Catholiques Romains en Hollande, 7. *Novembre* 1704.

Literæ ad Archiepiſcopum Sebaſtenum nomine S. Congregationis de propaganda Fide 25. *Auguſti* 1703. *ut fertur, ſcriptæ, ab inquietis quibuſdam hodie in lucem editæ, notis verò brevibus illuſtratæ per Janum Parrhaſium. Amſtelodami* 1704.

Diotrephes ſivè Spiritus, & Opera Theodori Cokii accuratè deſcripta, & juſtificando Clero eum in Vicarium Apoſtolicum non recipienti in lucem data, ab Eugenio Clario Theologo. Lugduni apud Henricum Aerſen, 1704.

Jeſuitarum, aliorumque Romanæ Curiæ adulantium de Summi Pontificis authoritate commenta, Regnis, Regibuſque infeſta, ac ſpecialiter Supremis, Præpotentibuſque Fœderati Belgii Ordinibus periculoſa: fideliter propoſita per Juris Conſultum Batavum, Eccleſiæ, & Patriæ amantem. Amſtelodami, 1704.

Notæ breves in Epiſtolam ad Catholicos Hollandiæ, quæ ſub nomine Pontificis Clementis XI. circumfertur, per Juris Conſultum Batavum.

Notæ in Decretum, quod ſub Inquiſitionis nomine circumfertur contra Archiepiſcopum Sebaſtenum per Janum Parrhaſium.

Diſquiſitio Theologica de Poteſtate, ac juriſdictione, quibus in Fœderati Belgii Provinciis etiamnum fruitur Archiepiſcopus Sebaſtenus, ablato licet Vicariatu Apoſtolico, nunquam antehac Typis edita.

Zedelyke Ovveruvginge van het Decreet der Roomſe Inquiſitie, des Jaars, 1704. 3. *April. Tegens de Ver Klaringe en Verantvvordinge des Aarſchsbiſſchops Van Sebaſten. Rotterdam* 1704. *Id eſt Modeſta conſideratio Decreti Romanæ Inquiſitionis anni* 1704 3. *Aprilis &c.*

Vreedzamige Vvaarſchouving, over Zekere Brief de Naam Voerende van Clemen. XI. Ideſt Pacifica Admonitio ſuper certam Epiſtolam nomen ferentem Clementis XI.

Denunciatio Apologetica Petri Coddæi Archiepiſcopi Sebaſteni ſinceris, ſolidiſque documentis firmata, quam circa præcipua cauſæ ſuæ capita evulgandam duxit. Trajecti ad Rhenum.

§. 1. Audiſtis itaque memoratorum Cardinalium, qui relatas ſibi ſuper iiſdem libellis plurium in Sacr. Theologia Magiſtrorum cenſuras diligenter perpenderunt, ſententiis, creditum Nobis à Domino Paſtoralis curæ, atque vigilantiæ munus, quantùm Nobis ex alto conceditur, ſalubriter exequi cupientes, de eorumdem Cardinalium conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, non modò omnes, & ſingulos ſupradictos libellos, utpote multa falſa, calumnioſa, Apoſtolicæ Sedi ejuſque Miniſtris injurioſa, piarum aurium offenſiva, ſcandaloſa, temeraria, erronea, atque in apertum ſchiſma tendentia reſpectivè continentes: verùm etiam omnes, & quoſcumque alios libros, libellos, epiſtolas, & alia quævis opera, ſeu opuſcula directè, vel indirectè adverſus præfatum noſtrum Decretum remotionis ſupradicti Petri Archiepiſcopi, nec non damnationis, & prohibitionis memoratarum ejus ſcriptionum quocumque idiomate hactenus edita, & ſique in poſterum edi contigerit, tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ac pro damnatis, & reprobatis perpetuò haberi debere decernimus. Damnat omnia præfata ſcripta, & libellos hactenus edita.

§. 2. Ac proinde omnium, & ſingulorum tam ſupra deſcriptorum, quàm aliorum quorumlibet ſimilium libellorum, librorum, epiſtolarum, operum, ſeu opuſculorum impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus etiam ſpecificâ, & individuâ mentione, ac expreſſione dignis, ſub pœnâ excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque aliâ declaratione incurrendâ, à quâ nemo à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apoſtolicâ authoritate mandantes, ut quicumque libros, libellos, epiſtolas, opera, ſeu opuſcula prædicta, vel eorum aliquod penes ſe habuerint, illa, ſeu illud, ſtatim atque præſentes literæ eis innotuerint, teneantur tradere, atque conſignare locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, qui exemplaria ſibi ſic tradita illicò flammis aboleri curent. Et quævis alia in poſterum edenda. Eorum lectionem, & retentionem vetat ſub pœna excommunicationis Summo Pontifici reſervata. Mandat exemplaria dictorum librorum, & ſcriptorum tradi locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus.

§. 3. Inſuper ſub pari excommunicationis pœnâ interdicimus ſimiliter, & prohibemus, ne quis in Concionibus, Catechiſmis, Lectionibus, aut aliis ad populum Sermonibus prædictum noſtrum decretum in cauſa memorati Petri Archiepiſcopi, ſummâ quidem maturitate, & juſtitiâ editum, ullo tempore, vel quovis prætextu impugnare præſumat, vel eidem quomodolibet auſu temerario contraire. Prohibet ſub pœna excommunicationis impugnari decretum Pontificium in cauſa Archiepiſcopi Sebaſteni.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterum, ut ipſæ præſentes literæ omnibus faciliùs innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam allegare poſſit, volumus, & authoritate præfata decernimus, illas ad valvas Baſilicæ, Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; Sic verò publicatas omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficere, & arctare, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent: Earumdem autem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum haberi, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Derogat quibuſcumque contrariis, & jubet præſentium literarum publicationem in Urbe factam omnes afficere, ac ſi cuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 5. Demum omnes, & ſingulos, qui in præfatis fœderatis Provinciis verè Catholicorum nomine cenſeri volunt, & Apoſtolicæ Sedi communione ſociari, atque eos præſertim, qui in ſortem Domini vocati, ſpiritu humilitatis, lenitatis, & obedientiæ debent cæteris prælucere, pro paternæ noſtræ charitatis debito hortamur, rogamus, atque obſecramus in Domino Jeſu, ut depoſitis ſimultatibus, & Partium ſtudiis, diſcant idipſum ſapere in Domino, donantes invicem, ſi quis ad- Paternè hortatur Catholicos fœderati Belgii ad mutuam charitatem, & pacem.

versus aliquem habet, querelam, sicut & Christus donavit Nobis, ut non blasphemetur nomen Domini; sed unanimes honorificemus Deum, & qui una fide jungimur, unitate spiritus, & vinculo pacis invicem copulemur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IV. Octobris MDCCVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

F. Oliverius.

Publicatio. *Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo septimo, Indictione 15. die verò 8. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno Septimo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio; in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Josephum Staggium Apostolicum Cursorem.*

Pro D. Magistro Cursorum Ludovicus Cappelli Curs.

XXXV. DAMNATIO

Et prohibitio librorum sub titulis: *Doctoris Laurentii Pires Carvalho Quæstiones selectæ de Bulla Cruciatæ Lucitaniæ &c. Epitome das Indulgencias, e Privilegios da Bulla da Sancta Cruzada repardido pera major clareza em titulos pellas Indulgencias, e diversas faculdades, que contem, còm alguàs advertencias no principio, composto por Lourenct Pirez de Carvalho &c.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perp rei memoriam.
etuam

CUm, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierint ante aliquot annos duo Libri, unus quidem in duos tomos divisus sub titulo infrascripto, videlicet, *Doctoris Laurentii Pires Carvalho Quæstiones selectæ de Bulla Cruciatæ Lucitaniæ, Pars prior & posterior. Ulyssipponæ 1698.*; alter verò Lucitanico idiomate editus, cui titulus: *Epitome das Indulgencias, & Privilegios da Bulla da Sancta Cruzada repardido pera major clareza em titulos pellas indulgencias, e diversas faculdades, que contem, còm alguàs advertencias no principio; composto por Lourenct Pirez de Carvalho do Conselho de sua Magestade deputado do Tribunal da Consciencia, e Ordens, e do Conselho dos tres estados, Commissario Geral da Bulla da Sancta Cruzada nestes Reinos, e dominios de Portugal. Liboa 1696.* Et Venerabiles Fratres nostrâ S. R. E. Cardinales in totâ Republicâ Christiana contra Hæreticam pravitatem generales Inquisitores à Sede Apostolicâ specialiter deputati auditâ librorum hujusmodi censurâ sibi relatâ illos damnandos, & prohibendos esse censuerint. Hinc est, quod Nos pro commissâ Nobis divinitùs gregis dominici curâ Animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex eorumdem librorum lectione, & usu provenire possent, pastorali solicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, de memoratorum Cardinalium consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, libros supradictos, & eorum quemlibet tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, ipsorumque librorum, & eorum cujuslibet impressionem, descriptionem, retentionem, lectionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per Contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendâ, à quâ nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, omninò interdicimus. Volentes, & Apostolicâ auctoritate præcipientes, ut quicumque libros prædictos, vel aliquem eorum penès se habuerint, illos, seu illum, statim atque præsentes literæ ad eorum notitiam pervenerint, teneantur tradere, atque consignare locorum Ordinariis, vel Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illicò flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quicumque. Cæterum, ut ipsæ præsentes literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; Sic verò publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent: utque earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 19. Decem. 1707. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

F. Oliverius.

Publicatio. *Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo septimo Indictione 15. die verò vigesima Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno octavo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Placentinum Apostolicum Cursorem.*

Nicolaus Vasellus Pro Mag.

XXXVI. DECLARATIO

Nullitatis Electionum duorum Administratorum Ecclesiarum Gnesnensis, & Uladislaviensis ab illarum Capitulis, & Canonicis per abusum laicalis potestatis ac in præjudicium modernorum Archiepiscopi Gnesnen., & Episcopi Uladislavien. respectivè factarum, necnon quorumcumque inde secutorum, & secuturorum, cum illorum damnatione, revocatione, & abolitione, ac cum aliis diversis ordinationibus, & decretis super eâdem materiâ.

Clemens Papa XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordiuntur à propria obligatione tuendi jura Sedis Apostolicæ, ac inferiorum Ecclesiasticorum.

ROmanus Pontifex in sublimi Apostolicæ Sedis speculâ cum potestatis plenitudine à Domino constitutus sua, & Apostolicæ Sedis, inferiorumque Ecclesiarum, ac illarum Præsulum Jura, ex commissi sibi cœlitùs Pastoralis Officii debito, sarta tecta tueri, & si quando ea temerariis quorumcumque ausibus violata esse novit, ab ejusmodi violationibus asserere studet, sicut omnibus moturæ considerationis trutinâ perpensis, æquitati, & Justitiæ consentaneum esse in Domino arbitratur.

Narrat translationem Stanislai Szembek Episcopi Uladislavienſis ad Metropolitanam Gnesnensem.

§. 1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam, non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quod tametsi Nos aliàs, nempè die 7. Junii 1706. in Consistorio nostro Secreto, ut moris est, Ven. Fratrem Stanislaum Szembek tunc Episcopum Uladislavienſem à vinculo, quo tenebatur, Ecclesiæ Uladislavien., cui tunc præerat, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, illum ad Metropolitanam Ecclesiam Gnesnen. certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutam, de consilio, & potestatis plenitudine paribus rastulerimus, ipsumque eidem Ecclesiæ Gnesnen. in Archiepiscopum præfecerimus, & Pastorem: curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ Gnesnen. illi in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, liberamque illi ad Ecclesiam Gnesnen. hujusmodi transeundi licentiam tribuendo; necnon, tametsi subindè, nempè die 25. ejusdem mensis Junii itidem in Consistorio nostro secreto ipsi Ecclesiæ Uladislavien. per translationem hujusmodi vacanti de Persona Venerabilis Fratris Constantini Szianiavvski Nobis, & Cardinalibus præfatis ob suorum exigentiam meritorum acceptâ, de eorumdem Cardinalium consilio, authoritate Apostolicâ providerimus, ipsumque Constantinum eidem Ecclesiæ Uladislavien. in Episcopum præfecerimus, & Pastorem: curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ Uladislavien. illi in spiritualibus, & temporalibus plenariè similiter committendo, & aliàs prout in binis, seu pluribus nostris sub plumbo desuper expeditis literis uberiùs continetur: ac tametsi demum ipsi Stanislaus Archiepiscopus, & Constantinus Episcopus, post captam, & apprehensam Ecclesiarum præfatarum possessionem, suos in illis respectivè Officiales constituerint, & deputaverint: nihilominus non defuit, qui omnium humanarum æquè, ac divinarum legum immemor, nullaque ad id legitimâ authoritate suffultus, sed solâ laicali potestate, seu potius armorum violentiâ fretus, per suas literas Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnen. die 16. Septembris anni proximè præteriti, seu alio veriori tempore conscriptas dictum Stanislaum Archiepiscopum usurpatorem illius Ecclesiæ nuncupare, ac proinde ab ipsis Capitulo, & Canonicis aliquem ex eorum gremio in Administratorem bonorum ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ, perinde ac si illa adhuc vacaret eligendum esse, temerè, injustè, & sine ullo prorsus legitimo fundamento asserere præsumpsit; ac subinde non minus audacter per alias suas die 23. ejusdem mensis Septembris, seu alio vel superiori tempore exaratas literas eisdem Capitulo, & Canonicis injungere ausus fuit, ut omnes proventus dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnen. tanquam vacatis à tempore obitus postremi illius Archiepiscopi tam præteritos, quàm futuros titulo mutui futuro Archiepiscopo, ut asseruit, per rempublicam resarciendi, in manibus cujusdam Capitanei Commissarii à se nominati, ad effectum illos erogandi pro authorandâ totius Patriæ militiâ, consignari, extradi, & numerari absque ullâ cunctatione curarent, sub pœnis per leges contra mandatorum regiorum Transgressores statutis, ac jactâ insuper executionis militaris comminatione.

Provisionem Ecclesiæ Uladislavienſis factam de persona Constantini Szianiawski.

§. 2. Successivè verò, cùm animadvertisset quod literæ hujusmodi, & mandata in eis contenta (Capitulo, & Canonicis præfatis obtemperare eis meritò detrectantibus) inania prorsus, & absque ullo effectu remanebant, militaribus copiis, inter quas plures Acatholicorum secum fœderatorum legiones numerabantur, stipatus, versus civitatem Gnesnen. se contulit, ibique in Oppido Shupen nuncupato à dictâ Civitate quatuor circiter milliaribus distante easdem militares copias disposuit, deinde autem per quemdam Ablegatum suum ad eamdem Civitatem missum, Capitulum, & Canonicos præfatos ad electionem memorati Administratoris, qui Officiali, quem præfactus Stanislaus Archiepiscopus, ut præfertur, constituerat, amoto, regimen dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnen., necnon curam, & administrationem bonorum illius Mensæ Archiepiscopalis susciperet, urgere cœpit; comminando renuentibus omnimodam ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ desolationem, omniumque illius Mensarum Archiepiscopalis, & Capitularis bonorum devastationem, aliaque similia gravissima damna in ipsorum perniciem, & eversionem inferenda.

Supradicti Archiepiscopus, & Episcopus possessionem Ecclesiarum cœperunt.

§. 3. Porrò Capitulum, & Canonici supradicti ejusmodi minis perculsi die 3. Octobris proximè præteriti, licèt illa non esset dies Capitularis, seclusò, ut asseruerunt, contemptu Clavium, ac declaratâ verbis erga hanc Sanctam Sedem obedientiâ illâ, quàm re ipsâ negabant, Venerabilem Fratrem Joannem Cluzeuski Episcopum Gratianopolitan. Suffraganeum Chelmen., ac dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnen. Custodem, in illius Administratorem Generalem, non tamen sine aliquorum dissensu, elegerunt, ac plenariam jurisdictionem administratoribus hujusmodi de jure, & consuetudine competentem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus concesserunt, totumque ei regimen tradiderunt. Subinde verò, nempe die 21. ejusdem mensis Octobris, dictis militaribus copiis ipsam Civitatem Gnesnen. adhuc circumsidentibus, adeoque eodem metu perdurante, electionem Administratoris hujusmodi in omnibus, & per omnia approbarunt, & ratificarunt.

Inde secuta est electio Joanni Cluzeuski in Administratorem cum successiva approbatione.

Nihilominus per abusum laicalis potestatis insinuatum fuit Capitulo Gnesnensi ut eligeret Administratorem; ac fructus Ecclesiæ traderet Capitaneo.

Vismanus armata de Capitulo illata pro supradicta electione.

§. 4. Cæterum non minus injustè, ac violenter cum Ecclesiâ Uladislavienſi actum fuit; Dilecti siquidem Filii Capitulum, & Canonici de Ecclesiæ Uladislavien., cùm literas non dissimiles eis, quæ ad Capitulum, & Canonicos Gnesnen., sicut præmittitur, transmissæ fuerant, imò eâdem die 23. Septembris proximè præteriti, eodemque nomine sibi conscriptas, & per eadem ferè verba exaratas recedissent, in quibus scilicet falsò æque, ac temerè præsuppositò, quod dicta Ecclesia Uladislavien. vacaret, fructus, & proventus illius Mensæ Episcopalis tam præteriti, quàm futuri per aliquem è sui gremio eligendum Administratorem colligendi, similiter titulo mutui per Rempublicam futuro Episcopo resarciendi, eidem Capitaneo Commissario, ut præfertur, nominato pro authorandâ quantocius Patriæ militiâ consignari demandabantur; & cum subinde ipsi gravium malorum comminationibus perteriti fuissent, ni-

Similis electio Adalberti Ignatii Bardzinki in Administratorem Ecclesiæ Uladislavienſis.

si ad Administratoris hujusmodi electionem devenissent, ut majora scandala, & infortunia, imò, & bonorum omnium jacturam evitarent, Dilectum Filium Adalbertum Ignatium Bardzinski, qui prius ejusdem Ecclesiæ Uladislavien. Officialis à præfato Constantino Episcopo deputatus fuerat, in Administratorem hujusmodi, ita ut titulo Officialis in alium Administratoris commutato, cæteroqui penès ipsum cura, regimen, & gubernium dictæ Ecclesiæ Uladislavien., ut prius, remaneret, eligere coacti fuerunt.

Improbatur læsio libertatis Ecclesiasticæ in præmissis.

§. 5. Cùm autem hæc omnia per execrabilem, scandalosum, ac à Sacris Canonibus, & Conciliorum Generalium Decretis, Apostolicisque Constitutionibus sub anathemate sæpius damnatum secularis potestatis absum gesta fuerint; adeoque libertatem Ecclesiasticam Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam manifestè læserint; ac lædant, nostramque, & Apostolicæ Sedis authoritatem, quâ Stanislaum Archiepiscopum Metropolitanæ Gnesnen. & Constantinum Episcopum præfatos Uladislavien, respectivè Ecclesiis supradictis, sicut præmittitur, præfecimus, gravissimè, & apertè violaverint, & violent: ac præterea animas pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi sanguine redemptas in gravissima pericula conjecerint, & deplorandis malis adhuc involvere pergant; novasque proinde, & sanè graviores multiplicibus illis, atque diuturnis, quibus florentissimum olim, nunc perturbatissimum Poloniæ Regnum ærumnis premitur, calamitates adjungere noscantur. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum supremi Assertores in Terris à Domino constituti sumus, necnon omnium Ecclesiarum, & Christifidelium curam, & solicitudinem supernâ dispositione gerimus, Regnumque præfatum, & illius inclytam Nationem paternâ charitate complectimur; tametsi non dubitemus Venerabilem Fratrem Jurium Archiepiscopum Nazarenum nostrum, & dictæ Sedis in eodem Regno Nuncium omnia, quæ ei hac in re à Nobis mandata fuerunt quæque proinde firma semper, & salva esse volumus, sedulò, ac fideliter, quantùm sibi in præsenti infelicissimo illarum rerum statu permissum fuerit, jam impleviſſe: nihilominus, ex injuncto Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis munere, præfatarum Gnesnen., & Uladislavien, Ecclesiarum, illarumque Præsulum indemnitati uberiùs consulere, nostraque, & dictæ Sedis Jura sarta tecta, atque illibata enixiùs tueri, & conservare, necnon animarum hujusmodi periculis, quantum Nobis & alto conceditur, per amplius occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum in præmissis tam à Capitulis, & Canonicis Gnesnen., & Uladislavien. præfatis, quàm ab Administratoribus per eos, ut præfertur, electis, & aliis quibuscumque quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causam, & occasiones, aliave quælibet etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac exactissimè & accuratissimè specificatis habentes.

Declaratio nullitatis, ac reprobatio utriusque electionis, ac omnium, quæ exinde secuta sunt.

§. 6. Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apost. potestatis plenitudine, electiones eorumdem Joannis Episcopi in Metropolitanæ Gnesnen., necnon Adalberti Ignatii in Uladislavien. Ecclesiarum præfatarum, earumque bonorum, reddituum, & proventuum Administratores, ac cujuscumque jurisdictionis concessionem, & regiminis traditionem eis ab earumdem Ecclesiarum Gnesnen., & Uladislavien. Capitulis, & Canonicis respectivè factas, ut præfertur, & quomodolibet ratificatas, seu confirmatas, aliaque omnia, & singula in præmissis, vel circa ea tam à Capitulis, & Canonicis quàm ab Administratoribus hujusmodi, vel illorum aliquo, præfatarum suarum electionum, eisque sicut præmittitur, respective commissarum administrationum vigore, seu prætextu, per se, vel alios quomodocumque, qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata, vel dispositа, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda, ordinanda, cum omnibus, & singulis indè quovis modo secutis, & quandocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, & defacto præsumpta, nulliusque roboris, momenti, & efficaciæ esse, & ab initio fuisse ac perpetuò fore, tenore præsentium declaramus, & decernimus, illaque damnamus, & reprobamus; ac nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, nec ullum per ea Ecclesiis, earumque Præsulibus prædictis præjudicium illatum fuisse, aut inferri quandocumque posse, sed ipsas Ecclesias earumque Præsules in suis primævis Juribus continuare debere similiter declaramus, in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa nunquam facta fuissent, nec evenissent neque unquam fierent, vel evenirent.

Prohibitio, ne asserti Administratores se ingerant in regimine dictarum Ecclesiarum sub diversis pœnis.

§. 7. Quocirca Joanni Episcopo, & Adalberto Ignatio administratoribus, ut præfertur, nulliter electis prædictis, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, necnon, ipsi quidem Joanni Episcopo sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, dicto verò Adalberto Ignatio sub excommunicationis majoris utriusque demum sub privationis beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque per eos respectivè obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimila quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrendis pœnis, districtè prohibemus, & interdicimus, ne suarum irritarum electionum, sibique nulliter, ut præfertur, commissarum administrationum hujusmodi vigore, seu prætextu præfactarum Gnesnen., & Uladislavien. respectivè Ecclesiarum regimen suscipere, & assumere, sive jam susceptum, & assumptum de cætero retinere, minusque ullam Jurisdictionem, potestatem, vel authoritatem, in illis exercere, ullumve inibi actum jurisdictionalem facere, seu continuare, neque illarum fructus, redditus, & proventus percipere, seu forsan jam perceptos cuiquam alteri, nisi earumdem Ecclesiarum respectivè Præsulibus, seu illorum legitimis Procuratoribus vel aliis, quibus Nos illos tradi, vel consignari mandaverimus, tradere, vel consignare ulteriùs audeant quovis modo, seu præsumant.

Pœnarum impositio contra auxilium, & consilium præstantes, & Fautores.

§. 8. Eos quoque, qui illis, vel eorum alicui scienter in præmissis paruerint, vel auxilium, consilium, vel favorem quovis modo præstiterint, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignatatis fuerint, similibus pœnis eo ipso innodamus, & innodatos fore, ac beneficia hujusmodi, quorum privationis pœnam propter transgressionem præsenti prohibitionis per præfatos quomodolibet incurri contigerit, ipso facto absque alia declaratione vacare, illaque per quoscumque impetrari posse decernimus itidem, & declaramus; necnon eorumdem beneficiorum sic vacantium collationem, provisionem, & omnimodam dispositionem, ac præ-

fatarum pœnarum abſolutionem, ſeu relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dumtaxat ſpecialiter reſervamus. Monentes inſuper omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles, de quorum æternâ ſalute ſolliciti eſſe debemus, præfatos Joannem Epiſcopum, & Adalbertum Ignatium nullam in eiſdem Eccleſiis, ſuarum irritarum, ac invalidarum electionum, eiſque nulliter, & de facto, ut præfertur, reſpectivè commiſſarum adminiſtrationum hujuſmodi vigore, vel prætextu, ſive quoad temporalia, ſive quoad ſpiritualia, juriſdictionem, aut poteſtatem habere, vel habuiſſe; adeòque nec ullam circa ea, quæ Sacramentorum adminiſtrationem, aut aliàs forum conſcientiæ, vel contentioſum quomodolibet concernunt, authoritatem interponere ullo modo validè poſſe, nec potuiſſe, neque contra hæc allegari vel prætendi poſſe excuſationem ex communi errore; nam præterquam quod ſatis omnibus notum erat, atque eſt, neutram ex Eccleſiis prædictis vácare, & utramque illarum ſuum habere Paſtorem à Nobis canonicè conſtitutum, abuſus ſæcularis poteſtatis in electione Adminiſtratorum prædictorum ferè communiter innotuit, omniumque rectè ſentientium horrore, & deteſtatione reprobatus fuit, prout illum ab omnibus damnari, & reprobari volumus.

Gerenda per aſſer. Adminiſtratores viribus vacua eſſe monet.

Nec excuſare communem errorem ob notorietatem abuſus laicalis poteſtatis, ut ſupra, admiſſi-

§. 9. Præterea cum notorii, & explorati juris ſit eos omnes, qui Capitula, & Canonicos ſupradd. ad præmiſſa peragenda per ſe, vel alios quoquomodo adegerunt, necnon Adhærentes, Fautores, Conſultores, & Defenſores eorum, quocumque tandem gradu, ſeu dignitate quantumcumque ſublimi præfulgeant, cenſuras omnes, & pœnas Eccleſiaſticas à Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac præſertim literis die Cœnæ Domini ſingulis annis legi, & promulgari ſolitis contra ſimilia perpetrantes inflictas damnabiliter eo ipſo incurriſſe: notum ſimiliter omnibus eſſe volumus, illos à cenſuris, & pœnis hujuſmodi poſt debitam, & condignam Eccleſiæ, ac partibus præſtitam ſatisfactionem, nonniſi à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore exiſtente (præterquam in mortis articulo conſtitutos, nec etiam tunc niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo, cautione præſtitâ, atque cum reincidentiâ eo ipſo, quo convaluerint) abſolvi, & liberari poſſe.

Abſolutionem excommunicationis & pœnarum, in quas Delinquentes, eorumque Fautores incurrerunt, notificat eſſe reſervatam Romano Pontifici.

§. 10. Decernentes etiam eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd præfati, & alii quicumque in præmiſſis, ſeu eorum aliquo Jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illos aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de latere Legatos, & ejuſdem Sedis Nuncios, alioſve quoslibet, quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta roborantia cum clauſula ſublata, & irritanti.

§. 11. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon præfatarum Gneſnen., & Uladislavien. Eccleſiarum, & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, & ſtylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis præfatis, aliiſve quibuslibet Perſonis etiam quâcumque Eccleſiaſtica, vel mundanâ dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis etiam Motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & formâ in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus, adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 4. Februarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno. VIII.

Fides habenda tranſumptis.

Dat. die 4. Februarii anno 1708.

F. Oliverius.

DAMNA-

DAMNATIO

XXXVII. Et prohibitio Libri Gallico idiomate impressi in plures tomos distributi sub titulo: *Le Nouveau Testament en François avec des réflexions morales sur chaque verset &c. A Paris 1699.* Ac aliter: *Abbregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de St. Paul, des Epîtres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensees Chrétiennes sur le Texte de ces Livres sacrez &c. A Paris 1693. & 1694. se vendent à Bruxelles chez Eugene Henry Fricx.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

UNiversi Dominici gregis cura humilitati nostræ cælitùs demandata Nos urget, ut sacrarum Scripturarum, quibus potissimùm Ecclesia Catholica pascitur, & nutritur, puritati, & integritati custodiendæ sedulò advigilemus, ac Christifidelium animas pretioso ejus sanguine redemptas, pravis, atque fallacibus Docentium quæ non oportet, institutionibus decipi, aut à viâ veritatis abduci minimè patiamur; salutaribus enim veterum Patrum documentis instruimur, perversâ petulantium ingeniorum interpretatione de Evangelio Christi fieri Evangelium hominis, & in populi Dei seductionem, & exitium cedere si præsertim pietatis obtentu offendicula parentur incautis, & catholicæ veritati, velut zizania in medio tritici, mala semina misceantur erroris. Cùm itaque, sicut accepimus, in lucem prodierit liber quidam Gallico idiomate impressus, & in plures tomos distributus, sub titulo: *Le Nouveau Testament en François avec des réflexions morales sur chaque verset &c. A Paris 1699.* Ac aliter: *Abbregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de St. Paul, des Epîtres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensées Chrétiennes sur le Texte de ces Livres sacrez &c. A Paris 1693. & 1694. se vendent à Bruxelles chez Eugene Henry Fricx*: ac pluries typis recusus fuerit, non sine bonorum offensione, & ingenti animarum periculo propter ejus frequentem, etiam in variis Provinciis, lectionem, & usum, quemadmodum pariter ad Apostolatum nostrum multorum querelâ delatum est: Nos librum hujusmodi nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in sacrâ Theologiâ Magistris maturè, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus; illi verò mandatis nostris obsequentes librum ipsum, post accuratam ejus discussionem, unanimi consensu prohibendum esse censuerunt, utpote qui sacrum ipsum novi Testamenti textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, & alteri versioni gallicæ dudùm à fel. rec. Clemente PP. IX. Prædecessore nostro per quasdam suas in simili formâ Brevis die 20. Aprilis 1668. expeditas literas damnatæ in multis conformem, à vulgatâ verò editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesiâ probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authenticâ haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem; Notas insuper, & observationes continet, habentes quidem speciem pietatis, sed ad virtutem ejus abnegandam subdolè deducentes, in quibus passim occurrunt doctrinæ, & propositiones seditiosæ, temerariæ, pernicioſæ, erroneæ, aliàs damnatæ, & Jansenianam hæresim manifestè sapientes. Hinc est, quod Nos creditum Nobis à Domino pastoralis curæ, atque vigilantiæ munus, quantùm Nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de eorumdem Cardinalium consilio, librum supradictum sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quâvis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specificâ, & individuâ mentione, & expressione dignis sub pœnâ excommunicationis per Contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, à qua nemo à quoquam (præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente) nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus, & prohibemus. Volentes, & eâdem auctoritate mandantes, ut quicumque librum hujusmodi penes se habuerit, vel in futurum quandocumque habebunt, illum statim atque præsentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignari teneantur; hi verò exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædictâ decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari illarumque exempla ibidem affixa relinqui, itaut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent; Ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 13. Julii 1708. Pontificatus nostri Anno Octavo.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo octavo, Indictione prima, die verò decima quarta Julii, Pontificatus SS. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ XI. Anno octavo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum SS. D. N. PP. Cursorem.

Jo: Baptista de Cappellis Mag. Curs.

PROHIBITIO

Extrahendi quomodolibet Libros, Chartas, & Mobilia quæcumque ex Bibliothecâ Monasterii SS. Fabiani, & Sebastiani extra, & prope muros Urbis sub pœnâ excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ. XXXVIII.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUm sicut Dilectus Filius noster Joannes Maria S.R.E. Presbyter Cardinalis Gabrielli nuncupatus Nobis nuper exposuit, ipse in Monasterio Sanctorum Fabiani, & Sebastiani ad Catacumbas nuncupato prope, & extra mœnia Urbis Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Ordinis Cistercienſis, quamdam mansionem ad usum Bibliothecæ cum suis forulis, & mensulis, mobilibus, aliisque necessariis ornamentis decenter suâ impensâ instaurari curaverit, ac in eâ libros collocare intendat, cupiatque propterea eorumdem librorum conservationi, & manutentioni opportunè in præmissis à Nobis provideri. Nos ipsius Joannis Mariæ Cardinalis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, ejus supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne quisquam cujusvis gradus, status, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existat, aut quocumque officio, auctoritate, vel superioritate fungens, libros, quinterna, quinternetta, folia, chartas, scripturas, & volumina quæcumque tam impressa, quàm manuscripta dictæ Bibliothecæ, prædicto Monasterio per memoratum Joannem Mariam Cardinalem hactenus, quomodolibet donata, & assignata, seu per eum, vel quoscumque Christifideles in posterum quandocumque donanda, & assignanda ex ipsâ Bibliothecâ, sub quovis quæsito colore, prætextu, ingenio, causâ, vel occasione extrahere, vel asportare, aut ut extrahantur, vel asportentur, permittere, vel consentire audeat quovis modo, seu præsumat, sub excommunicationis lata sententia, à quâ nemo absolutionis beneficium à quoquam, præterquam à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, valeat obtinere, ac quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ, & passivæ pœnis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuò prohibemus, & interdicimus. Permittimus autem Superiori pro tempore existenti prædicti Monasterii, ut libros vulgaris idiomatis lectionis ad Mensam, & Capitulum habendæ, vel reficiendi gratiâ extrahere possit, ita tamen, ut finito eorum usu, & postquam illi refecti fuerint, statim in Bibliothecam prædictam reportari, in eâque reponi debeant, sub eisdem pœnis. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictorum Monasterii, & Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ; vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio conspicuo illius loco, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assiduè remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die vigesimâ primâ Novembris, millesimo septingentesimo octavo, Pontificatus nostri anno octavo.

F. Oliverius.

PROHIBITIO

XXXIX.

Extrahendi, commodandi, commutandi, & asportandi quomodolibet sacros libros, & quæcumque paramenta, & ornamenta, ac utensilia Ecclesiastica, vasa, calices, & quamcumque aliam sacram suppellectilem ex quâlibet materiâ formatam ex Sacristia, Choro, Ecclesiâ, & Monasterio SS. Fabiani, & Sebastiani extra, & propè muros Urbis sub pœnâ excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUm sicut Dilectus Filius noster Joannes Maria S.R.E. Presbyter Cardinalis Gabrielli nuncupatus Nobis nuper exposuit, ipse ad usum, & pro servitio Ecclesiæ, & Chori Monasterii Sanctorum Fabiani, & Sebastiani ad Catacumbas nuncupati propè, & extra mœnia Urbis Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi Ordinis Cistercienſis, libros sacros, pluvialia, planetas, dalmaticas, aliaque paramenta, & ornamenta Ecclesiastica etiam argentea suâ impensâ fieri curaverit, illaque eidem Monasterio donaverit, quinimò alia supellectilia, & utensilia sacra in futurum similiter donare intendat; ne autem illa deteri, seu etiam deperdi contingat, eorum manutentioni, & conservationi opportunè à Nobis provideri plurimùm desideret. Nos piis ipsius Joannis Mariæ Cardinalis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ejus supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quisquam etiam quâcumque præeminentia, dignitate, vel potestate præditus libros sacros, pluvialia, planetas, dalmaticas, aliaque paramenta, & ornamenta Ecclesiastica tam ex auro, vel argento, quàm ex alia quavis materia confecta eidem Ecclesiæ per dictum Joannem Mariam Cardinalem, sicut præmittitur, donata, & assignata, nec non alia quæcumque supellectilia, & utensilia sacra hujusmodi per eumdem Monasterio in posterum quandocumque donanda, & assignanda, aut quamcumque illorum partem aliis Ecclesiiis, etiam ejusdem Congregationis, & locis piis, aut Personis quibuslibet etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis commodare, vendere, vel oppignorare, aut sub quovis quæsito colore, prætextu, causa, vel occasione ex Ecclesia prædicta, vel illius Sacristia, Choro, & Monasterio extrahere, & asportare, seu ut commodentur, vendantur vel oppignorentur, aut etiam extrahantur, vel asportentur, consentire, seu permittere audeat quovis modo, seu præsumat, sub excommunicationis per Contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendâ, à quâ nemo ab alio, quàm à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis valeat beneficium obtinere, & quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ, & passivæ pœnis interdicimus, & prohibemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit Monasterii, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum

insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum exemplum in Sacristiâ prædicti Monasterii, vel alio loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assiduè remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesimâ primâ Novembris 1708. Pontificatus nostri anno octavo.

F. Oliverius.

CONSTITUTIO

XL. Ut Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ de præcepto ubique in posterum observetur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

COmmissi Nobis divitùs Sacrosancti Apostolatus officii exigit ratio, ut glorioſissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo, venerationem, & cultum, plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum more, ampliare studentes in terris, illius, quæ super Choros Angelorum exaltata pro populo Christiano sedula exoratrix apud Eum, quem genuit, assiduè intercedit in Cœlis, potentissimam opem, in tot tantisque, quibus premitur, Christianæ Reipublicæ, & Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus, quantùm Nobis ex alto conceditur, promoveri jugiter satagamus. Sincerâ itaque nostrâ erga eamdem Augustissimam Cœli Reginam, Patronam, & Advocatam nostram devotione incitati Festum Conceptionis ipsius Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ ubique Terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, sicut alia Festa de præcepto servari, & celebrari, ac sub præcepto observationis Festorum comprehendi, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 6. Decembris 1708. Pontificatus nostri anno octavo.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate DN. Jesu Christi milleſimo ſeptingenteſimo octavo, die 6. Decembris, Indictione prima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus octavo, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Cancellariæ Apoſtolicæ, in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Thomam de Unionibus Apoſt. Curſ.

Sebastianus Vaſellus Mag. Curſorum.

CONCESSIO

XLI. Indulgentiarum Christifidelibus Status Ecclesiastici tam mediati, quàm immediati divinam opem implorantibus, quàm in præsentibus gravissimis necessitatibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à graviſſimis ærumnis Subditorum Sanctæ Sedis.

INter tot, tantasque, quibus Sancta Romana Ecclesia hoc turbulentissimo tempore undequaque premitur angustias, gravissimis potissimum, quibus nostri, & Apostolicæ Sedis etiam quoad temporalia Subditi affliguntur calamitatibus, paternâ charitate commoti ad Deum toto corde clamore non cessamus, ac quemadmodum indictis publicè precibus jam pluriès fecimus, ita etiam nuperrimè Christifideles in Almâ Urbe nostrâ degentes ad iram Dei, quæ peccatis hominum assiduè lacessitur, per salutaris pœnitentiæ lamenta, ac jejunia, & eleemosynas, sinceraſque, & unanimes obsecrationes, atque orationes placandam prolatis largâ manu cœlestium gratiarum dispensationi nostræ divinitùs creditarum thesauris excitare studuimus. Id ipsum nunc, ut & reliqui etiam Christifideles universi Status nostri Ecclesiastici scissis per veram pœnitentiam cordibus, ac auctis per jejuniorum labores, & eleemosinarum largitiones viribus orationis facere connitantur, eos omnes, & singulos paternè adhortandos, & monendos, eorumque pietatem, erogatis itidem ampliſſimis cœlestium gratiarum muneribus, incitandam, atque fovendam esse arbitramur.

Ordinariis locorum injungit, ut proceſſiones, publicaſque preces indicant.

§. 1. Itaque Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum Nobis, & eidem Sedi in temporalibus mediatè, vel immediatè subjectorum, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus per præsentes committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta, seu exempla etiam impressa ad eos pervenerint, Processiones in suis respectivè Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis instituant, publicaſque preces indicant; Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui Processionibus hujusmodi respectivè interfuerint, vel Ecclesias, à quâ, & ad quam aliqua Processionum hujusmodi fiet, eodem, vel aliquo ex septem subsequentibus diebus devotè visitaverint, ibique Divinum auxilium, ut præmittitur, imploraverint, ac insuper peracto unius diei jejunio ecclesiastico aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, pauperibus erogaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, per unumquemque Christifidelem semel tantùm lucrifaciendam, misericorditer in Domino concedimus.

Indulgentiam plenariam concedit adimplentibus opera præscripta.

§. 2. Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in clauſtris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscumque tam Laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, vel Regularibus etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi

Pœ-

Pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus.

§. 3. Præterea eisdem Christifidelibus, qui recitationi Litaniarum omnium Sanctorum cum collectis, & precibus consuetis in aliqua ex Ecclesiis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum præfatorum per memoratos Locorum Ordinarios respectivè designandis, mense à die publicationis earumdem præsentium computando durante dumtaxat, itidem devotè interfuerint, ibique, ut supra dictum est, oraverint, quocumque die interea id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu per eos quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus; Nec non, ut omnes, & singulæ Indulgentiæ, seu peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes præfatæ animabus fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, similiter indulgemus.

Et facultatem Confessariis approbatis absolvendi à reservatis.

§. 4. Cæterùm cupientes Christifideles præfatos hujus pretiosissimi thesauri fieri participes, quibuscumque Presbyteris Confessariis tam Sæcularibus, quàm Regularibus ad id in Ecclesiis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum hujusmodi per prædictos Ordinarios specialiter deputandis, ut eosdem Christifideles ibidem ad se occasione consequendi Indulgentiam plenariam hujusmodi pro hac vice dumtaxat recurrentes, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quâvis causâ latis, seu inflictis, nec non ab omnibus eorum peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, etiam quantumvis gravibus, & enormibus, ac etiam Locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam per literas Apostolicas die Cœnæ Domini legi solitas, aut alias quascumque nostras, & Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, pœnitentiâ salutari, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis injunctis, in foro conscientiæ, & eâ vice tantùm absolvere, & liberare valeant, facultatem impertimur.

Non tamen dispensandi super irregularitate, nec absolvendi excommunicatos publicè denunciatos.

§. 5. Non intendimus autem præsentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodolibet contractâ dispensare, vel aliquam tribuere facultatem dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque easdem præsentes literas illis, qui à Nobis, & Apostolicâ Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu alias in sententias, vel censuras incidisse declarati, vel publicè denuntiati fuerint, nisi prius satisfecerint, aut cum Partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & præsertim illis, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nequidem similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Januarii 1709. Pontificatus Nostri Anno nono.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo nono, die 4. mensis Januarii, Indictione secunda, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, Domini Nostri D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus nono supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Thomam de Unionibus SS. D. N. Papæ Cursorem.

Sebastianus Vasellus Mag. Curs.

DECLARATIO XLII.

Nullitatis Electionis, seu nominationis R. P. D. Francisci de Solis Episcopi Ilerdensis in Gubernatorem Ecclesiæ Abulensis ab illius Decano, Capitulo, & Canonicis per abusum Laicalis potestatis factæ, nec non quorumcumque inde secutorum, & secuturorum, cum illorum revocatione, & abolitione, ac aliis diversis ordinationibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium

IN Supremo Apostolicæ Dignitatis culmine, meritis licèt imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam collocati, Ecclesiasticam Immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam, nostraque, & hujus Sanctæ Sedis, inferiorumque Ecclesiarum jura, ex commissi Nobis cœlitùs Pastoralis Officii debito, sarta tecta tueri, & si quando ea quorumcumque, præsertim Laicorum, quos in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi ausibus violata esse novimus, ab ejusmodi violationibus asserere satagimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, æquitati, & justitiæ, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

§. 1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quod aliàs tunc existens Secretarius universæ, ut vocant, Expeditionis Charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici dilectis filiis Decano, Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Abulen. per suas literas die 4. Februarii proximè præteriti, seu alio veriori tempore eis conscriptas nunciavit, quod cùm dilectus etiam filius Froilanus Diaz Frater expresè professus Ordinis Prædicatorum dudum ad dictam Ecclesiam per obitum ultimi illius Episcopi solatio Pastoris destitutam à dicto Philippo Rege Nobis præsentatus, præsentationi hujusmodi, antequam illam à Nobis admitti contingeret, renunciasset, ac subinde idem Philippus Rex ad Ecclesiam prædictam Venerabilem Fratrem Franciscum de Solis Episcopum Ilerden. (ut in eisdem literis asseritur) similiter præsentasset, quia ab illo sic præsentato curam, & regimen dictæ Ecclesiæ quamprimùm suscipi, & assumi cupiebat, eidem Secretario mandaverat, ut Decano, Capitulo & Canonicis præfatis significaret ipsi Philippo Regi gratissimum fore, si dictus Franciscus Episcopus incunctanter

ab eis in Proviſorem, & Vicarium Generalem, ſeu Gubernatorem prædictæ Eccleſiæ eligeretur, ſeu nominaretur, eique jura, & facultates, quæ ipſis, illius Sede Epiſcopali vacante, competebant, attribuerentur, ad hoc ut abſque ullâ morâ, donec dictæ Eccleſiæ de perſonâ ipſius Franciſci Epiſcopi à Nobis provideretur, & literæ Apoſtolicæ deſuper de more expedirentur, eamdem Eccleſiam, tanquam futurus ejus Sponſus, regere, & gubernare poſſet, & valeret; Dicti verò Decanus Capitulum, & Canonici per ſuas etiam literas die 21. ejuſdem menſis, ſeu alio veriori tempore exaratas, Secretario præfato reſcripſerunt, ſe quæcumque jura ſibi circa gubernium dictæ Eccleſiæ, illius Sede Epiſcopali vacante, competentia dicto Philippo Regi libenter deferre; paratos ſe exhibentes in ejus voluntatis implementum illa dicto Franciſco Epiſcopo ſubdelegare, eumque in Gubernatorem ejuſdem Eccleſiæ eligere, ac nominare, & aliàs, prout in binis literis ſupradictis, quarum tenores, non approbandi, ſed omnino reprobandi animo, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, plenius dicitur contineri.

Capitulum Abulenſe in Gubernatorem Eccleſiæ Abulenſis elegit Epiſcopum Ilerdenſem.

§. 2. Cùm autem, ſicut pariter Nobis innotuit, in præmiſſorum ſequelam Decanus, Capitulum, & Canonici prædicti juribus ſibi, ſicut præmittitur, competentibus in eumdem Franciſcum Epiſcopum tranſlatis, illum ſubinde in Proviſorem, ſeu Gubernatorem dictæ Eccleſiæ eligere, ſeu nominare auſi fuerint, ipſeque Franciſcus Epiſcopus, electionis, ſeu nominationis hujuſmodi vigore Eccleſiam ſuam Ilerden. abſque noſtrâ licentiâ deſerere, necnon curam, regimen, & gubernium ejuſdem Eccleſiæ Abulen. ſuſcipere, gerere, & exercere præſumpſerit, & adhuc præſumat: explorati verò juris ſit ipſum Franciſcum Epiſcopum minimè potuiſſe, nec poſſe ſub Oeconomatus, Procuratoris, Proviſoris, Vicarii Generalis, ſeu Gubernatoris nomine, aut alio quovis quæſito colore, ſeu titulo curam, regimen, & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſiæ Abulen. in ſpiritualibus, vel temporalibus per ſe, vel alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis ullatenus ſe immiſcere, antequam à vinculo, quo tenetur Eccleſiæ Ilerden. cui præeſt, & à quo nonniſi à Nobis abſolvi poteſt, realiter, & cum effectu abſolvatur, ac ad præfatam Eccleſiam Abulen. transferatur, eique de illius perſonâ à Nobis provideatur; præſertim cum ejuſmodi abſolutio, tranſlatio, & proviſio adhuc à Nobis nequidem petita fuerit, quinimo nec aſſerta ejuſdem Franciſci Epiſcopi ad dictam Eccleſiam Abulen. præſentatio Nobis ullatenus facta fuerit; indeque pateat, quàm temerè, & perperam præmiſſa omnia in Regnis Hiſpaniarum hactenus inaudita, contra eorumdem Regnorum conſuetudines, contra Sacrorum Canonum, Apoſtolicarumque Conſtitutionum diſpoſitionem, ac rectum ordinem per damnabilem ſæcularis poteſtatis abuſum geſta fuerint: quantùm illa Eccleſiæ, & noſtra jura læſerint, ac lædant, quàm gravibus denique periculis animas pretioſo Salvatoris, & Domini Jeſu Chriſti Sanguine redemptas involverint, & adhuc involvere pergant. Hinc eſt, quod Nos, qui libertatis, ac juriſdictionis, aliorumque jurium Eccleſiaſticorum Aſſertores in terris à Domino conſtituti ſumus, omniumque Eccleſiarum, & Chriſtifidelium curam, & ſolicitudinem ſupernâ diſpoſitione gerimus, Eccleſiæ præfatæ Abulen. Noſtrorumque, & Apoſtolicæ Sedis jurium indemnitati providere, nec non animarum periculis, quantùm Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, & ſingulorum in præmiſſis tam à Secretario, quàm à Decano, Capitulo, & Canonicis, nec non Franciſco Epiſcopo ſupradictis per ſe, vel alios quoſcumque quomodolibet actorum, & geſtorum ſeriem, cauſas, & occaſiones, aliave quælibet, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac exactiſſimè, & accuratiſſimè ſpecificatis habentes: Motu proprio, ac ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, electionem, ſeu nominationem ejuſdem Franciſci Epiſcopi in Proviſorem, ſeu Gubernatorem præfatæ Eccleſiæ Abulen., ac quorumcumque jurium, & facultatum circa ejuſdem Eccleſiæ regimen, & adminiſtrationem Decano, Capitulo, & Canonicis prædictis, illius Sede Epiſcopali vacante, competentium in ipſum tranſlationem, ſeu conceſſionem ei ab eiſdem Decano, Capitulo, & Canonicis factas, ut præfertur, aliaque omnia, & ſingula tam ab ipſis Decano, Capitulo, & Canonicis, quàm à dicto Franciſco Epiſcopo ſuæ electionis, ſeu nominationis, ac in ipſum, ſicut præmittitur, translatorum, ſeu ei conceſſorum jurium, & facultatum hujuſmodi vigore, ſeu prætextu per ſe, vel alios quoſcumque, etiam ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione dignos in præmiſſis, vel circa ea quomodocumque, & qualitercumque acta, facta, geſta, mandata, decreta, ordinata, vel diſpoſita, ac forſan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda, & ordinanda, cum omnibus, & ſingulis inde quovis modo ſecutis, & quandocumque ſecuturis penitus, & omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, & à non habentibus poteſtatem damnabiliter attentata, & de facto præſumpta, nulliuſque roboris, momenti, & efficaciæ eſſe, & ab initio fuiſſe, ac perpetuò fore, tenore præſentium declaramus, & decernimus, illaque damnamus, & reprobamus, ac nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula, quatenus de facto proceſſerunt, revocamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi nunquam facta fuiſſent, nec eveniſſent, neque unquam fierent, vel evenirent.

Contra Sacrarum Sanctionum præſcriptum.

Summus Pontifex ejuſmodi electionem damnat ac irritat cum omnibus inde ſecutis & ſecuturis.

§. 3. Quocirca eidem Franciſco Epiſcopo in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium, nec non interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto, & abſque aliâ declaratione incurrendis pœnis diſtrictè prohibemus, & interdicimus, ne ſuæ irritæ electionis, ſeu nominationis, aliorumque præmiſſorum hujuſmodi vigore, ſeu prætextu ſuſceptum præfatæ Eccleſiæ Abulen. regimen, ſeu gubernium de cætero retinere, minuſque ullam juriſdictionem, poteſtatem, vel auctoritatem Eccleſiaſticam, & Spiritualem, in Civitate, vel Diœceſi Abulen. exercere, ullumve inibi actum juriſdictionalem facere, ſeu continuare, neque ullos dictæ Eccleſiæ Abulen. fructus, & proventus percipere, ſeu forſan jam perceptos retinere audeat quovis modo, ſeu præſumat. Illos verò, qui ei in præmiſſis paruerint, vel auxilium, conſilium, vel favorem quovis modo præſtiterint, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, excommunicationis majoris, nec non privationis fructuum Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque, aliorumque quorumvis reddituum Eccleſiaſticorum per eos reſpectivè obtentorum ſimiliter eo ipſo incurrendis pœnis, innodamus, & innodatos fore decernimus, & declaramus;

Præcipit Epiſcopo Ilerdenſi, ne in adminiſtratione Eccleſiæ Abulenſis ullo modo ſe ingerat.

ipſa-

ipsarumque pœnarum absolutionem, seu relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

Decernit, ut Vicarius Capitularis vacantem Ecclesiam administret.

§. 4. Cæterùm de salute Dominici gregis paternâ charitate soliciti omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Ecclesiasticis Sæcularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, vel Instituti Regularibus, quàm Laicis harum serie denunciandum, & ad eorum notitiam deducendum esse censuimus, præfatum Franciscum Episcopum nullam in eâdem Ecclesiâ Abulen. suæ irritæ, & invalidæ electionis, seu nominationis, aliorumque præmissorum hujusmodi vigore, vel prætextu, sive quoad temporalium, sive quoad spiritualia jurisdictionem, aut potestatem habere, vel habuisse, adeòque nec ullam circa ea, quæ Sacramentorum administrationem, causarum cognitionem, aut aliàs forum conscientiæ, vel contentiosum quomodolibet concernunt, auctoritatem interponere ullo modo validè posse, nec potuisse. Ne autem dicta Ecclesia Abulen. tempore, quo præsens illius Sedis Episcopalis vacatio duraverit, Administratore in spiritualibus careat, volumus, & ordinamus, ut ejus Vicarius Capitularis antea legitimè deputatus, Officium Vicarii hujusmodi cum omnibus, & singulis facultatibus ejusmodi Vicariis Capitularibus de jure, usu, & consuetudine, ac aliàs quomodolibet juxta Decreta Concilii Tridentini competentibus, cum quibus illud ante præfatam irritam ejusdem Francisci Episcopi electionem, seu nominationem gerebat, & exercebat, seu gerere, & exercere poterat, etiam nunc, & in posterum gerere, & exercere pergat, ac quatenus opus sit, illum in odium Officio harum serie confirmamus, ut illud etiam nostrâ, & Sedis Apostolicæ auctoritate, donec tamen alius similis Vicarius à Capitulo, & Canonicis præfatis legitimè deputatus non fuerit, gerat, & exerceat.

Decreta roborantia cum amplissimis; consuetis clausulis

§. 5. Decernentes etiam easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod præfati, & alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quâlibet etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et signanrer decreto irritanti & clausula sublata.

Derogatio quibuscumque contrariis.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de jure quæsito non tollendo; aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon præfatæ Ecclesiæ Abulen., & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis præfatis, aliisve quibuslibet Personis etiam quacumque Ecclesiasticâ, vel mundanâ dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus, adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Ma. jorem sub Annulo Piscatoris 24. Augusti 1709. Pontificatus Nostri Anno Nono.

F. Oliverius.

CONFIRMATIO

XLIII. Decreti Congregationis Sacrorum Rituum editi ſuper Sententia lata Anno MDCXLVII. à bon. me. Cardinale Franciſco Maria Macchiavello tunc Epiſcopo Ferrarienſi, qua declaratum fuerat conſtitiſſe, & conſtare de cultu immemorabili Beatæ Luciæ de Narnia exhibito, ac propterea non eſſe contraventum Decretis fel. rec. Urbani PP. VIII.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. EX injuncto Nobis divinitus Paſtoralis ſolicitudinis munere Beatarum Chriſti Ancillarum in Cælis cum eo regnantium, in quibus, utpote vaſculis imbecillioribus opus dexteræ excelſi mirabilius, ac illuſtrius apparuit, quæque non humanum, ſed divini Spiritus infuſione depromptum Apoſtolicum conſilium ſecutæ, cogitarunt quæ ſunt Domini, ut eſſent Sanctæ Corpore, & Spiritu, venerationem, & cultum libenter in terris promovemus, ſicut pia Perſonarum non minus virtutum meritis, quàm ſublimi Cardinalatus dignitate fulgentium vota poſtulant, & Nos ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Eccleſiæ decus, ſpiritualemque fidelium populorum, præſertim noſtrorum, & Apoſtolicæ Sedis etiam quoad temporalia ſubditorum ædificationem, ac devotionem fovendam, atque augendam conducibile fore in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque aliàs, videlicet die XIX. Januarii MDCLIV., ad humillimas, ac repetitas preces, & inſtantias tunc exiſtentium Magiſtratuum Civitatum noſtrarum Ferrarien., Viterbien., & Narnien., necnon tunc etiam exiſtentis Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum nomine ejuſdem Ordinis facta relatione in Congregatione tunc pariter exiſtentium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum coram fel. rec. Innocentio PP. X. Prædeceſſore noſtro habitâ à bon. mem. Baccio, dum vixit, ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card. Aldobrandino nuncupato de contentis in duobus proceſſibus auctoritate ordinaria confectis per ſimilis me. Franciſcum Mariam, etiam dum vixit, dictæ S. R. E. Cardinalem Macchiavellum nuncupatum, tunc Eccleſiæ Ferrarien. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulem: primo nimirum Anno MDCXLVII. ſuper cultu, ſcientibus, & tolerantibus Ordinariis, ab immemorabili tempore exhibito Beatæ Luciæ de Narnia Moniali Ordinis S. Dominici, quæ feliciter obdormiverat in Domino die XV. Novembris MDXLIV. & caſu excepto à decretis rec. mem. Urbani PP. VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri in Congregatione Sanctæ Inquiſitionis editis, cujus vigore idem Franciſcus Maria Cardinalis, & Præſul per ſententiam latam die XIX. Decembris ejuſdem Anni MDCXLVII. pronunciaverat conſtitiſſe, & conſtare de immemorabili cultu dictæ Servæ Dei, & propterea non fuiſſe, nec eſſe contraventum decretis Apoſtolicis ſupradictis: ſecundo autem Anno MDCXLVIII. ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis, cum exhibitione etiam nonnullorum antiquorum documentorum ſuper Stigmatibus, quæ inibi dicuntur impreſſa in corpore prædictæ Beatæ Luciæ; decretum fuerit, ſignari poſſe commiſſionem introductionis hujus Cauſæ eidem Congregationi Cardinalium directam, ut cognoſceret, an ritè, & rectè pronunciatum fuiſſet per ſupradictum Franciſcum Mariam Cardinalem, & Præſulem ſuper caſu excepto, ex immemorabili.

Card. Macchiavellus Epiſc. Ferrarien. proceſſus confecit ſuper cultu, virtutibus, & miraculis B. Luciæ de Narnia.

Pronunciavit conſtare de cultu immemorabili ejuſdem.

Cauſa introducitur in Congregatione Sacrorum Rituum.

§. 2. In hujuſmodi verò Commiſſionis executionem ſubinde à piæ mem. Alexandro Papa VII. etiam Prædeceſſore noſtro ſignatæ nuper, nempe die XV. Februarii proximè præteriti ad humillimas itidem preces Dilecti Filii noſtri Joſephi tituli S. Mariæ Tranſpontinæ ejuſdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sacripantis nuncupati, etiam nomine Dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum dictæ Civitatis noſtræ Narnien. Patriæ ſuæ porrectas, necnon Dilecti Filii Antonini Cloche Magiſtri Generalis memorati Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac dilectarum in Chriſto filiarum Monialium Monaſterii Sanctæ Catharinæ de Senis præfatæ Civitatis noſtræ Ferrarien., prout etiam Dilecti Filii Thomæ Ripoll Fratris expreſsè profeſſi ejuſdem Ordinis in Sacra Theologia Magiſtri cauſæ hujuſmodi poſtulatoris in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum ipſius S. R. E. Cardinalium eiſdem Sacris Ritibus præpoſitorum à Dilecto etiam Filio noſtro Thoma tituli Sancti Clementis dictæ S. R. E. Presbytero Cardinale Ferrario nuncupato in locum memorati Baccii Cardinalis deputato, ſeu ſubrogato propoſitum fuerit dubium, an ſententia prædicti Franciſci Mariæ Cardinalis, & Præſulis ſuper cultu immemorabili erga præfatam Beatam Luciam præſtito eſſet confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agebatur, auditiſque deſuper tam in voce, quàm in ſcriptis prius quidem quondam Joanne Baptiſta Bottinio, dum vixit, Fiſci, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Advocato, atque ad ſupplendas vices Venerabilis Fratris Proſperi Archiepiſcopi Myrenſis Promotoris Fidei ſpecialiter deputato: ſubinde verò Dilecto Filio Proſpero de Lambertinis Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocato, necnon ejuſdem Proſperi Archiepiſcopi, & Promotoris Coadjutore, ultimo dicta Congregatio Cardinalium cenſuerit ſententiam præfati Franciſci Mariæ Cardinalis, & Præſulis, ut præfertur, latam ſuper cultu immemorabili non eſſe infirmandam in caſu, & ad effectum de quo agebatur, ſi ita Nobis viſum fuiſſet: Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis ejuſdem Joſephi Cardinalis ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, Decretum ab ultimo dicta Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod ſcilicet Sententia ſupradicti Franciſci Mariæ Cardinalis, & Præſulis ſuper cultu immemorabili dictæ Beatæ Luciæ non ſit infirmanda, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ultimo-dictæ Congregationis Cardinalium.

In ea proponitur dubium, an ſententia Card. Macchiavelli ſit confirmanda.

Decidituꝛ non eſſe infirmandam.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut ipſarum literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Martii MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

F. Oliverius.

Pontifex decretum Sacræ Congregationis confirmat cum ſolitis clauſulis.

CONSTITUTIO

Præscribens modum, & formam gubernandi Congregationem Cistercienſem (vulgo S. Bernardi) in Regnis Castellæ, Legionis, & Galleciæ &c.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

SAcroſancti Apoſtolatus Officium ſuperni diſpoſitione concilii Nobis, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio, impoſitum ſalubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter ſatagentes exorta inter Religioſos Viros, quos vota ſua Altiſſimo in ſanctitate, & juſtitia, paceque fraterna reddere decet, animorum diſſidia, opportunis rationibus dirimere, illisque, ne rurſus quandocumque excitari valeant, anſam maturè præcidere ſtudemus, ſicut prudenti deliberatione prævia, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Animarum ſalutem arbitramur in Domino expedire.

Narratur recurſus P. Mantille ad Clementem IX., à quo peculiaris Congregatio deputatur.

§. 1. Dudum ſiquidem cum per tunc in humanis agentem Dionyſium Mantilla Monachum Congregationis Sancti Bernardi Hiſpaniæ Ordinis Ciſtercienſis exortis gravibus controverſiis inter Monachos ejuſdem Congregationis recurſus ad fœl. rec. Clementem PP. IX. Prædeceſſorem noſtrum habitus fuiſſet, ipſe Clemens Prædeceſſor cauſam controverſiarum hujuſmodi ad quandam Congregationem tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper Reformatione dicti Ordinis ſpecialiter deputatam remiſit, cui cum idem Dionyſius quædam gravamina per quoſdam Monachos Manchenos, & Alcarrenos novos Caſtellanos nuncupatos Monachis aliarum Nationum illata expoſuiſſet, dicta Congregatio particularis tunc exiſtenti Epiſcopo Valliſoletano commiſit, ut Capitulo Generali dictæ Congregationis tunc proximè celebrando præſideret, & partes diſſidentes concordare, ortaſque differentias extinguere ſatageret; Ipſe verò Epiſcopus commiſſionem hujuſmodi executus Capitulo generali hujuſmodi interfuit: Sed cum pro reconciliandis partibus, & diſcordiis tollendis ſedulam operam navaſſet, nihil ad effectum perducere valuit, ex eo quia nulla diſcordantium pars ſuis prætenſionibus cedere voluit, & ſic abſoluto Capitulo præfatus Epiſcopus, re infecta, diſcedere coactus fuit.

Determinatio Congregationis prædictæ.

Narratur Concordia, quæ à d. Clemente IX. fuit confirmata.

§. 2. Porrò tranſacto anno à Capituli hujuſmodi celebratione tunc pariter exiſtentes Generalis Reformator, & ſex Definitores quandam tranſactionem, ſeu concordiam formaverunt, eamque quondam Hyacinto de Albengozar Monacho dictæ eorum Congregationis, tunc in Romana Curia pro eadem Congregatione Procuratore Generali, ut illius confirmationem à Sede Apoſtolica obtinere curaret, tranſmiſerunt; Cumque ſubindè præfata Concordia per quaſdam ejuſdem Clementis Prædeceſſoris literas die XIV. Octobris MDCLXIX. in ſimili forma Brevis expeditas confirmata fuiſſet, rec. mem. Clemens PP. X. itidem Prædeceſſor noſter circa præfatas Clementis IX. Prædeceſſoris literas per alias binas ſuas die XIV. Februarii, & die XXIV. Decembris MDCLXXI. in eadem forma Brevis expeditas literas, diverſas edidit declarationes, & ordinationes ſuper æqualitate, & Abbatiis, aliiſque Officiis inter Monachos ex locis citra, & ultra Montes Caſtellam veterem à nova ſeparantes ſitis reſpectivè oriundos ſervanda, nonnullaque ſtatuit de Abbatibus immediatè non reeligendis, illorumque electionibus non amplius per Monachos Conventuales, ſed in Definitorio per Generalem Reformatorem, & Definitores, & ſex Electores certa forma eligendis, præterquam in caſu mortis, renunciationis, vel privationis, & aliàs prout in præfatis utriuſque Clementis Prædeceſſorum literis, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, uberius continetur. Sed quia memorata tranſactio, ſeu concordia ad producendam pacem, & quietem in præfata Congregatione Monachorum nedum inſufficiens recognita fuerat, imò potius experientia compertum extiterat ex ea diſcordias, contentiones, & perſecutiones in dicta Congregatione emanaſſe, ideoque dilecti Filii Monachi Regni Galleciæ, & de Campos, atque Terrarum Regno Legionis finitimarum deſiderantes, ut zizania fructus bonorum operum ſuffocantia tandem eradicarentur, & pax, atque mutua charitas ſuæ Religioni reſtitueretur, dilectos pariter filios Paulum Freyria, & Dionyſium Ximenez Monachos expreſsè profeſſos ejuſdem Congregationis in eorum Procuratores conſtituerunt, illoſque ad Romanam Curiam, ut opportunum ejuſmodi malis remedium à Sede Apoſtolica obtinerent, miſerunt. Cumque iidem Paulus, & Dionyſius Procuratores Anno MDCC. rec. mem. Innocentio Papa XII. Prædeceſſori pariter noſtro ſupplicem libellum ſuper præmiſſis porrexiſſent, idem Innocentius Prædeceſſor eorum cauſam Congregationi tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ commiſit. Ipſa verò Cardinalium Congregatio die XX. Aprilis ultimodicti anni, cognito ſupradictarum literarum impedimento, reſcripſit, ut ad Nos pro aperitione oris recurrerent.

Fit novus recurſus per Monachos Galleciæ, & Campos PP. Freyria, & Ximenez Procuratoribus, & incipit narrativa litis.

§. 3. Nos autem ut in negotio hujuſmodi, quod grave ſatis videbatur, debita maturitate procederemus, dilecto Filio noſtro Franciſco S. R. E. Cardinali Acquavivæ nuncupato, tunc in Hiſpaniarum Regnis noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Nuncio ſcripſimus, ut ſuper in dicto libello expoſitis ſuam Nobis tranſmitteret relationem, ipſe vero Franciſcus Cardinalis tunc Nuncius auditis Partibus, & earum Procuratoribus in Oppido Matriti exiſtentibus, præſertim dilecto Filio Chriſtophoro Oſſorio Ex generali præmemoratorum Pauli, & Dionyſii Procuratorum ex una, & dilecto etiam filio Angelo Ramirez Procuratore Generali dictæ Congregationis ex altera partibus die XXIII. Aprilis MDCCII. relationem ſuam ſuper ſtatu Religionis una cum punctis, ſeu articulis coram ipſo inter dictas partes concordatis, ad Nos transmiſit, ex quibus ſatis apparebat expoſita ab eiſdem Paulo, & Dionyſio Procuratoribus maximum habere fundamentum: Unde ſubinde, nempe die XXVIII. Novembris hujus anni præfata cauſa in Signaturâ noſtrâ Gratiæ coram Nobis habita propoſita, & contradicente pro parte Monachorum Caſtellæ novæ, Rivogiæ, Aſturianorum, & Montanearum Burgenſium dilecto pariter Filio Joanne Guerrero Monacho ejuſdem Congregationis, qui per mandata procuræ per eum exhibita ad præfatam Curiam ab illis eorum Procurator miſſus fuerat, de ejuſdem Signaturæ voto reſcripſimus pro aperitione oris arbitrio ejuſdem Congregationis Cardinalium.

Sanctiſſimus ſcribit Nuncio Hiſpaniarum pro informatione.

Nuncius transmittit Sanctiſſimo ſuam relationem una cum punctis inter Partes coram ſe concordatis.

Narrantur variæ declarationes, & proviſiones factæ à Clemente X.

§. 4. Cumque iſta Cardinalium Congregatio in ſuis decretis ſuper dicto arbitrio emanatis variaſſet, commiſimus eidem Congregationi Cardinalium, ut quoad aperitionem oris cum voto Auditorii Palatii Apoſtolici, ſuffragantibus omnibus ejuſdem Auditorii Cappellanis noſtris, & Auditoribus, procederet, qui rationibus à dictis Paulo, & Dionyſio adductis moti die XIX. Novembris MDCCIII. ſuum votum una cum deciſione pro aperitione oris, atque arbitrio publicarunt, & ſubinde, nempe die XXIII. Septembris MDCCIV. eadem cauſa in eadem Signatura Gratiæ coram

Referuntur Deciſiones Rotæ in cauſa, & proſequitur narrativa litis.

Nobis

Nobis habita denuo propoſita, commiſimus eidem Congregationi Cardinalium, ut ipſa etiam quoad nullitatem, validitatem, vel invaliditatem Bipartitæ ſtabilitæ per tranſactionem, ſeu concordiam à præfatis Generali, & Definitoribus Generalibus confectam, & in prædictis Clementis IX. Prædeceſſoris literis inſertam, cum voto eorumdem Auditorum, ſuffragantibus pariter omnibus, ſimiliter procederet; dicti verò Cappellani, & Auditores die XII. Januarii MDCCV. demonſtrantes pluribus rationibus dictam Bipartitam, ſeu Concordiam, imò tranſactionem eſſe nullam, injuſtam, inæqualem, & enormiter læſivam, die IV. Februarii ejuſdem anni aliam deciſionem, & votum, in quo literas compulſoriales à prædicto Joanne Monachorum Caſtellæ novæ, eiſque adhærentium Procuratore petitas negarunt, ediderunt. Poſtmodum autem cum dicta Bipartita nulla, & injuſta declarata fuiſſet memorati Paulus, & Dionyſius Procuratores in eadem Signatura Gratiæ die XXII. Septembris MDCCV. coram Nobis pariter habita, inſtiterunt, ut committeremus eidem Congregationi Cardinalium, quatenus ipſa pro novo temperamento ſtabiliendo cum voto eorumdem Auditorum, & Cappellanorum noſtrorum procederet; Votum tamen prædictæ Signaturæ fuit, ut præfata Cauſa Congregationi particulari à Nobis deputandæ committeretur. Propoſita autem prædicta cauſa die IV. Februarii MDCCVII. in Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium per Nos ſpecialiter deputata, non ſine ſciſſura votorum reſcriptum fuit; Nobis ſupplicandum eſſe pro expeditione aliarum literarum Apoſtolicarum in ſimili forma Brevis cum ſanatione nullitatum Bipartitæ, aliorumque defectuum, ſi qui eſſent, reducendo vota Capitularia ad æqualitatem, etiam mediante ſubrogatione proximiorum in defectum graduatorum; Verùm quia defectus ſanandi detecti, & publicati in deciſionibus memoratorum Auditorum Cappellanorum noſtrorum enormem læſionem, & injuſtitiam, quorum ſanatio, præcipuè poſt tam longam litem, rationi, & æquitati parum conſona videbatur, oſtendebant. Idcirco prædicti Paulus, & Dionyſius Procuratores ſuper dicta reſolutione Congregationis particularis à Nobis iterum audiri impetrarunt: Eadem tamen particularis Cardinalium Congregatio die XXVI. Junii dicti Anni MDCCVII. reſpondit: in deciſis juxta modum: Modus autem fuit, ut Bipartita etiam quoad tres Præſidentias ſervaretur; quodque in tribus proximis Capitulis ex illa medietate ad Monachos Nationis de Puertos à cà nuncupat. ſpectan. Monachis Campeſinis conferrentur ſeptem Abbatiæ, ex quibus quatuor eſſent matrices. Gallecis autem ſex, ex quibus tres pariter eſſent matrices, & ulterius inter ipſos quolibet triennio una Præſidentia alternaretur; Quodque Officia Capitularia, nec non Voces Capitulares tres ex quatuor partibus dictæ medietatis conferrentur dictis Monachis Gallecis, & Campeſinis, facta inter eos æquali diſtributione, & data dictis Monachis Campeſinis prælatione in caſu numeri inæqualis, ea tamen adjecta lege, ut in quolibet Capitulo tam Abbatiæ, quàm Officia hujuſmodi variarentur; Reliquæ verò Abbatiæ, Præſidentiæ, Officia Capitularia, & Voces Capitulares inter Monachos reliquarum omnium Nationum de Puertos à cà nuncupat. diſtribuerentur; Ita tamen, ut quoad Abbatias Monachi Aſturiani, Rioxani, & Montanenſes ſex tantùm haberent; Officium verò Generalatus in ſecundo proximo Capitulo Monacho Galleco, vel Campeſino conferretur.

Votum Congregationis particularis à Pontifice deputatæ.

§. 5. Porrò cum hæc reſolutio, quæ aliqualiter læſionem temperat, eiſdem Monachis Campeſinis, & Gallecis gravamen minime tollat nec auferat, imò potius prædominium factionis adverſæ confirmet; Iidem Paulus, & Dionyſius Procuratores, contradicente ex adverſo eodem Joanne præfatorum Monachorum Caſtellæ novæ Rivogiæ, Aſturiæ, & Montanearum Procuratore, denuo reclamarunt; Unde propoſita iterum cauſa in eadem Signatura Gratiæ die XIV. Maii MDCCIX. coram Nobis itidem habita; Ponente Dilecto pariter Filio Magiſtro Annibale Albano in utraque Signatura noſtra Referendario, Noſtro ſecundum carnem ex Fratre germano Nepote, porrecta fuit commiſſio pro avocatione ad Nos dictæ Cauſæ à dicta Congregatione particulari Cardinalium; factaque propterea tam ſuper meritis cauſæ, quàm ſuper ultimo poſteriori Decreto ejuſdem Congregationis particularis Cardinalium edito matura conſideratione: Decretum hujuſmodi ultimo loco emanatum præfatis Monachis Gallecis, & Campeſinis læſivum, & ad ſedandas factiones, pacemque in eorum Religione ſtabiliendam inſufficiens judicatum fuit, ac proinde emanavit ab eadem Signatura reſcriptum pro avocatione ejuſdem cauſæ ad Nos, & quod daretur reſolutio in Camera. Hinc eſt, quod Nos tranquillitati dictæ Congregationis Monachorum in præmiſſis quantùm cum Domino poſſumus benignè conſulere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eandem cauſam, ac lites, & controverſias quaſcumque inter Partes antedictas quomodolibet, & in quacumque inſtantia, tam in Sacro Palatii Apoſtolici Auditorio, quàm in alio quovis Tribunali, & coram quocumque Judice pendentes, quarum omnium, & ſingularum ſtatum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Collitigantium, & alia quæcumque etiam ſpecificam, & individuam mentionem & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & exactiſſimè ſpecificatis haberi volumus in ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, à præfatis, & aliis quibuſvis Tribunalibus, & Judicibus ad Nos harum ſerie avocamus, illaſque omnes, & ſingulas ſupprimimus, perimimus, extinguimus, & abolemus ac perpetuum deſuper utrique parti ſilentium imponimus, oſque occludimus.

Sanctiſſimus poſt quatuor repropoſitiones Cauſæ coram ſemetipſo in Signatura Gratiæ contradicente P. Guerrero ex adverſo avocat cauſam ad ſe, & dat reſolutionem in Camera motu proprio & de plenitudine poteſtatis.

§. 6. Præterea earumdem tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus. Primò, quod in quatuor primis proximis Capitulis Congregatio Ciſtercienſium Hiſpaniæ, quæ conſiſtit in quadraginta duobus Monaſteriis; nempe decem, & ſeptem in Provincia de Campos, & Terris adjacentibus Regni Legionis, tredecim in Regno Galleciæ, ſex in Caſtella nova, & præcisè in Regno Toleti, tribus in Aſturiis, & duobus in Provincia Rioxæ, & uno in Montaneis Burgenſibus, in duas partes dividatur, unam nempe faciant Galleci, & Oriundi ex Provincia de Campos, & dictis Terris adjacentibus Regni Legionis, alteram verò Oriundi ex Caſtella nova, Aſturiis, Rivogia, & Montaneis Burgenſibus. Secundò, quod inter Monachos, Gallecos ex una, & Campeſinos, & Terris adjacentibus Regni Legionis ex altera Partibus fiat ſubdiviſio in duas partes, animadverſo, quod cenſeatur, & reputetur oriundus ex prædictis Terris ita diviſis, & ſubdiviſis ille, qui in aliqua ex illis natus eſt tempore, quo ejus parentes, aut aliquis ex illis domicilium permanens in prædictis Terris habebat. Tertiò, quod omnia Officia Capitularia, quorum electiones celebrantur quolibet triennio, tam intra, quàm extra Capitulum generale, diſtribuantur æqualiter inter Monachos oriundos ex Terris, ut ſupra diviſis,

Diviſio Provinciarum, & unde ſumenda oriunditas.

Diſtributio Officiorum Capitularium in genere.

divisis, ita ut tot Officia Capitularia habeant Religiosi oriundi ex Terris Castellæ novæ, Asturiæ, Rioxæ, & Montanearum Burgensium, quot Religiosi oriundi ex Regno Galleciæ, & Terris Provinciæ de Campos, & adjacentibus Regni Legionis, alternando inter has duas Partes sic divisas Officium dispar, quatenùs adsit, subdividendo pariter medietatem præfatorum Officiorum tangentem Monachos Gallecos, & Campesinos in duas partes æquales quarum una in omnibus, & singulo triennio conferatur Religiosis oriundis ex Gallecia, & altera Religiosis oriundis ex Provincia de Campos, & Terris adjacentibus, alternando inter has duas Partes Monachorum sic subdivisas Officium dispar. Quartò, quod Officia Capitularia, quæ eliguntur in singulo Capitulo Generali, & sunt sexdecim, nempe sex Definitores, quatuor Procuratores Generales, duo Visitatores Generales, duo Suppletores Visitatorum, unus Promotor Fiscalis, & unus Secretarius Capituli, dividantur in duas partes omnino æquales, in quarum una ponantur tres Definitores, duo Procuratores Generales, unus Visitator Generalis, unus Suppletor, & Promotor Fiscalis: In alia verò tres Definitores, duo Procuratores Generales, unus Visitator Generalis, unus Suppletor, & Secretarius Capituli, & inter has duas partes divisas alternetur Secretarius Capituli, & Promotor Fiscalis; Ex his verò duabus partibus unam habeant Monachi ex Castella nova, Asturiis, Rioxa, & Montaneis de Burgos, aliam habeant Monachi ex Gallecia, & Campos, ac Terris convicinis Regni Legionis, alternando inter dictas duas partes Generalatum de triennio in triennium, quod Officium conferatur in primo proximo Capitulo Generali Monacho Galleco, vel Campesino, sicque de triennio in triennium alternetur. Quintò, quod hæc pars tangens Monachos ex Gallecia, & Campos cum Terris convicinis Regni Legionis subdividatur inter Gallecos ex una, & Campesinos, & circumvicinos Regni Legionis ex alia partibus; Ita tamen ut ex una parte ponantur duo Definitores, unus Procurator Generalis, & Secretarius Capituli, vel Promotor Fiscalis ad formam alternativæ primæ divisionis: Ex alia unus Definitor, unus Procurator Generalis, unus Visitator Generalis, & unus Suppletor, alternando has partes subdivisas inter has Nationes quolibet Capitulo, & sic Officium Generalis Reformatoris; Ita ut quando Generalis Reformator debeat eligi ex Regno Galleciæ, & Provinciis de Campos, pro una vice eligatur oriundus ex Regno Galleciæ, & pro altera ex Provinciis de Campos, & Terris circumvicinis Regni Legionis. Sextò, quod triginta octo Abbatiæ, quæ sunt in Religione (exclusa Palatiolensi, cujus Abbas semper est Generalis Reformator) distinguantur in tres Classes, quarum prima sit Collegiorum, quæ sunt sex; Secunda sit Abbatiarum, quæ nuncupantur Matrices, seu Monasteria, in quibus recipiuntur, educanturque Novitii, & sunt viginti; Tertia Monasteriorum, in quibus non educantur Novitii, & sunt duodecim, quæ omnia per suas Classes, ut supra, dividantur in duas partes omnino æquales, quarum prima contineat tria Collegia, decem Monasteria matricia, & sex Monasteria non matricia. Septimò, quod prædictæ triginta octo Abbatiæ ex unaquaque ex Classibus designatis dividantur pro æquali, & una pars, nempe decem, & novem conferantur Monachis oriundis ex Castella nova, Asturiis, Rioxa, & Montaneis; alia verò Monachis oriundis ex Gallecia, Campos, & Terris circumvicinis ejusdem Regni Legionis. Octavò, quod decem, & novem ex prædictis Abbatiis conferendis dictis Monachis Gallecis, Campesinis, & Terris circumvicinis memorati Regni Legionis subdividantur in duas partes æquales, ponendo in unaquaque tot Abbatias cujuscumque Classis pro qualibet parte, & una pars sic subdivisa conferatur Gallecis; altera verò Campesinis, & oriundis ex Terris circumvicinis supradicti Regni Legionis, impar verò Monasterium inter ipsos alternetur. Nonò, quod ex tribus Præsidentiis una conferatur singulo triennio Castellanis novis, Asturianis, Rivogianis, & Montanensibus; altera Gallecis, Campesinis, & circumvicinis ejusdem Regni Legionis; tertia verò alteri ex prædictis duabus partibus, quæ Generalem non habet in triennio, conferatur: Illa verò tangens Campesinos, & Gallecos inter ipsos alternetur. Decimò, quod ex duobus Prædicatoribus Generalibus cum voto perpetuo in Capitulo, unus ex Monachis oriundis ex Castella nova, Asturiis, Rioxa, & Montaneis, alius autem ex Gallecia, Campos, & Terris circumvicinis dicti Regni Legionis eligatur; Ita tamen ut si una vice fuerit electus Monachus oriundus ex Gallecia, alia vice Monachus oriundus ex Campos, & Terris circumvicinis supradicti Regni Legionis eligatur. Undecimò, quod duodecim Magistri jubilati antiquiores, & quatuor Prædicatores jubilati antiquiores, qui habent vocem perpetuam in Capitulo generali dividantur in duas partes æquales, scilicet sex Magistri, & duo Prædicatores pro qualibet parte, & unam partem habeant Monachi oriundi ex Castella nova, Asturiis, Rioxa, & Montaneis; aliam verò partem habeant Monachi oriundi ex Gallecia, Campos, & Terris circumvicinis ejusdem Regni Legionis: Hæc verò secunda medietas subdividatur æqualiter inter Gallecos, & Campesinos, nempe tres Magistri jubilati, & unus Prædicator jubilatus pro Gallecia, & alii tres Magistri, & unus Prædicator pro Campos, & Terris circumvicinis prædicti Regni Legionis; ea tamen conditione, quod si aliqua ex supradictis partibus divisis, & subdivisis non habeat Magistrum jubilatum, vel Prædicatorem jubilatum per lecturam seu Prædicationem duodecim annorum, habeat facultatem subrogandi proximiorem in exercitio Lecturæ, vel Prædicationis. Duodecimò, quoad Monachos eligendos ad Cathedras Universitatum Capitulum, & Generalis Reformator providè attendant, ut eligantur Monachi ex omni Natione juxta divisionem, & subdivisionem, ut etiam inter ipsos post jubilationem, & assequutionem Cathedrarum præfixa æqualitas servetur. Decimotertiò, quod si intra triennium, factâ jam electione in Capitulo generali quacumque ex causa Generalatum vacare contingat, quamcumque Abbatiam, seu quodcumque Officium ex supradictis, in locum sic vacantem promoveri debeat, & subrogari ab iis, ad quos spectat Monachus oriundus ex illa parte, ut supra divisa, & subdivisa, ex qua oriundus erat ille, ob cujus mortem, promotionem, renunciationem, aut privationem Officium vacare contigerit, qui sic subrogatus exercere valeat munus suum dumtaxat ad tempus, quod supererat decedenti, renuncianti, privato, vel promoto.

§. 7. Volumus autem, quod in reliquis omnibus præsentibus nostris ordinationibus non repugnantibus serventur Constitutiones Ordinis, Decreta Sacrarum Congregationum, & Constitutiones Apostolicæ, utque hic modus observandi Bipartitam inseratur inter Constitutiones juratas dictæ Congregationis Monachorum, & una cum illis legatur temporibus legi solitis in Monasteriis d. Congregationis, & in omnibus Capitulis Generalibus, ac juretur ab omnibus Capitularibus observantia omnium prædictorum antequam procedatur ad electiones; Quod si forte aliquis

jurare,

Specifica eorumdem Officiorum distributio, & alternativa Generalatus.

Distributio Abbatiarum per suas Classes.

Distributio Monasteriorum quæ dicuntur Præsidentiæ.

Distributio Prædicatorum generalium.

Distributio Magistrorum & Prædicatorum cum voto.

Providetur quoad Monachos eligendos ad Cathedras Universitatum.

Ad Officium vacans intra triennium eligatur alius ejusdem Nationis.

Præscribitur modus observandi præsentem bipartitam.

In omnibus Capitulis generalibus juretur observantia à Capitularibus antequam veniatur ad electiones. Renuens ejiciatur extra Capitulum, & careat voce activa, & passiva.

jurare, & obſervare renuerit, ejiciatur extra Capitulum, voceque activa, & paſſiva pro eâdem vice careat, ſicque lis extincta remaneat.

§. 8. Præterea mandamus, ut hæ proviſiones noſtræ in quatuor Capitulis Generalibus proximis ſervari debeant, iiſque completis perſeverent, ſi diſſenſiones ceſſaverint, ſin minus ad Nos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem recurſus pro nova proviſione fieri debeat.

§. 9. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter in præmiſſis, per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula ſublata, & decretum irritans.

§. 10. Quo circa Venerabili Fratri Epiſcopo Aſtoricen., vel eo abſente, ſeu impedito, Venerabili etiam Fratri Epiſcopo Calaguritano per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe per ſe, vel per alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte intereſſe habentium, ſeu alicujus eorum fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, illiſque in eiſdem præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens faciat authoritate noſtrâ illos, & eorum quemlibet præſentium literarum, & in eis contentorum hujuſmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittens illos deſuper quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, & inquietari Contradictores quoſlibet, & Rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, legitimiſque ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus, aggravando; invocato etiam ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Nominantur Executores.

Præſcribitur executio omni appellatione poſtpoſita, & publicatio præſentium literarum, & pœnæ contra Rebelles.

§. 11. Non obſtan., quoad ea, quæ præſentibus ſunt contraria præfatis utriuſque Clementis Prædeceſſorum literis, aliiſque omnibus, & ſingulis præmiſſis, & quatenus opus ſit, de non tollendo jure quæſito, aliiſque noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ, regulis, necnon rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri de unâ, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium in Judicium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, Congregationis, & Monaſteriorum, ac Ordinis hujuſmodi, aliiſque quibuſvis etiam jnramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatur contrariis, & expreſsè Brevibus Clementis IX. & Clementis X.

§. 12. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 111. Octobris MDCCX. Pontificatus noſtri Anno Decimo.

F. Oliverius.

DECLARATIO XLV.

Nullitatis Precum Primariarum, Sacro Romano Imperio vacante, à Vicariis, ſeu Proviſoribus Imperialibus expeditarum, & quarumcumque proviſionum, earumdem Precum vigore factarum, ſeu faciendarum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium, in quo narrat notitiam habuiſſe precum primariarum vacante Imperio, à Vicariis, ſeu Proviſoribus Imperialibus expeditarum.

CUm, ſicut accepimus, in præſenti Sac. Romani Imperii Interregno Vicariorum, ſeu Proviſorum Imperialium nuncupatorum nomine, nec non aſſertorum jurium illis competentium obtentu preces quædam, quas primarias vocant, quamplurium Collegiatarum, & forſan etiam Cathedralium, ac Metropolitanarum Eccleſiarum Præſulibus, Capitulis, & Canonicis, aliiſque diverſorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum tam Sæcularium, quàm Regularium, in variis ejuſdem S. R. I. ac potiſſimum Germaniæ Inferioris partibus conſiſtentium Collatoribus, ſeu Collatricibus directæ, pro Canonicatibus, & Præbendis Eccleſiarum hujuſmodi, cæteriſve Beneficiis præfatis, nonniſi certis perſonis vigore earumdem precum commendatis, per eos, ad quos pertinet, conferendis, conceſſæ, expeditæ, ac præſentatæ, & forſan etiam aliquæ effectum ſuum ſortitæ fuerint; Explorati verò juris ſit nemini fas eſſe abſque hujus Sanctæ Sedis Indulto quempiam ad Canonicatus, & Præbendas, aliaque Beneficia hujuſmodi ſic commendatis conferenda, compellere: ſatiſque inſuper omnibus notum ſit quàm enixis dudum, & pluries tam à Nobis ſive per diverſas Noſtras in ſimili forma Brevis literas, ſive aliàs, quàm à Noſtris & ejuſdem Sedis Nunciis juſſo noſtro iteratis ordinationibus, & decretis, illaſmet ſimiles primarias preces, quæ à cla: mem: Joſepho, dum viveret, Romanorum Rege in Imperatorem electo porrectæ, ſeu expeditæ fuerunt, utpote Apoſtolicæ auctoritatis munimine deſtitutas, nullatenus admittendas, ſed pœnitus, & omnino rejiciendas, ac repellendas fuiſſe, & eſſe mandaverimus, & declaraverimus.

Similes preces ab Imperatore Joſepho expeditas rejecit.

§. 1. Hinc eſt, quòd Nos, qui jurium Eccleſiaſticorum aſſertores in Terris à Domino conſtituti ſumus, ac proinde tam gravem Laicalis poteſtatis abuſum diſſimulare non poſſumus, libertatem, Immunitatem, ac Juriſdictionem Eccleſiaſticam, quantùm Nobis ex alto conceditur, ſartam, tectamque, atque illibatam tueri, & conſervare cupientes, ac omnium, & ſingulorum, quæ in præmiſſis, ſeu eorum occaſione quovis modo acta, & geſta fuerunt, tenores, & datas, ac circumſtantias quaſcumque: Perſonarum verò, à quibus illa, vel eorum aliquod reſpectivè emanarunt, qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, & alia quæcumque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & exactè ſpecificatis habentes: Motu proprio, ac ex certâ ſcientiâ, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine: Omnes, & ſingulas primarias preces ſupradictas, præ textu ejuſmodi S. R. I. aſſertorum Vicarialium jurium, pro quorumvis Canonicatuum, & Præ-

Ejuſmodi preces nullas declarat, ac ubicumque repelli mandat.

bendarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, sive Sæcularium, sive Regularium cujusvis Ordinis, seu Instituti collatione, quibusvis Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque Beneficiorum hujusmodi Collatoribus, seu Collatricibus ad favorem quarumvis Personarum hactenus quomodolibet porrectas, & præsentatas, ac (quod absit) in posterum porrigendas, & præsentandas, cum omnibus, & singulis inde secutis, & quandocumque secuturis, penitus, & omnino illicitas, nullas, irritas, & invalidas, viribusque, & effectu vacuas, & de facto attentatas nulliusque roboris, & momenti fuisse, esse, & fore, nec ullatenus attendi debuisse, nec debere; Sed illas, perinde ac si nunquam factæ fuissent, vel emanassent, neque unquam fierent, vel emanarent, pro non extantibus, & non factis semper habendas esse; Collationes insuper, & provisiones, aliasve quaslibet dispositiones Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque Beneficiorum præfatorum in vim precum hujusmodi hactenus quovis modo forsan factas, & quas in futurum quomodolibet fieri contigerit, pari modo nullas, invalidas, inanes, & irritas, nulliusque roboris, & momenti fuisse, esse, & fore, nec ullum, etiam coloratum, illis, in quorum favorem factæ fuerunt, aut in posterum fient, possidendi, aut retinendi titulum præbuisse, aut præbituras esse, neque Provisos de Canonicatibus, & Præbendis, aliisque Beneficiis hujusmodi fructus, redditus, & proventus illorum suos feciſse, aut quandocumque facturos esse, sed ad illorum restitutionem omnino teneri, & obligatos existere, & fore, tenore præsentium statuimus, decernimus, & declaramus.

Collationes insuper, & provisiones earum intuitu factas, & faciendas irritas declarat & nemini suffragari debere pronunciat.

§. 2. Decernentes etiam easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illos aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis præditæ Nuncios, aliosve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros; sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis Personis quibuslibet, etiam quacumque Ecclesiasticâ, vel mundanâ dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis & innovatis.

Cum clausula sublata & decreto irritanti.

§. 3. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus, adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertiâ Octobris MDCCXI. Pontificatus Nostri Anno XI.

F. Oliverius.

Derogatio ampliſſima quibuſcumque contrariis.

DECLARATIO XLVI.

Nullitatis quamplurium Decretorum, Ordinationum, Mandatorum, Edictorum, aliorumque gestorum in Hispaniis Libertati, Immunitati, & Jurisdictioni Ecclesiasticæ, atque Authoritati Apostolicæ præjudicialium, cum eorum omnium damnatione, revocatione, & abolitione: firmis remanentibus Ecclesiasticis censuris Apostolicæ Sedi reservatis per eos, qui illa perpetrarunt quovis modo incursis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponuntur gesta in Regnis Hispaniarum adversùs Dignitatem, ac Jurisdictionem S. Sedis

ALiàs ad Apostolatus nostri notitiam delatis iis, quæ non ita pridem in Regnis Hispaniarum, non minus adversùs sanctiora quævis Ecclesiæ Jura & libertates, quam adversùs Nostram, & Apostolicæ Sedis Dignitatem, ac Jurisdictionem per Sæculi potestatem, non sine

maximo

maximo totius Christiani Orbis scandalo, perpetrata fuerant; potissimum verò per Nos acceptо, quod expulso ab eisdem Regnis Venerabili Fratre Antonio Felice Archiepiscopo Damascено, Nostro, & dictæ Sedis Nuncio, simulque inde ejectis omnibus illius Curiæ Officialibus, ac proinde abolito prorsus Pontificio Tribunali, occupatisque Tabulariis ad illud pertinentibus, Venerabiles Fratres Archiepiscopi, & Episcopi prædictorum Regnorum ad causas, quæ eis minimè competebant, cognoscendas, aliaque Jura ad eandem Sedem, ac illius Nuncium pro tempore existentem unicè spectantia exercenda, Regii Nominis authoritate, seu potius abusu, injustè non minus, quàm nulliter excitati fuerant: Quocumque Fidelibus illarum Partium cum hac Romanâ Curiâ, ubi Nos universæ Ecclesiæ regimini, nullis licèt meritis nostris, præsidemus, vetito commercio, omnique eorum ad illam pro gratiâ, sive justitiâ obtinendâ recursu ita penitus interdicto, ut illis etiam, qui eâ de causâ ex Hispaniis huc advenerant, sub comminatione Regiæ indignationis jussum fuerit, quatenus à cœptis desisterent, atque ad propria sine ullâ morâ reverterentur; Nec sanè minori ausu inter alia multa utrique Clero earumdem Partium perperam injuncta, Regularibus universis vetitum fuerat, ne Superioribus Generalibus suorum Ordinum in hac Almâ Urbe commorantibus, non secus, ac si apud Hostes degerent, ullum cultum, ullamve obedientiam, quâ eis cæteroqui solemnis voti Religione obstricti reperiebantur, exhibere præsumerent; ac demum ad Nos allato, quod ad conflandam majorem Regio Nomini invidiam, inter cætera antehac ibi inaudita, acerbissimum Pontificiæ Nostræ authoritati inflictum fuerat vulnus novis Literarum Apostolicarum executioni interjectis impedimentis, quibus illæ contra fas omne Laicorum Hominum censuræ subjiciebantur; aliaque plura, quæ longum nimis esset referre, in maximum Ecclesiasticæ Potestatis contemptum, & injuriam patrari contigerat, perinde, ac si Inclytæ Hispanorum Nationi ob cultum pietatis, ac singularem in Romanos Pontifices devotionem per omnes ætates summopere commendatæ, ignotum esset gravissimis per Sacros Canones irrogatis pœnis, ac censuris illos irretiri, qui Arcam Dei prophanâ manu sic attingere, sacraque Ecclesiæ Jura conterere non exhorrent.

Expulsio Nuncii Sedis Apostolicæ.

Interdictio commercii cum Romana Curia.

Prohibitio facta Regularibus, ne reverentiam exhiberent Generalibus propriorum Ordinum in Alma Urbe commorantibus.

Impedimenta præstita executioni literarum Apostolicarum.

§. 1. Nos præmissa omnia in mærore, & amaritudine cordis nostri seriò considerantes, tum paternis Literis, quas lachrymis potius, quàm atramento conscripsimus, tum aliis adhibitis mediis, arguimus, obsecravimus, increpavimus, instantes opportunè, importunè, juxta Apostoli monitum, in omni patientiâ, & doctrinâ, ut prænarrati excessus, debitâ actorum rescissione, congruâque tantorum gravaminum reparatione sarcirentur: Charitati interea nostræ diuturniori longanimitate indulgentes, ut qui illa admiserant, in eam, à qua tam longè aberraverant, Justitiæ viam, agnitâ tandem veritatis luce, redirent.

Diligentiæ adhibitæ pro emendatione præfatorum excessuum.

§. 2. Cum autem, sicut non sine ingenti animi nostri molestiâ, nuper accepimus, pravis illorum prævalentibus consiliis, qui ad tutelam, & amplificationem Regiæ Dignitatis pertinere arbitrantur Ecclesiasticam authoritatem modis omnibus impetere, quæcumque Nos hac in re charitate suadente, & quasi anteactorum obliti, hucusque peregimus, parandæ optatæ tranquillitati adeò non profuerint, ut iis penitus neglectis, nova potius in dies gravamina prioribus adjecta fuisse audiverimus; Cujusmodi profecto sunt Decreta illa, quibus sæcularem potestatem eò deveniisse percepimus, ut non modò ad vacantium in dictis Partibus Ecclesiarum fructus, juxta veterem, ac immemorabilem, consuetudinem nec non notissimam tot Apostolicarum Constitutionum dispositionem ad Cameram Nostram Apostolicam spectantes, manus apposuerit, contemptis prorsus Ecclesiasticis censuris tam generatim per Concilium Tridentinum sess. XXII. de Reformat. cap. XI. adversùs cujusvis Ecclesiæ bonorum, rerum, jurium, fructuum, ac reddituum Occupatores latis, quàm speciatim per easdem Apostolicas, ac præsertim fel. rec. Pauli III., Julii etiam III., Pii V., ac Gregorii XIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum super Ecclesiarum in Hispaniis vacantium fructibus, illorumque administratione editas Constitutiones, adversùs illarum Transgressores, inflictis: Verùm etiam novam quandam ab Hispanis in Apostolicarum Literarum expeditione servandam formam, & hanc quidam Pontificiæ Jurisdictionis summoperè læsivam, ac illius libertatis, quâ Fidelibus omnibus, in suis potissimum spiritualibus necessitatibus, ad hanc Sanctam Sedem, unde Catholicæ Religionis oracula in universum Orbem diffunduntur, recurrere fas est, penitus eversivam, præscribere non erubuerit.

Illis non obstantibus secuta est usurpatio fructuum Ecclesiarum vacantium, spectantium ad Camer. Apost., per abusum laicalis Potestatis.

Nova forma indicta in expeditione literarum Apostolic. S. Sedi læsiva.

§. 3. Hinc est, quod Nos, ne in tam apertâ Apostolicæ authoritatis, atque Ecclesiasticæ Immunitatis oppugnatione torpescere videamur, desertæque turpiter Dei Causæ rei efficiamur: tametsi notorii, & explorati juris sit ea omnia, quæ in præjudicium Ecclesiæ, ejusque Jurium, præsertim à Laicis, quovis modo attentantur, nullius prorsus esse roboris, & momenti; quinimmò rec: mem: Urbanus Papa VIII. itidem Prædecessor Noster dictæ Apostolicæ Sedis, Romanæque, & aliarum inferiorum Ecclesiarum, ac Personarum Ecclesiasticarum jura quæcumque à præjudicialibus hujusmodi per quandam suam Constitutionem die V. Junii MDCXLI. editam amplissimè præservaverit: Ac Nos ipsi plura ex præmissis, quæ tunc Nobis innotuerant, quæque in quibusdam Literis ante duos annos Episcopis, Ecclesiis, Universitatibus, ac Clero Regulari Hispaniarum à Sæculari Potestate conscriptis continebantur, nulla, irrita, invalida, damnata, & reprobata fuisse, & esse per alias nostras in simili formâ Brevis Literas die 11. Octobris MDCCIX. expeditas, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac inserto haberi volumus, declaraverimus: Nunc tamen Ecclesiæ, & dictæ Sedis jurium indemnitati peramplius consulere, necnon Animarum periculis, quantùm Nobis ex alto conceditur, uberius occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula Decreta, Ordinationes, Literas, Intimationes, Mandata, Edita, & alia quælibet in præmissis, seu earum occasione in præjudicium libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque authoritatis Apostolicæ respectivè quovis modo emanata, edita, acta, gesta, & perpetrata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, injusta, damnata, reprobata, inania, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, & perpetuò fore, neminemque ad illorum observantiam teneri; imò nec ea à quopiam observari posse, vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut possidendi, seu quasi possidendi,

Nullitas omnium præmissorum.

Præsertim ex capite Constitutionis felic. record. Urbani VIII., ac Brevium per san. me. Clementem XI. scriptorum.

Declaratio nullitatis omnium Ordinationum, Decretorum, & gestorum circa præmissa, cum reprobatione juris, tituli, & actionis cujuscunque inde profluentis.

vel præſcribendi, cauſam acquiſitam, vel acquiſitum fuiſſe, vel eſſe, aut quandocumque acquiri, vel competere poſſe, neque illa ullum ſtatum facere, vel feciſſe, ſed perinde, ac ſi nunquam emanaſſent, nec facta fuiſſent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere, tenore præſentium denuo declaramus. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus harum ſerie damnamus, reprobamus, revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuis ſemper haberi volumus, & mandamus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo proteſtamur.

Reprobatio omnium præmiſſorum.

§. 4. Firmas prætereà, ac ſalvas eſſe ſimiliter volumus, atque decernimus quaſcumque cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, quas ii omnes, qui præmiſſa perpetrarunt, mandarunt, vel rata habuerunt, ſeu in eis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtiterunt, cujuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint, propter eadem præmiſſa quovis modo incurrerunt, à quibus, poſt condignam Eccleſiæ præſtitam ſatisfactionem, nonniſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentiâ in eaſdem cenſuras eo ipſo, quo convaluerint) abſolvi, & liberari valeant. Facultate inſuper Nobis, & eidem Sanctæ Sedi expreſsè reſervatâ, quatenus illi minimè redierint ad cor, ad alia canonica, ac ſeveriora remedia quandocumque procedendi.

Decretum firmitatis cenſurarum, & pœnarum contra præmiſſa perpetrantes cum reſervatione abſolutionis S. Sedi.

§. 5. Decernentes etiam eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod præfati, aut alii quicumque in præmiſſis, ſeu eorum aliquo Jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe: Sed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R. Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & ejuſdem Sedis Nuncios, alioſve quoslibet, quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta roborantia cum clauſula ſublata, & irritante.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus; necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, & ſtylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſcumque Perſonis etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecialiſſimâ mentione dignis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque Perſonarum, etiam Imperiali, Regali, aliâve qualiibet mundana, vel eccleſiaſtica dignitate fulgentium inſtantiam, vel earum contemplatione, ſeu aliàs quomodolibet in genere, vel in ſpecie, etiam conſiſtorialiter in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſimodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & formâ in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xvii. Octobris MDCCXI. Pontificatus Noſtri Anno XI.

Fides habenda tranſumptis.

Dat. die 17. Octobris anno 1711.

F. Oliverius.

CONSTITUTIO XLVII.

Super ſtudiis, & gradibus Ordinis Carmelitarum.

Narratur obſervantia quarumdam Conſtitutionum tam circa ſtudia, quam circa promotionem Studentium ad gradus ſcholaſticos in nonnullis Provinciis Ordinis Carmelitarum uſque ad annum 1680.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Thomas Sanchez Prior Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quòd licèt per Conſtituriones dicti Ordinis antiquæ Obſervantiæ nuncupat. part. prima cap. 17. & 18., certa forma tam circa ſtudia, quàm circa qualitates in Studentibus ad gradus ſcholaſticos promovendis requiſitas, incipiendo ab officio

Cur-

Curioratus nuncupat, usque ad Magisterium observanda præscribatur, eaque in omnibus prædicti Ordinis Provinciis (exceptis illis Hispaniarum, & Portugalliæ, quæ circa præmissa Statutis particularibus utuntur) non sine magno scientiarum emolumento ab immemorabili tempore usque ad annum MDCLXXX. servata fuerit, nihilominus in Capitulo Generali ejusdem Ordinis quod dicto anno MDCLXXX. celebratum fuit, eidem formæ nonnulli Articuli ad praxim minimè adducibiles adjuncti fuerunt; verùm paulò postea, nempe die 28. Septembris MDCLXXXII. iidem Articuli ad evitanda incommoda, quæ ex eorum observantiâ oriri posse prævidebantur, per quondam Angelum Monsignani tunc existentem Priorem Generalem dicti Ordinis ex vivæ vocis oraculo à fel. rec. Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro habito ad Superiorum Provinciarum Italiæ ejusdem Ordinis instantiam suspensi fuerunt, quousque in tunc proximè futuro Capitulo Generali, quod subinde, nempe anno MDCLXXXVI. celebratum fuit, an iidem Articuli penitus abrogandi, seu corrigendi forent discuteretur, ac interim id, quod super præmissis per dictas Constitutiones sancitum reperiebatur exactè observari debere, decretum fuit.

Immutatio dd. Constitutionum expleta in Capitulo anni 1680.

Redintegratio observantiæ dd. Constitutionum anni 1686.

§. 1. Porrò prædictis Articulis in Capitulo Generali hujusmodi examinatis, eorumque difficillimo usu recognito, totum negocium arbitrio, & prudentiæ quondam Pauli à S. Ignatio in ultimo dicto Capitulo Generali in Priorem Generalem electo, remissum fuit; Ipse verò Paulus Prior Generalis nil aliud circa studia, & gradus hujusmodi, quàm formam per dictas Constitutiones præscriptam durante suo Generalatus officio observavit; Subinde autem cùm in alio Capitulo Generali ipsius Ordinis anno MDCXCII. celebrato ad prædicti Ordinis regimen quondam Joannes Feyxoo de Villalobos assumptus fuisset, ipse zelo ductus sperans se eam formam, quæ circa eadem studia in dictis Hispaniarum Provinciis servatur, ad omnes alias suæ Religionis, & signantur Italiæ Provincias extendere posse, diversa decreta praxi quidem earundem Provinciarum Hispaniæ consona, sed formæ à supradictis Constitutionibus præscriptæ penitus adversantia promulgavit, illasque per quasdam subinde rec: mem: Innocentii Papæ XII. etiam Prædecessoris nostri die 11. Octobris ejusdem anni MDCXCII. in simili formâ Brevis desuper expeditas literas toto illorum tenore inserto confirmata executioni, demandare curavit.

Nova immutatio earumdem in Capitulo anni 1692. roborata per Breve. san: mem: Innoc. XII.

§. 2. Verùm cum id non modò difficile, sed ferè impossibile tam ipse Joannes Prior Generalis, quàm ejus Successores experti fuerint ob paupertatem, & angustias earundem Provinciarum Italiæ, Collegiorum in prædictis Decretis designatorum numerum ferre minimè valentium, prout 18. annorum experientia comprobavit; Exindeque multa mala, & incommoda memoratis Italiæ Provinciis obvenerint, non sine magno studiorum, quæ ferè penitus collapsa sunt, detrimento, cùm major inibi Lectorum, quàm Studentium, & Studiorum numerus reperiatur, eâque de causâ quamplurimi contra earundem Constitutionum formam gradibus insigniti fuerint, noviſſimè in Capitulo Generali Ordinis supradicti anno MDCCIV. celebrato iisdem Decretis per dictum Joannem Priorem Generalem, ut præfertur, confectis maturè perpensis, eorumque praxi ferè impossibili recognitâ, edita fuerunt nova alia Decreta in omnibus, & per omnia antiquæ formæ per memoratas Constitutiones stabilitæ consona, cum solo additamento duorum salubrium Decretorum in aliis Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis annis 1645. & 1660. celebratis confectorum tenoris sequentis videlicet:

Nova Decreta sancita in Capitulo anni 1704. conformia supra relatis Constitutionibus.

EX CAPITULO GENERALI 1704.

De Studiis, & Studentibus.

Tenor eorumdem Decretorum.

CArmelitis olim majoribus nostris in Eremis, ac solitudine latentibus unicum porrò erat necessarium, Deo nimirum vacare per continua contemplationis exercitia: Verùm ex quo ad publicum Ecclesiæ famulatum, Agrique Dominici culturam Summorum Pontificum auctoritate translati sumus, nostri jam instituti ratio postulat, ut cum Theologiâ misticâ, quæ sanè pars est Carmelitarum optima, literarum, scientiarumque studia, non impigrè conjungamus. Quare statuimus in primis, quod in universo Ordine nostro sint studia generalia quadraginta quatuor, videlicet; Romæ, Parisiis, Tolosæ, Paduæ, Papiæ, Neapolis, Florentiæ, Senis, Pisis, Taurini, Cremonæ, Ravennæ, Cataniæ, Drepani, Messanæ, Panormi, Barchinonæ, Salmanticæ, Compluti, Ilerdæ, Conimbricæ, Toleti, Vallisoleti, Valentiæ, Oschæ, Granatæ, Hispali, Ossunæ, Cordubæ, Coloniæ, Moguntiæ, Lovanii, Avenioni, Perpiniani, Burdegalæ, Andegavi, Licii, Cracoviæ, Viennæ, Sanctæ Mariæ de Vita, Duacii, Vilnæ, Capuæ, ac Bononiæ, in quibus omnibus sint continuæ Regentes, & Lectores Artium, & Theologiæ cum Studentibus idoneis.

Decernitur, quod in universo Ordine sint quadragintaquatuor Studia generalia, expressis Civitatibus.

Item ordinamus, quod quælibet Provincia possit mittere Studentes ad quodlibet studium generale, de licentiâ tamen, & assensu Prioris Generalis; Declarantes, quod si in Provinciis, ubi propter observantiam vitæ communis conventualitas est abrogata, in Conventu aliquo essent plures Fratres idonei ad studia, Provincia talis ex communi Ærario Provinciæ teneatur solitam subventionem pro suis necessitatibus supplendis assignare omnibus, & singulis sic missis. In aliis verò Provinciis, ubi nondum viget vita communis, sed conventualitas adhuc in usu est, solita subventio Studentium fiat à Conventibus, quorum sunt filii, & talis provisio assignetur cuique, quandiu actualiter Studentes erunt. Decernentes insuper, quod quilibet Conventus Ordinis habens facultatem nutriendi octo Fratres, teneatur manutenere unum Religiosum suæ Provinciæ in studio, & ei solitam subventionem dare, sub pœnâ privationis officii Priori, & rebellionis Fratribus dicti Conventus huic Satuto se opponentibus, infligenda; Unde consequenter statuimus, quòd si contingat plures esse Studentes filios unius Conventus, cui facultates non suppetunt omnibus solitam subventionem dare, Provinciali, seu Generalis eos distribuat, & assignet aliis Conventibus ejusdem Provinciæ, qui vel non habent Alumnos studentes, vel si habent, non in eo numero, quo possunt in studio sustentare. Studentes verò ad Studia generalia intra, vel extra suam Provinciam missi, nullo modo promoveantur, nec quidem in formâ simplicis Cursoratus, sine Prioris Generalis licentiâ, & servatis iis, quæ inferius determinabuntur, quod intelligendum est de Italiæ Provinciis, quinimò nec Provincialis neminem possit promovere ad studia, nisi cum licentiâ Patris Generalis, & habitis parentibus ejusdem.

Facultas concessa cuilibet Provinciæ Studentes mittendi ad quodlibet Studium generale cum declaratione circa submini-strationem expensarum.

Studentes ad studia missi non promoveantur absque licentia Prioris Generalis.

Ad hæc studia nullus mittatur discolus, vel de inhonesta conversatione suspectus, aut qui crimen perpetravit, vel scandalum fecerit, etiamsi ab Ordine non recesserit. Similiter qui ab Ordine apostatavit, sed solùm illi, quos virtutis, & honestatis amantes, Prior Provincialis Patri Ordinis præsentandos esse judicaverit, habitis etiam super hoc testimonialibus literis à Conventu, in quo per sex ultimos menses ante studium vixerint, & post debitos annos in Seminario, vel Professorio à professione completos, nisi aliquando justâ de causâ

Prohibitio ne ad studia mittantur crimino-si, vel Apostatæ sed tantùm ii, qui testimoniales habuerint.

à Diffinitorio de manſione in Conventu continuâ per ſex menſes diſpenſarentur, quæ cauſæ ſimiliter ad Reverendiſſimum Generalem tranſcribantur; idque intelligendum volumus de omnibus Studentibus, ſive intra, ſive extra Provinciam ad ſtudium mittantur, ſub pœna depoſitionis Provinciali ab officio, & Diffinitoribus ſub pœnâ inhabilitationis ab actu definiendi impoſterum. Et ſi ex quâcumque Provinciâ tales rixoſi, diſcoli, & aliis ſupra nominatis vitiis affecti ad Lectoratus, Baccalaureatus, imò & Magiſterii gradus fuerint promoti; aut in ſtudio, ad quod tales ſunt miſſi, tales fuerint reperti, ipſo facto ſint privati perpetuò omni ſtudio, & gradu.

Studentes reverti non poſſint ad Provincias ſine licentia.

Item ordinamus, quod nulli Studentes à quibuſcunque ſtudiis generalibus redeant ad ſuas Provincias ſine Prioris Generalis, & ultra montes, ſaltem ſine Provincialis aſſenſu, neque Prior ſtudii generalis habeat poteſtatem talibus licentiam dandi ad eorum inſtantiam ſub pœnâ depoſitionis ab officio.

Nemo ad gradum Licentiæ, vel Doctoratus admittatur ſine facultate Prioris Generalis.

Item firmiter ſtatuimus, quod nullus Frater præſumat gradum licentiæ, ac lauream doctoralem in aliquâ Univerſitate ſuſcipere abſque expreſsâ licentiâ Reverendiſſimi P. Generalis ſpecialiter conceſsâ, ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis gradus, & honorum in perpetuum, aliiſque pœnis in Bullis Martini V. & Eugenii contentis.

Præfinitio temporis quoad principium, & finem lectionum.

Item ordinamus, quod lectiones in Logicâ, Philoſophiâ, & Theologiâ initium ſumant à feſto Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ uſque ad Dominicam Sexageſimæ, & à die Cinerum denuo reſumantur uſque ad diem ultimam menſis Junii, neque intermittantur lectiones, niſi deputati, ad legendum aliquâ fuerint infirmitate correpti, cujus rei curam ſpecialem P. Provincialis habebit in ſuis viſitationibus.

Deſtinatio vocationis qualibet hebdomada.

Studentes regulariter non feriabuntur à ſcholis, niſi ſemel per diem in unaquaque hebdomadâ, ubi nullum feſtum occurrit.

Forma ſervanda in collatione Graduum in toto Ordine, excepta Hiſpania, & primò quod illa fiat per Priorem Generalem prævio examine.

Gradus extra Provincias Hiſpaniæ (pro quibus infra ſpecialis erit dicendi locus) hoc modo, & non aliter à Reverendiſſimo P. Generali concedi poterunt ſub pœnâ nullitatis. Primò nullus gradus, qualiſcunque is demum ſit, conferetur, aut conferri poterit à Reverendiſſimo Patre Ordinis, niſi prævio examine, & approbatione de ſufficientiâ doctrinæ ad ſingulos gradus reſpectivè requiſitæ, ſicuti de vitâ, & moribus graduandorum à Prioribus Conventuum ſtudiorum faciendâ cum totâ communitate per ſuffragia ſecreta, nec non præſentatione Diffinitori Provincialis Propriæ Provinciæ tantùm, ſi in ea permanſerint, imò etiam alienæ, ſi per annum in illa commorati fuerint. Decernentes, quod Priores, & Lectores, ſive Regentes ſtudiorum tenebuntur mittere ad Capitula Provincialia, & Congregationes annuas Diffinitorum exactam relationem ſub jure jurando faciendam, de ſufficientiâ doctrinæ, & moribus ſingulorum Studentium, & RR. Admodum Patres Provinciales in ſuis viſitationibus omnes, & ſingulos Studentes ſeriò examinabunt unà cum Sociis ſuis reſpectivè, & Regentibus, in quo examine, relatione, & præſentatione conſcientias ſingulorum, quorum intereſt, ſub jure jurando adſtrictos, & gravatos eſſe volumus in diem Domini, ſuper quibus nec Reverendiſſimus Pater Ordinis diſpenſare poterit, quod nominatim intelligi volumus, etiam de Conventu Tranſpontinæ.

Relatio annuatim facienda circa ſufficientiam doctrinæ, & morum qualitatem cujuſque Studentis.

Secundò, præſcribitur quid ſervandum in collatione ſingulorum Graduum, incipiendo à ſolemniter quatuor lectionibus coram toto Conventu, prima de phyſico auditu, ſecunda de Cœlo, vel Generatione, tertia de Animâ, & quarta de Metaphyſicâ, & ultimò habitis etiam priùs diſputationibus publicis ſuper universâ Philoſophiâ.

Lectoratum autem nonniſi purificatis ſequentibus conditionibus conferri volumus; Videlicet, primò, ut hoc gradu inſigniendus ſit Sacerdos, ſecundò, ut quatuor annis integris ſtuduerit Theologiæ cum profectu, tertiò, ut intra quatuor annos prædictos habeat diſputationes publicas de universâ Theologiâ.

In collatione Lectoratus.

Baccalaureatus conferatur, ubi poſt Lectoratum per duos integros annos legerit Philoſophiam, vel Theologiam, vel per biennium in ſtudiis permanendo, duas publicas diſputationes ex primâ parte, & prima ſecundæ habuerit.

In collatione Baccalaureatus.

Gradus denique Magiſterii, ubi poſt Baccalaureatum per duos alios annos, vel legerint Philoſophiam, ſeu Theologiam, vel habuerint in eodem biennio duas publicas diſputationes ex ſecundâ ſecundæ, & ex tertiâ part. in ſtudiis pariter permanendo, dummodo in ætate triginta annorum ſint conſtituti, & Romam accedant, ut examinentur; & approbentur, ſervatis tamen circa hoc in Provinciis Poloniæ legibus municipalibus earumdem.

In collatione Magiſterii.

Patentes verò aliter, vel alio modo conceſſæ nullæ ſint, & cenſeantur tanquam ſi nunquam conceſſæ fuiſſent, eo quod ſuper præmiſſis Reverendiſſimus Pater nullam habeat diſpenſandi facultatem.

Patentes aliter conceſſæ irritæ ſint.

Sciant autem Curſores, ut ſupra inſinuatum eſt, ſe non eſſe graduatos, & inter ſe tenere debent locum ſuæ profeſſionis, imò ſi quis ex inferioribus Studentibus prius fuiſſet profeſſus in choro, refectorio, & proceſſionibus locum ſuæ profeſſionis obtinebit, quamquam in his, quæ pertinent ad ſtudium, Curſores in cunctis debeant illos præcedere.

Curſoratus propriè non eſt Gradus; & ordo profeſſionis inter Curſores ſervandus.

Regulæ autem Lectorum tam artium, quàm Theologiæ, ſequentes erunt. Primò quotidie legant præter conſuetos dies vacationis, & feſtos; Secundò quotidie explicent totum id, quod eo die in ſcriptis dictant; Tertiò quotidie conferentiam, vel diſputationem ritè habeant cum Studentibus; Quartò ſingulis menſibus habeant concluſiones menſtruas coram toto Conventu, vel Patribus gravioribus; Quintò ſemel in anno habeantur concluſiones impreſſæ publicæ, ad quas exteri Arguentes invitabuntur; Sextò probationes ſupradictorum præſentabuntur Capitulis Provincialibus, vel Congregationibus annuis, à quibus, ſi tanquam legitimæ approbatæ fuerint, expleto tempore præfatæ lecturæ, vel permanentiæ in ſtudio cum conditionibus ſuperiùs aſſignatis, poterunt Lectores, & Baccalaurei à toto Diffinitorio Capituli, vel Congregationis annuæ præſentari Reverendiſſimo Patri pro eorum promotione cum expreſſo ejuſdem Diffinitorii teſtimonio de vitâ, & moribus eorumdem.

Regulæ communes Lectorum tam Artium, quam Theologiæ.

Lectores Theologiæ ſtudeant tum gravitati, tum brevitati, tum maximæ perſpicuitati, non obiter, aut leviter attingant difficultates ſcholaſticas, neque verò tam in conquerendis Doctorum auctoritatibus immorentur, quàm in ſolidis rationibus ſeriò examinandis. Quod ſpectat ad D. Thomam illius doctrinam amplectantur cum interpretatione Doctorum Ordinis noſtri; Inſuper ſeriò monentur Regentes, & Juniores noſtri, ut juxta antiquiores Ordinis Conſtitutiones diligenter ſtudeant Doctorum noſtri Ordinis determinationes ſuſtinere, ſententias ſequi, & allegare, præſertim Joannis Bachonii Doctoris reſoluti nuncupati. Lectores vero Philoſophiæ ſtudeant Ariſtoteli adhærere, quantum Fides Catholica patitur.

Quomodo ſe gerere debeant Lectores Theologiæ in lectionibus, & ſtudio Doctorum.

Lecto-

Exemptio quorumcunque Lectorum durante exercitio ab assistentia Chori, aliæque ordinationes pro illorum commodo.

Lectores, sive Artium, sive Theologiæ quandiù deputabuntur ad docendum, erunt exempti ab officio chori juxta Decreta Clementis VIII.; pro reform. Regul. 25. Junii 1599. Diebus tamen solemnioribus, & Dominicis majori Missæ, & Vesperis interesse tenebuntur, & Sabbatis Completorio; Non concionabuntur, nisi diebus festis, & in eodem loco, in quo est Conventus ipsorum, vel in convicinis; Cæterum curabit omnino diligenter Superior, maximâ cum charitate Lectoribus administrari victum, vestitum, aliaque necessaria; Quandiù verò Lectores actualiter docebunt, sub se Studentes voce, & loco præcedant.

Studentes reverentiam Lectoribus deferant, & modestè se gerant in scholis; aliter pœnis corrigantur.

Lectoribus Studentes, aliique omnes honorem ubique deferant, & eam in scholis modestiam servent, quæ decet viros religiosos; Si quis secundò monitus ab immodestiâ, & loquacitate in scholâ non abstinuerit, gravi pœna subjaceat. At verò post tertiam vicem expellatur à Priore, & Lectore, donec Generalis moneatur. Item si quis irreverenter se gesserit erga Lectores, panem, & aquam in terrâ comedat, & nisi ter monitus sese corrigat, per Provincialem de consilio Prioris, & Regentis expellatur à studiis, donec moneatur Reverendissimus Pater Generalis.

Studentes quomodo se gerere debeant extra scholam.

Audito signo lectionis modestè cum silentio scholam adire festinabunt, statim etiam post lectiones in suas cellas se recipiant sub pœnâ gravi assuetis contrafacere, & otiosè vagari, verborum contentiones, vociferationem, gestusque immodestos summopere devitent, etiam inter disputandum; quicumque verò Frater offenderit verbo, statim moneatur ab illo, qui est inter ipsos Præfectus, aut professione major sub pœnâ gravi, si quis arroganter resistat.

Modus à Studentibus servandus in exercitio studiorum.

Fratres studio deputati, nec concionibus, nec aliis studiis, quàm ei, cui sunt addicti, sese applicent ex professo sub pœnâ gravi assuetis. Omnes, & singuli non solùm lectiones excipiant, sed etiam functiones omnes scholasticas obeant suis vicibus; quod si negligentes in his aliqui reperiantur, & tertiò moniti non se corrigant, à studio removeantur. In quotidianis autem disputationibus, postquam à Studentibus aliquid de scriptis repetitum fuerit, duo argumentabuntur; Arguent autem primo loco Studentes ejusdem classis, deinde replicare poterunt Studentes superioris classis. Quod si qui ultra triennium manserint in studiis inutiliter, & sine aliquo profectu, ordinamus, quòd revocentur à studio, & remittantur ad alios Conventus, ne frustra ulterius locum occupent aliorum.

Fratres quomodo erudiendi in literis humanioribus, & Sæculares in studiis non admittendi.

Ad literas humaniores addiscendas Fratres nostri nunquam mittantur extra Conventum, sed singulis annis nominentur, qui juniores eruditionem doceant. Item scholæ nostræ nullis pateant Sæcularibus ad lectiones excipiendas, vel audiendas sub pœnâ gravi, si tamen id necessarium, ut in aliquâ Provinciâ, dispensabit Reverendissimus, consentiente Capitulo Provinciali.

Assignatio Laicorum, Confessariorum, & Concionatorum in Conventibus studiorum.

Ad Conventus studiorum tot assignabuntur Laici, ut ad officia communia sufficiant, quibus proinde Studentes ordinariè non applicabuntur. Item in illis Confessarii, & Concionatores esse debent ordinarii. Nolumus enim actu Studentes operibus ejusdem vacare, nisi pro rarâ, & urgente necessitate, vel pro brevi exercitatione, quæ studia non impediat.

Studentes adire debeant Processiones.

Omnes tamen, & singuli Studentes tam ad publicas, quàm ad privatas Processiones ire teneantur sub pœnâ gravi.

Opera pietatis, quibus vacare teneantur Studentes.

Item omnes non Sacerdotes semel in hebdomadâ sacram Eucharistiam sumere teneantur, singulis quoque annis petant, & illis concedatur per aliquot dies in cellulis suis solitudini, silentio, & pietate vacare ferventiùs.

Nemo instituatur in Gradibus ex gratia, vel saltu.

Nullus imposterum instituatur Magister, Præsentatus, Baccalaureus, vel Lector, qui dicatur de gratiâ graduatus, neque ex saltu, etiam si per aliquot annos in studiis se exercuerit, super quo nec poterit dispensare Reverendissimus.

Exprimuntur officia, quæ Magistri in Theologia consequi possunt.

Item ordinamus, quod Magistri in Theologiâ, ultra Regentias, Lecturas, Prædicationes, Prioratus tam locales, quàm provinciales, & generales, seu Provinciarum Visitatores, & Procuratorem Ordinis, aut Societates Reverendissimi Patris Generalis, seu Provincialis, non possint habere alia officia in Ordine; Neque audeant sub pœnâ privationis dignitatis, & gradus ipso facto suscipere Procuratorias, Sacristias, vel hujusmodi officia ad simplices Fratres attinentes immediatè, nisi fortassè in aliquo Conventu ex dispensatione solius Reverendissimi P. Generalis expediret ex Magistris aliquem pro Conventus beneficio de prædictis aliquid exercere, quod non fiat, nisi in casu rarissimo.

Prohibitio typis edendi libros, nisi prævia licentia Prioris, vel Capituli Generalis.

Nullus libros imprimere præsumat, nisi ad hoc licentiam, & approbationem obtineat per Priorem Generalem, aut per Capitulum Generale sub pœnâ privationis gradus, vocis, & loci: Volumus autem, ut talis approbatio à Reverendissimo Patre Ordinis non detur, nisi prius liber ille imprimendus à duobus Magistris in Theologiâ, vel Theologiam actualiter docentibus, aut qui illam per aliquot annos docuerint; ad id specialiter deputandis, revisus, & approbatus fuerit.

Lectio casuum conscientiæ bis facienda in qualibet hebdomada.

In omnibus Conventibus incumbet præcipuè Superiori obligatio curandi, ut bis in hebdomadâ fiat lectio casuum conscientiæ, non tamen scripta dictando, sed Auctorem selectum prælegendo, & explicando, dubia proponendo, & dissolvendo, huicque lectioni teneantur interesse omnes Sacerdotes, etiam graduati legitimè non impediti, nisi à Provinciali dispensationem in scriptis obtinuerint.

Continuatio Brevis sa:me: Clementis XI

§. 3. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, tollendis multiplicibus confusionibus hactenus invectis, stabiliendæque ejusdem Ordinis ejusque studiorum, & graduum salubri directioni maximè expediat, ut præinserta decreta, abrogatis aliis per memoratum Joannem Priorem Generalem, sicut præmittitur, editis Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio muniantur; Nobis propterea prædictus Petrus Thomas Prior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur; Nos igitur ipsum Petrum Thomam Priorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio studia, & gradus dicti Ordinis ad formam Decretorum Capituli Generalis ejusdem Ordinis anno MDCCIV. celebrati auctoritate Apostolicâ tenore præsentium reducimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Reductio studiorum, & Graduum, in Ordine ad formam Decretorum Capituli Generalis anno 1604. celebrati.

§. 4. Decernentes ipsas easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illi, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam

Decreta roborantia cum clausula sublata, & irritante.

causa-

causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; Non obstantibus prædictis Innocentii XII. Prædecessoris nostri literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, prædictorum Ordinis, & Provinciarum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum, præcipuè Brevis sa. mem: Innoc. XII. de quo supra.

S. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Novembris MDCCXI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Fides habenda Transumptis.

Dat. die 10. Novemb. anno 1711.

Pro R. P. D. Oliverio.

I. C. Battellus.

ANNO 1712. XLVIII.

PRÆCEPTUM

Super observatione generalis Interdicti, cui R. P. D. Fabritius Episcopus Lyciensis à Sæculari potestate violenter ejectus in actu suæ ejectionis Civitatem, & Diœcesim Lyciensem suppoſuerat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut ad Apostolatus nostri notitiam pervenit, in Civitate, & Diœcesi Lycien. quas nuper Venerabilis Frater Fabritius Episcopus Lycien., non solùm à suâ Ecclesiâ Lycien. verùm etiam à toto Regno Neapolis, per intolerabilem Laicalis potestatis abusum violenter ejectus, in actu ejusmodi suæ ejectionis, juxta Sacrorum Canonum præscriptum, Ecclesiastico Interdicto suppoſuit, nonnullæ personæ Ecclesiasticæ Sæculares, & forsan etiam Regulares reperiantur, quæ temerario ausu, sive variis ab Ordinariorum auctoritate exemptionis, ac immediatæ huic Sanctæ Sedi subjectionis, nec non Apostolicorum earum Ordinibus, vel Institutis concessorum privilegiorum prætextibus, sive etiam eâ ratione, quòd earum Ecclesiæ, Conventus, & Monasteria sub prætensâ protectione Regiâ, aut de prætenso Regio jurepatronatu esse dignoscantur, se ad dicti generalis Interdicti observantiam minimè teneri, ac Missas, & alia Divina Officia celebrare, necnon Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum administrare, Fidelium defunctorum cadavera Ecclesiasticæ sepulturæ tradere, alioſque actus per eosdem Sacros Canones tempore Interdicti prohibitos, cum gravi Fidelium scandalo, publicoque auctoritatis Ecclesiasticæ contemptu, exercere posse præsumunt.

Episcopus Lycien. à Sæculari potestate violenter ejectus Civitatem, & Diœcesim Interdicto suppoſuit.

Cujus ad observantiam nonnulli Sæculares Ecclesiastici, & forsan Regulares se non teneri prætendunt, illudque palam contemnunt.

S. 1. Hinc est, quòd Nos Sacrorum Canonum præfatorum, & Concilii Tridentini dispositioni inhærentes, ac generale Interdictum, cui præfatus Fabritius Episcopus Civitatem, & Diœcesim supradictas, sicut præmittitur, subjecit, pro valido, & justo habentes, illudque ad majorem cautelam, ac quatenus opus sit, approbantes, & confirmantes, eique Civitatem, & Diœcesim præfatas de novo subjicientes, Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, tam Sæculares, cujusvis tandem gradus, præeminentiæ, ac dignitatis fuerint, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis etiam Jesu, Regulares, ad exactam ejusdem Interdicti observantiam omnino teneri, & obligatas existere, ac fore, itaut in quibusvis Ecclesiis, Locis piis, Oratoriis etiam privatis, ac Cappellis domesticis, etiam in Fortalitiis Regiis Civitatis, & Diœcesis prædictarum existentibus, quocumque privilegio, exemptione, & Indulto, etiam prætensæ protectionis Regiæ, seu prætensi jurispatronatus Regii, tametsi pluries, ac quantiscumque vicibus ab hac Sanctâ Sede approbati, suffultis, nec Missæ, nec alia Divina Officia celebrari, neque Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum prædictum administrari, minusque Fidelium defunctorum cadavera sepeliri, aliave tempore Interdicti prohibita exerceri, nisi temporibus, casibus, & modis per supradictos Sacros Canones permissis, ullo modo valeant, tenore præsentium statuimus, decernimus, & ordinamus; Adeoque privilegia, exemptiones, indulta, protectiones, & jurispatronatus hujusmodi, etiamsi cœteroqui de jure subsisterent, nemini ad effectum se eximendi ab observantiâ præfati generalis Interdicti ullatenus suffragari posse, harum serie declaramus.

Pontifex Interdictum confirmat, & ab omnibus observari mandat.

S. 2. Præterea omnes, & singulos, quantumvis, exemptos, & quovis modo privilegiatos, qui statuto, decreto, & ordinationi nostris hujusmodi, sub quovis quæsito colore, ratione, aut prætextu hactenus quomodolibet contravenerunt, seu contravenient in futurum, etiamsi Cappellanorum Regiorum honore, seu alio quovis titulo, munere, aut dignitate præfulgeant, eo ipso, & absque aliâ declaratione in censuras, & pœnas Ecclesiasticas per præfatos Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas desuper inflictas, & impositas incidisse, illisque innodatos fuisse, & esse, ac fore, nec ab eis à quoquam, nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentiâ in easdem censuras, & pœnas eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari posse, earumdem tenore præsentium similiter statuimus, & declaramus.

Contraventores in censuras incidisse declarat, quarum absolutionem sibi reservat.

S. 3. Facultatem insuper contra Transgressores Ecclesiasticos, si quidem Sæculares fuerint, ad Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum privationis, aliaque in posterum obtinendi inhabilitationis: si verò Regulares, ad Officiorum quorumcumque, ac vocis activæ, & passivæ privationis, aliasque pœnas canonicas procedendi, Nobis, & Apostolicæ Sedi specialiter, & expresè reservantes.

Alias pœnas in eos constituit.

S. 4. Ac decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd præfati, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu,

Cum ampliſſimis clauſu-

lis, & decreto irritanti.

& capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, aut adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari: Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, alioſve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in univerſalibus, provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, ac quorumvis Monaſteriorum, Conventuum, Eccleſiarum, Locorum piorum, aliiſve, quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac monaſteriis, Conventibus, Eccleſiis, & Locis piis prædictis, illorumque reſpectivè Superioribus, & Perſonis quibuslibet, in genere, vel in ſpecie, præſertim quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, ac aliàs ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus, ſeu ad quarumcumque perſonarum, etiam Imperiali, Regali, aliâve quâlibet mundana, vel Eccleſiaſticâ dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus confirmatis, innovatis, & approbatis.

Derogat quibuſcumque contrariis.

§. 5. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac pleniſſimè, & ampliſſimè derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Decembris 1711. Pontificatus Noſtri Anno XII.

F. Oliverius.

MOTUS PROPRIUS XLIX.

Conceſſionis Venerabilis Eccleſiæ, & Collegii Sanctæ Mariæ Montium Congregationi Piorum Operariorum de Urbe.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à dignitate Beatæ Virginis Mariæ, cujus Eccleſiarum cultum promovere ſatagit.

SAlvatoris Noſtri vices, licèt immeritò gerentes, ea præcipuè curare debemus in Terris quæ idem Dominus Noſter Jeſus Chriſtus curat in Cælis. Cum itaque ipſe magnum, & ineffabile redemptionis noſtræ myſterium impleturus ex omni Creaturâ Mariam Virginem Puriſſimam, atque ſanctiſſimam ſibi Genitricem præelegerit, unaque cum uberrima fæcunditate virginitatis florem illibatum perpetuò ſervaverit, & Spiritu Sancto eam obumbrante, tanta præfulſerit in ea ſanctarum pulchritudinis, & virtutum majeſtas, ut Sol, & Luna, totaque natura eam mirantes obſtupuerint, ac Infernus quoque contremuerit; Ipſa quidem diu expectata Patribus tandem veniens gratiarum luminibus ornata Nos ſalutifera fæcunditate ſuâ liberavit à captivitate, & Serpentis caput triumphali pede calcans amictâ Sole, Lunam habens ſub pedibus, victrix duodecim coronâ Stellarum ab æterno Rege ejus Filio coronari, ac ſuper Angelorum choros Regina Cœli, & Terræ conſtitui promeruit: dum tanta meritorum inſignia, quibus ipſa Virgo Dei Genitrix glorioſa ſedibus illata ſydereis, quaſi Stella refulget matutina, piæ conſiderationis acie perſcrutamur, dignum, quin potius reputamus debitum, ut ſicuti Redemptor noſter, & Deus ipſam Sacratiſſimam Virginem ſublimavit in Cœlis, honorari procuremus in terris; & in Eccleſiis ſuo nomine, & celebri miraculorum copiâ, ac ſplendore illuſtribus aſſiduò noſtra nos pulſat ſollicitudo, ut per Miniſtrantium vitæ integritatem, morumque puritatem, quantùm in humanis viribus eſt, par ille ſibi Religionis exhibeatur in mundo cultus, qui ab Angelis eorum Reginæ miniſtrantibus exhibetur in Cœlo.

Præcipua Eccleſia B. V. in Alma Urbe recenſetur S. Maria in Montibus nuncupata; apud quam degunt Juvenes Neophyti.

§. 1. Inter hujuſmodi Eccleſias in Almâ Urbe noſtra exiſtentes, illam clareſcere conſpicimus Sanctæ Mariæ in Montibus nuncupatam, in quâ ejus Sacratiſſimas Imago olim ex humili loco divinitus detecta venerabiliter aſſervatur, aſſiduâque fidelium Religione, ac miraculorum copiâ effulget in dies, & ſub cujus auſpiciis felix illa alitur Juventus, quæ à Genitorum infidelitatis tenebris eru-

eruta, nova Orthodoxæ Fidei noſtræ adoleſcit lumini. Nos igitur pervigil ſtudium Venerabilis Fratris noſtri Fulvii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Aſtalli nuncupati moderni Eccleſiæ ejuſdem Beatæ Mariæ in Montibus, illiuſque Domus Protectoris, qui laudabilem infraſcriptorum Preſbyterorum vigilantiam ad Eccleſiæ, Domuſque præfatarum regimen conduxit, commendantes in Domino, ut cultus Eccleſiæ, & Juventus ipſa pet piam proborum morum inſtructionem, & efficax Chriſtianæ pietatis, quod Presbyteri ipſi de ſe perhibent exemplum, Eccleſiæ, Religioniſque cultui uberiores ad Divini Nominis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis gloriam afferant fructus, ad ea libenter Apoſtolicæ poteſtatis effundimus plenitudinem, ad quæ Nobis potiſſimùm ex alto poteſtatem ipſam commiſſam fuiſſe arbitramur.

Vigilantia cl. me Card. Aſtalli Protectoris in curanda recta educatione dd. Juvenum laudatur.

§. 2. Cùm itaque, ſicut accepimus, aliàs, & poſtquam fel: rec: Paulus Papa III. Prædeceſſor noſter ad Omnipotentis Dei, totiuſque Curiæ cæleſtis laudem, & gloriam, & orthodoxæ fidei augumentum unam Domum, ſeu unum Hoſpitale ad Eccleſiam Sancti Joannis in Mercatello nuncupati regionis Campitelli de Urbe pro Hebræis, ſeu Judæis, qui divinitus inſpirati tenebroſa Patrum ſuorum cæcitate abjectâ ad veri luminis agnitionem ſe convertebant, & ſalutari Baptiſmatis lavacro abluti, depoſita in eo immundâ veteris perfidiæ leprâ, æternæ renaſcebantur ſaluti, & in Domo, ſeu Hoſpitali hujuſmodi pro illius bonis adminiſtrandis, admittendiſque, & regendis Hebræis, ſeu Judæis pro tempore, & convertendis prædictis, unam Archiconfraternitatem Clericorum Sæcularium, quæ Archiconfraternitatis per unam ex illius Confratribus Clericis per eos tantùm de triennio in triennium eligendum, & Rectorem, ſeu etiam quolibet menſe, Præpoſitum nuncupandum, ac duodecim Clericos, ſeu Presbyteros Sæculares exemplaris vitæ, & Religionis Zelatores, quos Rector, ſeu Præpoſitus prædictus pro tempore exiſtens duxiſſet eligendos, regeretur, & gubernaretur: Cum hoc tamen, quod de numero eorundem Clericorum, ſeu Presbyterorum Confratrum hujuſmodi nullus Prælatus, ſeu alicujus Ordinis Profeſſor exiſteret, ipſique Rectori, ſeu Præpoſito prædicto pro tempore exiſtenti omnimodam, & plenariam obedientiam, & reverentiam uti eorum Superiori præſtare, illumque in curâ, & adminiſtratione Domus, ſeu Hoſpitalis hujuſmodi coadjuvare, ac duodecim Clerici, ſeu Presbyteri, ut præfertur, eligendi prædicti, ut circa præmiſſa liberius attendere poſſent, nulli alteri Confraternitati, ſeu Societati aggregari, ſeu ad illam admitti valerent, ipſique, ac Præpoſitus prædictus, per Confratres prædictos Clericos tantùm, de triennio in triennium ex eorum gremio, ut præfertur, eligendus, eorumque Officium per triennium, & non ultra durare reſpectivè, perpetuò erexerat, & inſtituerat; Ac inſuper ut ipſi Confratres, illorumque Rectores, Adminiſtratores, Gubernatores, Oeconomi, aliæque Perſonæ ab indebitis moleſtiis relevarentur, unum ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quem ipſi duxiſſent, ad id eligendum, in eorum Protectorem, & Judicem, cui, & nulli alii ſubjecti eſſent, conſtituerat, & deputaverat: Et deinde ejuſdem record. Gregorius Papa XIII. etiam Prædeceſſor noſter providè Fidei Chriſtianæ propagationi, & incremento incumbens, ac æternæ ſaluti, piæque eruditioni illorum Puerorum, & Adoleſcentium, qui ex Judæorum, Turcarum, & Maurorum, aliorumque Mahometanorum genere procreati ad Jeſu Chriſti fidem pro tempore convertebantur; paternè proſpicere, & providere volens, ut eis prodirent Operarii ad Evangelii opus idonei, qui in ipsâ Urbe, aliiſque Italiæ locis, atque adeo in univerſis Terrarum Orbis partibus, in quibus Judæi, aliique Infideles degunt, Chriſtianæ Fidei myſteria, etiam propriâ illorum lingua, ſivè Hebræâ, ſivè Arabicâ, explicare, docere, & prædicare poſſent, & valerent; ad ejuſdem Omnipotentis Dei gloriam, Sanctæque Fidei noſtræ exaltationem in eâdem Urbe, & in loco ejuſdem Urbis ad id tunc eligendo unum Collegium Eccleſiaſticum Adoleſcentium Neophytorum nuncupandum, quod pro duabus ex iis, qui à Judaiſmo, pro reliquâ verò tertiâ partibus ex illis, qui à Mahometiſmo recedentes, ſive Turcæ, ſive Mauri, ſive alterius cujuſvis infidelis Nationis Chriſtianam Fidem recens amplexi forent, vel ſaltem eis non exiſtentibus, ipſis ex parentibus Neophytis procreati fuiſſent conſtaret, etiam perpetuò erexerat, & inſtituerat, volueratque, quod idem Collegium, illiuſque Rectores, Oeconomi, Magiſtri, Præceptores, atque Scholares in eo pro tempore exiſtentes, & eorum Domeſtici Officiales, & Miniſtri ſimiliter pro tempore exiſtentes, dictique Collegii, ac illorum bona mobilia, & immobilia cujuſcumque qualitatis, & quantitatis in prædictâ Urbe, & extra illam, ac aliàs ubilibet locorum conſiſtentia ab omni juriſdictione, correctione, viſitatione, dominio, ſuperioritate, & poteſtate pro tempore exiſtentis Senatoris, Conſervatorum, Reformatorum dictæ Urbis, nec non Rectoris Studii Generalis, Vicarii Urbis, & cujuſvis Ordinarii Locorum, & aliorum quorumcumque Judicum, & Officialium in ipsâ Urbe, vel aliàs ubilibet locorum conſtiturorum exempta forent, ac Collegio, illiuſque Scholaribus, Rectoribus, & Oeconomis prædictis, ut quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, & indultis, quibus Studium generale dictæ Urbis, illiuſque Rector, & Doctores in eo, etiam actu legentes quovis modo utebantur, potiebantur, & gaudebant, etiam uti, potiri, & gaudere potuiſſent quomodolibet in futurum ad eorum inſtar, & pari modo uti, frui, potiri, & gaudere valerent in omnibus, & per omnia, conceſſerat, & indulſerat, illaque eis communicaverat. Ac propterea Rectoribus, ac Superioribus dicti Collegii cum aſſiſtentiâ tamen ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ejuſdem Collegii Protectorum, qui pro tempore fuiſſent, ſeu alicujus eorum, vel de ipſorum conſilio, & expreſſo conſenſu illos, quos in dicto Collegio, & alibi per debitum tempus ſtuduiſſe, ac literarum ſcientiâ, & moribus idoneos eſſe reperiiſſent ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratuſque, & Magiſterii gradus, ſervatâ formâ Concilii Viennen. juxtâ Univerſitatis ejuſdem Urbis conſuetudinem, ſeu aliàs promovendi, & ipſorum graduum ſolita inſignia eis exhibendi, quodque ſic promoti facultates, in quibus ſtuduiſſent, legere, & interpretari, ac de eis diſputare, ac quoſcumque gradui, ſeu gradibus hujuſmodi convenientes actus exercere, ac omnibus, & ſingulis gratiis, favoribus, prærogativis, & indultis, quibus alii in prædictâ dictæ Urbis, ſeu aliis Univerſitatibus, & alibi, juxta illius, & aliarum Univerſitatum hujuſmodi conſtitutiones, & mores ad gradus prædictos promoti de jure, vel conſuetudine utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poſſent, & deberent; perinde ac ſi gradus prædictos in ipsâ ejuſdem Urbis Univerſitate, juxta conſuetudines, & mores prædictos, ſuſcepiſſent, concedendi, & indulgendi liberam Apoſtolicâ auctoritate dederat facultatem, & poteſtatem. Ac propterea, ut ipſius Collegii conſervationi, bonorumque regimini, tam in his, quæ ad inſtitutionem, & diſciplinam, quàm quæ ad victum, veſtitum, aliaque

Narrat fel. record. Paulum III. erexiſſe Hoſpitale S. Joannis in Mercatello cum Archiconfraternitate Clericorum Sæcularium pro directione Judæorum ad Fidem convertendorum.

Regulas præd. Archiconfraternitatis refert cum ſubjectione Card. Protectori.

Narrat erectionem Collegii pro inſtitutione adoleſcentium neophytorum tam Judæorum, quam aliorum Infidelium facta à ſa. me. Gregorio XIII.

Proſequitur narrationem privilegiorum, & exemptionis conceſſæ eidem Collegio.

hu-

Deputationem trium S. R. E. Card. Protectorum recenset cum certis facultatibus.

hujusmodi necessaria pertinebant opportunius consuleretur, tres ex ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ejusdem Collegii Protectores constituerat, & deputaverat; quorum consilio, & ope omnia, & singula præmissa, & alia quæcumque ad eosdem in Collegio admittendos Scholares, retinendosque admissos spectantia agerentur, statuerentur, & ordinarentur, tribuens eisdem, & pro tempore existentibus Protectoribus hujusmodi plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem pro salubri directione, & conservatione dicti Collegii, illiusque bonorum, & rerum, ac jurium tam temporalium, quàm spiritualium Oeconomos, Advocatos, Procuratores, aliosque Ministros, & Officiales in eo deputandi, amovendique, & eorum loco alios subrogandi, Ordinationesque, & Statuta licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non adversantia faciendi, & edendi, eaque, cùm visum foret revocandi, immutandi, corrigendi, aliaque de novo condendi, quæ postquam facta, edita, revocata, immutata, & correcta fuissent, perinde haberi voluit, ac si auctoritate Apostolica approbata, & confirmata fuissent, illaque ab omnibus Rectoribus, Magistris, Scholaribus, aliisque Personis in Collegio prædicto pro tempore servientibus, & ministrantibus inviolabiliter observari, ac juxta eorumdem Statutorum dispositionem à quibusvis Judicibus, sublatâ eis quâvis aliâ aliter judicandi facultate, judicari, & definiri debere, & si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigisset attentari, irritum decreverat, & inane.

Applicationem oblationum, quæ fiebant Imagini Beatissimæ Virginis intra limites Parochiæ SS. Sergii, & Bacchi, secutam anno 1580. favored. Archiconfraternitatis indicat.

§. 3. Ac subinde de anno Domini 1580. propter varia miracula, & signa, quæ, ut piè credebatur, miserator, & misericors Dominus tunc operari, & edere dignabatur meritis Beatissimæ Mariæ Virginis Cœli Reginæ, Matris Misericordiæ, perpetuæ humani generis Adjutricis, & apud ipsum Deum pro devoto Populo Advocatæ apud illius Imaginem tunc proximè detectam in parietinâ unius Fœnilis intra limites Parochiæ Parochialis Ecclesiæ Sanctorum Sergii, & Bacchi Regionis Montium de eâdem Urbe, quamplures Infirmi diversis languoribus gravati, & aliæ miserabiles Personæ, atque adeo Christi fidelium multitudo devotionis causâ, & impetrandi ipsius Beatæ Mariæ Virginis intercessione spiritualium gratiarum munera, ad ipsam Imaginem certatim confluentes, plures eleemosynas, & oblationes quotidie conferebant, idem Gregorius Prædecessor tantæ devotionis fervore commendato, illorum spirituali consolationi consulere, ac simul piè eleemosynarum, & oblationum ipsarum dispensationi piè providere volens, Imaginem prædictam, nec non omnia, & singula eleemosynas, oblationes, reditus, proventus, res, bona, & legata apud eam, & pro eâ eatenus tunc donata, legata, relicta, & facta, ac in posterum donanda, leganda, relinquenda, & facienda, eidem Archiconfraternitati perpetuò donaverat, concesserat, & elargitus fuerat, ita quod liceret bon: mem: Guillelmo tituli Sancti Laurentii in Pane, & Perna, tunc dum existeret, prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Sirleto nuncupato, ac etiam, tunc dum existeret ejusdem Archiconfraternitatis Protectori, nec non ejusdem Archiconfraternitatis tunc existentibus Administratoribus in loco Imaginis hujusmodi unam Cappellam construere, ac postquam illa constructa, & consecrata fuisset in eâ Missas, & divina Officia per Presbyterum, seu Presbyteros idoneum, seu idoneos ad eorum nutum ponendum, & amovendum, seu ponendos, & amovendos, à Vicario tamen dictæ Urbis pro tempore existente approbandum, seu approbandos celebrari, & alias illi in divinis deserviri facere, ipsamque Cappellam, & ejus res, & bona per se, vel alios ab eis pro tempore deputatos regere, & gubernare, illorumque fructus, reditus, & proventus, nec non dictas eleemosynas, & oblationes percipere, exigere, & levare, ac in Cappellæ, & Archiconfraternitatis hujusmodi, aliosque pios usus eis benevisos convertere, cujusvis licentia desuper minimè requisitâ; statuens Cappellam ipsam, postquam illa erecta fuisset, ut præfertur, nullo unquam tempore in titulum perpetui Beneficii Ecclesiastici erigi, aut tanquam Beneficium Ecclesiasticum, vel aliàs à Sede Apostolicâ, vel illius Legatis, aut quibusvis aliis per quoscunque impetrari, neque ejus eleemosynas, oblationes, legata, res, & bona per alios, quàm Protectores, Administratores, & Deputatos præfatos regi, gubernari, & administrari posse, & quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigisse attentari, irritum quoque decreverat, & inane, & aliàs prout in eorumdem Pauli, & Gregorii Prædecessorum literis Apostolicis, cuique respectivè exemptis, plenius continetur. Recolendæ memoriæ Urbano Papæ VIII. similiter Prædecessori nostro pro parte bon: mem: Antonii tituli Sancti Honuphrii, tunc dum viveret, ejusdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Barberini nuncupati, ac Domus, seu Hospitalis, nec non Collegii præfatorum, & Ecclesiæ Beatæ Mariæ nuncupatæ apud eundem Urbanum Prædecessorem, & Sedem Apostolicam Protectoris tunc existentis exposito, quod ipse Antonius Cardinalis, & tunc existentes Prælatus, & Deputati Congregationis ad gubernium Domus, seu Hospitalis, ac Collegii, & Ecclesiæ Beatæ Mariæ præfatorum canonicè institutæ per eundem Antonium Cardinalem, & Protectorem electi tunc providè considerantes, quòd pro majori ipsius Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus, cujus bona, & reditus per Prælatum, & Deputatos hujusmodi pro tempore existentes, ex concessione Apostolicâ regi, & administrari, atque in ejusdem Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus, nec non Domus, seu Hospitalis, & Collegii præfatorum usus, & necessitates, Ministrorum quoque necessariorum manutentionem converti consueverunt, decore, & ornamento Divini cultus in eâdem Ecclesiâ Beatæ Mariæ in Montibus augmento, ac Domus, seu Hospitalis & Collegii præfatorum faciliori commoditati, & prosperiori gubernio, regimine, & administratione, ac directione expediens foret, Collegium, quod tunc in Sancti Eustachii, ac Domum, seu Hospitale hujusmodi, quæ, seu quod etiam tunc in præfata Campitelli regione prædictæ Urbis respectivè, atque à præfatâ Ecclesiâ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus non parum distantia sita erant, ad unum locum eidem Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus contiguum, seu vicinum transferre; nam mediante translatione hujusmodi, expensis in diversorum Ministrorum pro illorum ad invicem, ut præfertur, separatorum gubernio, necessariorum manutentione fieri solitis opportunè consultum foret, ac eidem Ecclesiæ præfatæ Beatæ Mariæ in Montibus festivis diebus per ejusdem Collegii Alumnos Divinis Officiis in Choro præfatæ Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus personaliter assistentes erectæ, non mediocri ipsius Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus decore, Divinique cultus incremento, ac spirituali Christifidelium ad illam devotionis causâ passim confluentium consolatione deserviretur, idem Urbanus Prædecessor præmissis, & aliis rationabilibus causis adductus, motu simili, & ex suâ merâ liberalitate domum seu Hospitale, ac Collegium hujusmodi ad alias præfatæ

Narrat. fam. Urbanum VIII. Hospitale, & Collegium prædictum transtulisse ad vicinas domos Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus.

Nec non concessionem ejusdem Imaginis; cum conditione tamen construendi Cappellam in loco ubi prius existebat d. Imago.

Causæ prædictæ translationis desumptæ ex commodiori Locorum administratione, & augmento cultus divini ob assistentiam Alumnorum d. Collegii in Choro in præfata Ecclesia.

Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus hujusmodi vicinas domos cum omnibus, & singulis eorum respectivè bonis, reditibus, juribus, rebus, & pertinentiis, ac quibuscumque privilegiis, indultis, exemptionibus, Indulgentiis, & aliis gratiis spiritualibus, & temporalibus eis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos quomodolibet concessis, ac quibus illa de jure, usu, Privilegio, consuetudine, aut aliàs quomodolibet tunc utebantur, fruebantur, potiebantur, & gaudebant, Collegium videlicet, ad ædes præfatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus hujusmodi ad effectum præmissum tunc acquirendas, postquam tamen illæ ad debitam Collegii formam redactæ fuissent, ac Domum, seu Hospitale hujusmodi ad alias ad id aptas, seu quatenus opus esset, opportunè aptandas, dictæque Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus hujusmodi vicinas ædes Apostolicâ auctoritate transtulerit, & aliàs, prout in ejusdem Urbani Prædecessoris Literis Apostolicis desuper expeditis etiam pleniùs continetur, & Domus, seu Hospitale, ac Collegium prædicta per translationem hujusmodi, ut præfertur, factam suam usque nunc senserint, & sentiant utilitatem, ac felicius dirigantur, & salubrius gubernentur, nec non prædicta Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, quæ in suis annuis reditibus sacra suppellectili satis congruè ditata reperitur cuique in Divinis per unum Presbyterum Rectorem, & nonnullos alios Presbyteros Cappellanos respectivè nuncupatos, alioque Ministros Ecclesiasticos à pro tempore existentis unius ex prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Domus, seù Hospitalis, ac Collegii hujusmodi, dictæque Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus apud Romanum Pontificem pro tempore existentem, & Sedem eamdem Protectoris, ac aliàs juxta prædictarum ejusdem Gregorii Prædecessoris literarum formam amovibiles hactenus deserviri consuevit, divinus in eâ cultus per musicam, Divinorum Officiorum decantationem, ac personalem Alumnorum prædictorum in Choro diebus prædictis assistentiam suum usque nunc obtinuerit, & obtineat decus. Nihilominus cupientes Nos, qui sub clementissimis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis Adjutricis nostræ auspiciis onerosas Pastoralis, quo fungimur Officii nostri curas suscepimus, Religionem, quam semper erga ipsam Dei Genitricem animo inclusam gessimus externo quoque testimonio aperire, ac in Alumnis ipsis illam inseri per piam morum educationem fidem, per quam dulciores, ac uberiores proveniant æternitati fructus.

Utilitas ex hujusmodi translatione effectu com. probata.

Votum excitandi in Alumnis d. Collegii majorem devotionis affectum erga Beatam Virginem.

§. 4. Quapropter pervigil Fulvii Cardinalis prædicti sollicitudo nostris inhærens desideriis nobis nuper exponi fecit, quòd ipse providè considerans, quòd Congregatio dilectorum filiorum Presbyterorum Sæcularium in communi viventium Piorum Operariorum nuncupatorum in Urbe prædictâ introducta, juxta illorum laudabile institutum ea, quâ decet sedulitate in Vineâ Domini laborans, non solum per Urbem prædictam, verùm etiam per vicina quoque eidem Urbi loca Divini luminis lucem effundit, ac Orationi, & ministerio verbi se instanter exhibens, illos affert dignos æternæ salutis fructus, qui ad Divini Nominis gloriam, & Ecclesiarum cultum propagandum uberes dignoscuntur; nonnullos ex Congregatione præfatâ Presbyteros ad dictam Ecclesiam prædictæ Beatæ Mariæ in Montibus in Divinis inserviendum, nec non Collegii prædicti Alumnos regendos, illorumque mores piè erudiendos introduxerit, & postquam usu compererat quantùm Divinus Cultus in prædictâ Ecclesiâ Beatæ Mariæ in Montibus, quantùmque Collegium prædictum in illius Alumnorum morum educatione intra exiguum temporis spatium sumpserit augumenti, in majoritate temporis majorum circa præmissa effulgente securitate bonorum prædictæ Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, ac Collegii hujusmodi quoad ejusdem Collegii Alumnorum morum correctionem, & directionem, illorumque ædium, ac Sacristiæ utensilium, mobilium, ac sacrarum suppellectilium usus eidem Congregationi, illiusque præposito Generali, & Presbyteris sub infrascriptis conditionibus primò videlicet.

Laudat Institutum Presbyterorum Sæcularium in communi viventi m Piorum Operariorum nuncupatorum.

§. 5. Quod dictus Fulvius Cardinalis, & Protector eidem Congregationi, illiusque Presbyteris apud dictam Ecclesiam ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & in Collegio prædicto, ut præfertur, illorumque ædibus residentibus, & commorantibus plenam, & liberam facultatem propriis Congregationis, ac Presbyterorum prædictorum sumptibus, prædictam Ecclesiam ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, ac Collegium hujusmodi ædificandi, ornandi, illaque ampliandi concedere, cum hoc tamen, quod Congregatio, ac Presbyteri prædicti, antequàm ædificatio, ornatus, & ampliatio per eos fiant, ædificationis, ornatus, & ampliationis per eos faciendorum hujusmodi, formam Protectori nunc; & pro tempore existenti præbere, illumque desuper informare, & ab eo licentiam desuper in scriptis reportare debeant, & teneantur.

Narrat introductionem dd. Presbyterorum factam in Collegio, & præfata Ecclesia B. Mariæ in Montibus sub certis conditionibus.

Facultas concessa eisdem Presbyteris construendi, & ampliandi Ecclesiam, & Collegium prævia licentia Protectoris.

§. 6. Secundò, quod Congregatione illiusque Presbyteris prædictis ab Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegio prædictis discedentibus, illaque deserentibus, quidquid à Congregatione, & Presbyteris prædictis pro ædificatione, ornatu, & ampliatione prædictis ab eis usque tunc pro tempore factis inpensum fuerit, Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegio prædictis liberè cedere debeat, & teneatur.

In casu discessus eorumdem Presbyterorum quicquid fuerit impensum, cedere debeat beneficio Ecclesiæ, & Collegii.

§. 7. Tertiò, quòd post concessionem, & dationem infrascriptas omnes, & singulæ expensæ, quæ tam veterum ædificiorum Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegii prædictorum, quàm de novo à Congregatione, & Presbyteris prædictis in posterum, ut præfertur, faciendorum (non tamen resarcitionum Collegii prædicti ædificiorum nunc existentium, ac omnium, & singularum viarum silicibus structarum, & struendarum, tam ad Ecclesiam ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus quàm ad Collegium prædictum spectantium manutentioni, resarcitionique pro tempore necessariæ fuerint) ad Congregationem, illiusque Presbyteros spectent, & pertineant.

Expensæ ædificiorum spectare debeant ad dd. Presbyteros, exceptis resarcionibus.

§. 8. Quartò, quòd Congregatio, illiusque Presbyteri prædicti in administratione omnium, & singulorum bonorum temporalium ad dictam Ecclesiam Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegium prædictum nunc, & pro tempore quomodolibet spectantium, nullo unquam tempore se intromittere, seu intromitti prætendere possint; sed administratio prædicta ad nunc, & pro tempore existentem Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, ac Collegii prædictorum Protectorem pleno jure, ac juxta literarum Apostolicarum desuper editarum dispositionem spectet, & pertineat.

Administratio bonorum temporalium reservatur Eminentissimo Protectori.

§. 9. Quintò, quòd Congregatio, illiusque Presbyteri prædicti inibi semper, & quandocumque saltem sex ejusdem Congregationis Presbyteros, qui Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus juxta illius laudabilem consuetudinem in Divinis deservire, & in ea Sacramentales Christifidelium Confessiones audire, verbum Dei enunciare, nec non Collegio prædictis, illiusque Collegialium, & Alumnorum directioni incumbere debeant, manutenere similiter debeant, & teneantur.

Numerus saltem sex Presbyterorum pro servitio Ecclesiæ, & Collegii præfinitur.

Obligatio præstandi congruam sustentationem dd. Presbyteris, sicut antea servabatur.

§. 10. Sextò, quòd Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, ac Collegium prædicta pro congruâ eorumdem Presbyterorum Congregationi, iliusque Presbyteris prædictis quidquid pro manutentione omnium, & singulorum Presbyterorum, Sacristæ, Confessariorum, Rectoris, Præfecti Collegii prædicti, aliorumque Ministrorum Ecclesiasticorum Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegii prædictorum servitiis antea incumbentium annuatim præstabat, annuatim præstare: ita tamen, quod per viam computi diligenter perpenso ad quidquid manutentio prædicta annuatim ascendebat, id totum etiam annuatim de mense in mensem, pro ratâ illius parte, eidem Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis pro supportandis perpetuò omnibus, & singulis oneribus prædictis nunc, & pro tempore existens Protector prædictus persolvi facere respectivè debeat, & teneatur.

Assignatio reddituum pro manutentione Alumnorum, Musicorum, & Ministrorum Ecclesiæ, ac supportatione aliorum onerum.

§. 11. Septimò, quòd idem servandum sit tam in Alumnorum prædictorum in dicto Collegio pro tempore degentium, quàm Musicorum, aliorumque Ministrorum eidem Ecclesiæ prædictæ Beatæ Mariæ Virginis in Montibus inservientium salariis, nec non Sacristiæ, ac cujuscumque alterius oneris ipsius Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus hujusmodi cultum, servitiumque concernentium supportatione; nempe, quòd facto prius computo omnium, & singularum expensarum, quæ de uno ad alterum annum, annuis manutentioni Alumnorum etiam quoad illorum victum, vestitum, ac utensilium, & mobilium usum, Musicorum salario, Sacristæ, aliorumque dictorum onerum supportationi prædictis necessariæ fuerint, id totum, ad quod omnes, & singulæ expensæ prædictæ annuatim ascendere compertæ fuerint, & ad summæ hujusmodi rationem tantùm, Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis; absque eo quod ipsi aliquid ultra ullo unquam tempore pro præmissis omnibus, & singulis supportandis prætendere possint, quin sub expressâ eorum obligatione de præmissis omnibus, & singulis oneribus prædictis perpetuò, exactèque supportandis, similiter, & ut præfertur, earumdem expensarum rata pars de mense in mensem annuatim persolui debeat.

Admissio, & respectivè dimissio Alumnorum, & electio Magistri Musicæ spectat ad Protectorem.

§. 12. Octavò, quòd Alumnorum admissio ad Collegium, illorumque stabilimentum juxta Apostolicarum Constitutionum desuper editarum tenorem, & formam, & eorundem Alumnorum dimissio, nec non Musicæ Magistri electio, illiusque amotio ad modernum, & pro tempore existentem Protectorem prædictum liberè spectet, & pertineat.

Jus visitandi, & corrigendi pertineat, ut supra.

§. 13. Nonò, quòd Cardinalis modernus, & pro tempore existens Protector prædictus omnimodam auctoritatem, ac plenam, & liberam facultatem Ecclesiam ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, nec non Collegium prædicta, &, Alumnos in Collegio hujusmodi existentes visitandi, & Alumnos prædictos corrigendi, prout ejusdem Fulvii Cardinalis, ac Protectoris Prædecessores in vim Constitutionum prædictarum obtinuerunt, obtineat.

Deputatio Rectoris ex Congregatione dictorum Presbyterorum fieri debeat, qui se præsentare teneatur Protectori, & ad hunc spectet illius amotio.

§. 14. Decimò, quòd futurus, & pro tempore existens Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegii prædictorum Rector unus ex ejusdem Congregationis Presbyteris ab ejusdem Congregationis legitimis Superioribus hujusmodi regimini deputandus esse debeat, & qui videlicet, ut præfertur, deputatus fuerit, & antequam in hujusmodi regimine se immisceat, coram Cardinale tunc, & pro tempore existente Protectore prædicto se præsentare debeat; & si postquam Presbyter Rector, ut præfertur, deputatus hujusmodi regimen susceperit, per Cardinalem, ac nunc, & pro tempore existentem Protectorem prædictum, uti minus idoneus ad regimen hujusmodi exequendum compertus fuerit, Cardinalis, ac nunc, & pro tempore existens Protector prædictus illum prævio nuncio per epistolam Superioribus prædictis, qui alterum ex ejusdem Congregationis Presbyteris prædictis magis idoneum subrogare omnino debeant, amoveri facere liberè, & licitè possit, & valeat.

Sacristà, & Concionator deputetur à Superioribus Congregationis, sint tamen subjecti Protectori qui possit illos amovere.

§. 15. Undecimò, quòd futurorum, ac pro tempore existentium Rectori prædicti, ac Presbyterorum ejusdem Congregationis Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, ac Collegii prædictorum regimini, Sacristiæ, & concionibus tempore quadragesimali pro tempore existentium deputatio ad ejusdem Congregationis Superiores prædictos, cum hoc tamen, quod Rector, ac Presbyteri prædicti ad regimen, & omnia prædicta exequenda, ut præfertur, deputandi in his, quæ eorum regimen, & munia ejusmodi respiciunt, omnimodæ jurisdictioni, & superioritati Cardinalis nunc, & pro tempore existentis Protectoris prædicti subjecti sint, & esse debeant; & si Cardinalis nunc, & pro tempore existens Protector prædictus, quos, seu quem ex Presbyteris, ut præfertur, deputatis prædictis, uti minus idoneum, seu idoneos ad regimen, & omnia hujusmodi, aut illorum aliquod exequenda compererit, illum seu illos à Superioribus prædictis, prævio nuncio prædicto, amoveri, aliosque, seu alium in eorum, seu ejus locum subrogari facere possit, & valeat, spectet, & pertineat: & insuper antequam ille ex Presbyteris prædictis, qui ad munus Concionatoris in Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus tempore quadragesimali prædicto explendum deputatus fuerit, munus hujusmodi explere incipiat, benedictionem à Cardinali nunc, & pro tempore existente Protectore prædicto sumere debeat, & teneatur, & quia Presbyteri Congregationis prædictæ in multis locorum Ordinariis, Presbyteri verò, qui servitiis Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Colllegii prædictorum pro tempore usque nunc institerunt, omnimodæ superioritati Cardinalis Protectoris nunc, & pro tempore existentis prædicti respectivè subjecti esse dignoscuntur, & consueverunt, quod in posterum ejusdem Congregationis Presbyteri deputati prædicti ejusdem Cardinalis nunc, & pro tempore existentis Protectoris prædicti superioritati, prout Presbyteri Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegii prædictorum, servitiis insistentes de cætero esse debeant, & censeantur.

Concionator benedictionem obtinere teneatur à Protectore.

Presbyteri addicti servitio præfatæ Ecclesiæ subjecti sint superioritati Protectoris.

Fieri debeat Inventarium ac æstimari omnia sacra suppellectilia argentea, & mobilia Ecclesiæ, & Collegii.

§. 16. Duodecimò, quòd omnium, & singulorum sacrorum suppellectilium, argenteorum, aliorumque pretiosorum, quæ in Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, illiusque Sacristiâ, necnon omnium, & singulorum mobilium, & utensilium, quæ in Collegio prædicto respectivè reperiuntur, Inventarium fieri, illaque prævia illorum æstimatione per Peritum de communi Congregationis, illiusque Presbyterorum, ac Fulvii Cardinalis, & Protectoris prædictorum consensu facienda, Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis consignari, ac Congregatio, illiusque Presbyteri de omnibus, & singulis suppellectilibus, rebus argenteis, pretiosisque, nec non utensilibus, ac mobilibus quietare, illaque, pro quorum existentia, & sufficienti probatione, æstimatio, ac Inventarium prædicta stent, manutenere, & quoties ad id requisiti fuerint, etiam per viam subrogationis illorum, quæ consumpta fuerint, exhibere debeant, & teneantur.

Consignentur postea Presbyteris cum reportatione quietantiæ, & obligatione manutenendi.

Modus solutionis faciendæ pro manutentione Ministrorum Ecclesiæ, & Collegii præscribitur.

§. 17. Tertiodecimò, quòd totum id, quod Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis

pro Alumnorum Ecclesiæ, illiusque Sacristiæ prædictorum manutentione annuatim, ac menstruatim, ut præfertur, persolvi conventum fuit, id totum eo modo Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis, quo Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegii prædictorum Oeconomo, Sacristæ, Præfecto, Rectori, Cappellanis, ac Musicis usque nunc persolutum fuit, persolvi debeat; nempe id quod menstruatim in numeratâ pecuniâ Oeconomo, Sacristæ, Præfecto, Rectori, Cappellanis, ac Musicis prædictis persolvi consueverat, Congregationi, ejusque Presbyteris prædictis menstruatim in eâdem pecuniâ, reliquum verò juxta commodum, per quod annuatim persolvi consuevit, persolvi debeat.

Satisfactio celebrationis Missarum eventitiarum spectet ad Presbyteros.

§. 18. Quartodecimò, quòd Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis eleemosynas, quas Christifidelium ad prædictam Ecclesiam ejusdem B. Mariæ in Montibus devotionis causâ confluentium voluntas pro celebrandis inibi Missis de die in diem elargitur, quolibet mense inquirendi, dictasque Missas eventitias nuncupatas celebrandi, seu celebrari faciendi onus incumbat, & attento quod in prædictâ Ecclesiâ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus inter Missarum celebrationes quæstuari, quæstusque hujusmodi in usus, & utilitatem Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegii prædictorum converti consueverunt; hinc quæstus prædicti, qui considerato per viam calculi eorum valore ad rationem scutorum trium monetæ etiam quolibet mense ascendere solent, Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis, cum hoc tamen, quod ex quâlibet ex menstruis præstationibus in pecuniâ numeratâ Congregationi, illiusque Presbyteris, ut præfertur, faciendis prædictâ scuta tria ratione quæstuum prædictorum detrahi debeant, liberè cedant.

Eleemosynæ quæstu acquisitæ applicentur Presbyteris cum aliqua modificatione.

§. 19. Decimoquintò, quod omnia, & singula pia legata, aut relicta, ac hæreditates facta, & collata, aut facienda, vel conferenda Presbyteris prædictæ Congregationis præfatæ Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus aut in eâ commorantibus, ad effectum illorum institutum exercendi, aut missiones explendi, aut eos, qui ad exercitia spiritualia apud eosdem Presbyteros exequenda se conferunt, recipiendi, aut se alendi, aut fabricandi, aut possidendi aliquem se recreandi causâ locum, ad Congregationem, illiusque Presbyteros præfatos spectent, & pertineant, & cum hoc tamen quòd si Congregatio, illiusque Presbyteri prædicti legata, relicta, & hæreditates prædicta à Congregatione illiusque Presbyteris prædictis in ampliandis Collegii ædificiis, ac Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus ædibus erogata fuerint, in eorundem Presbyterorum ab illinc recessu Collegio, ac ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus Ecclesiæ prædictis liberè remaneant. Quo verò ad pia legata, relicta, & hæreditates Collegio, ac ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus Ecclesiæ, illiusque Sacristiæ prædictis facta, & facienda, aut collata, vel conferenda, ad Collegium ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, Ecclesiam, illiusque Sacristiam prædictas spectent, & pertineant; eâ tamen declaratione adjecta, quod omnia & singula relicta, & hæreditates usque nunc facta, & collata, etiamsi nondum devoluta, nec purificata, sed in posterum devolvenda, & purificanda, ad Collegium, & Ecclesiam ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus prædicta similiter semper spectent, & pertineant. Ac denique quoad relicta, quæ eisdem Presbyteris Piis operariis in genere in Collegio, & ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus Ecclesiâ prædictis commorantibus in posterum fieri contigerit, ad illos spectare, & pertinere debebunt, ad quos, ut infra, spectare, & pertinere declarabitur.

Hæreditates & legata ratione proprii Instituti dd. Presbyteris relicta ad eos pertineant, dummodo erogata non fuerint in beneficium Ecclesiæ, & Collegii.

Hæreditates, & legata Ecclesiæ, & Collegio relicta, ad illam, & illud spectent.

Relicta Presbyteris in genere, ad ipsos, ut infra, pertineant.

§. 20. Decimosextò, ac demum, quod Congregatio, illiusque universi Presbyteri præfati ad præmissorum omnium, & singulorum omnium statutorum observationem, & implementum, nec non perpetuam suppellectilium, argentorum utensilium, ac mobilium prædictorum conservationem solemniter, & expressè se obligare debeant, & teneantur, & aliàs, prout in Instrumento publico desuper inter Fulvium Cardinalem, & Protectorem, ac dilectum etiam filium Dominicum de Longobardis Presbyterum dictæ Congregationis, ejusdem Congregationis Procuratorem Generalem stipulato, & per acta dilecti etiam filii Francisci Nicolai Orsini Curiæ Capitolii Notarii sub die 31. Octobris proximè elapsi rogato, pleniùs continetur, nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito perpetuò concesserit, & assignaverit.

Obligatio Presbyterorum observandi omnia supradicta, & conservandi suppellectilia.

Stipulatio instrumenti concessionis cum reservatione beneplaciti.

§. 21. Nos, qui ad ea, per quæ Congregationum, aliorumque piorum locorum quomodolibet præsertim in Urbe nostrâ prædicta studio piorum operum vacantium prosperiori statui cum Divini cultus augumento, ac speciali fidelium consolationi facta dignoscuntur, ut in eorum firmitate, perpetuâque persistant tranquillitate, nostras Apostolicæ potestatis manus extendimus adjutrices: Proptereaque, sicut ex fide dignis relatibus intelleximus, concessio, & assignatio prædictæ non modicum cultui erga ipsam Beatissimam Virginem incrementi, ædificationique Alumnorum prædictorum allatura sint utilitatis, providè circa concessionem, assignationemque hujusmodi per dictum Fulvium Cardinalem, & Protectorem, ut præfertur, disposita, ejusque pium propositum, ac devotam vigilantiam laudantes in Domino, nec non ejusdem Congregationis Presbyteros, illorumque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, motu proprio, non ad eorumdem Presbyterorum, seu alicujus alterius instantiam, sed ex certâ scientiâ, meràque liberalitate nostris, & de Apostolicæ potestatis plenitudine concessionem, & assignationem hujusmodi, ac prout illas concernit, Instrumentum desuper confectum prædictâ Apostolicâ auctoritate perpetuò approbamus, & confirmamus, illiusque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti, & solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplemus. Et ut concessio, & assignatio hujusmodi, ac omnia, & singula præmissa semper firma, & valida persistant, & de illorum validitate, & firmitate nullo unquam tempore hæsitari contingat, ac quatenus opus sit, Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, quæ minimè collativa existit, illiusque Sacristiæ, ac Collegii prædictorum, illorumque ædium, suppellectilium, utensilium, & mobilium usus prædictos, ad effectum præmissorum tantùm, ac cum omnibus, & singulis conditionibus, pactis, & obligationibus in dicto instrumento contentis, & expressis, & non aliàs, Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis, ita quod liceat eis corporalem, realem, & actualem possessionem, quoad usus prædictos tantùm, per se, vel alium, seu alios eorum, prædictæque Congregationis nomine, propriâ auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, Apostolicâ authoritate perpetuò concedimus, & assignamus illosque servitio Ecclesiæ ejusdem B. Mariæ in Montibus, & Collegii prædictorum pro tem-

Motu proprio confirmat supradictam concessionem cum omnibus, & singulis pactis, & conditionibus in ea contentis.

Enarrat utilitatem provenientem ex prædicta concessione Ecclesiæ, & Collegii facta Presbyteris.

Eximit à Jurisdictione Ordinariorum Presbyteros addictos servitio Eccle-

siæ, & Collegii cum elargitione Privilegiorum, & gratiarum aliàs conceſſ. Presbyteris Sæcularibus.

pore addictos à Locorum Ordinariis in illis, in quibus ipſi Ordinariis prædictis ſubeſſe dignoſcuntur, dictâ Apoſtolicâ authoritate eximimus, & liberamus, ac exemptos, & liberatos, & omnimodæ Superioritati, juriſdictionique Cardinalis nunc, & pro tempore exiſtentis Protectoris prædicti ſubjicimus, illique ſubjectos eſſe, & fore volumus, ac ejuſdem Congregationis Presbyteris prædictis eidem Eccleſiæ Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegio prædicto pro tempore inſervientibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, facultatibus, indultis, exemptionibus, indulgentiis, ac privilegiis, quibus Presbyteri, aliique Miniſtri Eccleſiæ ejuſdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegio prædictis antea pro tempore inſervientes de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, & conceſſione Apoſtolicâ, aut aliàs quomodolibet utebantur, fruebantur, potiebantur, & gaudebant, uti, frui, potiri, & gaudere, liberè, & licitè poſſint, & valeant, eâdem authoritate concedimus, & indulgemus.

Declarat, Legata, aliaque relicta ſpectare debere ad Eccleſiam niſi conſtet, dictos Presbyteros ſuiſſe contemplatos.

§. 22. Ac inſuper legata pia, & res à piis Benefactoribus Presbyteris Piis Operariis prædictis in Eccleſiâ ejuſdem B. Mariæ in Montibus hujuſmodi degentibus, vel commorantibus, vel Presbyteris piis Operariis ejuſdem Eccleſiæ B. Mariæ in Montibus, vel ipſi Eccleſiæ B. Mariæ in Montibus, relinquenda, & relinquendos, ad Eccleſiam ipſam prædictæ B. Mariæ in Montibus niſi ex verbis vel conjecturis, circumſtantiis, aut veriſimili Teſtatorum mente appareat, vel apparere poſſit, Teſtatores eoſdem Presbyteros principaliter contemplatos fuiſſe, aut eorum contemplatione principaliter motos fuiſſe ad relinquendum, ſpectare, & pertinere debere, Apoſtolicâ authoritate prædictâ, declaramus: Decernentes Congregationem, illiuſque Superiores, & Presbyteros pro tempore exiſtentes, nec non Cardinalem, ac nunc, & pro tempore exiſtentem Protectorem prædictos ad omnia, & ſingula in prædicto Inſtrumento conceſſionis hujuſmodi contenta, illorumque obſervantiam, & executionem obligatos fore, & eſſe; nec non illa omnia, & ſingula ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & ſpectare poterit in futurum, perpetuò firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere.

Demandat obſervantiam inſtrumenti conceſſionis.

Decreta roborantia cum clauſula ſublata & irritanti.

§. 23. Præſentes quoque etiam ex eo, quòd quicumque intereſſe habentes, vel habere prætendentes præmiſſis non conſenſerint, atque ad ea vocati non fuerint, vel cauſæ, propter quas illa fiant, aut facta ſint, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, vel aliàs ex quocumque capite, quantumvis juridico, & legitimo, de ſubreptionis, vel obreptionis, vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, invalidari, aut in jus, vel controverſiam vocari, ſeu ad viam, & terminos juris reduci, aut adversùs illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, aut concedi nullatenus unquam poſſe, ſed illas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces, eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, obtinere debere, nec non ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam ſub quâcumque poſteriori datâ per eoſdem Congregationem, illius Superiores, ac Presbyteros, nec non Cardinalem nunc, & pro tempore exiſtentem Protectorem quandocumque eligenda conceſſas eſſe, & fore; ſicque, & non aliàs per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, quâvis authoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, de latere Legatos, Vicelegatos, ſeu quoſvis alios, ſublatâ eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & definiendi formâ, ubique, & in quâcumque inſtantiâ judicari, & definiri debere, irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executio præſentis Bullæ committitur Epiſcopis Portuenſi, & Præneſtino.

§. 24. Quo circa Venerabilibus Fratribus noſtris Portuenſi, & Prænestino Epiſcopis nunc, & pro tempore exiſtentibus per eaſdem præſentes motu ſimili mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Congregationis, ac pro tempore exiſtentium illius Presbyterorum, nec non Cardinalis nunc, & pro tempore exiſtentis prædictorum, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtrâ præſentes, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ac ſingulos, quos ipſæ præſentes concernunt, illis pacificè frui, & gaudere; non permittentes ipſos, vel eorum quempiam deſuper quomodolibet moleſtari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna remedia juris, & facti, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, nec non legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus Pauli, Gregorii, & Urbani prædictorum, nec non Pauli Secundi, quatenus opus ſit, Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus nec non noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo, nec non Eccleſiæ ejuſdem Beatæ Mariæ in Montibus, ac Collegii prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis; & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, Adminiſtratoribus, Deputatis, aliiſque Perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè, ac latiſſimè, & pleniſſimè, motu pari derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogatio contrariorum, & præcipuè Bullarum ſupra relatarum; nec non Pauli II. de rebus Eccleſ. non alienandis.

Sanctio pœnalis.

§. 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, roboris adjectionis, defectuum ſuppletionis, ac novæ conceſſionis, & aſſignationis, indulti, declarationis, mandati decreti, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo, quarto, nonas Januarii Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

Dat. die 2. Januarii anno 1712.

L. Vannicellus.
C. Cerrus.

Lo-

Loco ✠ Plumbi.
A. Mire.
I. P. Paloccius,
Hieronymus Bertus Pro-Sigillator.

L.

CONSTITUTIO

Qua Superioribus, & Monachis Ordinis Carthusien. sub pœnâ excommunicationis latæ Sententiæ Romano Pontifici reservata interdicitur, ne cuicumque personæ, etiam Cardinali, in Monasteriis ejusdem Ordinis carnibus vesci permittant.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis cælitus Apostolicæ Servitutis munere in eam præcipuè curam sollicitis studiis incumbimus, ut regularem observantiam, religiosamque tranquillitatem inter Religiosos Viros, qui à sæculi turbis longè remoti vota sua Altissimo, mente quietâ, & ad Deum per contemplationis sublimitatem, atque suavitatem reddere student, quantùm Nobis ex alto conceditur, tueri, atque conservare satagamus. Supplicationibus itaque Dilecti filii nostri Annibalis S. R. E. Diaconi Cardinalis Albani nuncupati nostri secundùm carnem ex Fratre germano Nepotis, Ordinis Carthusien. apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quispiam Monasteriorum dicti Ordinis Superior, vel alius ejusdem Ordinis Monachus, sive alia quælibet Persona, quemcumque sive Ecclesiasticum sæcularem, vel regularem quâvis mundanâ, vel Ecclesiasticâ præeminentiâ, potestate, vel dignitate, etiam Cardinalitiâ, fungentem, carnibus in Monasteriis Ordinis hujusmodi adversùs illius antiquam, & laudabilem consuetudinem, sive publicè, sive secretò uti, & vesci permittere audeat quovis modo, seu præsumat, sub excommunicationis latæ Sententiæ, à quâ nemo, nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat, aliisque per Statuta memorati Ordinis authoritate Apostolicâ confirmatâ inflictis pœnis eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, dictâ authoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilecto filio moderno Priori Generali dicti Ordinis harum serie committimus, & mandamus, ut ipsas præsentes literas in omnibus, & singulis Ordinis prædicti Provinciis, & Monasteriis quamprimum publicari curet, ne quispiam illarum ignorantiam allegare possit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Monasteriorum, etiam jnramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus, omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Maii MDCCXII. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

F. Oliverius.

LI.

CANONIZATIO

S. PII QUINTI PONTIFICIS MAXIMI
Ex Ordine Fratrum Prædicatorum, illiusque in Sanctorum numerum relatio.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

INter multiplices tribulationes, quæ inviserunt nos, nimis Clementissimus Deus, qui non continet in irâ misericordias suas, visitavit Populum suum in pace, & de cœlestium charismâtum abundantiâ, quibus locupletavit Electos suos, velut ab ubertate domus suæ, replevit Nos gaudio, atque in tantis periculis constitutos novis subsidiis instruxit, & confirmavit. Enimverò egregia Sanctorum Virorum facinora, tametsi magnalia Dei potissimum, ejusque potentiam loquantur, & prædicent, qui ex humanæ naturæ figmento vasa misericordiæ constare dignatur, ut per infirma Mundi fortia quæque confundant; ipsa tamen immensa Dei bonitas, artifex ad salutem, in paucorum triumphis plurimorum commodis prospicit, & virtutem præcedentium instructionem efficit posterorum: ut nimirum, qui viderint fragiles homines, eâdem generis infirmitate circumdatos, in carne supra carnem vixisse, & per fidem operantes justitiam, adeptos esse repromissiones, pari Religionis ardore excitentur ad pugnam, ac nitantur ad coronam; Eorumque intuentes exitum conversationis, imitentur, & fidem; Simul etiam ne quis certantibus diffidentiæ torpor obrepat, in ipsis Servorum suorum operibus, in quibus proponit imitationis exemplum, imbecillitati nostræ præsidium parat, eorumque merita nostra vult esse suffragia. Tantas profectò sui in nos amoris divitias uberrimè effudit Dominus, cum dedit nobis de Pii V. Romani Pontificis Prædecessoris nostri virtutibus, ac meritis lætari, & exultare. Cui enim dedit Sacerdotium Magnum, ut haberet laudem in nomine ipsius, & quem induit virtute ex alto, ut præliaretur prælia Domini, & virtute irrumperet iniquitates, factus in columnam ferream, & in murum æreum pro domo Dei; eumdem etiam translatum de hoc sæculo, & signis admira-

bilibus illustratum posuit in lucem, ac lætitiam Populi sui, quem provocaret exemplis, ac foveret auxiliis.

Inter præsentium temporum calamitates gaudet Pontifex B. Pium Sanctorum fastis adscribere, illiusque virtutes omnibus Episcopis imitandas proponere.

§. 1. Nos igitur, quos in hac sublimi Apostolatus speculâ constituit Dominus, ut annunciemus Populis mirabilia ejus, atque ad currendam viam mandatorum ipsius, Christifidelium animos excitemus, officii nostri esse duximus, ut eumdem Pium Quintum, quem Nos divinâ fruentem in Cœlis Beatitate jampridem colebamus, in terris etiam, authoritate Nobis à Domino traditâ, Sanctorum fastis solemniter adscriberemus; atque ita universa Christi Ecclesia inter pia gaudia Deum prædicaret mirabilem in Sanctis suis, tantæque pietatis incitamento, ac tutelâ proficeret. Neque enim sine peculiari divinæ Providentiæ consilio contigisse arbitramur, ut eo planè tempore, quo Orthodoxæ Religioni tot ab ejus hostibus undequaque struuntur insidiæ: quo Sacrorum Canonum salutaris norma tam impudenter contemnitur: quo turbulenti homines continuâ novitatum prurigine laborantes damnatos dudum errores subdolis artibus instaurare conantur: quo abundante nequitiâ Christiani Populi charitas plurimum refrigescit: quo sæculi Potestates nova in dies vulnera Ecclesiasticæ libertati inferre moliuntur: quò demum suprema hæc Beati Petri Sedes tot contumeliis, & injuriis palàm afficitur: Is Pontifex in Sanctorum album referretur, adeoque Nostræ non minus, quam Episcoporum omnium imitationi proponeretur, in quo fuit Religionis propagandæ perpetuum studium, in Ecclesiasticâ disciplinâ restituendâ indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in Sedis Apostolicæ juribus vindicandis robur invictum. Sed præstat jam his nostris literis virtutum ipsius, vitæque rationem enucleatè referre, ut tantorum meritorum memoria Apostolici etiam Ministerii nostri præconio, ac testimonio propagetur.

B. Pius anno 1504. de nobili Prosapia oritur, & Michael in baptismate appellatur.

§. 2. Gens Ghisileria perantiquâ, & generosâ nobilitate Bononiæ illustris, atque Ordini Senatorio adscripta, civilium dissidiorum causâ in varias Italiæ Regiones distracta, in Oppido Boschi Dertonensis Diœcesis apud Insubres sedem, ac domicilium posuit; Ubi licèt avito fortunarum splendore exuta, reique familiaris difficultate depressa, non ultimum tamen locum inter cæteras honestiores Familias retinens, anno reparatæ salutis MDIV. Paulo Ghisilerio, & Dominicâ Augeriâ parentibus, Michaelem, qui ad Apostolicam deinde Cathedram evectus Pius Quintus est appellatus, in lucem protulit.

Decimo quarto ætatis anno Ordinem Prædicatorum ingreditur.

§. 3. Sacro regenerationis lavacro Cœlo renatus, generosus Alumnus, ac piâ, Christianâque educatione imbutus, futuræ Sanctitatis præludia ab ipsâ edidit adolescentiâ; Nam statim ac quartum supra decimum ætatis annum attigit, Mundo, sæculique illecebris valè dicens, Fratrum Prædicatorum Instituto nomen dedit, præclara illius Ordinis decora, ac potissimum eximia in hanc Sanctam Sedem merita plurimum aucturus. Hic enim ille est laudatissimus Sancti Dominici Ordo, in quo, ut primùm institutus fuit, tamquam in opimo, ac fertili agro, eodemque benè, ac diligenter subacto, & exculto, Viri doctrinæ præstantiâ, & vitæ Sanctitate conspicui nunquam alii aliis succrescere desierunt.

Lectoris, Prioris, & Definitoris muneribus functus zelo adversùs hæreticos ita emicat.

§. 4. Strenuus itaque in his Castris Miles munia ejusdem Ordinis, Lectoris scilicet, Prioris, & Definitoris, quæ exactâ Regularis disciplinæ observantiâ promeruit, summâ cum laude obivit, totusque in eo fuit, ut viva probatorum Patrum exempla sibi proponeret imitanda; Ratus, & quidem meritò basim, ac fundamentum Religiosæ vitæ in assiduâ ad Deum precatione, atque in legendis, imitandisque Sanctorum Virorum gestis, Sancti Dominici præsertim, ac eorum, qui Dominicanam familiam Sanctitatis famâ illustraverant, esse collocanda.

Ut Fidei quæsitor apud Novocomenses, & deinde Bergomates renuncietur.

§. 5. Cùm autem plurima in hoc Viro admirabilia fuerint, præcipuè singulare studium conservandæ veræ, & Catholicæ Religionis, & adversùs eorum fraudes, & insidias; qui illam ullâ ex parte labefactare conarentur, implacabile odium semper eluxit. Quare apud Novocomenses primùm, deinde apud Bergomates Fidei Quæsitor renunciatus, illis, qui ab Ecclesiâ descivissent, perpetuum bellum indixit; tum, ut errantes ipsos in viam salutis revocaret, tum, ut cæteros ab erroris contagione servaret illæsos.

Munus sibi commissum periculis omnibus, etiam vitæ contemptis, impavidus adversùs quoscumque de Fide suspectos etsi Magnates, & præponentes, exequitur.

§. 6. Ergo cum ei munus in eos publicè inquirendi mandatum fuisset, non ille potentum inimicitias, non pericula, non vitæ, ac capitis dimicationes; dum illos modis omnibus persequeretur, sibi fugiendas putavit; sed potius ultrò, ac cupidè appetiit, servatoque à Deo mirabiliter non animum Martyrio dicendum, sed Martyrium animo defuisse. Erat tunc temporis suo viduata Pastore Curiensis Ecclesia apud Rhetios, cui Canonicus quidam, etsi suspectæ fidei, ob suffragiorum numerum fortè præficiendus erat. Mittitur propterea hujusce Causæ cognitor Beatus Pius; Eâque ad juris normam probè confectâ, Hæreseos criminis reus Canonicus ille declaratus est. Pius verò rem hanc totam ita forti animo gessit, ut numquam Ordinis sui indumenta etiam per breve tempus exuere voluerit, quanquam eum omnes alieno vestitu incedere hortarentur, ne oculos Hæreticorum offenderet, qui capitale odium adversùs Dominicanos Fratres profitebantur. Negavit id se facturum Pius, sanctè testatus se quam libentissimè, si ita Deo visum fuisset, sacrâ illâ veste indutum mortem oppetiturum.

Bergomensem Civitatem ab Hæreticis purgat, & falsos Dogmaticos expellit.

§. 7. Pari sanè constantiâ Bergomensem Civitatem ab Hæreticorum peste diligenter purgavit; Ubi invicto animo adversùs Medolacum falsæ doctrinæ Propagatorem acerrimè institit, quamvis magnâ Amicorum, ac Consanguineorum copiâ suffultum, à quibus subinde graves excitatæ sunt turbæ.

Ejusdem Civitatis Episcopus opera B. Pii, cui insidias paraverat, de hæresi damnatus à Sede ejicitur.

§. 8. Id quod præstitit etiam adversùs ejusdem Civitatis Episcopum, cujus profectò præpotens authoritas eò devenerat insaniæ, ut quosdam nefarios homines immitteret, qui integerrimum Fidei Ministrum vi, dolovè captum maximis cruciatibus perimerent. Verùm uterque tandem jure, ac meritò Hæreseos damnatus Hæreticorum pœnas luit. Medolacus enim carceri apud Venetos mancipatus extremum diem miserrimè clausit: Episcopus verò è Sede Episcopali dejectus dignitatem amisit.

Supremæ Inquisitionis Commissarius declaratur: Ecclesiæ Nepesinæ præficitur: Cardinalis creatur, & supremus, ac perpetuus Inquisitor efficitur.

§. 9. Demum cum in hoc arduo munere strenuè, fideliterque laborasset, Supremæ Romanæ Inquisitionis Commissarius à fel. record. Paulo Papa IV. Prædecessore Nostro declaratus fuit, inde ad Episcopale Nepesinæ Ecclesiæ regimen assumptus, ac subinde anno MDLVII. in Sacrum S. R. E. Cardinalium Ordinem cooptatus, eique supremi, ac perpetui Inquisitoris Provincia demandata fuit, factâ omnibus Episcopis, ac Delegatis jussione, ut in rebus ad Sanctum Officium pertinentibus ipsum, veluti Superiorem agnoscerent.

Confirmatus in perpetuum Inquisitorem à Nepesina ad Ecclesiam Montis Regalis transfertur.

§. 10. Hanc verò ampliſſimam Dignitatem, quæ nemini unquam, nec antea, nec postea collata fuit, recolendæ memoriæ Pius Papa IV. etiam Prædecessor noster, qui memorato Paulo Prædecessori in Pontificatu successerat, Cardinali Alexandrino (hoc nomine Beatus Pius inter Purpuratos Patres nuncupabatur) nedum confirmavit, ve-

verùm etiam illum novis in dies fulgentem meritis à Nepesino Episcopatu ad ampliorem regendam Ecclesiam Montis Regalis in Subalpinis transtulit.

In Cardinalatu modestiam, humilitatem, cæteraſque virtutes, & adhuc religiosæ vitæ institutum excolit.

§. 11. Divinâ itaque Providentiâ ad majora vocatus, Sacræque Purpuræ ornamento cohonestatus, ita modestiam, humilitatem, cæteraſque virtutes omnes excoluit, ut illæ novo lumine illustratæ, & adauctæ magis, magisque suspiciendæ intuentium oculis apparuerint. Pancis enim in famulatu, probisque in primis, adscitis, paternâ illos charitate complexus, more Religiosorum secum vitam agere, Deoque inservire verbo docuit, & exemplo.

In arduis Religionis negotiis vertentibus in Tridentina Synodo illius censura præcæteris existimatur.

§. 12. Coactâ eâ tempestate apud Tridentum Oecumenicâ Synodo, cùm ardua ibi Religionis, disciplinæque Ecclesiasticæ negocia tractarentur, illaque Romæ maturo examini in Conventu Doctissimorum Virorum subjicerentur; Magni apud omnes ponderis, summoque in pretio fuit Cardinalis Alexandrini calculus, qui posthabitis sæculi rationibus, nihilque sapiens terrenæ affectionis, Apostolicâ planè libertate sententiam dicere semper visus fuit, quamquam simultates, & odia sæpius eâ de re subiturus.

Unanimi Patrum voto in Summum Pontificem renunciatus Ecclesiæ regimen, imploratoprius divino lumine suscipit.

§. 13. Interea præfato Pio IV. Prædecessore rebus humanis exempto, summo omnium Patrum consensu Cardinalis Alexandrinus die VII. Januarii anni MDLXVI. Pontifex Maximus renunciatur, assumptoque Pii V. nomine, Ecclesiæ Universalis gubernacula, post fusas Deo ferventissimas preces, non minori Populorum gaudio, quam expectatione suscepit. Nec profectò communem opinionem fefellit; Nam vix supremo fastigio admotus, nil antiquius habuit, quàm clementiæ, ac beneficentiæ testimonia, & singularia edere documenta, nedum erga illos, qui vel minimum commodi ipsi contulerant, verum etiam in eos, qui de se malè meriti fuerant, ut perfectissimam imitaretur charitatem Patris Nostri, qui in Cœlis est.

Inter Pontificatus curas nihil de pristina religiosæ vitæ severitate intermittit.

§. 14. Inter tot, tantaſque Apostolici Ministerii curas nunquam à piissimo Pontifice, quanquam affectâ ætate, & corpore admodum imbecillo, intermissa jejunia, carnis macerationes, orationum, precationumque frequentia, interdiu nunquam posthabita, de nocte verò sæpius adaucta, quoties pro re Catholicâ quidquam magni momenti decernendum accideret. Nihil enim de pristinâ religiosæ vitæ severitate remiserat, demptisque Principatus Insigniis, & externo Dignitatis splendore, in mentis recessu privatum agebat: imò, quanquam adhuc in terrâ positus, versabatur in Cœlo; cumque inter Mortales degeret, jam tamen Civis erat Sanctorum, & Domesticus Dei.

Consanguineorum commodo, honoribus & divitiis non indulget.

§. 15. Hinc Consanguineos suos non titulis, non divitiis, non honorum gradibus insignitos, ac donatos voluit; sed Michaelem Bonellum suum ex sorore Pronepotem, nonnisi post exactum in Dominicanâ Familiâ tyrocinium, sacrarumque literarum peritiam adeptam, totius Sacri Collegii non approbatione tantùm, sed enixis etiam precibus accedentibus, inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales assumpsit.

In aula Pontificia nonnisi probatissimos viros admittit.

§. 16. Nemini item in Aulâ Pontificiâ locum dari passus est, nisi cui probatæ vitæ ratio illum comparasset; Adeo ut Pontificis Familia ad exemplum Domini sui instituta, atque composita nullâ re magis, quàm modestiâ singulari, & præcipuâ quadam animi, morumque integritate à cæteris discerneretur.

Dignitates Ecclesiasticas benemeritis tantum elargitur.

§. 17. Nulli apud ipsum ad Ecclesiæ Dignitates aditus patuit, nisi cui merita prudenti judicio expensa ad illas obtinendas viam stravissent, viresque ad easdem probè exercendas abundè suppeditassent.

§. 18. Flagrans in eo propagandæ Religionis Catholicæ desiderium, indefessus pro instaurandâ Ecclesiasticâ Disciplinâ labor, incredibilis, ac quasi perpetua in extirpandis erroribus vigilantia, pro tuendis Ecclesiæ Juribus ferreum pectus, in castigandis corrupti sæculi moribus, malorumque hominum licentiâ, & temeritate duriores renovatæ Leges, atque excitata Judiciorum severitas. Contra verò pronâ, ac semper inexhaustâ beneficentiâ curavit Subditorum commoda, quorum querelas, suppliceſque recursus non modico valetudinis suæ dispendio, datâ cuilibet adeundi, fandique copiâ, prolatâque audiendi patientiâ à mane usque ad vesperas, penè quotidie excipiebat.

Strenuum, & indefessum se Catholicæ Religionis Assertorem, & Ecclesiasticæ disciplinæ Instauratorem exhibet.

Subditorum preces etiam cum valetudinis incommodo quotidie excipit.

§. 19. Talis demum, ac tantus in eo effulsit splendor Virtutum, ut ab ejus Sanctitatis radiis illustrati, & Nobilis quidam Anglus, & Ollicæ Dux, Hebræique nonnulli ad admirabile Evangelii, Orthodoxæque Fidei lumen libenter accesserint. Quos inter Elias quidam Archisynagogus divitiis, famâque celebris unà cum filiis Vaticano in Templo solemni Ritu Pii Pontificis manu Sacri Baptismatis beneficium accepit.

Ejus virtutibus, & Sanctitate illustrati plures Hæretici, ac duriores Hebræi ad Evangelii lumen accedunt.

§. 20. Quâ integritate, quâ justitiâ, quâ æquitate Sanctæ hujus Sedis regimen, totiusque Catholicæ Ecclesiæ procurationem Pius gesserit, editæ ab eo sanctiones inter alia Romanorum Pontificum Decreta Typis vulgatæ probe testantur.

Sanctissimas edidit leges pro Ecclesiæ Catholicæ regimine.

§. 21. Quanta protinus ipse fecerit, ut in Galliâ, Belgio, Germaniâ, Scotiâ, Angliâ, Poloniâque sarta tecta Catholica Religio conservaretur, ac propagaretur, ex luculentis Scriptorum monumentis, ac publicis, omnique fide dignis Historicis colligi potest, adeo ut plenè miraculo proxima sit ingens illa vis pecuniarum, quâ omnibus ferè Orbis Christiani partibus inopiâ pressis, aut Religionis causâ laborantibus, sine ullâ cunctatione subvenit.

Religionis Propagator & Vindex Christifidelibus ubique locorum pro confessione fidei laborantibus larga manu subvenit.

§. 22. Cùm Galliam omnem Hæresis Calviniana Hugonottorum appellata susquedeque verteret, atque hujus rei causâ nonnulla inibi Orthodoxæ Religioni parum consentanea in publicum emissa essent Decreta; Tam forti animo apud Regem Christianissimum instituit Pius, ut illa penitus è publicis Tabulis deleta fuerint, atque abrogata. Tum consilio, pecunia, commeatu, ac Militibus in Galliam, Duce Comite Sfortia Sanctæ Floræ Domino, opportunè transmissis, ita Catholicorum partes adjuvit, ut inflictâ Hæreticorum Copiis insigni plagâ, Regnum Regi, Regno Religionem, verum Deo cultum restituerit.

Hugonottorum hæresim in Gallia; abrogatis edictis regiis ad eorum instigationem editis, missisque opportunis subsidiis reprimit.

§. 23. Neque minores in Belgio turbas ad labefactandam Religionem excitaverant Heterodoxi, quibus ne statim cursum retardaret Hispaniarum Rex curatis tunc solummodo politicis rebus, ac dilato in aliud tempus Religionis negocio, auctores erant Aulicorum Consiliariorum quamplurimi. At Pius Pontifex evertit tam pernicioſa consilia, collatâque tempestivè pecuniâ; ac nonnullis inter Italos bellicosis Viris, ut Belgium pro Fide pugnaturi pergerent, persuasis, in causa fuit, ut quamplurimæ Albano Duce Belli summam dirigente, de Hæreticis victoriæ fuerint reportatæ, exuviæque, & vexilla perduellium è parietibus Lateranensis Basilicæ, celebris facti monumenta, pependerint.

Hæreticorum Turbas in Belgio adversus Catholicos conspirantes consilio, & ope dissipat.

§. 24. Propè erat, ut Cæsar necessitate compulsus in Austriæ Archiducatu Hæreticis Augustanæ, ut vocant, Confessionis liberum suæ hæreseos exercitium permitteret, nisi Pius Pontifex misso in Germaniam Cardinali Commendono, pericula Orthodoxæ Religionis, quæ jam imminebant, opportunè avertisset.

Augustanæ Confessionis exercitium ab Archiducatu Austriæ avertit.

§. 25. Si-

Polonæ Regem Catholicæ religionis perpetuum fore defensorem solemni jurejurando devovet, Regnumque hæreticis purgat.

§. 25. Similiter cum apud Polonos publicis edictis mulctati fuissent Antitrinitarii, aliique Hæretici: Verum dictæ Confessionis Augustanæ, Calvinianæque Hæreseos Professoribus in eodem Regno degere esset permissum, Pius apud Regem effecit, ut ille solemnem ac jurejurando firmatam sponsionem ederet, quâ sese in Religione Catholicâ ad mortem usque perseveraturum, ac nunquam passurum, vel minimum imminui, immutarique Romanæ Fidei dogmata, avitosque Ritus (quidquid contra niterentur Hæretici) sanctè promitteret. Plurimas è scriptis Michaelis Baii excerptas propositiones, è quibus tanquam errorum fonte, Jansseniana labes orta in hæc usque tempora derivavit, ac licet à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, imò etiam à Nobis sæpius confixa, atque proscripta, adhuc tamen latenti propagine reviviscere, virusque contagii effundere non desinit, provido, & Ecclesiæ salutari consilio edita sanctione in ipsâ origine damnavit.

Mariam Stuardam ab Elisabetha Regina mancipatam piis solatur Epistolis: Catholicis Germaniæ Principibus periclitantem in Scotia fidem commendat.

§. 26. Hærebat squallore carcerum, Hæreticorum dolis, odioque implacabili Elisabethæ prætensæ Reginæ Angliæ mancipata cl. me. Maria Stuarda Regina Scotorum, Religiosissima fœmina, resque Catholica in illo Regno lacerata, & undique collisa animum Sanctissimi Pontificis paternæ charitatis stimuli exagitabat: Quare afflicto illo rerum statu explorato, Mariæ Reginæ constantiam amantissimis, sanctoque zelo refertis epistolis fovere non desiit, ac excitare, ut à puritate Fidei, quàm à Parentibus hauserat, & eatenus illibatam servaverat, nullis se conditionibus divelli pateretur, menteque recoleret longè potiora esse æterna Cœli præmia, quàm caduca hæc, & inania terrenæ dominationis Bona. Eodem verò tempore Catholicos Germaniæ Principes adhortatus est, ut traductis in Scotiam opportunis auxiliis periclitantem Fidem, ac Religionem validissimè tuerentur. At ubi, per summum scelus Mariæ Reginæ supradictæ Carnificis manu caput abscissum, omnesque Anglici Regni Episcopos à sede sua violenter depulsos cognovit, atrocitate rei commotus impiam Elisabetham flagitiorum Servam, uti hæreticam, & hæreticorum fautricem, horribili anathemate ferire nil cunctatus, à juramento fidelitatis proceres subditos, & populos, dicti Regni perpetuò absolvit, illamque omni, & quocumque ejusdem Regni prætenso jure, dominio, dignitate, ac privilegio privatam Pontificiâ authoritate declaravit.

Elisabetham ob impia illius gesta in Mariam & Religionem Catholicam publice anathematizat, ac Jure Regni privatam declarat.

Insignis victoria contra Turcas in prælio navali, nedum armis, verùm etiam ferventissimis ejus precibus reportatur.

§. 27. Verùm quos labores susceperit, quot, quantosque sumptus, ac curas impenderit pro Christianâ Republicâ servandâ, propulsendoque à Fidelium servicibus Hoste immanissimo, ac potentissimo nemo est, qui ignoret; Cum scilicet Navali prælio commisso præclaram illam, & post hominum memoriam insignem, maximamque victoriam, Christo Duce quem in vexilio Imperatoriæ Triremis elevari jusserat, reportavit.

§. 28. Expugnata siquidem superiori anno Nicosiâ, Regnoque Cypri florentissimo (dolentes recordamur, & acerbitate jacturæ adhuc ingemiscimus) in ditionem redacto, secundis rebus elatus Turcarum Tyrannus Selimus, odioque in Christianum nomen, ac insatiabili avaritiâ inflammatus, Classem instructissimam comparaverat, quâ Cretam, Corcyram, Zacyntum, oraque omnes maritimas incendiis, rapinis, miserorumque captivitate fœdè populabatur, ipsamque Italiam, & Almam hanc Urbem superbâ spe devorabat.

§. 29. Nemo erat tunc temporis, qui expensis nefarii hostis viribus, & effrænatâ illius regnandi cupiditate, opprobria, ignominia, servitutem, vitæque extrema non expaveseeret. Quisque Religiosissima Templa, araque sanctissimas complexus pro liberis, pro conjugibus, pro fortunis, proque dulci hujus lucis usurâ lacrymans deprecabatur. At verò, in tantâ rerum perturbatione, ac inveteratâ apud omnes opinione, ferocissimum Hostem Christianorum armis superari non posse, invicta Pii constantia, inito cum Christianis Principibus sacro Fœdere, ac Classe copiosissimâ instructâ, præliatus est Bella Domini, & in spiritu vehementi Naves Tharsis penitus contrivit, atque delevit.

Superno lumine eadem die, & hora, qua pugnatur, felices Victoriæ hujusmodi videt eventus.

§. 30. Nec tantæ Victoriæ nuncium, optatumque rumorem diu expectavit Sanctissimus Pontifex; defixis quippe oculis in Imagine Redemptoris Nostri è Cruce pendentis, cùm anxiis precibus & voce fletus sui solito uberioris, divinam misericordiam exoraret, ne gentibus efferatis hæreditatem suam diripiendam relinqueret, sed in brachio excelso Populum suum salvum faceret, in excessu mentis superno lumine illustratus videre meruit Christianæ Classis prosperos eventus illo ipso die, ac eâdem horâ quâ feliciter ad Chinadas Insulas pugnatum fuit.

Majora ad Religionis incrementum cogitans extremo morbo corripitur mortemque à se prævisam specialibus actibus ostendit.

§. 31. Sed & alia, & fortasse majora ad Religionis incrementum cogitantem Pium, Deo sic disponente, communis necessitas prævenit; Cujus in occursum humilem, constantem, patientemque animum præseferens piissimus Senex extremâ vi morbi correptus, acerbissimos dolores tam fortiter toleravit, ut solùm ad Jesu Christi Crucifixi Imaginem dulciter suspirans, hæc sæpius ingeminare verba auditus fuerit: Domine auge dolorem, sed & auge patientiam: Mortem autem sibi ab ipso morbi principio certam, atque exploratam ita non exhorruit, ut de eâ sine ullâ prorsus aut vultus, aut animi perturbatione coram Familiaribus suis loqueretur, eamque à se in lucro poni, anteactæ vitæ fiduciâ planè demonstraret. Cæterum quod ex illo morbo sibi pereundum fore divinâ revelatione præsciviisset, duas apertas, atque illustres ejus rei significationes dedit; Unam scilicet, quod Cardinalem Alexandrinum pridie Parasceves, hoc est vigesimo nono ante ipsius obitum die, Sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigentem, & usitatâ verborum formulâ utentem jussit subsistere, & ita verba concipere, ut in iis tantum fit qui Sanctissimum illud Sacramentum pro Viatico accipiunt, supremum iter, & viam universæ carnis ingressuri. Alteram verò, quod cum aliquâ morbi remissione, depulsum ab eo mortis periculum constans opinio esset, septem præcipua Urbis Templa invisere voluit, ejusque itineris quanquam viribus infirmâ valetudine dejectis, magnam partem pedibus confecit; apertè profitens velle se eorum reliquias postremo videre, quorum animas non multo post visurum esse speraret in Cœlo.

Imminente obitu Christianorum fœdus Card. Alexandrino commendat, & psalterii Davidici pasculo recreatur.

§. 32. Denique vi morbi invalescente, statim ac novissimam appropinquare horam præsensit, Sacrum Christianorum Principum Fœdus Cardinali Alexandrino ferventissimè commendavit: Deinde Psalmos Davidicos sibi prælegendos popposcit, lectori mandans illos altâ voce pronuntiare, interpositâ singulis versiculis morâ, ut ipse divina eloquia per aures admissa dulci contemplationis affectu sensim degustaret, sitientemque spiritum irroraret nectare suavissimo.

Passionis Dominicæ mysteria contemplans suaviter obdormit in Domino.

§. 33. Tandem, cùm Historia Passionis Domini Nostri Jesu Christi ex Evangelio legeretur; manibus in modum Crucis expansis, nullo motu, strepituve edito, suaviter efflavit animam, eamque reddidit Creatori.

Maxima fama ejus sanctitatis in obitu: & publica jactura prodigiis contestata.

§. 34. Maxima, eo defuncto, statim percrebuit fama illius Sanctitatis; Cujus nempe desiderium, publicamque jacturam ipsa etiam muta elemen-

Concursus Populi Romani, & Advenarum ad ejus cadaver.

menta Terræ fremitu, fulminibus, Amniumque exundatione testata fuerunt. Quare non Romani Populi solùm, verùm etiam plurimorum è vicinis Regionibus hominum concursus ad visendum illius cadaver factus est, adeo ut majorem Custodum, Militumque numerum adhibere opus fuerit, ne Populi fervor, qui Beati Cadaveris vestes jam violenter sciderat, carnes etiam in frusta distractas secum asportaret.

Anno 1621. instructis processibus, & examinatis à tribus Rotæ Auditoribus, isti referunt, constare de virtutibus pii in gradu heroico, & miraculis: Relatio approbatur à Sacr. Congregatione cum duobus miraculis postmodum subsecutis.

§. 35. Agi cœptum de Pio inter Sanctos referendo Anno MDCXXI. cujus rei gratiâ instructis variis tam Ordinariâ quàm Apostolicâ authoritate Processibus, fuit, ut mos erat illius temporis, tribus antiquioribus Romanæ Rotæ Judicibus eosdem examinandi demandata facultas, qui lato de hâc re judicio, & documentorum authoritatem probarunt, & Virtutum præstantiam heroicum gradum attigisse, necnon Miracula supra communem naturæ usum fuisse patrata dixerunt. Horum Judicio Sacrorum Rituum Congregationis examen superinductum, in quo pariter juridica Actorum validitas, atque in gradu heroico comprobatæ virtutes, simulque duo, quæ subsecuta fuerant, miracula plenè comprobata.

I. Duæ Imagines B. Pii ex papyro una, altera ex tela illesæ à vehementissimo incendio, quo cætera conflagraverant, præservantur

§. 36. Quorum fuit primum, ab igne penitus illæsas remansisse hujus Beati Pontificis duas imagines, ex papyro unam, alteram ex tela confectas in privato Oratorio, seu Sacello Antonii Cordubæ, & Cardonæ Ducis Sessæ è pariete pendentes, licèt ignis ita vehementer per totam ædem grassatus fuisset, ut etiam argentea simulacra flammarum vi liquefacta fuerint, lapideumque Altare in formam cocti pumicis transierit, ac universa illius ædiculæ sacra suppellex (dictis dumtaxat duabus Imaginibus, eâque strati Altaris prædicti parte, in quam altera earumdem Imaginum ceciderat, exceptis) in favillam, & cinerem redacta fuerit.

II. Mulier ad extrema redacta per applicationem Indusij B. Pii instantanè è sanatur contra commune Medicorum præsagium.

§. 37. Alterum fuit Tiburtiæ Florentinæ Auximanæ mulieris septuagenariæ repentina sanatio. Hæc siquidem acutâ, malignâque febri correpta, aliisque congestis morbis oppressa, ita ut Medicorum judicio intra trium horarum spatium jam jam moritura crederetur: Ubi pii Indusium ægro corpori devotè applicuit, nullâ interpositâ morâ, sana, & incolumis è lectulo surrexit, vitamque ad multos annos feliciter protraxit.

Congregationis Judicium super præmissis Pontificio decreto confirmatur.

§. 38. Fuerunt Pontificio Decreto firmata, tum quæ ad virtutes, tum quæ ad miracula pertinebant, supradictæ Congregationis Judicia; remisso in aliud tempus reliquorum miraculorum, quæ à Causæ Postulatoribus proponebantur, examine.

Compilato novo processu ad normam decretorum Urbani VIII. & constito de illorum observantia, assumptoque examine super miraculis, & superventis post obitum, duo ex illis approbantur.

§. 39. Intereà cum piæ mem. Urbanus Papa VIII. pariter Prædecessor Noster super hujusmodi causis quædam nova Decreta edidisset, novum condere Processum super non cultu, ac quasdam à Pio exaratas epistolas exhibere necesse fuit. Quibus omnibus impletis, constitit de observantia eorundem Decretorum, prout etiam nihil in prædictis epistolis contineri, quod pietatem tanti Pontificis non redoleret.: Quamobrem instauratum fuit examen miraculorum, nedum aliàs relictorum, imò & ipso Pio vivente patratorum, sed etiam eorum, quæ postmodum intermedio tempore asserebantur contigisse. Horum duo præcipuè in memoratâ Congregatione coram similis me. Clemente Papa X. etiam Prædecessore Nostro habitâ omnium calculis admissa, & ab eodem Clemente Prædecessore approbata fuerunt.

I. Victoriæ navalis contra Turcas cognitio, quam supernò lumine resci vit.

§. 40. Primum fuit divina illa B. Pio immissa cognitio, quâ ipsa eodem prorsus die, eâdemque horâ quibus navalis, quàm supra innuimus, victoria à Christianis reportata fuerat, clarissimè illam rescivit, atque iis, qui secum aderant, patefecit; qui, cum mensem, diem, horamque adnotassent, ubi postea certus de victoria Nuncius advenit, illam, uti Pius ipsis prædixerat, evenisse apertissimè cognoverunt.

II. Farinæ perampla, & mirifica Multiplicatio.

§. 41. Alterum fuit mira quædam, ac perampla triticeæ farinæ multiplicati, quæ contigit in Monasterio Monialium S. Dominici apud Pratum in Hetruria.

Quibus admissis Beatorum Cathalogo Pium adscribendum prævio voto S. Congregationis, eique cultum publicè exhibendum Pontificio culo sancitur.

§. 42. His itaque duobus miraculis, sicut præmittitur, admissis, cum subinde eadem Congregatio, ipso Clemente Prædecessore approbante, censuisset, Servum Dei Pium V. Beatorum Cathalogo adscribi posse, nec non Officium, ac Missam in ejus honorem concedi, idem Clemens Prædecessor Anno 1672. Pium V. prædictum Beati nomine nuncupari, ejus Corpus, & Reliquias venerationi Fidelium exponi, & aliquibus in locis de eo Officium recitari, Missamque de Confessore Pontifice juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani celebrari posse indulsit.

Novi compilantur processus de superventis post indultam venerationem, eorumque validitas approbatur.

§. 43. Porrò reassumptâ denuo Causâ, expeditisque Remissorialibus, ac Compulsorialibus Literis, ut quæ post venerationem eidem Beato Pio, sicut præmittitur, indultam supervenerant, ritè probarentur, novi Processus efformati fuerunt; quorum diligenter perpensâ, & deinde admissa validitate ab eâdem Sacrorum Rituum Congregatione, illius sententiam approbavimus.

Et duo miracula in eis contenta ad mittuntur.

§. 44. Firmatâ Actorum validitate, suum subiit examen eorundem relevantia; adeoque duo de novo superventa miracula in ipsâ Congregatione coram Nobis habitâ diligenter expensa, & ab eâ approbata fuerunt.

I. Instantaneæ sanationis à diuturna Paralysi.

§. 45. Primum fuit de Margarita Massia decenni Puellâ paralysi diuturnâ in coxis, & cruribus laborante, statim, & incontinenti pristinæ sanitati restitutâ.

II. Instantaneæ emissionis fœtus in utero præmortui cum præservatione Genitricis

§. 46. Alterum de instantaneâ emissione fœtus materno in utero à pluribus diebus jam mortui, absque ullo Isabellæ Ricciæ Genitricis parientis dolore editi cum ipsius Genitricis præservatione ab evidenti mortis periculo.

Auditis desuper consuetis suffragiis, & implorato divino auxilio.

§. 47. Auditis tamen desuper tam Cardinalium, quàm Consultorum præfatæ Congregationis suffragiis, nihil tunc fuit à Nobis definitum, ut in re tanti momenti Divinum prius de more imploraremus auxilium.

Pontifex approbat dd. miracula, & audito voto Congregationis Generalis coram eo habitæ, imploratoque iterum divino lumine B. Pium inter Sanctos referendum decernit.

§. 48. Quod cùm à Nobis peractum fuisset, Nos pariter duo hæc postrema miracula approbavimus. Deinde habitâ iterum coram Nobis Generali Congregatione supradictâ, fuit in deliberatione positum: An tutò ad solemnem Canonizationem B. Pii deveniri posset; licèt autem omnes unanimi consensu affirmativè respondissent, adhuc tamen, antequam in tam arduo negocio quidquam decerneremus, denuò superni luminis adjutorium expetendum esse censuimus. At postmodum dictæ Congregationis Secretario, nec non Coadjutore Promotoris Fidei accitis die iv. Augusti MDCCX. Sancto Dominico Fundatori Ordinis Prædicatorum sacrâ, Beatum Pium V., non tam ad novum, ac præclarum decus præfati Ordinis de Catholicâ Ecclesiâ optimè meriti, quàm ad majorem ipsius Apostolicæ Sedis honorem, & gloriam canonizandum, & inter Sanctos referendum esse decrevimus.

Facta omnium Præmissorum relatione in Consistorio secreto unanimi Cardinalium voto ad solemnem Canonizationem deveniri posse censetur.

§. 49. Reliquum erat, ut accurata præmissorum omnium relatio universo S. R. E. Cardinalium Collegio de more fieret; quod cùm rectè, fideliterque præstitisset tunc in humanis agens bon. me. Joannes Maria ejusdem S. R. E. Cardinalis Gabriellius nuncupatus pro Venerabili Fratre nostro Gaspare Episcopo Sabinen. dictæ S. R. E. Cardinali Carpineo nuncupato præfatæ Congregationis Præfecto tunc ægrotante, totius summâ Processus in Consistorio Nostro secreto die 20. Aprilis proximè præteriti habito plenè relatâ, re-

liqui

liqui omnes Cardinales, qui tunc aderant, unanimi voce dixerunt sibi placere, quod Nos ad solemnem Beatii Pii Canonizationem deveniremus.

Exhortatio facta per Pontificem in Consistorio publico.

§. 50. Quocirca sequenti publico Consistorio, in quo dilectus Filius Marcellinus Corius Aulæ nostræ Consistorialis Advocatus pro eâdem Canonizatione luculenter peroravit, ac nomine totius Ordinis Prædicatorum, ut ad eam procederemus, humiliter supplicavit: Nos attentâ rei gravitate, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos ibidem præsentes omni animi contentione hortati sumus, ut orationibus, jejuniis, & eleemosynis sedulò incumberent, quo divina voluntas clarius Nobis eluceſceret.

Pontifex in Consistorio semipublico plura de Sanctitate & miraculis B. Pii commemorat, auditisque omnium Adstantium suffragiis diem Canonizationis indicit, piisque operibus Spiritus Sancti gratiam implorandam hortatur.

§. 51. Deinste in semipublico Consistorio, vocatis non solùm Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis prædictis, sed etiam Nostris, & Sedis Apostolicæ Notariis, Prothonotariis nuncupatis, ac Palatii Nostri Apostolici Causarum Auditoribus de more præsentibus, plura à Nobis de eximiâ Beati Pii sanctitate, ac miraculis commemorata fuerunt; cumque omnes concorditer ad ejus Canonizationem deveniendum esse suffragiis suis apertè censuissent; Nos unanimi eorum consensu audito, aperuimus os Nostrum in Benedictionibus, ac Dei nutum, & voluntatem secuti, justum, & debitum esse censentes, ut quos Deus honorat in Cœlis, Nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in Terris, diem celebrandæ Canonizationis indiximus, cunctos adhortati, ut in orationibus, jejuniis, & eleemosynis perseverantes, Spiritus Sancti gratiam Nostræ humilitati in tam alto negocio impetrare studerent.

Die Dominico SS. Trinitatis festo servatis servandis B. Pium Sanctum esse pronunciat, & definit, ac Sanctorum Catalogo adscribit.

§. 52. Demum peractis omnibus, quæ ex Sanctorum Patrum authoritate, Canonicis Sanctionibus, S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum Decretorum præscripto agenda, & observanda erant, hodie, hoc est Festo Sanctissimæ Trinitatis, in Sacrosanctâ Beati Petri Apostolorum Principis Basilicâ, in quâ solemni Ritu cum Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis supradictis, nec non Dilectis Filiis Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus Nostris, Clero Sæculari, & Regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenimus; post repetitas à Dilecto Filio Nostro Annibale S. R. E. Diacono Cardinali Albano nuncupato, Nostro secundùm carnem ex Fratre germano nepote, per Marcellinum Advocatum prædictis instantias illas, quæ dudum Sedi Apostolicæ à Catholicis Regibus, & Principibus pro Canonizatione hujusmodi porrectæ fuerant, Nobisque à præfato Ordine Fratrum Prædicatorum assiduè porrigebantur, post sacros Hymnos; Litanias, aliasque preces decantatas, ac Spiritus Sancti gratiam humiliter imploratam; ad honorem ejusdem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, authoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostrâ, maturâ deliberatione præhabitâ, & Divinâ ope sæpius imploratâ, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Pium V. Sanctum esse decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum Catalogo adscripsimus, prout tenore præsentium similiter decernimus, definimus, & adscribimus; statuentes ab Ecclesiâ universali illius memoriam quolibet anno die v. Maii inter Sanctos Confessores Pontifices piâ devotione recoli debere: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Indulgentiam concedit visitantibus Sepulchrum S. Pii die v. Maii.

§. 53. Parique authoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis dictâ die v. Maii ad Sepulchrum, in quo ejus Corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus in formâ Ecclesiæ consuetâ.

§. 54. His peractis, Deum Patrem Ingenitum, Regemque Gloriæ Christum Dominum, Patris Filium Unigenitum, ac Sanctum Paraclitum Spiritum unum Deum, unumque Dominum laudibus, & confessionibus venerari, Sacroque Hymno Te Deum magnâ cum animi Nostri exultatione decantata, Patri misericordiarum, & Deo totius consultationis gratias agere non cessavimus, quod Sanctissimum hunc Prædecessorem Nostrum in conspectu omnium gentium honorificaverit, eumque Nobis dederit in hac tribulationum Nostrarum nocte, tanquam Solem fulgentem in Templo suo, ut qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, in tempore iracundiæ fieret reconciliatio. Missam deinde ad Altare S. Petri Apostoli ejusdem Basilicæ solemniter de more celebravimus, omnibusque Christifidelibus ibidem præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concessimus.

Hujus Bullæ transumptis fidem adhiberi mandat.

§. 55. Cæterum, quia difficile foret, præsentes ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si exhibitæ essent, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 56. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrorum Definitionis, Decreti, Adscriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, Concessionis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraïre; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac eorumdem Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo duodecimo, Undecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

✠ Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ G. Card. Marescottus.
✠ F. Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Astallius.
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ Joseph Tit. S. Mariæ Transpontinæ Presbyter Card. Sacripantes.
✠
✠ F. Tit. SS. Jo. & Pauli Presbyter Card. Paulutius Major Pœnitent.
✠
✠
✠
✠
✠
✠ Laurentius Tit. S. Susannæ Presbyter Card. Corsinus.

†
† Franciſcus Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Acquaviva.
†
†
† Philippus Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Gualterius.
† J. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Vallemanus.
†
†
†
†
† C. A. Tit. S. Auguſtini Presbyter Card. Fabronus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Jo. Baptiſta è Societate Jeſu Presbyter Card. Ptholomæus.
†
†
† B. S. Mariæ in Viâ latâ Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Petrus S. Laurentii in Damaſo Card. Otthobonus.
†
† J. R. Diaconus S. Georgii in Velabro Card. Imperialis.
† Franciſcus S. Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Barberinus.
† L. S. Nicolai in Carcere Tulliano Card. de Alteriis.
† C. S. Mariæ de Scalâ Diaconus Cardinalis Columna.
†
† Annibal S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Albanus.

Locus † Plumbi.

Joſeph Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia pro R. P. D. Maſſerio

L. Sergardus.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

CANONIZATIO

S. ANDREÆ AVELLINI

Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, illiuſque in Sanctorum numerum relatio. LII.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. NUnquam profectò, Divinâ favente bonitate, contigit, excitatis ab implacabili Humani Generis Hoſte procellis, diriſque tempeſtatibus, ita mare tumeſcere, ac infremere, ut Apoſtolici Piſcatoris cymba in altum jactata, vel ſcopulis miſerè allidat, vel in profundum naufraga demergatur: quinimo magis, magiſque ſævientibus fluctibus, ac ingruente Aquilonis turbine, exoriri non rarò ſolet amicum ſidus, ſuoque lumine offuſis undequaque tenebris diſſipatis, tutum iter, placidumque ſuper inſtabili elemento, deſpumante furores ſuos, aperire, ac ſternere.

Eccleſiæ Cymba nunquam demergitur.

§. 1. Hac ſanè ducti fiducià, quam Nobis Divina Oracula fecerunt, tot calamitates, & acerba vulnera Chriſtianæ Reipublicæ difficillimis hiſce temporibus illata, alacri, erectoque animo ferebamus, ſperantes à Deo miſericordiarum, totiuſque conſolationis, ut Eccleſiam ſuam Sponſam intactam, & immaculatam præſenti auxilio fovere, ac erigere dignaretur, illud jugiter Divinum, interque amaros lachrymarum imbres Nobiſcum recolentes promiſſum: *Portæ Inferi non prævalebunt.*

Hac fiducia Pontifex ductus temporum procellas ſuſtinet impavidus.

§. 2. Affulſit tandem expectatum, optatumque è Cœlo Jubar, Nobiſque, licèt immerentibus, ſupernâ tamen diſpenſatione Catholicæ Eccleſiæ gubernaculo præpoſitis certam, firmiſſimamque in Domino ſpem excitavit omnes Sæculi fluctus, & Tenebrarum poteſtates aſpectus ſui tranquillitate facilè ſedaturum: etenim ex altâ Militantis Eccleſiæ ſpeculâ, ſublimique Fidei, & Religionis Arce ad æternam illam, beatamque Patriam Cœleſtis Hieruſalem, quo corporeus non fertur intuitus, effuſo translati deſiderio amictum præ cæteris ſplendoribus, & triumphalibus lætitiæ coronis circumdatum, egregium, inſignemque miraculis Virum ex inclyta Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatâ Congregatione Andream Avellinum ſtupore afflati conſpeximus, quem, ſicuti dum in humanis ageret, ſanctâ, piâque conſervatione Animarum ſaluti, & Religionis incremento enixè, feliciterque conſuluit, ita ab illâ immortali ſecuritatis regione Nobis militantibus adfuturum hilari animo confidere incepimus.

Ad illas ſuſtinendas B. Andreas Avellinus è Theatinorum Congregatione præſidium cælitùs datum ſperat.

§. 3. Hunc itaque inſignem Chriſti Confeſſorem non mortalibus honoribus univerſo Chriſtifidelium cœtui colendum exponere, Araſque, & ſupplicationes idem decernere cupientes, fuſis noctu, dieque precibus, in jejuniis, & lacrymis orantes, intenſique cordis affectu Patrem Luminum deprecantes, ut in re tam grandis momenti, & ſupra humanam conditionem poſitâ, mentem noſtram cœleſti ſuâ luce perfundere, ac inſtruere dignaretur. Tandem infirmitati noſtræ ſuffragantibus univerſæ Eccleſiæ orationibus, piiſque operibus ad id ſedulò adhibitis, viſum eſt Spiritui Sancto, qui in Nobis Divinâ miſeratione operatur, & loquitur, lucernam ardentem ſuper Eccleſiæ candelabro Andream Avellinum extollere, ut illum in Albo Sanctorum ſolemni ritu translatum Chriſtianus Orbis exoret, tantiſque ingruentibus calamitatibus tutelam, validumque præſidium ſe habere apud Deum intelligat, & deprecari aſſueſcat nuncupatione votorum.

Relaturus illum in Albo Sanctorum, orationes, jejunia, aliaque pia opera adhibet.

§. 4. Gaudemus profectò, ſanctâque in Domino

Ejuſdem Canonizatio.

nem sibi reservatam, & decernendam gaudet.

mino exultatione replemur infirma, luteaque vasa deferentibus, & adversùs sæcularia desideria, Mundique procellas assiduè luctantibus optatam è Cœlo tandem illuxisse Cynosuram, quæ, lumine nunquam defuturo, securos beatæ Sion portûs, & exemptam ab omni ærumnarum, fluxæque vitæ periculis quietem in sinu æternitatis demonstret. Gaudemus generosum Christi Athletam Mundo exutum, soloque Deo armatum è castris, ac tentoriis Religiosæ Theatinorum Familiæ in arenam prodiisse, bonumque certamen certasse, quem quidem Sanctitatis odorem longè, latèque exhalantem, probatumque heroicæ virtutis documentis gloriæ coronâ donandum provida Æternæ Mentis consilia nostris temporibus reservarent. Gaudemus demum, ita postulantibus meritis, & miraculis, quibus inclaruit, cœlestes in Terris Sanctorum honores illi decernere, qui mirâ humilitate contempsit humanos. Audite ergo Populi Israel, & laudate Dominum in Atrio Sancto ejus.

B. Andreæ ortus, Patria, Parentes, Adolescentia, studia, castitas, illiusque heroica conservatio.

§. 5. Andreas itaque in sortem Domini usque ab ineunte ætate vocatus, apud Castrum novum in Regno Neapolitano, Lucanæque Provinciæ Oppidum anno MDXXI. à Joanne Avellino, & Margaritâ Apellâ Conjugibus, optimisque Parentibus suæ mortalitatis exordium suscepit, atque inibi Christianis moribus, & primis Grammaticæ rudimentis ab ejus Patruo ejusdem Loci Archipresbytero imbutus, sublimiores scientias alibi assecuturus, paternâ è domo se abdicavit: scientiis hujusmodi assequendis nunquam illarum initium, quod Dei timor est, in oculis habere prætermisit, tantique principii assiduo, ferventique cultu universam, quam pertransivit studiorum semitam illustravit, & pubescentem, ætatis suæ florem futuris sæculis consecravit, ac ita Piissimus Adolescens lubrica voluptatum irritamenta invicto pede calcavit, ut perfectæ ætatis gradum præcoci virtute transcenderit; nam sæpè ab impudico Mulierum æstu, & præsertim ab effrænâ ejus Nutricis licentiâ, quæ honestissimi nominis pudorem meritricio dedecore violaverat, impetitus, generosâ fugâ victor evasit.

Clericali militiæ adscriptus rudimenta fidei pueros edocet, incolas instruit: Neapolim tendit ad studia juris civilis.

§. 6. Patriæ se reddens, Divino Spiritu ductus Clericali Militiæ nomen dedit, & Christi Tyrunculus, in ejus studio non Sæculi, sed Cœli lucra quæsivit; quippe in Patriâ commorans, & per vicina Oppida excurrens, Pueros ad Christianæ Fidei præcepta discenda, amplectendaque, & illarum Regionum Incolas ad pia monita exequenda, non sinè ingenti Animarum quæstu, cœpit à Sæculi somno excitare: Verùm quia legibus nondum vacaverat, ejusque Parens, spe futurorum erecta, Filium à se divelli ægrè minus ferebat; Andreas, materno acquiescens consilio, Neapoli Juri Civili operam daturus concessit.

Jurisperitus, & Sacerdos effectus, ac foro Ecclesiastico deditus sui Confessarii consilio avertitur, uni Deo, animarumque saluti vacat.

§. 7. Hic itaque Juris utriusque peritiam adeptus, reliqua Literarum ornamenta novâ Jurisprudentiæ accessione cumulavit, & ad Sacerdotalem Dignitatem evectus, & in eâ constitutus, Causas in Foro Ecclesiastico pro quibusdam Personis privatis dumtaxat, juxta Sacrorum Canonum præscriptum, tuendas suscepit, donec à Joanne Marinonio Clerico præfatæ Congregationis, Viro probatæ Virtutis; & quem ille sibi conscientiæ ducem elegerat, sanctè callidior factus, ab hujusmodi procuratione se avertit, & nihil doctius, nihilque ditius arbitratus, quàm uni Deo vacare, æternoque Animarum quæstui incumbere, à lubrico cujuscumque humanæ spei fastigio descendens, Divinæ Sapientiæ quadrigam ascendit, ac, velut Auriga Christi, ad perennis beatitudinis metam concitatus se convertit.

Vicarius deputatus pro correctione nonnullarum

§. 8. Quapropter rectius iter aggressus, ita probis Neapolitanæ Urbis Ecclesiasticis piè vivendi more antecelluit, ut ab ejusdem Civitatis Archiepiscopo ejus Vicarius ad revocandas nonnullas cujusdam Monasterii Sanctimoniales, quæ à recto Regularis observantiæ tramite aberraverant, deputatus fuerit. Ille verò, porrectis prius ferventissimis Deo precibus, exploratoque conscientiæ suæ Moderatoris consilio, munus hoc arduum suscepit, illudque, ita, Deo ejus votis, & laboribus annuente, feliciter absolvit, ut Virgines illæ, quæ procul ab immortali eorum Sponso dormitaverant, validis Andreæ clamoribus Sponsum advenientem nunciantis, excussæ surrexerint, ornatisque novo reformationis zelo lampadibus suis, quæ circumfusis inobservantiæ tenebris jamjam defecerant, recenti lumine pulchriores cum illo intraverint ad Nuptias. Una tamen ex eis diuturno cujusdam profani Viri commercio detinebatur: Sed Andreas hoc vetus, & arctissimum Satanæ vinculum forti brachio conterere aggressus est, facto utrique interdicto, Viro scilicet, ne ad Monasterium, Moniali verò ne ad crates eum alloquendi gratiâ accederent. Tantus hominis illius nequam exarsit in Hominem Dei furor, ut Sicarios, qui Andream, si cubi invenissent, perderent, quater immiserit. Horum primò nefarios delusit impetus non eis benè nota Venerandi Viri facies. Secundò Loci Sanctitas eos deterruit; nam flexis genibus orantem in Templo Andream invenerunt. Tertiò impium facinus aggressi, leve in ejus facie vulnus inflixerunt. Quartò demum geminâ in vultu plagâ pariter illatâ, pessimè habitum reliquerunt: nam alterum ex vulneribus profundius adactum, dissectâ insigniori Arteria, aut proximam ei mortem allaturum, aut, si medicas unquam manus admisisset, maximum, perpetuumque deformitatis vestigium ejus in vultu relicturum existimabatur. Ipse quidem ore impavido vulnera sustinuit, & felix cruor ille, qui pro gloriâ Dei ex vulneribus, velut è gemino Charitatis fonte, in Æternitatis coronam saliebat, non doloris gemitûs, non vulnerantium contumeliam, sed vulnerati constantiam, Divinasque laudes generosè murmurabat. Ut autem per levamen, & auxilium in Terris sibi præpararet triumphum, quem tunc proximè se assecuturum sperabat in Cœlis, ad cœnobium S. Pauli Theatinorum dictæ Civitatis se protinus afferri proposuit, ut ibi à præfato Joanne Marinonio idem cœnobium tunc gubernante, qui eum ad cursum animavit, ad coronam quoque Martyrum pompâ redimitus adduceretur. Verumtamen, Deo sic disponente, ad majora sibi differtur triumphus, & ne vulnerum imago triumphi merita reposceret, ita convaluit, ut nullum cicatricis vestigium, nisi de proximo, & diligentius intuenti, apparuerit.

Monialium, nunusque sibi commissum pio zelo exercens, jussu nefarii Viri, cui accessum ad dictum Monasterium interdixerat, lethaliter in facie vulneratur, sed Dei opera convalescit, nullo penitus cicatricis superstite signo.

Data, & impetrata etiam apud Protegem venia Percussoribus (prout alias egerat pro sui Nepotis Interfectore.) Congregationem Theatinorum ingreditur.

§. 9. Decumbentis itaque Andreæ Virtus juxta Patrum Theatinorum Virtutem posita, illorumque suavibus, ac piis sermonibus inflammata, postquam Percussoribus suis hilari animo ignoverat, & tunc existentem Pro-Regem, etiam adhibitâ Amicorum operâ pro Reis rogaverat, quod grande hujus Christianæ mansuetudinis exemplum erga cujusdam ejus Nepotis interfectorem etiam mirificè jam antea exhibuerat, divinis succensa flammis, eorumdem Patrum Virtuti, quorum laudabilem vivendi rationem, & suis consonam desideriis probaverat, perpetuò consors efficitur, & per mutuum utriusque Virtutis consortium gemmeus ille componitur meritorum nexus, quo Andreæ nomen Congregationi, & Congregatio Andreæ nomini addicta perpetuum, & commendabilem sibi invicem mutuantur in Domino decorem.

In Tyrocinio exemplar cæteris Tyronibus, humilitati, & charitati addictissimus. Frenetico, cui assistere jubetur.

§. 10. Anno igitur Domini MDLVI. ætatis suæ XXXV. Clericis Regularibus præfatis adscriptus, sortitusque in ejus Regulari Tyrocinio, Præceptorem illum, quem in Sæculo providum ejus conscientiæ sibi Modetatorem elegerat, præfatum nempe Joannem Marinonium, quo duce præcipua

omnia pietatis officia exhibet, injurias & insultus ab illo sibi quotidie illatos ferventiori zelo rependens.

Religiosæ Vitæ præcepta celeri pede discurrens, cæteros in se erudivit, normâque ejus Tyrocinii immensum habuit consumatæ Virtutis exemplum. Nihil habuit Humilitate præstantius, nihilque amabilius: hac enim Virtutum omnium custode in exercendis vilioribus ministeriis ita hominibus, Deoque gratum, ac satis superque, juxta laudabilia Regularium Instituta, probatum se exhibuit, ut jussus operam suam cuidam seni infirmo continuâ, ob morbi violentiam, phreneſi laboranti impendere, illam ab Officiis contemptilibus, & nauseam moventibus minimè abhorrens, sedulò, summoque charitatis affectu exhibuerit: Quin, vi morbi ægrum aliquando acrius agitante, pugnis, colaphisque Andreas plectebatur: at ille furentes ictûs amabili prosequebatur amplexu, & quo sævior dementis furor, eò, ardentius Andreæ charitas æstuabat, nec antea etiam per biennium post emissam Professionem tantæ Pietatis officium dimisit, quàm æger è vitâ discesserit.

Professione emissa ad Urbem loca sacra veneraturus accedit.

§. 11. Peracto Regularis probationis curriculo, glorioſis Dei militis præcinctus insigniis, Romam Superiorum permissu Loca Sacra veneraturus accessit; ibique Martyrum Sepulchra uberibus lacrymis detergens, nova sibi procurabat incendia charitatis; adeout pretiosæ illæ nostræ mortalitatis exuviæ, dum fervida sentiunt amoris suspiria, lætæ exultaverint in Domino, vitalique spiritu frigidi cineres propemodum afflati in amplexum Sanctissimi Viri exilire viderentur. Quapropter ipse tantæ exultationis gloriam debitâ pensans meditatione, sanctæque æmulationis impetu permotus, spiritum, vitamque suam, in sanguine, lacrymis saltem in Orthodoxæ Fidei obsequium jugiter adeò profundebat, ut uberes fletûs prope Martyrum cineres defluentes dulcem concupitæ Passionis dolorem avido cordi resonarent, mentemque fallerent errore gratissimo.

Neapolym regressus Tyronibus præficitur, eosque exemplo & verbis ad orationis præsertim studium excitat.

§. 12. Diebus quinque supra triginta in Urbe moratus, Neapolim rediit: ubi Tyronum Præfecturæ adscitus, summum cujuslibet religiosæ rei bonum è rectâ Tyronum educatione originem trahere prudenti consilio existimans, ita in id negocii sedulò incubuit, ut prima Sanctarum Virtutum lineamenta, quæ in Magistro elucebant, in Novitiorum animis perfectè duxerit, eosque præsertim ad Orationis studium excitavit: Animarum enim cibum Orationem esse asserebat, & Religiosum illum, qui ab hujusmodi, consuetudine se arcebat, non solidam, sed hebetem veræ Pietatis substantiam Animæ suæ præbere, Religionisque convivio indignum esse putabat.

Insignem Doctorem in Clericorum Regularium Ordine admissum à mundanæ doctrinæ fastu per eum nondum abdicato ad humilitatem omnino amplectendam adducit.

§. 13. Quamplures extant celebres hujusmodi Institutionum memoriæ, quibus formati Tyrones, depositâ pravi gustûs titillatione, ad salubres Æternitatis escas suam acuerunt cupiditatem. Inter hos Nicolaus Zechius insignis Humanarum Literarum Doctor, Legumque Interpres, qui prope sexagenarius in præfatorum Clericorum Regularium Ordinem admissus, depositâ Fori Togâ, nondum totum illud mundani tumoris, qui à Sæculi Doctrinâ, illiusque plaudente clamore exurgere, animoque inhærere solet, depositisse videbatur. Andreas providè animadvertens, quòd Regularis Tunica, quam Nicolaus sumpserat, rerum humanarum contemptum plenè non probabat, quodque habitus difformi sermoni repugnabat, perfectæ humilitatis Disciplinam ita Nicolao amplectendam proposuit, ut totum se illius studio committens, non amplius elate sapere visus fuerit, sed de Mundo viliter, de se humillime sentiens, sublimem virtutum omnium lauream, humilitate magistrâ, assequi contenderit.

Domus Sancti Pauli Præpositus eligitur.

§. 14. Theatina Familia tanto Prudentiæ lumine illustrata de abscondito Tyrocinii angulo ad universæ suæ Domùs Sancti Pauli per eum gubernandæ regimen lumen illud evexit, ut per ejus virtutis operam non solùm oriens, verum etiam adulta Regularis ætas in præfatâ Domo degens uberes afferret Altissimo fructus. Andreas itaque Præpositi munere decoratus, veluti lucerna supra candelabrum posita, suos undique effundebat radios, quibus vigilantia, Oratio, Sanctarum rerum, sollicitudo, Concordia, Rituum Observantia, & silentium non otiosæ noctis quietem, sed in noctis etiam quiete operosi diei lucem sentiebant, & quos vigil Præsul vigiles cernebat laborare, sui præsentiâ fovebat exempli. Pigros verò, & Dormitantes Censuræ premebat acumine.

Ministrando Pœnitentiæ Sacramento designatus, sedulòque incumbens aspera quæcumque constanti animo, & proprii corporis afflictiones negligit pro animarum solatio.

§. 15. Hoc autem charitatis jubar, quod suis Domi, alienæ quoque effundebat utilitati; Ad ministrandum enim Pœnitentiæ Sacramentum Superiorum auctoritate designatus, non Tyrocinii, non Magisterii, non Præfecturæ sollicitudines illum unquam detinuerunt, quin Confessarii munus ipsum fideliter, patienterque exequeretur. His postmodum expeditus curis totum se piissimo labori alacer mancipavit, & vigilantissimus æternæ Animarum salutis Opifex, Divinique Amoris propagator aspera cuncta in hujusmodi Officio obeundo constanti animo sustinuit. Non Personarum conditio, non incommoda, non itinerum difficultates, non hyemis rigor, non æstivi Cœli fervor, non pluviæ noctes, non locorum pericula, nec demum humana quæque mundi dictamina, Andreæ extinguere potuerunt charitatem, imò, irruente aliquo ex impedimentis hujusmodi, magis magisque acuebantur charitatis flammæ, & Pœnitentibus majorem rutilabant in lucem, ac ita spirituali omnium utilitati, & necessitati expositus nullum sibi tempus certum esse voluit, in quo suæ quoque consuleret valetudini: Nam dilapsis sibi in scrotum intestinis, dolor ipse incredibilis, quo aliquando torquebatur, non ei impedimento fuit, quin leni vultu, paternoque amore ad se venientes exciperet, omnibus ad omnia factus, ut animas Christo lucrifaceret, quapropter totius Civitatis Neapolitanæ Animarum Moderator, & Magister nuncupari promeruit.

Novum Discipulis præbere volens Christianæ disciplinæ rudimentum propriæ voluntatis abnegationem in omnibus jure jurando devovet, & constanter, perfectèque adimplet.

§. 16. Huic itaque intentus lucro animas, quas cæcus Mundi furor perdiderat, ad cœlestem revocavit lucem, quas verò Dei lumen irradiabat, ut tutiores in viam Domini dirigerent gressus, & de virtute in virtutem perfectius ascenderent, per solidam, quâ præditus erat, spirituum discretionem certo tramite deducebat, & ut Discipuli in Magistro dignum, semperque novum addiscerent Christianæ disciplinæ rudimentum, propriæ voluntati se nunquam obtemperaturum, nullamque diem sine novo perfectionis calculo se numeraturum sacro jure jurando spopondit, ac tam grande Sacramentum ad exempli virtutem, ad Discipulorum institutionem, ad laudem, Deique gloriam, cui soli omnia dirigebat, constanter, perfectèque adimplevit.

Mediolanum mittitur ad erigendam ibi suæ Congregationis Domum: Ita exoptante D. Carolo Borromeo, qui illius consilio in arduis non semel utitur.

§. 17. Bonus tantarum virtutum odor, qui ex Andreæ operibus erumpebat, undique jam totam Divi Pauli Domum, universamque Urbem Neapolitanam, & proxima illis Regiones repleverat, cum Beatus Carolus Borromæus Ecclesiæ Mediolanensis tunc Antistes, qui aliàs & tempore Pontificatûs fel. rec. Pii IV. Prodecessoris nostri Romæ degens usu compererat, quàm uberes in vineâ Domini Congregatio præfatorum Clericorum rectâ vivendi, bonique exempli ratione fructûs afferret, ut Mediolani ejusdem Congregationis Domus institueretur, avidè exoptavit in Domino. Quapropter præfatæ Congregationis Comitiis generalibus Anno Domini MDLXX. celebratis, ad tam pium Beati Caroli votum explendum nonnulli ex Clericis præfatis; inter quos Andreas Vicarii titulo insignitus, mittuntur,

sum-

ſummâque humanitate, ac veneratione excipiuntur à Mediolanenſibus. Tum Beatus Carolus Andreæ virtutibus æquâ lance penſatis, illârumque pondere comperto, non audiendis dumtaxat Confeſſionibus, cæteriſque hujuſmodi piis exercitationibus Andream addixit, verùm etiam in arduis quibuſque ampliſſimæ Diœceſis negociis illius non ſemel uſus fuit conſilio, à cujus nitore lux illa in hujuſmodi negociis oriebatur, quæ Dei gloriam rutilabat.

Placentiam, petit novam excitaturus Domum: Ab Epiſcopo benignè excipitur, & plura ibidem pietatis opera exequitur, quibus nonnullæ impudicæ mulieres ad Deum convertuntur.

§. 18. Nondum maturaverat annus, quo Congregatio præfata Mediolani primam fixerat ſedem, cum Andreas, ægrè id nimis ferente Beato Carolo, juſſus Placentiam, inibi novam Congregationis præfatæ Domum excitaturus, petiit. Placentinæ Eccleſiæ tunc præerat Paulus de Aretio ejuſdem Congregationis olim Profeſſus, & Andreæ in Tyrocinio Socius, qui poſtea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium cœtui adſcriptus, & Neapolitanæ Eccleſiæ præfectus fuit, ac tandem eâ ſanctitatis famâ obiit, ut ejus Beatificationis cauſa apud Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitam agi cœperit. Hic ergo piiſſimus Præſul, quos olim in ſui Profeſſione habuit Fratres, hos in Paſtorali ſui Gregis curâ voluit Coadjutores. Placentiæ itaque benignè, adamanterque à Paulo Andreas excipitur, Pietaſque Pietatem amplectitur, & oſculatur; Quidquid autem Andreæ virtus Pauli Socii unita virtuti in adminiſtrandis inibi Sacramentis, procurandâque Animarum ſalute peregerit opera ipſa teſtantur. Unum tamen præ cæteris loquatur flagrantiſſimæ charitatis monumentum, quo Mulieres infixæ in profundo libidinis cœno feliciter emerſæ demonſtrantur. Ex harum numero duodecim, Epiſcopo opem dante, intra ſepta cujuſdam Domûs Beatæ Mariæ Magdalenæ poſtmodum nuncupatæ, veluti intra hortum concluſum primas Pœnitentiæ plantas tranſtulit. Has ubi ingenioſus Agri Dominici Cultor Divino inſeruit Amori, tanta germinavit ex eis bonarum frugum ubertas, aliorumque beata Palmitum propago, ut Domus illa ſudore aſſiduo, & laborioſâ Agricolæ ſollicitudine exculta Paradiſi viretum Cœli rore fœcundatum ipſis Angelorum oculis videretur.

Placentinæ Diœceſis Clerum pravis moribus tunc corruptum priſtinæ diſciplinæ reſtituit.

§. 19. Non abſimiles laboris ſui fructûs collegit in reformando Placentinæ Diœceſis Clero, quem creſcentes quorumdam vitiorum, & corruptorum morum vepres ſuffocabant. Paulus Epiſcopus præfatus vi Decretorum Concilii Tridentini pernicioſos hujuſmodi ſentes evellere cupiens, Beati Andreæ operâ, opportuno ſatis conſilio, ut ſtatuit. Andreas ergo, Dux cæteris Viris huic operi piè adlaborantibus datus, opus illud difficillimum uſque ad extremum perfecit, evulſiſque altè defixis vitiorum radicibus, Clero præfato Bonæ Terræ nomen dedit, bonoque Reformationis ſemine in eam deinde projecto, multiplex exoriens, fœcundaque virtutum meſſis ſpem Agricolæ, quamvis avidam, non fefellit.

Poſt viſitatam Provinciam Inſubriæ: Præpoſitus in via Mediolani domo præficitur, ubi inſigne ſuæ regularis obſervantiæ Divo Carolo Borromeo ſpecimen exibet: Romanas deinde ædes, ac Neapolitanas viſitat.

§. 20. Interea ad propria ſuæ Congregationis incrementa totius Inſubriæ Provinciæ Viſitator deſignatus fuit, & deinde Mediolanum, ut in novâ Domo Præpoſiti munere fungeretur, delegatus, nova exhibuit Sancto Carolo ſuæ probitatis exempla. Illud equidem præcipuum, quòd ex eleemoſynis à liberali ejuſdem S. Caroli manu quolibet menſe ſibi donatis Andreas, illâ tantùm portione retentâ, quæ ad alendam ejuſdem Domûs Familiam ſatis erat, reliquum, verè Sancti Cajetani Filius, remittebat Donanti, qui donum à ſe miſſum pulchrâ virtutis uſurâ adauctum ad ſe reverti mirabatur. Ad Romanam poſtmodum, ac Neapolitanam Provincias viſitaturus acceſſit, & in eis perluſtrandis maximas Ordini ſuo utilitates indefeſſo labore procuravit.

§. 21. Demum, etſi ab omni Præeminentiæ gradu abhorreret, invitus ad iterum præfati Sancti Pauli Domum regendam, Deo ſic diſponente, expetitus fuit, ut inſignis ejus virtus illuc rurſus elata cœleſte lumen copioſius effunderet: Eâ quippe tempeſtate deficiente Neapoli Annonâ, populoſa illa Civitas ſeditioſè ferebatur in Principem. Andreas jejunis ventribus, animiſque clamantibus providè occurrit; nam quidquid frumenti in domeſtico horreo ſervabatur, Pauperibus diſtribuit, ſolemneſque ad avertendam Cœli iram ſupplicationes indixit; quapropter illius verbo, & exemplo quamplurimi ad pœnitentiam revocati à ſeditioſorum Turbâ ſe ſubſtraxerunt, factaque eſt Populo illi æſtuanti tranquillitas magna.

Invitus iterum S. Pauli Domui præficitur, ortaque ſeditione ob annonæ penuriam; horrei domeſtici frumento pauperibus erogato, precibuſque ſolemnibus indictis verbis, & exemplo tumultu ſedat.

§. 22. Tot itaque meritorum radiis coram Deo elucebat, & hominibus, ac præfatis duobus emanatis ab eo votis conſtanter incumbens, mortificationemque Jeſu Chriſti in corpore ſuo circumferens, propriæ ſemper ita obſtitit voluntati, ut Divinæ gratiæ roboratus præſidio, novum de die in diem perfectionis gradum contenderet, & aſperrimis ſui corporis afflictationibus pœnitentiæ victimam ſanctæ mortificationis gladio mactatam ſeſe offerret Deo, qui hujus hoſtiæ odoratus odorem ſuavitatis, quamplura chariſmatum Dona fideli, bonoque Servo ſuo ad illuſtrandas ejus virtutes largiri dignatus eſt. Emicuit inter ea divinitùs collatum, ac penè ſibi familiare Prophetiæ lumen, quo quidem illuſtratus, futura, & abſentia, quaſi præſentia ſæpè vidit, occultaque humani cordis aliquando cognovit.

Prophetiæ lumine illuſtratus etiam occulta humani cordis aliquando cognoſcit.

§. 23. Verùm octavum jam ſupra octogeſimum ſuæ ætatis annum, qui erat noſtræ reparationis MDCVIII. attingens Beatus Andreas, primo mane è ſtrato ſurgens, ac Sacellum ingreſſus, & ſacerdotalibus de more ornamentis indutus, ad aram Miſſæ ſacrificium celebraturus acceſſit: Ubi verò rem Divinam agere cœpit, ad illa verba: *Introibo ad Altare Dei*; ita repente Apoplexiâ percuſſus fuit, ut niſi Miniſter Sacrificio inſerviens jam jam labantem ſuppoſitâ manu ſuſtentaſſet, in terram corruiſſet, ſi corruere utique poterat fortis ille Senex, quem ſenectus Chriſto occupaverat ſervientem, & quem extrema dies Salvatori invenerat militantem.

Anno 88. ſuæ ætatis, dum ſacrum agere incipit, apoplexia corripitur.

§. 24. Adfuere protinus Adſtantes, tum Patres, hac de re moniti, ſupervenientes illum in Ædem Templo proximam adduxerunt, & ſacris exuerunt veſtibus: Plura ſubinde, ſed fruſtra, adhibita fuerunt medicamina: nam violenta morbi rabies omnem ei loquendi uſum abſtulerat, illæsâ tamen in totum diſcernendi facultate, quod per data ab eo ſigna planè compertum fuit, motibus nempe quibuſdam, ac nutibus, ut ad aram majorem perduceretur, ardens oſtendit deſiderium, ut ſtans coram illâ, & in eâ conſumptâ Deo universâ mortificâti ſui corporis hoſtiâ, extremus, qui ſupererat, & morituro tunc in pectore vitæ ignis tepebat, quemadmodum vivens exarſerat, Divino quoque moriens extingueretur amori.

Ad ædem templo proximam adductus, ac vi morbi loquela deſtitutus, mente tamen illæſa nutibus ad aram majorem perduci obteſtatur.

§. 25. Dum verò Superior, an ſuſcipiendæ Euchariſtiæ gratiâ id expeteret, interrogaſſet, annuit ille iterato capitis flexu: nec à nutibus deſiſtere, & quieſcere viſus, niſi cum hoc de negocio ſe idem Superior illi ſatisfacturum ſpopondiſſet, poſtquam ſcilicet, quod erat tunc opportunius, in cubiculum Ægrotans aſportatus fuiſſet. Eò perductus, ac lectulo ſtratus, Medicis, qui jam advenerant, nullam ſalutis ſpem dantibus, ſed intra paucas horas Ægrum moriturum pronuncian-tibus, Sanctiſſimo Viatico, extremâque deinde Unctione munitus fuit: In tantâ verò ſpirituum

Anhelans ut Superiori innuit, ibidem Sacroſancto Euchariſtico Cibo recreari.

perturbatione, singulari Dei beneficio, ita mente semper liberâ permansit, ut viso à longè in Sacerdotis manibus Divino Sacramento, editis haud vulgaribus Pietatis, & Devotionis indiciis, è lecto surgere, quantum ver vires licuerat, conatus fuerit, non nisi humi stratus Dominum Gloriæ in sui corporis hospitium susceperus, quibus & morbi adversarius impetus, & Superioris obstitere præceptum.

Susceptis Ecclesiæ Sacramentis, ac superato humani generis hoste ad Cœlum Triumphator evolat.

§. 26. Itaque susceptis Ecclesiæ Sacramentis, per aliquot horas aliquatenus conquiescens, tum ex Religiosis Viris, tum ex Sæcularibus in ejus cubiculum introeuntibus, atque ab eo benedictionem postulantibus, singulos ille penitus agnovisse indicans, singulorum vota paternæ benedictionis munere dignatus est. Extremo demum ingruente Agone, non semel equidem validissimum cum humani generis Hoste certamen in illâ novissimâ vitæ suæ arenâ se initurum ipse prædixerat, propterea omnes Orationi instantes vellet, ut iis intercedentibus Divinæ misericordiæ auxilium, quo victor evaderet, affuturum speraret. Mox ubi, qui præsentes erant, Andreæ vultum, quasi inductâ trepidationis, ac mœroris nube obumbratum viderunt, certamen ab ipso prædictum ei adesse rati, ferventissimas pro eo preces ad Deum fundere cœperunt. Verùm Andreas, conversis iterum atque iterum firmissimo intuitu oculis ad piissimam imaginem è cubiculi pariete pendentem, consuetæ redditus tranquillitati hilaris Triumphator in Cœlum ad capessendam boni certaminis, quod certaverat, coronam, & attingendam beatam consummati cursûs metam evolavit.

Sanctitatis fama post obitum diffunditur, confectisque statim processibus, eorumque validitate approbata à tribus Rotæ Auditoribus: constare de virtutibus heroicis, & miraculis renunciatur.

§. 27. Post ejus in Domino obdormitionem longè, latèque diffusa est sanctitatis suæ fama: Quapropter Anno MDCVIII. defunctus; Anno verò MDCXXV. à fel. record. Urbano PP. VIII. Prædecessore nostro inter Beatos solemni Ritu adscriptus fuit: Et quia nondum Apostolicæ prodierant Constitutiones, quibus cavetur, ne hujusmodi Beatificationis Servorum Dei quorumcumque, ac Canonizationis causæ, nisi post lapsum ab illorum obitu annum quinquagesimum, tractarentur, hoc solùm interea permisso, ut scilicet, & virtutum, & miraculorum probationes procurare, ac conficere liceret, ne per longa temporis hujusmodi intervalla certiora, & illustriora sanctitatis monumenta penitus interciderent. Idcirco nonnulli post Beati Andreæ decessum Ordinariâ primùm, & deinde Apostolicâ auctoritate instructi fuere Processûs, quorum examine, secundùm consuetudinem eo tempore receptam, tribus Antiquioribus tunc existentibus causarum Palatii Apostolici Auditoribus demandato, illi Actorum validitatem approbarunt, & Beati Andreæ virtutes heroicum attigisse gradum, & octo inter alia partim, dum viveret, partim post mortem ab ipso patrata miracula communem operandi modum à naturâ institutum transcendisse, prævià discussione declararunt.

Habita præmissorum relatione S. Rituum Congregatio validos Processus, & Andreæ virtutes heroicas censet, ac septem illius miracula approbat.

§. 28. Horum omnium Relatio in præfata Rituum Congregatione exposita unà cum eorumdem Auditorum judicio discussa fuit; quâ discussione peractâ, eadem Rituum Congregatio, & validos Processûs; & Andreæ virtutes heroicas esse censuit, admissisque inter vera, & probata miracula septem instantaneis sanationibus, infrascriptum quoque pro miraculo habitum fuit.

Inter miracula quoque habetur, quod obscura nocte, Cæloque pluvia coruscans ipse, & non madefactus cum sociis incesserit.

§. 29. Accidit aliquando, ut Beatus Andreas Domum Camili de Curtis Neapolitanâ in Curiâ Regentis, Catharinam Caraffam morbo decumbentem visitaturus adiret, eique Christianæ pietatis officia more suo præstaret, quibus inde perfunctus circa tertiam noctis horam, recusato quod in promptu erat, Rhedæ commodo, pedes ad præfatam Sancti Pauli Domum reversurus discessit, interim copiosiùs, dum iret, e Cœlo indesinenter cadebat imber: Nihilo tamen minus ne una quidem aquæ guttula Servi Dei, Sociique vestes aspersit, tetigitve: imò Homines duo, qui viæ comites dati, ut accensam præferrent facem, ubi hæc imbrium, & ventorum impetu extincta fuit, Andream repentinâ luce circumfusum viderunt, quare Homines ad præfatam Sancti Pauli Domum feliciter pervenerunt. Ad hæc iidem duo per longum itineris tractum, & dum Dei Servo famularentur, & dum ad suas postmodum Ædes redirent, continuò maximâ circumquaque imbrium copia decidente in nullâ, aut corporis, aut vestimentorum parte injuriam, quantumvis minimam, ab aquis undique defluentibus acceperunt.

Anno 1625. ab Urbano VIII. Beatorum fastis solemni ritu adscribitur Missa, & Officium in die anniversaria ejus obitus PP. Theatinis indulgetur.

§. 30. Porrò quidquid à præfatâ Rituum Congregatione de validitate Processuum, tum de heroico virtutum gradu, ac de miraculis judicatum, idem Urbanus Prædecessor confirmavit, ejusdemque Rituum Congregationis, esse locum solemni Servi Dei Beatificationi pronunciantis Decreto annuens, die x. Junii præfati Anni MDCXXV. Andream Beatorum Fastis adscripsit, & Clericis Regularibus Theatinis præfatis, ut in ejus honorem Officium, ac Missam de communi Confessorum non Pontificum celebrarent anniversaria die obitûs Servi Dei quotannis concessit, ac id ipsum cæteris Sacerdotibus die præfato in eorumdem Clericorum Regularium Theatinorum Ecclesiâ celebraturis indulsit.

Idem Pontifex audita prius Sac. Rituum Congregationis Sententia Neapolitanis, ac Capuanis indulget, ut eum in Patronum sibi eligere possint, aliaque indulta pro illius cultu elargitur.

§. 31. Interea Neapolitana, nonnullæque Siciliæ Urbes Beatum Andream in Patronum, ac Protectorem sibi eligendum statuerunt: Et quia nondum ab Apostolicâ Sede, ne ii, qui Beatorum dumtaxat nomine insigniti, nec inter Sanctos adhuc solemniter relati fuerunt, in Urbium, Locorumque Patronos adscriberentur, statutum fuerat; idem Urbanus Prædecessor, auditâ prius hac de re præfatæ Rituum Congregationis Sententiâ, ut de Beato Andreâ tanquam de Patrono, ac Protectore apud Neapolitanos, Capuanosque Missa, Officiumque recitarentur, benignè indulsit, Patribusque Theatinis, in quorum generalibus Comitiis statutum extiterat, ne quemquam, vel minimâ à Beati Cadavere distractâ portione donatum vellent, facultatem dedit, ut Neapolitanis Civibus partem Corporis Beati Andreæ inter Lipsana Majoris Ecclesiæ Neapolitanæ reponendam dono darent.

Reassumpta causa Canonizationis, & adaucta in dies Sanctitatis fama, ejus nomen in Martyrologio Romano adnumeratur, discussisque octo miraculis, tertium, quartum, & sextum approbantur.

§. 32. Post autem ejusdem Urbani Prædecessoris Decretorum promulgationem, factâ novæ Commissionis gratiâ, Negocium Canonizationis Beati Andreæ reassumptum fuit, & ad tenorem Apostolicarum desuper editarum Constitutionum præfatarum, hujusmodi causam excipiendam declaratum, & adauctâ in dies Beati Andreæ famâ Sanctitatis, ejus Nomen unà cum eis, quæ in Romano Martyrologio leguntur, ritè adnumeratam Apostolicâ auctoritate extitit, ac Patribus Theatinis permissum, ut proprias de eodem Beato Andreâ lectiones à præfatâ Rituum Congregatione, audito Fidei Promotore, approbatas in secundo Nocturno publicè recitarent. Datis postea Literis Remissorialibus, ac Compulsorialibus, ut ea, quæ post Beatificationem hujusmodi acciderant, probarentur, varii de novo diversis in Locis conditi fuerunt Processus, quorum postea discussa, & probata fuit validitas, & ex octo à Postulatoribus in Congregatione coram Nobis habitâ propositis miraculis, tertium, quartum, & sextum plenè approbata fuerunt.

III. Sanitas instantaneè restituta.

§. 33. Tertium autem fuit Sanitas Jacobo Giovio in instanti restituta. Hic enim attractâ, & exsiccatâ nervorum compage in dimidiâ superiori corporis parte vitale officium minimè expeditum habebat.

IV. Alia instantanea curatio gravissimi vulneris.

§. 34. Quartum fuit instantanea item curatio Joannis Baptistæ Corizzi à nimis altè capiti inflicto vulnere, ne relicto quidem vel minimo cicatricis vestigio.

VI. Sanitas pariter in instanti consecuta.

§. 35. Sextum denique fuit Scipionis Arlei instantanea pariter sanatio: Siquidem hujus graviter contusa frons, ac laxatæ, quæ per collum extenduntur, vertebræ, illico fuerunt pristinæ integritati restitutæ.

Eadem miracula Pontificis oraculo approbantur.

§. 36. His itaque ordine suo peractis, Nos dilato per id temporis judicio nostro, ut precibus ad Deum de more porrigendis in re tam gravi summè necessariis in antecessum vacaremus, postmodum die xxv. Maii Anni MDCCIV. præfata tria miracula Auctoritate nostrâ Apostolicâ comprobavimus.

Et audito postmodum Congregationis generalis unanimi voto, indictisque precibus solemnis Canonizatio decernitur.

§. 37. Denique cum die xviii. Novembris præfati Anni MDCCIV. Generali Congregatione coram Nobis habitâ, propositoque dubio an tutò solemnis Beati Andreæ Canonizatio perficienda foret, affirmativè Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præfatæ Congregationis Sacris Ritibus præpositæ respondissent; Nos & preces ipsi fundere statuimus, & ut à Christifidelibus funderentur indiximus. Demum vocatis dilectis filiis Secretario præfatæ Rituum Congregationis, & Fidei Promotore die xii. Maii Anni MDCCVII. ut Beatus Andreas solemni ritu Sanctorum Albo adscriberetur, auctoritate nostrâ præfatâ decrevimus.

Facta relatione præmissorum omnium in Consistorio secreto unanimi suffragio in Canonizationis sententiam conceditur.

§. 38. Supererat, ut præmissorum relationem, & universam causam iidem Cardinales de more accuratissimè recenserent, ac pro rei gravitate recognoscerent, id quod cum rectè, fideliterque præstitissent, idemque omnes censuissent, ac deinde Dilectus Filius noster Ferdinandus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Abduâ pro Venerabili Fratre nostro Gaspare Episcopo Sabinen. præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de Carpineo nuncupato, præfatæque Congregationis Præfecto, qui tunc legitimo morbi impedimento detinebatur, suam, Collegarumque sententiam cum totius summâ Processûs retulisset in Consistorio nostro secreto, reliqui Cardinales, qui aderant in eamdem concesserunt Sententiam.

Indicto publico Consistorio Pontifex divinum auxilium desuper implorandum hortatur. In semipublico deinde perorat de eximia sanctitate, & miraculis B. Andreæ: Instantias Regum, Principum, ac Ordinis Theatinorum pro illius Canonizatione refert, omniumque Adstantium unanimi suffragio diem canonizationis indicit.

§. 39. Nos itaque, cum in publico Consistorio Dilectus etiam Filius Philippus Sacripantes Fisci, Cameræ Apostolicæ, & Consistorialis Aulæ nostræ Advocatus pro ejus Canonizatione luculenter peroraſſet, ac nomine totius Ordinis Clericorum Regularium præfatorum, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset, de tantâ re Venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Episcopos præfatos præsentes vehementer in visceribus Christi hortati sumus, ut Orationibus instantes, in jejuniis, & eleemosynis eorum animas coram Deo nobiscum humiliantes, assiduis precibus à Patre Luminum exposcerent, ut ex alto super Nos lucem suam, & veritatem suam emittere, quæ Nos ad voluntatem, & beneplacitum ejus cognoscendum, & perficiendum deduceret. Igitur in semipublico Consistorio, quod subinde celebratum est, vocatis non modò Cardinalibus, sed Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Curiâ Romanâ existentibus, præsentibus etiam nostris, ac Sedis Apostolicæ Notariis, nec non causarum præfatarum Auditoribus, cum plura à Nobis de eximiâ sanctitate Servi Dei, ac miraculorum celebritate commemorata fuissent, expositis etiam instantiis, quæ à Catholicis Regibus, & Principibus dudûm in hujusmodi causæ primordio Apostolicæ Sedi porrectæ fuerant, & Nobis nunc à toto Ordine præfato porrigebantur, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum Beatum Andream canonizandum esse, atque inter Sanctos Confessores adscribendum censuerunt. Quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, qui Ecclesiam suam misericorditer respexerat, Canonizationis publicavimus diem, eosdemque Fratres, ac Filios nostros monuimus, in orationibus, & eleemosynis perseverarent, ut in tanto opere exequendo splendor Domini Dei nostri esset super Nos, opusque manuum nostrarum ad ejus voluntatem perficiendam dirigeret: Demum peractis omnibus, quæ ex Sacris Constitutionibus, Romanæque Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, hodie, quæ fuit dies Dominica Sanctissimæ Trinitatis, in Sacrosancta Principis Apostolorum Basilicâ Cœlestis Sponsæ ritu ornatâ cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Romanæque Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus nostris, Clero Sæculari, & Regulari, ac maximâ Populi frequentiâ convenimus, ubi repetitis pro Canonizationis Decreto petitionibus nomine præfato à Dilecto Filio nostro Annibale Tituli Sancti Eustachii Cardinali Albano nuncupato nostro secundùm carnem ex Fratre Nepote per Dilectum etiam Filium Marcellinum Corium Advocatum, decantatis sacris precibus, & litaniis, ac Spiritus Sancti gratiâ humiliter imploratâ, ad honorem ejusdem Sanctæ, & individuæ Trinitatis; & Fidei Catholicæ exaltationem, auctoritate Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostrâ, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romanâ Curiâ præsentium consilio, ac unanimi consensu, piæ memoriæ Andream Avellinum, de cujus vitæ Sanctitate, Fidei sinceritate, & miraculorum excellentiâ plenè constabat, & constat, Sanctum esse definivimus, ac Sanctorum Confessorum Catalago adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, illumque universos Christifideles, tanquam verè Sanctum honorare, & venerari mandavimus, & mandamus.

Ac die Dominica Sanctissimæ Trinitatis Sanctorum catalogo adscribit.

In illius honorem Ecclesias, & Altaria construi, festum die 10. Novembris celebrari jubet: Indulgentias visitantibus ejus sepulchrum elargitur.

§. 40. Ac ab universali Ecclesiâ in ejus honorem Ecclesias, & Altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur, ædificari, & consecrari, & singulis annis die x. Novembris, quâ ad Cœlestem gloriam vocatus est, ab universali Ecclesiâ memoriam ipsius inter Sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recoli statuimus, ac omnibus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac singulis annis eâdem die x. Novembris ad Sepulchrum, in quo Corpus ejus requiescit, visitandum accedentibus unum annum, & unam quadragenam, iis verò, qui in ejusdem Festi octavâ ad Sepulchrum præfatum accedent, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis misericorditer in Domino eâdem auctoritate relaxamus.

Canonizationi Adstantibus Peccatorum plenariam remissionem concedit.

§. 41. Postremò gratias Deo cum exultatione animi nostri agentes, quòd Sanctum suum in conspectu omnium Gentium honorificaverit, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decoraverit, omnibus Christifidelibus, qui Nobis ad Altare Principis Apostolorum in præfatâ Basilicâ Missam solemniter celebrantibus cum ejusdem Sancti Confessoris commemoratione interfuerunt, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concessimus.

Hujus Bullæ transumptis, credi mandat.

§. 44. Cæterum, quia difficile foret, præsentes ad singula Loca, ubi opus esset, deferri; Volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eadem ubique fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si exhibitæ essent, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 56. Nulli ergo omnino hominum liceat

hanc paginam Noſtrorum Definitionis, Decreti, Adſcriptionis, Mandati, Statuti, Relaxationis, Conceſſionis, & Voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem, Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo, Undecimo Kalendas Junii Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

✝ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

†
† Nicolaus Epiſcopus Portuen. Card. Acciajolus.
†
†
†
† Fabritius Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Spada.
† G. Tit. S. Laurentii in Lucina Prior Presbyt. Card. Mareſcottus.
† F. Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Card. Aſtallius.
† B. Tit. S. Praxedis Presbyter Card. Panciaticus.
† F. Tit. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis de Abdua.
†
†
†
†
† Fr. Thomas Maria Ord. Prædic. Tit. S. Clementis Card. Ferrarius.
† Joſeph. Tit. S. Mariæ Tranſpontinæ Presbyter Card. Sacripantes.
† J. B. Tit. S. Cæſarei Presbyter Card. Spinula S. R. E. Camerarius.
† F. Tit. SS. Jo. & Pauli Presbyter Card. Paulutius Major Pœnitent.
†
†
† Franciſcus Tit. S. Euſebii Presbyter Cardinalis Martellus.
†
†
† Laurentius Tit. S. Suſannæ Presbyter Card. Corſinus.
†
† Franciſcus Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Acquaviva.
†
†
† Philippus Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Gualterius.
† J. Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Vallemanus.
†
†
†
† J. Tit. Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. de la Tremoille.
† C. A. Tit. S. Auguſtini Presbyter Card. Fabronus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Aloyſius Tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis Priolus.
†
† Jo. Baptiſta è Societate Jeſu Presbyter Card. Ptholomæus.
† Fr. F. M. Tit. S. Priſcæ Presbyter Cardinalis Caſinus.
†
† B. S. Mariæ in Viâ latâ Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Petrus S. Laurentii in Damaſo Card. Otthobonus.
† Carolus S. Agathæ Cardinalis Bichius.
† J. R. Diaconus S. Georgii in Velabro Card. Imperialis.
† Franciſcus S. Angeli in Foro Piſcium Diaconus Card. Barberinus.
† L. S. Nicolai in Carcere Tulliano Card. de Alteriis.
† C. S. Mariæ de Scalâ Diaconus Cardinalis Columna.
† Nicolaus S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis Grimaldus.
† Annibal S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Albanus.

Loco ✝ *Plumbi.*

Joſeph Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia pro R. P. D. Maſſerio

L. Sergardus.

L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

DECLARATIO LIII.

Nullitatis, damnatio, & reprobatio reſtitutionis Eccleſiaſticæ communioni Officialium Civitatis Liparen. *Catapani* nuncupatorum, quos ex causâ violatæ Immunitatis Eccleſiaſticæ R. P. D. Nicolaus Maria Tedeſchi Epiſc. Liparen. in Cenſuras incurriſſe declaraverat, temerè, ac damnabiliter præſumptæ per quemdam Delegatum prætenſi Tribunalis Siciliæ, nec non injuſtæ detentionis Didaci Hurtado Vicarii Generalis illius Eccleſiæ, aliorumque exinde ſecutorum, cum nonnullis Declarationibus, Decretis, & Ordinationibus.

Exponit moleſtias illatas Nicolao Mariæ Epiſcopo Liparen. in odium excommunicationis quam incurriſſe declaraverat Officiales illius Civitatis.

AD Apoſtolatus noſtri notitiam, non ſine gravi animi noſtri perturbatione pervenit, quòd cum Venerabilis Frater Nicolaus Maria Epiſcopus Liparen. ante aliquot menſes Joannem Baptiſtam, ſivè Baptiſtam Teſorerum, & Jacobum Chriſto Civitatis Liparen. Officiales, vulgò: *Catapani*: nuncupatos ex causâ violatæ ab eis Immunitatis Eccleſiaſticæ pœnâ excommunicationis Nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervatæ innodatos, ritè, ac ſervato juris ordine, declaraſſet, Sæcularis poteſtatis Regni Siciliæ Adminiſtri, quamvis ejuſmodi negotio, quod ad eos non pertinebat, nullatenus ſeſe ingerere debuiſſent, nihilominùs minimè attento, quòd Eccleſiæ Liparen. Antiſtes Nobis, & huic Sanctæ Sedi immediatè ſubjectus, ac tot, tantiſque ab eâ gratiis, & privilegiis inſignitus repetitur, eumdem Nicolaum Mariam Epiſcopum,

ejuſ-

ejuſque Miniſtros multiplicibus, gravibuſque vexationibus propter præmiſſa afficere, ac exagitare veriti non fuerunt.

Quamvis hæc excommunicatio eſſet reſervata S. Sedi, abſolutio tamen conceſſa fuit à quodam prætenſo Tribunali Siciliæ.

§. 1. Quinimò, tametſi excommunicatio prædicta, tamquàm ab Eccleſiaſticæ Immunitatis violatione proveniens, in earum numerum referenda eſſet, quarum abſolutio nonniſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente obtineri poteſt, ita ut nemini alteri, etiam ad cautelam, ac cum reincidentiâ, & ad effectum agendi tantùm, eam concedere fas ſit; attamen quoddam prætenſum Tribunal ejuſdem Regni nullâ ad id legitimâ facultate ſuffultum Officialibus prædictis, ſicut præmittitur, excommunicatis abſolutionis beneficium impendere auſum fuit. Qua poſtmodum re ad Judicium noſtrum delata, & à Nobis Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Eccleſiaſticæ, & Controverſiis Juriſdictionalibus præpoſitæ commiſsâ ab eadem Congregatione, prævio diligenti, ac maturo examine, Decretum prodiit, quo abſolutio à dicto prætenſo Tribunali conceſſa præfatis Excommunicatis nulla prorſus, ac irrita ex defectu juriſdictionis declarata fuit, idemque Decretum à Nobis approbatum, in dictâ Civitate Liparen. juſſu noſtro promulgatum ſubinde fuit, ut pro veteri Eccleſiæ more iidem Excommunicati, velut aquâ, & igne interdicti, & tamquam putrida membra canonicæ ſeveritatis gladio abſciſſa, ne totum corpus inficerent, ab omnibus Chriſtifidelibus vitarentur.

Eadem abſolutio irrita declarata fuit à Congregatione Immunitatis Eccleſiaſticæ cum ſucceſſiva publicatione Decreti in d. Civitate.

§. 2. Hinc porrò ſecutum fuit, ut quidam Vincentius Aucellus Eccleſiæ Sancti Petri Panormi Canonicus cum Notario, armatâque familiâ Liparam ablegatus fuerit ad hoc, ut nedum Authores, & conſcios promulgationis memorati Decreti diligenter inquireret, ac puniret, verùm etiam prædictos Officiales, ſicut præmittitur, excommunicatos Chriſtifidelium commercio, Sacramentorumque participationi, publicâ ejuſdem Congregationis declaratione comtemptâ, reſtitueret. Quæ omnia idem Vincentius pro Regio, ſive antedicti prætenſi Tribunalis Delegato ſe gerens, non ſine maximo Fidelium ſcandalo, ſummâque Eccleſiaſticarum Legum injuriâ, ac manifeſtâ etiam Apoſtolicæ Sedis offenſione, audacter executus fuit. Primum enim omnium, ſtatim ad Liparam pervenit, prædictos Excommunicatos ſecum ad Eccleſiam B. Virginis Gratiarum nuncupatæ palàm adduxit, & Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare ipſis præſentibus non exhorruit.

Excommunicatos tamen Eccleſiaſticæ communioni reſtituit quidam Delegatus prætenſi Tribunalis Siciliæ, qui celebravit Miſſam coram eiſdem excommunicatis, aliaque temerè, & attentatè geſſit.

§. 3. Deinde pluribus ex Sæculari, & Regulari Clero Sacardotibus ad ſe accitis injunxit, ut ipſos Excommunicatos ad communionem in divinis, & Sacramentorum participationem admitterent, gravibus, ſi ſecus feciſſent, indictis pœnis; quin etiam nonnullos, qui divini judicii timore correpti iis Sacramenta Eccleſiæ adminiſtrare ante illud tempus meritò detrectaverant, pecuniariis mulctis afficere, & ad eas repræſentandas vi compellere non erubuit; Prætereà peccata peccatis adjiciens, miſſo Franciſco Aucello Nepote ſuo una cum Laurentio Mauricello, ſive Morello executore ad Dilectum Filium Didacum Hurtado prædicti Nicolai Mariæ Epiſcopi Vicarium in Spiritualibus Generalem, tunc maximè in Epiſcopali Palatio de rebus ad Sanctum Officium pertinentibus cum Conſultoribus, & Qualificatoribus ad id deputatis agentem, pari temeritate perſonaliter ei præcipi, ac intimari fecit, ut ſub pœnâ quadringentarum unciarum monetæ Siculæ uſque ad novum ipſius Vincentii mandatum domum pro carcere retineret; Cumque idem Didacus Vicarius Generalis ipſius Vincentii impetum coercere, eumque ad ſalubriora conſilia revocare ſatagens illi transmiſiſſet judiciale Monitorium, quo tam ipſe, quàm Franciſcus ejus Nepos, ac Laurentius prædicti cauſam dicere requirebantur, propter quam declarandi non eſſent innodati cenſuris, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac præſertim fel. rec. Julii Papæ III., quæ incipit; *Licèt à diverſis*: nec non Pii Papæ V. Prædeceſſorum noſtrorum, cujus initium eſt: *Si de protegendis*: adversùs impedientes Inquiſitores, & Cauſas Sanctæ Inquiſitionis præſcribuntur: idem Vincentius cæcâ, inconſultâque abreptus irâ eo audaciæ progreſſus fuit, ut non modo binos Sacerdotes, qui ejuſmodi Monitorium ipſi reddiderant, conſtringi vinculis, ac arctiſſimum in carcerem detrudi mandaverit, verum inſuper aſſumptis ſecum Joanne Baptiſta de Albertis Notario, Nicolao Sciacca Actuario, prædicto Laurentio Mauricello, ſeu Morello, & Joſepho Xhiaxia Executoribus, vulgò *Algoziriis* nuncupatis, nec non quinquaginta Militibus Stationariis, Epiſcopale Palatium, ubi ſupradictus Didacus Vicarius Generalis morabatur, bellico more circumſepſerit, portam, vi adhibitâ, occupaverit: injectiſque in eumdem Didacum Vicarium Generalem ſacrilegis manibus, tum ipſum, tum etiam Dilectum Filium Ildephonſum Aretium Monachum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſſinenſis memorati Nicolai Mariæ Epiſcopi Confeſſarium captivos detineri præceperit, domumque ipſius Didaci Vicarii Generalis, in quam ambo mox ſeſe receperant, à prædictis Stationariis Militibus diu, noctuque per plures dies cuſtodiri fecerit. Ad hæc pari audaciâ in cuſtodiam tradiderit Notarium, Actuarium, ac reliquos omnes Curiæ Epiſcopalis Liparen. Miniſtros, nec non dilectum pariter filium Franciſcum Canalem Parochum Cathedralis Eccleſiæ Liparen., & octo alios Sacerdotes non alterius criminis reos, niſi quod præfatis Officialibus, quibus Sacris interdictum erat, Eccleſiæ Sacramenta miniſtrare abnuiſſent.

In odium Monitorii præſentati pro declaratione incurſus cenſurarum eumdem Vicarium, & Epiſcopi Confeſſarium captivos detineri curavit; ac Miniſtros Curiæ Epiſcopalis, nonnulloſque Sacerdotes abnuentes ad communionem admittere ſupradictos excommunicatos carcerari.

Vicario generali Didaco Hurtado expeditioni Cauſarum S. Officii incunbenti domum pro carcere aſſignavit.

§. 4. His verò minimè contentus præfatus Vincentius dictum Didacum Vicarium Generalem bonis quoque exuere aggreſſus fuit, ejuſque domeſticam ſuppellectilem à ſupradictis ſuis Miniſtris, & Executoribus accuratè deſcribi fecit, ac publico in foro venalem ſe propoſiturum comminari non timuit, niſi ingens pecuniæ ſumma re ipſâ ſibi numeraretur, quam cum prædictus Didacus Vicarius Generalis promptam non haberet, illam ad redimendam ſuam ſupellectilem præfatam, fœnore accipere compulſus fuit. Nec tamen eâ expreſsâ pecuniæ ſummâ, totque, ac tantis aliis illatis vexationibus idem Vincentius ingenio ſuo adhuc ſatisfeciſſe videbatur, ſed, quemadmodum noviſſimæ illarum partium literæ nunciarunt, de præfato Didaco Vicario Generali, & aliis aliquot Sacerdotibus in cuſtodiâ detentis Panormum traducendis cogitabat. Quid porrò deinde iis evenerit, incompertum hactenus nobis eſt; deteriora tamen quæque metuere nos cogit Viri temeritas, ac impudentia qui tam probroſa, ad indigna facinora admittere non dubitavit, Eccleſiaſticæ Immunitatis hoſtis, & everſor factus, qui utpote Eccleſiæ miniſteriis addictus, illius potius vindex, ac propugnator eſſe debuiſſet.

Domeſticam ſupellectilem Vicarii deſcribi curavit, eamque redimi pecunia data coegit.

§. 5. Cùm autem præmiſſa omnia, quæ ex proceſſibus deſuper confectis reſpectivè conſtant, ac ita notoria, & publica exiſtunt, ut nullâ poſſint tergiverſatione celari, præfatis, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus manifeſtè adverſentur, nec non Eccleſiæ libertati, atque authoritati maximum, & graviſſimum præjudicium intulerint, atque adhuc inferant: ac præterea in ſcandalum plurimorum tendant, animaſque pretioſo

Motiva infra recenſendæ declarationis & reprobationis.

Sal-

Salvatoris, & Dominæ Nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in gravissima pericula conjecerint, & deplorandis malis involvere pergant; Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in terris à Domino constituti sumus, libertatem, immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam à temerariis, & pernicios hujusmodi conatibus illæsam tueri, & conservare, nec non animarum periculis, quantùm Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, ordinata, acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, nec non Tribunalium, Judicum, Ministrorum, Officialium, & aliorum quorumcumque in præmissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, ac expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & singillatim specificatis habentes; Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula decreta, præcepta, processus, sententias, ordinationes, mandata, & alia quælibet tam à prædicto Vincentio Aucello, sive per se, sive per alios, quàm à quibusvis Tribunalibus, Judicibus, Ministris, & Officialibus, aliisque quibuscumque personis etiam specificâ, & individuâ mentione dignis in præmissis, seu eorum occasione, in præjudicium, ac detrimentum libertatis, immunitatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque authoritatis Apostolicæ respectivè quovis modo emanata edita, acta, gesta, & perpetrata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, injusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere, tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, ac omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

Omnium præmissorum attentatorum, nullitatem declarat.

Eaque pariter reprobat, ac damnat.

Officiales, & Ministros hic nominatos, & alios, qui operam in præmissis præstiterunt, in censuras S. Sedi reservatas incidisse declarat.

§. 6. Præterea motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, ex parte Omnipotentis Dei, authoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostrâ, eosdem Vincentium Aucellum, ejusque Nepotem Franciscum Aucellum, Joannem Baptistam de Albertis Notarium, Nicolaum Sciacca Actuarium, Laurentium Mauricellum, sive Morellum, & Josephum Xhiaxia Executores vulgò *Algozirios* nuncupatos, necnon N. N. N. N. N. N., & N. Stationarios Milites, qui prædicto Vincentio in præmissis damnabilem operam, & auxilium, ut præfertur, præstiterunt; propter eadem præmissa in majorem excommunicationem, ac in alias censuras, & pœnas à Sacris Canonibus, Universalibus Conciliis, nec non prædictis, aliisque Constitutionibus Apostolicis; ac speciatim illâ quotannis in die Cœnæ Domini legi solitâ contra similia perpetrantes inflictas, promulgatas, & fulminatas, à quibus nonnisi à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ, atque cum reincidentia eo ipso, quo convaluerint) absolvi valeant, damnabiliter incurrisse, earumdem tenore præsentium declaramus, ipsosque, & eorum quemlibet excommunicatos publicamus, & denunciamus.

§. 7. Easdem porrò censuras, & pœnas se incurrisse scient nedum alii omnes, cujuscumque tandem status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis fuerint, qui præmissa mandarunt, perpetrarunt, & executi fuerunt, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstiterunt, sed, & illos, qui in eorum sequelam, & executionem gesta approbarunt, & rata habuerunt, seu àlias in eisdem præmissis quovis modo culpabiles fuerunt; seque præterea à censuris, & pœnis hujusmodi nonnisi pariter à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo sub certis modo, & formâ superius expressis) absolvi, & liberari posse.

Decreta roborantia cum clausula sublata, & irritante.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod tam specialiter nominati, ac cæteri supradicti, quàm alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alias specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiata causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantialissimo, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuncios, alioslve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibuscumque etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus, quantumcumque longissimis, & immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis supradictis, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis, à Sede prædictâ ex quâcumque causâ, etiam

Derogatio contrariorum.

per

per viam contractus, & remunerationis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis; etiam continentibus, quod excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, & indultis hujuſmodi mentionem.

§. 5. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Junii MDCCXII. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

Fides habenda Tranſumptis.

Dat. 18. Junii 1712.

F. Oliverius.

LIV.

CONFIRMATIO

Decreti Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quo ſancitur ſervari ſolitum in electione Provincialium Provinciarum S. Antonini, & S. Crucis Ordinis Prædicatorum in Indiis Occidentalibus, hoc eſt, admitti ad ferendum ſuffragium Priores Domorum, ſeu Conventuum, ubi minus etiam, quàm quatuor Fratres degunt, non obſtante Brevi contrario Pauli V., & aliis quibuſcumque.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Status controverſiæ.

NUper pro parte Dilecti Filii Didaci de Herrera Lobaton Fratris expreſsè Profeſſi Ordinis Prædicatorum, Procuratoris Provinciarum S. Antonini novi Regni Granatenſis, & Sanctæ Crucis ejuſdem Ordinis in Indiis Occidentalibus, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ expoſito, quod inconcuſſa, & inveterata praxis in dictis Provinciis ſemper viguerat, ut licèt ab earum Conventibus, ſeu Domibus exiguus, nempe duorum, trium, vel quatuor Religioſorum numerus aleretur, & in aliqua ex Domibus hujuſmodi unus tantùm Religioſus nomine Prioris habitare, eo quia aliquot ex dictis Domibus pro Doctrinis, ſeu Parochiis ad inſtructionem Populorum illarum partium deſtinatæ erant; nihilominus Domorum præfatarum Priores, ſeu Vicarii votum, ſive ſuffragium in eorum Capitulis Provincialibus ſemper tulerant, ac in electione proprii Prioris Provincialis, tanquam legitimi Vocales habiti fuerant, quemadmodum dicta praxis approbata, & præſcripta reperiebatur ad formam propriarum Conſtitutionum à diverſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, videlicet à fel. rec. Clemente PP. VII. Prædeceſſore noſtro vigore quarumdam ſuarum literarum in ſimili forma Brevis die XI. Julii MDXXXIII. expeditarum, ac à rec. mem. Paulo PP. III. itidem Prædeceſſore noſtro per binas ſuas itidem in forma Brevis, primas quidem ſub Dat. X. Aprilis MDXL. in quibus per ſequentia verba diſponebatur; id eſt: & quatenus Domus, & Loca ejuſdem Ordinis duodenarium numerum Fratrum non habuiſſent, & numerum quatuor Fratrum hujuſmodi dumtaxat continuiſſent, illarum voces pro electione hujuſmodi Prioris Provincialis juxta earumdem Conſtitutionum formam ſufficerent: alteras verò literas hujuſmodi ſub Dat. primâ Januarii MDXLVI. per infraſcripta verba indulgebatur: ut dictarum Domorum Vicarii, etiamſi in eis minus, quàm quatuor Fratres extitiſſent, vocem in electione dicti Prioris Provincialis haberent.

In Provinciis S. Antonini, & S. Crucis Priores Domorum, ubi nullus alius religioſus degebat ſemper ſuffragium tulerunt in

§. 1. Præterea idem colligebatur ex quibuſdam aliis piæ mem. Gregorii PP. XIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri, Idibus Julii MDLXXX. ſub plumbo ſignanter ad favorem memoratæ Provinciæ S. Antonini expeditis literis; & denique per alias rec. pariter mem. Alexandri PP. VII. itidem Prædeceſſoris noſtri die VIII. Novembris MDCLXIV. in eâdem formâ Brevis expeditas literas ſtatuebatur, & ordinabatur, ut eorumdem Priorum electiones in Capitulo Provinciali fierent; ſi verò electio extra Capitulum Provinciale facienda eſſet, illa per vota, ſive ſuffragia ſecreta à Priore Provinciali una cum duodecim aliis Religioſis antiquioribus, ac in Conventu Principali fieret; ipſique Priores poſtea d. votum, ſive ſuffragium in Capitulo præfato liberè ferre poſſent.

§. 2. Porrò, hoc minimè obſtante, ſæpe prætenſum fuerat, illam electionem Prioris Provincialis fuiſſe nullam, quæ celebrari contigiſſet in aliqua ex dictis Provinciis cum voto, ſive ſuffragio Priorum, ſeu Vicariorum Domorum, ſeu Conventuum, in quibus non alebatur ſaltem octo Religioſorum numerus juxta præſcriptum quarumdam literarum ſimilis me. Pauli PP. V. etiam Prædeceſſoris noſtri die 23. Septembris MDCXI. in ſimili formâ Brevis pariter expeditarum, per quas ſtatuebatur, ut Conventus præfati, qui numerum octo Religioſorum ſuſtentare non potuiſſent, ſupprimi deberent; Si verò id executioni demandari non valuiſſet, Regulares ad alios Conventus, ſeu ad alias Domos Regulares transferrentur: Ita ut in partibus Indiarum non reperiretur Monaſterium, aut Regularis Domus, in quo, ſeu qua minor numerus octo Monachorum, ſeu Fratrum regularem vitam duceret; & aliàs prout in ſupradictis Clementis, binis Pauli III., Gregorii, Pauli V., & Alexandri Prædeceſſorum præfatorum expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberiùs dicebatur contineri; & in eadem expoſitione ſubjuncto, quòd memorati Pauli V. Prædeceſſoris literæ aliis ſupradictis, & præ cæteris illis ejuſdem Alexandri Prædeceſſoris literis, quæ poſterius emanarunt, adverſabantur, minuſque ejuſmodi Pauli V. Prædeceſſoris literæ, quarum executio arbitrio Epiſcoporum tunc in eiſdem partibus exiſtentium commiſſa fuerat, ut ſi ita pro Divini Cultus augmento,

Referuntur Brevia Pontificia ea de re ſtatuentia.

&

& Regularis Disciplinæ observantia expedire judicassent, super quo eorum conscientia onerabatur, ab eis executioni minimè demandatæ reperiebantur, ac ex diurna experientia compertum fuerat, quod eædem Pauli V. Prædecessoris literæ tunc producebantur, quando prætendentes agnoscebant, se, votum ferentibus, vel non ferentibus dictis Prioribus, posse includi, vel excludi; adeò ut hoc tantùm tenderet ad perturbandas dictas Provincias, & ad fovendas continuas discordias inter Religiosos, & ad validandam, vel annullandam ad proprium libitum electionem. Proindeque eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut ipsa circa præmissa solitum juxta antiquam praxim Ordinis, & Provinciarum præfatarum servari mandaret, nempe, ut præfatis Pauli V. Prædecessoris literis minimè obstantibus, Domus, seu Conventus, in quibus, tametsi numerus octo Religiosorum non aleretur, vel sustentaretur, in pristino ejus statu conservarentur, attentâ spirituali utilitate, quæ ex assistentiâ, & fervore memoratorum Religiosorum in instruendis in mysteriis Fidei Populis earumdem Partium proveniebat, prout Venerabilis Frater modernus Archiepiscopus Sanctæ Fidei in eisdem Indiis præfatæ Congregationi Cardinalium retulerat, ac insuper, ut hujusmodi Domorum, seu Conventuum Priores, & Vicarii voce, sive suffragio in electionibus Priorum Provincialium in posterum gaudere deberent: Itaut electiones juxta tenorem Clementis, Paulis III., Gregorii, & Alexandri Prædecessorum præfatorum literarum exinde faciendæ, pro validis, & canonicis haberentur: Emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster supplicem hunc libellum remisit, audito Patre Magistro Generali Ordinis, referente Eminentissimo de Abdua, censuit, ac decrevit, servandum solitum, non obstante enunciato Brevi Pauli V., & aliis quibuscumque. Romæ x. Junii MDCCXII.: G. Cardinalis Carpineus: F. Arch. Nicænus Secret. Locus † sigilli.

Sacra Cong. decernit servari solitum non obstante contrario Brevi Pauli V. & aliis quibuscumque.

§. 3. Cùm autem, sicut dictus Didacus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmiùs subsistat, & servetur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimùm desideret: Nos ipsius Didaci votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum præinsertum authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Pontifex ejusmodi Decretum confirmat cum clausulis consuetis.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis; & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii MDCCXII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

F. Oliverius.

CONSTITUTIO LV.

Qua Conventus S. Luciæ in Monte Civitatis Neapolitanæ, & Hospitium S. Petri de Alcantara Provinciæ Neapolitanæ reuniuntur, & reannectuntur Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano, eorumque dismembratio antea facta extinguitur, & aboletur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia exigit, ut quæ aliàs pro reducenda inter Religiosos Viros pace, & tranquillitate provide, prudenterque constituta, & ordinata fuerunt, si mutatis rerum, temporumque circumstantiis regulari disciplinæ, & observantiæ detrimentum adferre noscantur, in pristinum, ac debitum statum restituat, sicut conspicit in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem per Nos accepto, quòd inter Dilectos Filios Fratres Neapolitanos, & Hispanos Provinciæ Sancti Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum plures controversiæ exortæ reperiebantur, fierique nequibat, ut dicti Fratres habitatione, & rerum communione conjuncti, animis, & contrariis studiis non dissiderent, ac proinde expediebat eos ab invicem segregari: Nos motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Conventum Sanctæ Luciæ de Monte nuncupat. Civitatis Neapolitan., & Hospitium dicti S. Petri de Alcantara loci de Portici dictæ Provinciæ Neapolitan. Diœc. ab eâdem Provinciâ perpetuò separavimus, & dismembravimus, illaque sic separata, & dismembrata Provinciæ ejusdem S. Petri de Alcantara Regni Castellæ Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis itidem perpetuò univimus, annexuimus, & incorporavimus. Volentes, & ordinantes, ut in illis Religiosi Hispani, qui deinceps Ministro Provinciali secundodictæ Provinciæ pro tempore existenti subjecti essent, habitarent, & collocarentur, alii verò primodictæ Provinciæ Conventus,

Pontifex ad tollenda dissidia inter Conventum Sanctæ Luciæ de Monte & Hospitium S. Petri de Alcantara dismembraverat à Provincia Neapolitana, eaque perpetuò univerat Provinciæ S. Petri de Alcantara Regni Castellæ.

qui

qui octo tunc numerabantur, Religiosis Neapolitanis, & Italis tantùm remanerent, ac eadem primodicta Provincia octo Conventibus hujusmodi constans in futurum Ministro Generali, seu Commissario Generali Italiæ Ordinis prædicti pro tempore pariter existenti, subjaceret, & aliàs prout in nostris desuper in simili forma Brevis die xv. Septembris MDCCII. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

§. 1. Cùm autem, sicut pariter accepimus, ob præsentes bellorum motus, interdictaque inter Castellæ, & Neapolis Regna commercium, & communicationem Conventus S. Luciæ de Monte, & Hospitium S. Petri de Alcantara prædicta; ac Religiosi in eis degentes à tempore eorum separationis, & dismembrationis, ac unionis, & incorporationis hujusmodi à Ministris Provincialibus secundo dictæ Provinciæ hactenus minimè visitata fuerit, & valde dubitandum sit, quod cessantibus etiam bellis propter magna dictorum Regnorum ab invicem distantiam non rarò sine debitâ visitatione, & correctione, veluti acephala remanere possint cum non modico Ecclesiasticæ Disciplinæ, & regularis observantiæ detrimento: Hinc est, quod Nos pro commissi Nobis cælitus pastoralis officii curâ, ne Regularis in Conventu S. Luciæ, & Hospitio S. Petri prædictis disciplina propter præmissa excidat, sed ut semper in suo vigore conservetur, quantùm cum Domino possumus providere volentes, de Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hoc negotio à Nobis specialiter deputatæ consilio, ac etiam motu, scientiâ, & deliberatione; deque Apostolicæ potestatis plenitudine paribus, literas nostras prædictas tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac proinde Conventum S. Luciæ de Monte, & Hospitium Sancti Petri de Alcantara prædicta à secundo dictâ Provincia S. Petri de Alcantara Regni Castellæ, motu, scientiâ, ac de potestatis plenitudine similibus harum serie perpetuò pariter separamus, & dismembramus, illaque sic separata, & dismembrata primo dictæ Provinciæ ejusdem Sancti Petri de Alcantara in Regno Neapolitano itidem perpetuò reunimus, reannectimus, & reincorporamus, illaque in pristinum, ac eum, in quo, antequam prædictæ nostræ literæ emanarent, quovis modo erant, statum restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, ac tam illa, quàm omnes alios Conventus ejusdem primodictæ Provinciæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano unico Ministro Provinciali, qui dilecto etiam filio Commissario Generali Familiæ Cismontanæ dicti Ordinis subjectus sit, subjicimus.

Ex novis justis causis hujusmodi dismembrationem annullat, eademque Conventum, & Hospitium reannectit Provinciæ Neapolitanæ cum solitis clausulis.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarint, adductæ, aut verificatæ, & justificatæ fuerint, aut quâvis aliâ etiam quantumlibet juridicâ, piâ, & privilegiatâ causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris, reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu etiam impetrato, aut etiam motu scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non præfatorum Ordinis, Provinciarum, Conventuum, & Hospitii, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis etiam dicto Ordini, ejusque Superioribus, & quibusvis aliis personis, & locis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis tradita observatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Septembris MDCCXII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

F. Oliverius.

LVI.

Abrogatio

Edicti in Civitate Januen. nomine Ducis, & Gubernatorum illius Reipublicæ promulgati super prætensa inefficacia declarationis à Domino Cardinali Fliſco Archiepiſcopo Januen. Sanctitatis Suæ juſſu publicatæ, qua Frater Thomas Granellus Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantiâ nuncupatorum Profeſſor denunciatus fuerat excommunicatus.

Clemens Papa XI.

Ad futuram rei memoriam.

Procemium.

CUm, ſicut ad Apoſtolatus Noſtri notitiam non ſine gravi animi Noſtri moleſtiâ pervenit, aliàs poſtquam Dilectus Filius noſter Laurentius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Fliſcus nuncupatus, Metropolitanæ Eccleſiæ Januen. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicâ Præſul, in executionem mandatorum noſtrorum publicas ſchedulas in ſui, ac Cleri dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ, nec non frequentis Populi præſentiâ, ad valvas ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ ſolemniter affigi fecerat, per quas Thomas Granellus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantiâ nuncupatorum Profeſſor, eo quia præcepto noſtro, quo illi dudum ſub pœnâ excommunicationis majoris ipſo facto incurrendâ injunctum fuerat, ut à Civitate Januen. diſcederet, & ad Conventum Sanctiſſimæ Annunciationis Civitatis Bononien. dicti Ordinis ſe conferret, elapſo termino ſibi ad id præfixo non paruerat, excommunicatus declarabatur: Laicalis Poteſtas cum maximo Immunitatis, libertatis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ contemptu, Edictum quoddam promulgare auſa fuerit, per quod prætenſam inefficaciam dictarum ſchedularum, tanquam à Notariis publicis, ſeu per Cancellarias Notariorum publicorum minimè ſubſcriptarum, quæque propterea nullius roboris eſſe, & minimè attendi debere temerè aſſerebantur, ad publicam notitiam deducere præſumpſit, & aliàs, prout uberius continetur in præfato Edicto in eadem Civitate Januen. nomine Dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis, & Gubernatorum Reipublicæ Januen. publicato, tenoris qui ſequitur videlicet: *Duce e Governatori della Sereniſſima Republica di Genova. Eſſendo pervenuto à noſtra notizia, che il Signor Cardinale Lorenzo Fieſco Sabbato mattina proſſimo paſſato 29. del corrente meſe d'Ottobre abbia attaccato, ò ha fatto attaccare alla Porta della Chieſa Catedrale, di queſta Città una Scrittura data in Genova l'iſteſſo giorno 29. Ottobre non ſottoſcritta da Notari publici, ò Cancellarie di Notari publici, nella quale ſi dichiara ſcommunicato il Padre Granelli d'ell Ordine de' Minori Oſſervanti di S. Franceſco: Ma perche crediamo col fondamento delle Leggi coſi communi, che municipali, e dell'inveterata conſuetudine del Paeſe, che tale informe Scrittura non porti effetto alcuno, benche minimo, tanto riſpetto al contenuto in eſſo, quanto riſpetto all'enunciative, intenzioni, e relazioni, ne poſſa eſſerne tenuto alcun conto, perciò deduciamo à notizia publica l'inefficacia, come ſopra di tale Scrittura in ogni ſua parte; Se ne fa perciò la preſente grida da publicarſi, & affiggerſi ne' luoghi ſoliti, e conſueti, acciò pervenga à notizia d'ogn'uno. Data nel noſtro Real Palazzo li 31. Ottobre 1712. nella Cancellaria del Magnifico Vincenzo Ventura Cancelliere, e Segretario.*

P. Granellus declaratus fuit excommunicatus ob non paritionem mandato Apoſtolico.

Eedictum promulgatum nomine Reipublicæ Januenſis.

§. 1. Hinc eſt, quod Nos pro commiſſi Nobis cœlitus Paſtoralis Officii munere Eccleſiaſtica Jura, quorum Aſſertores in Terris à Domino conſtituti ſumus, à temerariis, & ſcandaloſis hujuſmodi auſibus illæſa, ſartaque, & tecta tueri, & conſervare, ac animarum periculis occurrere cupientes, nec non omnium, quæ ejuſdem Edicti, quod non quidem approbandi, ſed penitus, & omninò reprobandi animo præſentibus inſerendum duximus, ſeu in eo contentorum occaſione quovis modo acta, & geſta ſunt, ſeriem, cauſas, & circumſtantias, etiam aggravantes, aliave quæcumque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, iiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & exactè ſpecificatis habentes, Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Edictum præinſertum, & quæcunque in eo contenta, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & forſan quandocumque ſecuturis, penitus, & omninò nulla, inania, invalida, irrita, temerariè attentata, & à perſonis, quibus nulla Cenſuras Eccleſiaſticas, ſive declarationes ſuper earum incurſu à poteſtate Eccleſiaſticâ promulgatas ineffacaces decernendi facultas competit, aut competere poteſt, de facto præſumpta, nulliuſque omninò roboris, & momenti eſſe, & perpetuò fore tenore præſentium declaramus. Et nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula Motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, harum ſerie itidem perpetuò revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & pro revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuis ſemper haberi volumus, & mandamus.

Quod Pontifex nullum, ac irritum declarat.

§. 2. Præterea Motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus declarationem ſuper excommunicatione à prædicto Thoma incurſâ, ſicut præmittitur, editam, nec non ſchedulas deſuper à memorato Laurentio Cardinale, & Præſule, & à Cancellario ad id ab eo deputato ſubſcriptas, & publicatas ritè, rectè, & validè promulgatas fuiſſe, ac uti tales ab omnibus, & ſingulis cenſeri, & reputari debere, nec ut validæ, & authenticæ habeantur, publici Notarii Laicalis ſubſcriptione, uti erroneè, ac temerè in præinſerto Edicto innuitur, indigere: Ac proïnde dictum Thomam, tanquam vigore earumdem ſchedularum, ritè, legitimè, & validè denunciatum excommunicatum ab omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus habendum eſſe, ac uti talem ſub cenſurarum, & pœnarum Eccleſiaſticarum à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis contra eos, qui cum Excommunicatis commercium, vel conſortium habent, inflictarum, & inſuper quoad Regulares etiam perpetuæ privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac munerum, & Officiorum Regularium per eos obtentorum, perpetuæque pariter inhabilitatis ad illa ſimilia, vel diſſimilia quæcumque in poſterum quomodolibet obtinenda, ipſo jure abſque aliâ declaratione incurrendis pœnis vitari omninò debere, earumdem tenore præſentium decernimus, & ſimiliter declaramus.

Ac inſuper declaratione excommunicationis P. Granelli validam decernit, ipſumque ut excommunicatum ab omnibus vitandum eſſe pronunciat.

§. 3. Decernentes etiam eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod Dux, & Gubernatores, ac Thomas præfati, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex aliâ quâlibet quantumvis juridicâ, & privilegiata

Cum Decreto irritanti, clauſula ſublata, & aliis conſuetis.

giata causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu, aut ex alio quovis capite à jure, vel facto; aut statuto, consuetudine, vel privilegio resultante notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces, existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & dictæ S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et amplissima derogatione quibuscumque contrariis.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, legibus quoque, etiam Imperialibus, & municipalibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis præfatis, & aliis quibusvis personis, etiam quacumque dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualificatis à Sede prædictâ ex quâcumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Cum autem eædem præsentes literæ in supradicta Civitate Januen., aliisve locis ditioni ejusdem Reipublicæ subjectis nequeant tutè publicari, ut hactenus experientiâ compertum est, & nobis notoriè constat, prout harum serie declaramus: Volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Decembri MDCCXII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Mandat exempla præsentium literarum publicata, & affixa in Urbe omnes arctare, & afficere, ac si personaliter intimatæ fuissent.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo duodecimo, Indictione quinta, die verò decima Decembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimo tertio supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Jacobum Vasellum Apostolicum Cursorem.

Pro Mag. Curs. Sebastianus Vasellus.

Anno 1713. LVII.

INDULGENTIA PLENARIA

Perpetua pro visitantibus aliquam Ecclesiam tam Fratrum, quàm Monialium Ordinis Prædicatorum die v. Maii Festo S. Pii V.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

REdemptoris, & Domini Nostri Jesu-Christi, qui glorioso salubberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, & Cœlestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti; gerentes in terris, Spiritualium munerum Thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam erga eosdem Beatos Cœli Incolas Fidelium devotionem, salubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Christianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Alma Urbe nostra tunc existentium consilio, Beatum Pium PP. V. Prædecessorem nostrum, qui in minoribus constitutus, religiosam vitam in Ordine Fratrum Prædicatorum professus fuit, authoritate Nobis à Domino traditâ, Sanctum esse decreverimus, & definiverimus, illumque Sanctorum Catalogo solemni ritu adscripserimus; Hinc est quod Nos ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ Thesauris piâ charitate intenti,

ac de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum Regularium tam Fratrum, quàm Monialium Ordinis prædicti hactenus erectis, & in posterum quomodocumque erigendis, & ubicumque Locorum existentibus, die quinta Maii Festo ejusdem Sancti Pii à primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 13. Januarii MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo-tertio.

F. Oliverius.

LVIII.

CONCESSIO

Facultatis Magistro Generali Ordinis Prædicatorum Antonino Cloche substituendi, quoad vixerit tantum, Vicarios Provinciales Missionariorum ejusdem Ordinis pro erectione Confraternitatum Sanctissimi Rosarii in Tunkini, ac Sinarum Regnis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus Filius Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod cum dilecti pariter Filii Religiosi Missionarii dicti Ordinis in Tunkini, ac Sinarum Regnis ob devotionem Christifidelium utriusque sexus erga Sanctissimum Rosarium ab eo facultatem erigendi, seu fundandi in illis Ecclesiis Confraternitates ejusdem Sanctissimi Rosarii petiissent, ipse Antoninus Magister Generalis, qui vigore facultatis sibi à Sede Apostolicâ attributæ per se ipsum tantum Confraternitates hujusmodi erigere, ac instituere potest, quò facilius, & quam citiùs pio eorumdem Missionariorum desiderio, attentâ immensâ illarum Provinciarum distantiâ satisfacere, valeat, facultatem delegandi ad præmissum effectum Vicarios Provinciales dictorum Missionariorum immediatos Superiores sibi à Nobis concedi plurimùm desiderat; Nobis propterea idem Antoninus Magister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum series absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, eidem Antonino Magistro Generali, quoad ipse vixerit dumtaxat, petitam substituendi facultatem in supradictis Regnis præfatos Vicarios Provinciales ad præmissorum effectum authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus: Ita tamen, ut ab eo Substituti, seu Deputati alios substituere, vel subdelegare non possint, & quotannis eumdem Antoninum Magistrum Generalem de Confraternitatibus erectis certiorem reddere teneantur, ac salva semper in præmissis authoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis; & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Februarii MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno decimo-tertio.

F. Oliverius.

LIX.

CONCESSIO

Facultatis Magistro Generali Ordinis Prædicatorum erigendi in Sinarum Regnis unam pro Viris, & alteram pro Mulieribus Confraternitatem Sanctissimi Rosarii in eodem Loco cum declaratione quod tam Viri, quàm Mulieres ejusdem Sanctissimi Rosarii Indulgentiis in eorum respectivè Ecclesiis frui possint.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus Filius Antoninus Cloche Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum quod cum in Sinarum Regnis inviolabilis mos vigeat, quod Ecclesiæ Christifidelium, tam respectu situs, quàm Mulierum, inter eas, & Viros distinguantur, ita ut nec Viri ad earumdem Mulierum Ecclesias, nec prædictæ Mulieres ad illas Virorum accedere valeant, ipse Antoninus Magister Generalis, ne Mulieres hujusmodi à participatione Indulgentiarum Sanctissimi Rosarii cujus Confraternitates in Ecclesiis Virorum

erigi, illarumque erectio à Constitutionibus Apostolicis in unâ dumtaxat Ecclesiâ cujuslibet Civitatis permitti solent, excludantur, easdem Indulgentias etiam ad Ecclesias prædictarum Mulierum, quarum non minor est erga eidem Sanctissimum Rosarium devotio, per Nos extendi plurimùm desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, eidem Antonino Magistro Generali, ac ei, quem ipse in illis Regionibus delegaverit, facultatem erigendi in eodem loco unam pro Viris, & alteram pro Mulieribus Confraternitatem Sanctissimi Rosarii, cum declaratione, quod tam viri, quàm Mulieres eisdem Sanctissimi Rosarii Indulgentiis in eorum respectivè Ecclesiis frui possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus, & indulgemus; Salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque; Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dgnitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxv. Februarii 1713. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

F. Oliverius.

DECLARATIO

Pro Confraternitatibus B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quod in locis, ubi Processiones in unâ Dominicâ cujusque mensis peragi nequeunt, Confratres, & Consorores earumdem Confraternitatum proprias Ecclesias visitando, & alia præscripta opera adimplendo statutis diebus, consuetas Indulgentias consequantur.

LX.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Procurator Generalis Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, quod aliàs felicis recordationis Paulus Papa V. Prædecessor noster inter alias Indulgentias, & peccatorum remissiones per eum Confratribus, & Consororibus Confraternitatum ejusdem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo eatenus erectarum, & in posterum erigendarum concessas, omnibus, & singulis Confratribus earumdem Confraternitatum, qui verè pœnitentes, & confessi, ac sacrâ Communione refecti, Processioni in unâ Dominicâ cujuslibet mensis per dictos Confratres de Ordinarii licentiâ faciendæ devotè interfuissent, ibique oraffent, septem annos, & totidem quadragenas, perpetuò concessit, & aliàs prout in ejusdem Pauli Prædecessoris desuper in simili formâ Brevis die xxx. Octobris MDCVI. expeditis literis, quarum tenore præsentibus pro inserto haberi volumus, uberiùs dicitur contineri. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Processiones hujusmodi in quibusdam Civitatibus, & locis ex certis causis fieri nequeant, Ipse verò modernus Procurator Generalis opportunè in præmissis per Nos provideri, & ut infra, indulgeri summoperè desideret; Nos supplicationibus ejusdem moderni Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus dictarum Confraternitatum tam hactenus erectarum, quàm in posterùm ubique locorum erigendarum, ut ipsi in Civitatibus, & locis supradictis, in quibus ob dictas causas prædictis Dominicis Processiones hujusmodi fieri nequeunt, ut præfertur, in unâ ex Dominicis cujuslibet mensis Ecclesias, in quibus eorum Confraternitates erectæ reperiuntur, visitando, & alia pro consequendâ ipsâ Indulgentiâ septem annorum, & totidem quadragenarum requisita adimplendo, dictam Indulgentiam consequantur, quam consequerentur, si Processioni hujusmodi personaliter interessent, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus nostrâ de non concedendis Indulgentiis ad instar, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die x. Aprilis MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

F. Oliverius.

LXI.

INHIBITIO

Extractionis librorum, & quinternorum Bibliothecæ Conventus S. Mariæ Majoris Tyburis Ordinis Fratrum Minorum Obſervantium S. Franciſci extra ipſum Conventum, abſque auctoritate Apoſtolicâ, ſub cenſuris, & pœnis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

CUm ſicut dilecti Filii Fratres Conventus S. Mariæ Majoris nuncupat. Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantiâ etiam nuncupat., ac Officiales Magiſtratus Civitatis noſtræ Tyburtinæ Nobis nuper exponi fecerunt, aliàs Venerabilis Frater Michael Angelus Epiſcopus Tragurien. in Minoribus conſtitutus magni momenti Bibliothecam in prædicto Conventu in eorumdem Fratrum beneficium, tum etiam ad Civium, & Exterorum commoditatem inſtituerit; ac propterea ipſi Exponentes eorumdem librorum conſervationi, & manutentioni opportunè à Nobis provideri plurimùm deſiderent; Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam etiam quâvis auctoritate, ſuperioritate, officio, vel dignitate fungens, libros, codices, ſcripturas, quinterna, vel folia tam manu exarata, quàm typis impreſſa, aut alia quæcumque eidem Bibliothecæ per memoratum Michaelem Angelum Epiſcopum hactenus quomodolibet donata, & aſſignata, ſeu per eum, vel quoſcumque Chriſtifideles impoſterum quandocumque donanda, & aſſignanda, ex ipsâ Bibliothecâ ſub quovis quæſito colore, pretextu, ingenio, causâ, vel occaſione extrahere, vel aſportare, aut ut extrahantur, vel aſportentur, permittere, vel conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à quâ nemo abſolutionis beneficium à quoquam, præterquam à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, valeat obtinere, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis eo ipſo abſque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò prohibemus, & interdicimus. Non oſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, dictorum Conventus, & Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel qnâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque. Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quòd præſentis Prohibitionis exemplum in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio conſpicuo illius loco, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, affixum aſſiduè remaneat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Maii MDCCXIII. Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

LXII.

DECLARATIO

Nullitatis, damnatio, abolitio, & reprobatio cujuſdam Edicti à Laicali poteſtate editi ſuper Cenſuris Eccleſiaſticis à R. P. D. Petro Secundo Epiſcopo Caſalen. adversùs Comitem Jacobum Nemours promulgatis: cum variis ordinationibus pro exactâ Cenſurarum hujuſmodi obſervantia, donec vel ab habente legitimam ad id facultatem abſolutio ab eis conceſſa fuerit, vel illæ nullæ, aut injuſtæ à competenti Judice Eccleſiaſtico fuerint declaratæ; ac inſuper cum Decreto, quod ii, qui aliàs, videlicet ratione præfati Edicti eaſdem Eccleſiaſticas Cenſuras quovis modo incurrerunt, poſt debitam Eccleſiæ præſtitam ſatisfactionem, nonniſi à Sede Apoſtolicâ abſolutionis beneficium obtinere valeant.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponit, Petrum Secundum Epiſcopum Caſalenſem declaraſſe, quod Comes Jacobus Nemours cenſuras incurrerit ob turbatam Proceſſionem Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ac inobedientiam præſtitam eidem Epiſcopo.

NOn ſine ingenti animi noſtri mœrore noviſſimè accepimus, quòd cùm nuper, nempe menſe Junio proximè elapſo, Venerabilis Frater Petrus Secundus Epiſcopus Caſalenſis Divini honoris zelo ductus, palam excommunicaverit, ſeu in majorem excommunicationem incidiſſe, adeoque ab omnibus vitandum eſſe declaraverit Comitem Jacobum Nemours, eo quia ipſe, dum ſolemnis Supplicatio, ſeu Proceſſio Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Civitate Caſalen. habebatur, non tam loci, ac temporis, quàm reverentiæ Epiſcopali Dignitati debitæ immemor, & quod longè deterius eſt, ipſi quoque Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento debitæ venerationis oblitus, excitatis inanibus, & importunis contentionibus, ejuſdem Supplicationis progreſſum abrumpere auſus fuerat.

§. 1. Et quamvis à præfato Petro Secundo Epiſcopo idem Sanctiſſimum Sacramentum deferente piis, paterniſque vocibus admonitus, atque etiam rogatus, ut à propoſito deſiſteret, obortamque in Populo, qui frequentiſſimus ad illam ſacram functionem confluxerat, gravem offenſionem, publicumque ſcandalum ſubmoveret, ejuſdem Præſulis authoritatem in oculis omnium temerè oppugnare, & quam illi præſtare tenebatur, obedientiam pertinaciter detrectare non erubuerat: Sæcularis poteſtatis illarum partium Officiales, ſeu Adminiſtri, cæco abrepti conſilio, ac eorum, quæ memoratus Antiſtes, ut Divinum honorem, ſimulque Epiſcopalem dignitatem tueretur, egerat, odio incitati, profanas manus ad Aream Domini extendere, & Sanctiſſima Eccleſiæ Inſtituta, præſcriptamque à Canonicis Sanctionibus diſciplinam penitus ſubvertere, ac convellere minimè veriti fuerunt. Licèt enim ſatis perſpectum omnibus ſit Eccleſiaſticis cenſuris innodatos, veluti aquâ, & igne interdictos, ac tanquam putrida membra canonicæ ſeveritatis gladio abſciſſa, ne totum corpus inficiant, pro veteri Eccleſiæ more, ab univerſis Chriſtifidelibus, ſub pœnis in Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus diſertè præfinitis, vitandos eſſe: nihilominus præfati Sæcularis poteſtatis Officiales, ſeu Adminiſtri, inſtante potiſſimum, ac urgente cognominato Rivalto ejuſdem Sæcularis poteſtatis aſſerto Procuratore Fiſcali, eò temeritatis, & audaciæ devenerunt, ut nomine, & authoritate dilecti Filii Nobilis Viri Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis, & Pedemontii Principis abutentes, Edicto typis edito, publicèque promulgato, non modò quibuſcumque perſonis cujuſvis ſtatus, gradus, & conditionis inhibuerint, ne dicti Jacobi Comitis,

Attentatum refert Sæcularis Poteſtatis prohibentis ſub pœna mortis, ne dictus Comes cenſuris irretitus à Chriſti-Fidelibus vitaretur.

sicut præmittitur, excommunicati, ac palàm denunciati consuetudinem, atque commercium, ejusmodi excommunicationis ratione, vitare auderent, gravissimis, etiam mortis cuilibet, qui secus fecerit, indictis pœnis: (quâ planè horrendâ comminatione Christifideles earumdem partium in manifestum discrimen conjecti fuerunt, vel capitis pœnam subeundi, ubi ejusmodi Edicto morem gerere detrectarent, vel sanè æternæ salutis jacturam faciendi, quatenus eidem Edicto obtemperando debitam Ecclesiæ mandatis obedientiam præstare renuerent:) Verùm etiam scandala scandalis adjicientes, eumdem Petrum Secundum Episcopum sub pœnâ occupationis, seu reductionis bonorum temporalium, tam scilicet illius patrimonialium, quàm suæ mensæ Episcopalis monuerint, ut ab inferendâ ipsi Jacobo Comiti quâcumque ulteriori molestiâ omnino abstineret, ac interim præjudicium illi per dictam excommunicationem, quam nullam, injustam, ac præcipitanter promulgatam nuncuparunt, irrogatum opportunè sarciret; perinde ac si, ubi ipsa excommunicatio nulla, vel injusta foret, competentia Tribunalia Ecclesiastica non extarent, quæ de illius prætensâ nullitate, vel injustitiâ rectè, ac ordine cognoscere, legitimumque de eâ judicium ferre possent, & aliàs, prout uberius continetur in præfato Edicto, quod non alio quidem animo, quàm ut clariùs, & apertiùs dignosci ab omnibus possit, quàm inusitati exempli, quantique horroris, & scandali illud sit, præsentibus inserendum duximus, tenoris, qui sequitur, videlicet. *Vittorio Amedeo II. per Grazia di Dio Duca di Savoja, e Monferrato, Prencipe di Piemonte, Rè di Cipro &c. Ad ogn'uno sia manifesto, che vista la Supplica sportaci per parte del Procuratore Fiscale Generale nostro Rivalta, ed il tenor di quella ben eonsiderato; Per le presenti, attesa l'evidente nullita, ingiustizia, e precipitazione della Scommunica proferta dal Vescovo di Casale in odio del Conte Giacomo Nemours. Habbiamo inhibito, ed inhibiamo a qualsivoglia Persona di qualunque Stato, grado, e condizione, tanto, Sudditi, che Forastieri, habitanti in essa Città di Casale, che qualunque altro luogo de Stati nostri di evitare il commercio, e consorzio di detto Conte Nemours, sotto pretesto di tal scommunica, meno per tal causa molestarlo, nè mottegiarlo in qualunque maniera sotto pene gravi, e gravissime, eziandio della morte: Ed in oltre habbiamo monito, e moniamo detto Vescovo, ed Ufficiali della sua Curia di non solo astenersi da ogni, e qualunque ulterior molestia, ed aggravio verso detto Conte, ma ancora di dover indilatamente, ed in ogni miglior modo riparare l'ingiusta violenza, e trascorso di esso con la fulminata nulla, ingiusta, e precipitata scommunica, sotto pena della reduzzione de beni temporali del Vescovato, e suoi. Mandando le presenti registrarsi, dichiarando l'esecuzione di queste da farsi in persona di alcuno di detti Ufficiali di detta sua Curia, ò di alcuno de suoi Domestici quanto al detto Vescovo, ed all' Albo Pretorio, e Luoghi soliti di detta Città, quanto ad ogni altro, valer, ed alla copia stampata dal Stampatore nostro Prielli doversi prestar tanta fede, come al proprio Originale, che tal' è nostra mente. Dato in Casale li 7. Luglio 1703. Per S. A. R. à relatione del Senato: Perronus: In Casale, per Pietro Maria Prielli Stampator Ducale: Con privilegio.*

§. 2. Cùm autem notorii juris sit nulli Laicali Potestati fas esse decernere, seu edicere, quod Censuræ ab Episcopis promulgatæ, seu declaratæ, sub obtentu, quòd nullæ, vel injustæ sint, attendi non debeant, ac in his, quæ ad Ecclesiasticam Jurisdictionem pertinent, Sæculi Magistratus obsequendi maneat necessitas, non authoritas imperandi, adeòque præmissa in gravissimum Christifidelium scandalum tendant, animasque pretioso Salvatoris, & Domini nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in maxima pericula adducere, & deplorandis malis involvere possint; Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris à Domino constituti sumus, ac proinde tam graves Sæcularis Potestatis abusus dissimulare non possumus, libertatem, immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam à perniciosis ejusmodi conatibus illæsam tueri, & conservare, nec non animarum periculis, quantùm Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, nec non tam præfatorum, quàm alterius cujuscumque Senatus, Magistratus, Judicis, Ministri, Officialis, Notarii, Scribæ & aliarum quarumvis personarum in eisdem præmissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque etiam specificam, ac individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, Edictum præinsertum, ac quæcumque in eo contenta cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, nulla, irrita, invalida, injusta, reprobata, damnata, inania, & à non habentibus potestatem temerè, & damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imò nec illa à quoquam observari posse, vel potuisse, adeoque neque ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere tenore præsentium declaramus.

§. 3. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, prout etiam quæcumque alia præmissorum occasione in præjudicium Libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ quovis modo emanata, edita, acta, gesta, & perpetrata, cum omnibus pariter inde secutis, & quandocumque secuturis, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, ac omninò vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

§. 4. Præterea, tametsi perspecta Cleri, Populique Casalensis pietas, & Religio spem Nobis certam ingerat, fore ut memorati Edicti nullam hactenus, ut par erat, rationem habuerint, eoque non attento à quâlibet consuetudine, & commercio cum præfato Jacobo Comite, tanquam verè excommunicato, ac omninò vitando, penitus ultrò abstinuerint, & abstineant; nihilominus motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, eumdem Jacobum Comitem, tanquam verum excommunicatum, vitandum ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus habendum esse, donec, & quousque absolutionis beneficium Christianâ humilitate petierit, illudque ab habente legitimam ad id facultatem impetraverit, vel quatenus censuræ adversus eum promulgatæ nullæ, aut injustæ prætendantur, eas uti tales à competenti Judice Ecclesiastico declarari obtinuerit, cum ante ejusmodi declarationem pro validis, ac justis ab omnibus haberi debeant, earumdem tenore præsentium decernimus, & similiter declaramus.

censurarum in Potestate Sæculari.

Aliud attentatum dictæ Potestatis præcipiendo Episcopo sub pœna sequestri Bonorum temporalium, ut ab aliis actibus se abstineret, ac præjudicium ab Excommunicatione proveniens repararet.

Declarat nullitatem præfati Edicti, ac omnium ex eo secutorum.

Tenor edicti, in quo per injuriam asseritur, præfatam excommunicationem esse nullam, & injustam, nec non præmissa omnia demandantur.

Reprobat idem Edictum.

Decernit observantiam præmissæ excommunicationis.

Dat. Edict.

Prosecutio præsentium literarum cum declaratione incompetentiæ facultatis cognoscendi de justitia, & validitate

Mandat universis Ecclesiasticis, ut servent ea, ad quæ tenentur erga excommunicatos denunciatos.

§. 5. Quocirca universis Presbyteris, & Clericis tam sæcularibus cujuscumque gradus, præeminentiæ, & dignitatis fuerint, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, regularibus in Divinis ministrantibus harum serie districtè præcipimus, & mandamus, ut quatenus prædictus Jacobus Comes ad eorum Ecclesias, seu Oratoria accedere, ibique divinis Officiis, aliisve sacris functionibus interesse præsumeret, cum eo ita se gerant, quemadmodum ex Sacrorum Canonum præscripto cum Excommunicatis publicè denunciatis agendum esse probè norunt, sub pœnis ab ipsis Sacris Canonibus in eos, qui secus fecerint, constitutis.

Reservat absolutionem à censuris, quas incurrerunt authores Edicti, quive auxilium præstiterunt.

§. 6. Cæterum cum exploratum sit tam præfatum cognominatum Rivalta, qui præmissa ab eadem Sæculari Potestate edici, & ordinari petiit, ac instetit, ut præfertur, quàm cognominatum Perronum, qui præinserto Edicto subscripsit, nec non Petrum Mariam Prielli Typographum, qui illud suis typis impressit, aliosque omnes, & singulos cujuscumque pariter status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, quantumvis sublimis fuerint, qui eadem præmissa mandarunt, ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam præstiterunt, aut in eorum sequelam, & executionem gesta approbarunt, & rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes, & pœnas Ecclesiasticas à Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse: Noverint idcircò illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, à censuris, & pœnis hujusmodi post debitam, ac condignam Ecclesiæ realiter, & cum effectu præstitam satisfactionem, non nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo constituti, nec etiam tunc, nisi de standō Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ, atque cum reincidentiâ eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari posse, prout earumdem tenore præsentium pariter decernimus.

Alias pœnas reservat contra prædictos Ecclesiasticæ libertatis Violatores.

§. 7. Facultatem insuper quandocumque procedendi ad alia severiora remedia, quatenus prædicti Ecclesiasticæ libertatis Violatores in suâ contumaciâ persistentes censuras, & pœnas hujusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, Nobis, & eidem Apostolicæ Sedi expressè reservantes. Ac decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente, defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

Decreta roborantia cum clausula sublata, & irritante.

§. 8. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, ac quorumvis Monasteriorum, Conventuum, Ecclesiarum, locorum piorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis, & locis piis prædictis, illorumque respectivè Superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissimâ mentione dignis à Sede prædictâ ex quâcumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, regali, aliave quâlibet mundanâ, vel Ecclesiasticâ Dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Privilegiis, & Indultis hujusmodi mentionem. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Affixio præsentium in Urbe vim habeat personalis intimationis.

§. 9. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Laterane-

nensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. Julii MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno XIII.

Fides habenda Transumptis.

Dat. 28. Julii 1713.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo tertio, Indictione sexta, die verò decima quarta Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimo tertio supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Jacobum Vasellum Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Magister Cursorum.

LXIII.

CONFIRMATIO

Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum super Cultu immemorabili S. Liberati de Lauro Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S. Francisci, Provinciæ Marchiæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs, & nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, emanarunt in Causa Servi Dei Liberati de Lauro, Sancti nuncupati, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, ad supplicationem dilecti Filii Lucii à Turricellâ Fratris expressè professi Provinciæ Marchiæ dicti Ordinis, ac Lectoris Jubilati, & ejusmodi causæ Postulatoris, duo decreta tenoris sequentis videlicet: Camerinen. Servi Dei Liberati de Lauro Ordinis Minorum Sancti Francisci Sancti nuncupati. Demandatâ per Sacram Rituum Congregationem sub die 22. Junii MDCLXXXXVII. amotione Imaginum prædicti Servi Dei ab Altaribus, Ecclesiis, & Claustris Conventuum prædicti Ordinis, in quibus depictus erat in lectulo decumbens, cui Beatissima Virgo Virginibus, & Angelicis associata Choris, liquorem propriis manibus administrabat, recursum interposuerunt ad eamdem Sacram Congregationem Patres ejusdem Ordinis, allegantes cultum eidem Servo Dei intra, & extra præmemoratum Ordinem sic, & aliàs, atque multiformiter exhibitum extitisse, nedum per centum annos ante Decreta fel. rec. Urbani VIII. sed per quatuor, & ultra sæcula, ac proinde humiliter institere pro manutentione prædicti Servi Dei in eodem cultu absque ullâ innovatione, quæ læderet possessionem, in quâ pacificè erat à præmemorato immemorabili, ac legitimo tempore: Unde Sacra eadem Congregatio præfixo, & pluries prorogato eidem Ordini tempore ad probandam eamdem immemorabilem possessionem, sub pœnâ remotionis cujuscumque cultus eidem Servo Dei quomodolibet præstiti, in se ejusdem Causæ cognitionem benignissimè suscepit.

§. 1. Quamobrem allato ad ipsam per Religiosos ejusdem Ordinis, & Provinciæ Marchiæ (in quâ adest Conventus cum Ecclesiâ sub titulo Sancti Liberati, ubi, ut à Reverendiss. Episcopo Camerinen. asseritur, ipsius, ac Beatorum Humilis, & Pacifici ossa requiescunt) authentico Processu, unà cum Sententiâ super præmisso cultu auctoritate ejusdem Episcopi Camerinen. Ordinarii Loci dicti Conventus, ritè prolatâ: Nec non instituto super præmissis omnibus judicio, & prætendentibus subinde Postulatoribus non esse necessariam in casibus similibus propulsionis contrarietatum Commissionem manu Sanctissimi signatum, eadem Sacra Rituum Congregatio perpendens plura afferri in comprobatione præmemorati cultus, quæ in præsenti casu indigebant speciali dilucidatione; producebantur siquidem nonnulla eidem Servo Dei uti anonymo, vel incognito ab Historiatoribus attributa, & alia pariter, quæ ipsum cum alio quodam Liberato Maceratense Congregationis Cœlestinorum, seu Clarenorum ejusdemmet Ordinis confundere poterant, ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Vallemani pro Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinale Carpineo Ponente, Sacra eadem Rituum Congregatio, audito tam in scriptis, quàm in voce D. Prospero de Lambertinis Sacræ Consistorialis Aulæ Advocato, & Reverendissimi Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris Coadjutore, rescribendum censuit: Causam indigere signaturâ Commissionis in casu, de quo agitur. Die VII. Septembris MDCCIX. Ita reperitur in Regestris Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum. In quorum fidem &c. die 3. Augusti MDCCXIII. Loco † Sigilli. Gratis. N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus Sacræ Rituum Congregationis Pro-Secretarius: Camerinen. Servi Dei Liberati de Lauro Ordinis Minorum Sancti Francisci Sancti nuncupat. Orta controversiâ in Sacrâ Rituum Congregatione: An cultus ab immemorabili tempore, juxta Postulatorum sensum Sancto Liberato prædicto præstitus, esse tne permittendus, seu potius removendus, eadem Sacra Rituum Congregatio sub die VII. Septembris MDCCIX. censuit, antequam ad discussionem dubii super casu excepto à decretis fel. rec. Urbani PP. VIII. deveniretur, necessariam esse dubii propositionem super signaturâ Commissionis, ideoque disputato dicto dubio, an esset signanda Commissio, Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Ptolomei pro Eminentiss. & Reverendiss. Cardinale Carpineo Ponente, & ad instantiam Fratris Lucii de Turricellâ Ordinis Minorum de Observantiâ Sancti Francisci dictæ causæ Postulatoris, audito prius tam in voce, quàm in scriptis R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, respondit: Pro nunc non esse locum signaturæ Commissionis, & nihil esse innovandum super cultu eidem Servo Dei præstito, firmo tamen remanente Decreto in hac Causâ edito die XXII. Julii MDCLXXXXVII. super amotione Imaginum dicti Servi Dei, cui in lectulo decumbenti Beatissima Virgo Angelicis Choris associata cibum subministrabat, si Sanctiss. Domino Nostro placuerit, die XXVIII. Januarii MDCCXIII. Factaque deinde per infrascriptum Pro-Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, die 17. Februarii ejusdem

anni MDCCXIII. G. Cardinalis Carpineus, Loco † Sigilli. C. Collicola Sac. Rituum Congregationis Pro-Secretarius.

§. 2. Cùm autem ſicut prædictus Lucius Nobis ſubinde exponi fecit, ipſe Decreta hujuſmodi, quo firmiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret, Nos ipſum Lucium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel causà latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen., harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinſerta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die ſecunda Septembris MDCCXIII. Pontificatus Noſtri Anno decimotertio.

F. Oliverius.

LXIV.

DAMNATIO

Quamplurium propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo ſub titulo : *Le Nouveau Teſtament en François avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. à Paris 1699.* ac aliter : *Abregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſées Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez &c. à Paris 1693. & 1694.* cum prohibitione ejuſdem Libri, & aliorum quorumcumque in ejus defenſionem tam hactenus editorum, quàm in poſterum edendorum.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Univerſis Chriſtifidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Procœmium à voce Divini Salvatoris, qua monemur, ut caveamus à falſis Magiſtris

UNigenitus Dei Filius pro noſtrâ, & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro, ac ſaluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis Ovium, quorum nomine potiſſimum demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur : antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm, ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.

Decipientibus ſub Specie Sanctitatis.

Statuit validiori uti remedio adversùs doctrinam contentam in libris, de quibus hic eſt ſermo, aliàs damnatis.

§. 1. His Nos verè divinis monitis inſtructi, ubi primùm, non ſine intimâ cordis noſtri amaritudine accepimus, Librum quemdam gallico idiomate olim impreſſum, & in plures tomos diſtributum, ſub titulo : *Le nouveau Teſtament en François avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A Paris 1699.* Aliter verò : *Abregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſées Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez &c. à Paris 1693. & 1694.* tametſi alias à Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Chriſtifidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & operâ ſtudiosè nimis quaquaversùm diſſeminari, etiam latinè redditum, ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad Populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummoperè doluimus; adeoque Paſtoralis non minus curæ noſtræ ſtimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum literis, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Propterea declarat, velle diſtinctè explicare pravitatem inibi latentem.

§. 2. Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam hujuſmodi libri perniciem ideo potiſſimùm progredi, & invaleſcere, quod eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat; Cùm liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum : ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodò à Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis propoſitionibus, diſtinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque univerſis Chriſtifidelibus noxia zizaniorum ſemina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

§. 3.

§. 3. Id ipsum maximè è re Catholicâ futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acerbiores scissuras pretendentium dissidiis apprimè proficuum: Conscientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum necessarium, non modò præfati Episcopi, sed, & ipse in primis Chariſſimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuendâ Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpius Nobis est contestatus; repetitis propterea verè piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolatâ quantocius Apostolici censurâ judicii consuleremus.

Idque conducere ad sedandas, scissuras in Galliæ Regno.

§. 4. Hinc adspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulò, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto Libro, juxta supra recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expressas propositiones à compluribus in Sacrâ Theologiâ Magistris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accuratè discuti: deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quàm maximâ diligentiâ, ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet Libri Textu exactissime factâ collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet:

Consultatio adhibita in examine plurium propositionum contentarum in dictis libris.

Series earumdem propositionum.

1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

2. *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa, non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.*

3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.*

4. *Ita Domine; Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ interiores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.*

6. *Discrimen inter Fœdus Judaïcum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à Peccatore, relinquendo illum in sua impotentia, in isto verò Deus Peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.*

7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*

8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

9. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

10. *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.*

11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

12. *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.*

13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.*

14. *Quantumcumque remotus à salute sit Peccator obstinatus, quando Jesu se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.*

15. *Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.*

17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.*

18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.*

19. *Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse Nobis tradit in omnibus suis Scripturis.*

20. *Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.*

21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.*

22. *Concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.*

23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24. *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.*

25. *Deus illuminat animam, & eam sanat æquè, ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.*

26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.*

27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.*

28. *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio.*

29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

30. *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.*

31. *Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

32. *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.*

33. *Pro quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renunciasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

34. *Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.*

35. *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.*

36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami, & sta-*

& status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. *Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.*

38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.*

39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi à Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum, adorationis, gratitudinis & amoris.*

42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.*

43. *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus Mundi.*

44. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remunerat, & Amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

45. *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.*

46. *Cupiditas, aut Charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt.*

47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.*

48. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine Fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate.*

49. *Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.*

50. *Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi: si spiritus Charitatis non est ille, qui clamat.*

51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Charitatem.*

52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, & semine; Sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.*

53. *Sola Charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.*

54. *Sola Charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.*

55. *Deus non coronat, nisi Charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

56. *Deus non remunerat nisi Charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.*

57. *Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.*

58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.*

59. *Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.*

60. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.*

61. *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tandiù peccato adducitur, quandiù ab amore justitiæ non ducitur.*

62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est Reus coram Deo.*

63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.*

64. *Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.*

65. *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint, nisi mancipia per timorem.*

66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti Bestiæ, sed per fidem, & per amorem sicuti filii.*

67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

68. *Dei Bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide, & præcibus.*

69. *Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.*

70. *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.*

71. *Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

72. *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.*

73. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi.*

74. *Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet, ut Caput; omnes verò Sanctos, ut membra.*

75. *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona; Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.*

76. *Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & Justi omnium sæculorum illam componunt.*

77. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interiùs habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.*

78. *Separatur quis à Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio.*

79. *Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.*

80. *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.*

81. *Obscuritas Sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.*

82. *Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.*

83. *Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba Virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, & notæ sunt hæreses.*

84. *Abripere è Christianorum manibus novum*

Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. *Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.*

86. *Eripere simplici Populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.*

87. *Modus plenus sapientia, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

88. *Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detractamus separationis istius ferre confusionem.*

89. *Quartus decimus gradus conversionis Peccatoris est quod, cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.*

90. *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius Corporis.*

91. *Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.*

92. *Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantùm abest, ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

93. *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

94. *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem Fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

95. *Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum; adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium: Nequ satis advertitur, quòd hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos.*

96. *Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.*

97. *Nimis sæpè contingit membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.*

98. *Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.*

99. *Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.*

100. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit..... Haberi, & tractari à Religionis Ministris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum; est hominibus piis morte corporis mors terribilior, Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque vivos probos, si propria passione est excæcatus aut abreptus aliena, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo Impium, & sacrificamus Diabolo Servum.*

101. *Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio Impiorum.*

Condemnat easdem propositiones.

§. 5. Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio, omnes, & singulas propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, pernicioſas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solùm, sed etiam in Potestates Sæculi contumelioſas, seditioſas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifestè innovantes respectivè, hac nostra perpetuò valitura Constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Prohibitio, ne dictæ propositiones teneri, doceri, vel defendi possint.

§. 6. Mandantes omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, ac prædicare aliter præsumant, quàm in hac eadem Nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputativè publicè, aut privatim tractaverit nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes à Jure statutis pœnis ipso facto absque alia declaratione subjaceat.

Protestatio condemnationis citra approbationem aliarum propositionum, quæ censuræ notæ dignæ sunt.

§. 7. Cæterum per expressam præfatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas; nec sanè paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singulatim recensere & nimis longum esse duximus, & minimè necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem: à vulgatâ verò editione, quæ tot Sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authenticâ haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, plurieſque in alienos, exoticos, ac sæpè noxios sensus, non sine maximâ perversitate detortum.

Innovatio prohibitionis supradictorum librorum.

§. 8. Eumdem propterea librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longè accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quâvis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, authoritate Apos-

ſtolicâ tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quàm typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus ſub pœnâ excommunicationis per contrafacientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præceptum ſuper obſervantia præſentis Conſtitutionis.

§. 9. Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Grdinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii Sæcularis auxilio, omninò coerceant, & compellant.

Fides habenda Tranſumptis.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 11. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo decimotertio, ſexto Idus Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Decimotertio.

Dat. die 8. Septembris anno 1713.

J. Card. Prodatarius. F. Oliverius.
Viſa de Curia L. Sergardus.
Loco † Plumbi.
Regiſtrata in Secretaria Brevium.
L. Martinettus.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno Decimo tertio ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romolatium Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Placentinus Magiſter Curſ.

LXV.

CONFIRMATIO

Decreti Congregationis Sacrorum Rituum editi ſuper Cultu immemorabili.

BEATO GREGORIO PAPÆ DECIMO.

Exhibito, & caſu excepto à Decretis fel. rec. Urbani PP. VIII.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INjuncti Nobis cælitus paſtoralis officii ſollicitudo Nos urget, ut glorioſorum cœleſtis Hieruſalem Civium, quorum ſapientiam narrant Populi, & laudem nuntiat Eccleſia, illorumque potiſſimùm, quos Unigenitus Dei Filius gregi ſui Paſtores conſtituit ſecundum cor ſuum, quique in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti, placuerunt Domino in diebus ſuis, ac fidei gubernaculum viriliter tenentes, anchoram ſpei tranquillâ jam in ſtatione compoſuerunt, plenamque cœleſtibus divitiis, & æternis mercibus navem optato in littore collocarunt, venerationem, & cultum promovere ſtudeamus in terris, ſicut pia Catholicorum Antiſtitum in partem ſollicitudinis noſtræ vocatorum aliorumque Chriſtifidelium, ac præſertim pietate non minùs, Chriſtianiſque virtutibus, quam generis ſplendore fulgentium vota poſtulant, & Nos ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Eccleſiæ decus, & præſidium, ſpiritualemque fidelium populorum ædificationem, ac devotionem fovendam conducibile fore in Domino arbitramur.

Exponitur cauſæ ſtatus

§. 1. Cum itaque aliâs in Congregatione tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium ſacris Ritibus præpoſitorum proceſſus authoritate Apoſtolica conſtructi ſuper virtutibus, & miraculis in ſpecie fel. rec. Beati Gregorii PP. X. Prædeceſſoris Noſtri exhibiti fuerint, illorumque validitate de more examinatâ, ac die IX. Januarii MDCXXX. ad relationem bon. mem. Coſmi, dum vixit, ejuſdem S. R. E. Cardinalis de Torres nuncupati reſpectivè approbatâ, ſucceſſivè, nempe die IV. Maii ejusdem anni, ab eadem Congregatione Cardinalium favorabile reſcriptum emanaverit: conſtare de virtutibus heroicis; deinde verò ad humillimas preces Venerabilis Fratris Benedicti Epiſcopi Aretini, etiam nomine dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Aretinæ nec non Antonii Mariæ Bonucci Presbyteri Regularis expreſsè profeſſi Societatis Jeſu ejuſmodi Cauſæ Poſtulatoris, per Dilectum Filium noſtrum Ferdinandum ſupradictæ S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Abdua nuncupatum in locum ſimilis mem. etiam, dum vixit, Franciſci prædictæ S. R. E. Cardinalis Montalti nuncupati, qui anno MDCXLII. in locum ejusdem Coſmi Cardinalis ſubrogatus fuerat, deputatum, propoſito dubio in eadem Congregatione Cardinalium die XI. Februarii proximè præteriti ſuper ſignaturâ Commiſſionis reaſſumptionis Cauſæ ad formam noviſſimorum decretorum rec. me. Innocentii Papæ XI. itidem Prædeceſſoris noſtri, reſponſum fuerit, eſſe locum ſignaturæ Commiſſionis, prout per Nos ſignata fuit, cum facultate videndi, & examinandi, an ex ſupradictis proceſſibus Apoſtolicis, ſicut præmittitur, confectis conſtaret de caſu excepto à decretis piæ mem. Urbani PP. VIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri, & de eorum paritione, ſive de cultu publico, & immemorabili dicto Beato Gregorio PP. X. exhibito; demumque in hujuſmodi commiſſionis ſequelam propoſitâ Causâ per eumdem Ferdinandum Cardinalem ſuper prædicto dubio, illoque in prædictâ ordinariâ Congregatione Cardinalium diſcuſſo: ipſa Congregatio, audito prius tam ſcripto, quàm voce dilecto Filio Magiſtro Proſpero de Lambertinis in utrâque Signatura noſtra Referendario, Fidei Promotore, reſpondendum eſſe cenſuerit; conſtare de cultu immemorabili, ſeu de caſu excepto à prædictis Urbani Prædeceſſoris decretis.

Congregatio Sacrorum Rituum decernit conſtare de cultu, & caſu excepto.

§. 2. Hinc eſt, quod Nos non modo piis, devotiſque Benedicti Epiſcopi, ac Communitatis, & hominum, nec non Antonii Mariæ prædictorum, ſed etiam enixis noviſſimè additis dilecti Filii Nobilis Viri Coſmi Etruriæ ſibi ſubjectæ Magni Ducis ſupplicationibus Nobis ſuper hoc humiliter porrectis favorabilem aſſenſum, quantùm cum Domino poſſumus, præbere cupientes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommu-

Pontifex ejuſmodi decretum confirmat ſalva &c.

nica-

nicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Decretum à prædicta Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quòd ſcilicet de cultu immemorabili eidem Beato Gregorio PP. X. exhibito, ſeu de caſu excepto à Decretis prædicti Urbani Prædeceſſoris conſtet, Apoſtolicâ authoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis authoritate, memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque; Volumus autem, ut ipſarum præſentium literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die XII. Septembris MDCCXIII. Pontificatus Noſtri Anno XIII.

F. Oliverius.

Decretum irritans cum conſuetis clauſulis.

LXVI.

CONCESSIO

Indulgentiarum Chriſtifidelibus Italiæ, & Inſularum adjacentium, Divinam opem pro præſervatione, ſeu liberatione à graſſante in præſens epidemicâ Animalium lue implorantibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

INter diuturnas, ac ſanè graviſſimas, quibus ab eo propemodum die, quo humilitatem noſtram ad Supremi Apoſtolatus faſtigium evocavit Altiſſimus, undequaque premimur, Chriſtianæ Reipublicæ calamitates, eâ noviſſimè, quâ Deus viſitare Nos voluit, ærumnâ, dirâ ſcilicet Animalium, ac præſertim Boum epidemicâ lue, paternæ noſtræ Charitatis ſtudio vehementer commoti, ad Supremum miſericordiarum Patrem, illum ſcilicet, qui laboribus hominum, etiam de mutis Animalibus ſolatia ſubrogavit, toto corde clamavimus, & adhuc elatâ magis voce clamare non ceſſamus, ut ſine quibus non alitur humana conditio, noſtris faciat uſibus non perire. Indictis idcircò nuperrimè publicis precibus, Chriſtifideles in Almâ Urbe noſtrâ, quam manus Domini tetigit, ac etiamnum graviter tangit, degentes ad iram Dei, quæ peccatis hominum aſſiduè laceſſitur, per ſalutaris pœnitentiæ lamenta, ac jejunia, & eleemoſynas, ſinceraſque, & unanimes obſecrationes, atque orationes placandam, ſpiritualium gratiarum, quarum diſpenſationem fidei noſtræ commiſit Divina dignatio, elargitione excitare ſtuduimus. Id ipſum verò nunc, ut & reliqui etiam Chriſtifideles Italiæ univerſæ, & Inſularum illi adjacentium, quippe qui ejuſmodi flagelli aut metu anguntur, aut ſenſu afflictantur, ſciſſis per veram pœnitentiam cordibus, ac auctis per jejuniorum labores, & eleemoſynarum largitiones viribus orationis facere connitantur, eos omnes, & ſingulos paternè adhortandos, & monendos, eorumque pietatem erogatis itidem Cœleſtium gratiarum theſauris incitandam, atque fovendam eſſe arbitramur, Itaque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœceſum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum univerſæ Italiæ, & Inſularum ei adjacentium hujuſmodi, ſeu eorum Vicariis in Spiritualibus Generalibus per præſentes committimus, & mandamus, ut ſtatim atque ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exempla, etiam impreſſa ad eos pervenerint, Proceſſiones in ſuis reſpectivè Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis inſtituant, publicaſque preces pro illorum à flagello prædicto præſervatione, ac liberatione reſpectivè indicant; Nos enim omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, qui Proceſſionibus hujuſmodi reſpectivè interfuerint, vel Eccleſiam, à quâ, & ad quam aliqua Proceſſio hujuſmodi fiet, eodem vel aliquo ex ſeptem ſubſequentibus diebus devotè viſitaverint ibique Divinum auxilium (ut præmittitur) imploraverint, ac inſuper peracto unius diei jejunio Eccleſiaſtico, aliquam eleemoſynam, prout unicuique ſuggeret devotio, pauperibus erogaverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem per unumquemque Chriſtifidelem ſemel tantùm lucrifaciendam, miſericorditer in Domino concedimus præterea eiſdem Chriſtifidelibus, qui recitationi Litaniarum Omnium Sanctorum, cum Collectis, & precibus conſuetis in aliquâ ex Eccleſiis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum prædictorum per memoratos Locorum Ordinarios reſpectivè deſignandis menſe à die publicationis earumdem præſentium computando durante dumtaxat, itidem devotè interfuerint, ibique, ut ſupra dictum eſt, oraverint, quocumque die interim id egerint decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu per eos quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Eccleſiæ conſuetâ relaxamus, nec non ut omnes, & ſingulæ Indulgentiæ, ſeu peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes prædictæ Animabus fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicari poſſint, concedimus pariter, & indulgemus. Cœterum Regularibus utriuſque ſexus in perpetuâ clauſurâ viventibus, nec non aliis Chriſtifidelibus quibuſcumque in carcere exiſtentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, ſeu aliquo quocumque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut illa Confeſſarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante præſentium publicationem, ſeu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere poſſit, quæ ipſi Pœnitentes adimplere poterunt, ſimiliter indulgemus. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ

tutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XIV. Octobris MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimotertio, Indictione sexta, die verò decima quarta Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus decimotertio, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Cancellariæ Apostolicæ, in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Andream Græcum Apost. Curs.

Laurentius Christallinus Pro-Mag. Curs.

LXVII.

CONSTITUTIO

Pro feliciori regimine Congregationis Observantiæ Lombardiæ nuncupat. Ordinis Eremitarum S. Augustini.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

INjuncti Nobis divinitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut prospero Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum statui consulere, & ea, quæ Regulari Disciplinæ impedimentum adferre noscuntur, quantùm cum Domino possumus è medio tollere studeamus.

Narrat abusus, & relaxationes in Congregationem invectas.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Congregationis Observantiæ Lombardiæ nuncupat. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quòd eadem Congregatio, cui dudum ob Regularem Observantiam tunc in ea vigentem nonnulla privilegia à Sede Apostolica concessa fuerant, adeo à primævo ejus instituto excidit, ut ei Novitiorum vestitio suspensa fuerit; Una verò ex præcipuis causis, quæ relaxationi in dicta Congregatione fomentum præbuit, est perpetuitas gubernii, & dispotici dominii, quod quinquaginta ab hinc annis in ea ad favorem Vicariorum Generalium absolutorum introductum fuit, quippe qui, cum nullum Superiorem realiter recognoscant, omnia in eadem Congregatione ad eorum libitum disponunt, eo quia ii, qui Vicarii Generalis munere functi sunt, remanent perpetui Definitores cum voto in omnibus Capitulis, Dietis, & Congressibus ordinariis, ac extraordinariis ejusdem Congregationis, & præsertim Definitorii Generalis, tametsi ipsis locus juxta ejusdem Ordinis Constitutiones 3. par. cap. 9. §. 7. nu. 5., dictæque Congregationis Definitiones antiquas capit. 30. num. 37., quarum vigore Definitorium Præsidente scilicet, Vicariis Generalibus actuali, & proximè absoluto, quatuor Definitoribus, ac totidem Visitatoribus componitur, minimè competat, & exinde oritur, quod cum ad idem Definitorium Priorum, aliorumque Officialium electio spectet, Vicarii Generales absoluti in omnibus electionibus perpetuò se ingerunt; Nec Definitoratus gradu perpetuo contenti, in Vicesgerentes proprii districtus, seu Provinciæ cum præcedentiâ supra Superiores locales, imo etiam supra ipsos Definitores, & Visitatores, qui, ad formam earundem Constitutionum, & Definitionum, omnibus aliis, præterquam Vicariis Generalibus, actuali, nempe, & immediatè absoluto, præcedere debent, constitui, & deputari curant: Ideòque Vicesgerentes, ide st, Provinciales perpetui eorum districtus, seu Provinciæ fiunt, non obstante quadam Constitutione à fel. rec. Martino Papa V. Prædecessore nostro, quæ incipit: *Pro cunctorum &c.* desuper editâ per quam prohibetur expressè, ne Provinciales completo triennio eorum Officii in eo continuare valeant.

Alia inconvenientia, & corruptelas narrat.

§. 2. Porrò plurima numerantur inconvenientia, quæ ex præmissis oriri solent, quorum primum est dispendium Conventuum, qui ultra ordinarias collectas, quas pro manutentione Vicarii Generalis persolvunt, nedum illas prædictis Vicesgerentibus, verùm etiam expensas itinerum occasione eorum accessus ad Capitula dictæ Congregationis, contribuere teneantur. Præterea memorati Conventus aliis sumptibus, & dispendiis gravati reperiuntur; nam Priores, aliique Officiales, qui ærarium administrant, benevolentiam illorum, à quibus unicè in spem adducuntur se gratiis, & beneficiis affici, ita captare studeant, ut Religiosorum indigentiis consulere, ac officinas, corumque cellas rebus ad id necessariis instruere, nec non in Conventibus ejusdem Congregationis Religiosorum numerum valdè minorem eo, qui ali possit, non sine Cultus Divini, ac Ecclesiarum servitii detrimento, retinere negligant. Alterum verò inconveniens existit, quòd omnes Religiosi ab arbitrio, & voluntate ipsorum Vicariorum Generalium absolutorum unicè dependent: Ita ut Prioribus, aliisque Officialibus solus titulus remaneat, ac mandata ipsius Vicarii Generalis, ut plurimùm illis Vicesgerentis, non sine maximo scandalo, postponuntur; nec Superiores Locales illis sese opponere, nec Religiosi contra hujusmodi abusus reclamare audent, quia omnes sperant eosdem Vicesgerentes sibi gratos fore, unde gratiam apud eos quærere, illorumque desideriis obsecundare procurant.

Alium abusum explicat.

Instantia Pontifici facta pro abolitione perpetuitatis Superiorum.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, perpetuitas Superiorum in gubernii hujusmodi, ita Regulari Observantiæ obnoxia, in Capitulo Generali memoratæ Congregationis in hac Almâ Urbe nostrâ anno 1664. celebrato, in quo nonnullæ Definitiones factæ, ac postmodum à rec. mem. Alexandro Papa VII. etiam Prædecessore nostro per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die 18. Julii ejusdem anni expeditas literas, confirmatæ fuerunt, introducta fuerit, experientiâ verò plurium annorum compertum sit illam eidem Congregationi magnum præjudicium attulisse, ac propterea ipsi Exponentes, quò abusus hujusmodi de medio tollantur, Regularisque Observantia in ea reflorescat, ejusmodi perpetuitatem per Nos aboleri, nec non prærogativas eorumdem Vicariorum Generalium absolutorum ad terminos, in quibus ante prædictum Capitulum Generale reperiebantur, per Nos reduci plurimùm desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Formam præscribit de cetero in ejusdem Congregationis gubernio observandam.

§. 4. Nos igitur Regularem Observantiam in eadem Congregatione, sublatis impedimentis, promovere cupientes, ac ipsorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad

effec-

effectum præsentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium à Nobis specialiter deputatorum, qui rem maturè perpenderunt, consilio, Diffinitorium Generale ejusdem Congregationis in posterum ex Vicario Generali proximè absoluto, quatuor Definitoribus, & totidem Visitaroribus constituendum esse, & propterea in eo Ex-Vicarios (reservata tamen facultate interveniendi solùm illis, qui cum hac qualitate Ex-Vicariorum de præsenti reperiuntur) non esse admittendos, authoritate Apostolicâ tenore præsentium decernimus, & declaramus; Quòdque respectu eorumdem Vicesgerentium constituendorum Constitutio in cap. 31. §. 6., & quatenus opus sit eam declarando, observetur. Præterea non posse constitui Vicesgerentem unum, aut plures in diversis primodictæ Congregationis partibus, nisi extra Congregationem, aut si ad ipsius Congregationis extrema loca Vicarium Generalem ire contigerit, & extra dictos casus non posse constitui, nisi unum in Lombardia, si ultra Montes Apenninos etiam intra Congregationem ipsam iverit, quæ deputatio tantùm tempore absentiæ durare intelligatur, ut supra, & non amplius, harum serie ordinamus. Et quoad personam deputandam cap. 4. rub. 28. num. 1. pariter observetur; quodque non possit eligi, qui per sex annos continuos munus quodcumque jurisdictionis exercuerit, nisi pariter per triennium vacaverit; Ac ulterius eisdem Vicesgerentibus subministrari aliquid ratione expensarum à Conventibus, pro quibus constituti fuerunt Vicesgerentes hujusmodi, ut supra enunciatis, prædictis Alexandri Prædecessoris Literis cæterisque contrariis non ostantibus, authoritate, & tenore prædictis interdicimus, & prohibemus.

Cum clausula sublata, & decreto irritanti.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes nostras Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus prædictis Alexandri Prædecessoris Literis, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis, & Ordinis præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illi aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die xx. Octobris MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Et derogatione quibuscumque contrariis.

F. Oliverius.

DECLARATIO LXVIII.

Nullitatis, damnatio, abolitio, & reprobatio plurimorum gestorum ab asserto Judice prætensi Tribunalis Monarchiæ Siculæ, necnon à quibusdam ejus Delegatis, tam super abrogatione Censurarum, quas R. P. D. Franciscus Archiepiscopus Ramirez Episcopus Agrigentin. è Civitate, & Diœcesi Agrigentin. per abusum Sæcularis potestatis ejectus Expulsores suos incurrisse declaraverat, quam super revocatione Ecclesiastici Interdicti, cui idem Episcopus eâ occasione Civitatem, & Diœcesim præfatas subjecerat.

Cum diversis Ordinationibus, Decretis, & Declarationibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à ponderatione gravium ærumnarum, quas Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ auctoritas in Regno Siciliæ patitur, inflictas per Sæcularem Potestatem; iisque mederi velle declarat.

AD plurimas, & verè acerbissimas, quas in Regno Siciliæ non minùs Ecclesiæ, quàm hujus S. Sedis authoritas à Sæculari potestate jamdiu pertulit, & adhuc perfert, injurias, considerationis nostræ intuitum convertentes, id fermè Nobis evenire experimur, quod patientissimo Viro Job accidisse Sacræ Literæ commemorant: ut scilicet unius ærumnæ Nuncium alius gravioris calamitatis Relator excipiat, novaque in dies, ac semper tristiora ex illis partibus ad Nos afferantur. Nostra proinde, & ejusdem Sedis, Ecclesiæque Jnra, ex commissi Nobis cœlitus Pastoralis Officii debito, ab ejusmodi Laicorum ausibus constanter asserere pergimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, æquitati, & justitiæ rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

Memorat declarationem incursus censurarum factam ab Episcopo Agrigentino Ramirez contra proprios Expulsores, & suppositionem Civitatis & Diœcesis Ecclesiastico Interdicto.

§. 1. Nuper siquidem ad Apostolatus Nostri notitiam pervenit, quod aliàs postquam Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Ramirez Episcopus Agrigentinus non aliâ profecto de causâ, nisi eo quod Ecclesiasticâ authoritate strenuè asserta, ministerium suum diligenter implevisset, & quo par erat, obsequio Nostris, atque ejusdem Sedis mandatis fideliter obtemperasset, per summam injuriam, ac intolerabilem ejusdem Sæcularis potestatis abusum è suâ Civitate, ac Diœcesi Agrigentin., totoque Regno Siciliæ expulsus, ejusmodi suæ expulsionis Executores, nec non quoscumque illius complices, auxiliatores, & mandantes in Excommunicationem majorem ab Apostolicis Constitutionibus, & speciatim illâ die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari solitâ contra similia perpetrantes inflictam incidisse declaraverat; ac insuper Civitatem, & Diœcesim Agrigentin. præfatas Ecclesiastico interdicto subjecerat: Tametsi hæc omnia ab eo ritè, ac rectè, necnon juxta Sacrorum Canonum præscriptum, imo etiam de speciali, ac prævio mandato nostro peracta fuerint, nihilominus paucos post dies, ineunte scilicet mense Septembri proximè præterito, quidam Andreas Ficani, tanquam prætensi Tribunalis Monarchiæ Siculæ nuncupati, illiusque asserti Judicis specialiter ad infrascripta Delegatus, primùm quidem, nempe die secundâ ejusdem mensis Septembris, Ecclesiam Sancti Joannis Civitatis Agrigentin., quæ

Subinde narrat violenter secutam fuisse aperitionem Ecclesiæ S. Joannis d. Civitatis expletam de mandato Andreæ Ficani Delegati prætensæ Monarchiæ, necnon absolutione supradictarum censurarum, ab eo indultam.

jurisdictioni supradicti prætensi Tribunalis subesse prætenditur, temerè, ac violenter aperiri fecit.

§. 2. Deinde verò eos, quos dictus Franciscus Episcopus in Excommunicationem Nobis, & eidem Sedi reservatam incurrisse, sicut præmittitur, declaraverat, majori temeritate absolvere præsumpsit, vigore scilicet prætensæ facultatis sibi ad id concessæ à Francisco Mirandà, & Gayarre asserto Judice supradicti prætensi Tribunalis per ejus literas die 31. Augusti proximè præteriti expeditas, quibus execrando non minus, & impudenti ausu, quàm falsis, & ineptis rationibus eadem Excommunicatio, sive Excommunicationis declaratio nulla, injusta, insubsistens, temeraria, & irregularis declarabatur: ipsique Andreæ nihilominus mandabatur, ut ad tollendum quodcumque scandalum, aditumque præcludendum cuivis pharisaico zelo (hoc nomine in eisdem literis Christiana illa obedientia, quæ Ecclesiæ mandatis exhiberi debet, impiè traducebatur) Excommunicatos prædictos, si absolutionem petiissent, tanquam specialiter Delegatus à dicto prætenso Tribunali, absolvere deberet; & aliàs, prout uberius legi potest in supradictis literis, quas memoratus Andreas eâdem die secundâ Septembri promulgari, ac in pluribus locis Civitatis Agrigentin. affigi mandavit, tenoris, qui sequitur, videlicet: Nos utriusque Juris Doctor D. Franciscus Miranda, & Gayarre, de Consilio Sacræ Catholicæ Majestatis, Abbas Sanctæ Mariæ Terranæ, ac Judex Ordinarius Tribunalis Apostolicæ Legatiæ, & Regiæ Monarchiæ pro præfata Catholica Majestate in hoc Siciliæ Regno. Reverendo Sacerdoti Andreæ Ficani Delegatos in Causa Fideli Regio Dilecto salutem: *Ha pervenuto non senza doglianze alla nostra notizia, e di questo Tribunale dell' Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, che essendo stato il Reverendissimo Arcivescovo Vescouo di Girgenti Don Francesco Ramirez intimato d' ordine di S. E. à partirsi da quella Diocesi, e da questo fedelissimo Regno per li giusti motivi mossero l'animo di S. E., concernenti al Real servigio, e publico bene, e quiete del Regno, valendosi con matura riflessione, ed evidente giustizia della potestà economica contro il nomato Prelato, quello abusandosi del Titolo specioso di Consigliere di Sua Maestà (che la Divina guardi,) e del proprio giuramento di fedeltà, ed osservare le prerogative Regie, e del Regno, facendosi scudo, benche ideato, d'esser lesa la libertà Ecclesiastica, e d'havere patito violenza dal Capitano Ochoa, Dottor D. Giovan Battista Guzzardo, Clerico D. Pompeo Grugno, Ettore Antinori, ed altre Persone generalmente, specialmente, & individualmente nominati passò à scommunicarli, e supponenbo, che l'esercizio di tal Potestà economica fosse enorme delitto, passò ad interdire la Cathedrale, e tutte le Chiese dello Diocesi, mostrando in ciò poco buon genio verso il Real Servigio, e la Potestà economica di S. E., per la totale elevatione del quale Interdetto per l'evidente nullità, ed altre ragioni, e per aprirsi le Chiese con la continuazione de divini Offici, ed amministrazione di Sacramenti, si stan spedendo per via del Tribunale gl'ordini opportuni, ma per adesso riflettendo, che la riferita censura fulminata contro le persone, così in specie, come in genere riferite, hà processo indebitamente ex abrupto, de facto, nullo Juris ordine servato, contro la forma de Precetti Evangelici, de sacri Canoni, Concili Ecumenici, con publico scandalo, evidente perturbazione de Popoli, ed impedimento al corso della Giustizia, ed esercizio della potestà economica, ed in esecutione di supposta potestà concessali dalla Corte Romana non esecuta, ne presentata nel Regno, in grave pregiudizio delle Regalie, e prerogative del Regio Exequatur, secondo si prescrive da più Reali dispacci de Serenissimi Monarchi, fondati in evidenti ragioni, avvalorate da antichissima, ed immemorabile osservanza, mai interrotta nel lungo corso di più Secoli, non solo in questo fedelissimo Regno, ma anche per tutto il Mondo Cattolico, come uniforme al dritto delle genti, alli sacri Canoni, Concili Universali, e Concordie con la Santa Sede; ed accrescendosi li motivi di sudetta nullità, ed insussistenza dalli notabili eccessi, ed evidenti aggravi, resta la sudetta censura, come sopra, fulminata assolutamente nulla, ed ingiusta, da temersi solamente da chi la fulminò, non havendo ne tampoco precesso le solite, e necessarie monizioni, ne tampoco la citazione ad dicendum causam Quare, secondo precettò l' istessa Verità increata, li sacri Canoni, Concili Ecumenici, e senza veruna inibizione à desistersi dal fatto, ò pretese violenze; havendo perciò tutto maturamente esaminato, e discusso con matura riflessione, habbiamo stimato dichiarar nulla, ingiusta, insossistente, temeraria, ed irregolare la riferita censura per le ragioni riferite, con fare à voi le presenti, per rendere manifesta, e publica la nullità di sudetta censura, e per togliere anche da cotesta Città, e Diocesi li Cedoloni, Interdetti, ed altre Scritture forse affissate contro le accennate persone in specie, & in genere nominate, e benche stante la sudetta nullità, ed ingiustizia, non vi fusse di bisogno veruna assoluzione, nondimeno per non dar luogo à verun zelo farisaico, ò à qualunque scandalo possibile, che potesse originarsi nelle conscienze semplici, erronee, e scrupulose; Perciò vi ordiniamo, che presentandosi innanzi à voi le succennate Persone, in specie, & in genere nominate, & ogn'uno di loro, domandandovi l'assoluzione della sudetta Scommunica, vogliate, e dobbiate Voi, come Delegato di questo Tribunale della Regia Monarchia, à quelli, ed ogn'uno di loro assolvere libere dalla sudetta Scommunica, e fatta la sudetta assoluzione ne farete fede, e quella transmetterete, dove sarà di bisogno, per aversene piena scienza, ed altra trasmettere à Noi, e questo Tribunale della Regia Monarchia, con vostre lettere responsali, per havere anche Noi scienza della sudetta assoluzione, procedendo sopra ciò contro li perturbanti, & impedienti l'esecuzione delle presenti à quelli rimedi, che vi pareranno convenienti, e di giustizia; Commandando per le presenti à tutti, e singoli Officiali così Spirituali, come temporali del Regno, che sotto la pena di scudi cento per ogn'uno di essi d'applicarsi al Fisco di questo Tribunale della Regia Monarchia v'habbiano, e debbono dare, e prestare ogni lor braccio, ajuto, e favore tante volte, quante da voi saranno richiesti, che Noi sopra le cose sudette vidiamo, e concediamo ogni nostra potestà, ed autorità necessaria, e così esguirete ad istanza delle sudette prenominate Persone, seu di quasivoglia Persona per esse presentante, e comparente, etiam senza procura, per quanto la grazia di Sua Maestà tenete cara, e sotto le pene à Noi ben viste. Datum Panormi die trigesima prima Augusti sextæ Indictionis 1713.: Don Franciscus Miranda, & Gayarre: Julius Rotundo Pro-Magister Notarius: Jesus: Præsentetur: Exequatur, Registretur, & Affigatur: Sacerdos Don Andreas Ficani Delegatus in Causa: Die 2. Septembris 1713. præsentes præsentatæ, executæ, & registratæ fuerunt, & sunt in Officio admodum Reverendi Sacerdotis D. Andreæ Ficani degentis in hac Civitate Agrigenti, uti Delegati Illustrissimi, & Reverendissimi Domini D. Francisci Miranda, & Gayarre Judicis Ordinarii Tribunalis Regiæ Monarchiæ, & fuerunt affixæ juxta supradictam decretationem. Unde*

Tenor litterarum Judicis prætensæ Monarchiæ quibus Delegato prædicta omnia peragendi facultas conceditur.

Refertur excommunicatio per supra laudatum Episcopum propriis Expulsoribus inflicta; & simul Interdictum ab eo latum.

Proferuntur insubsistentia motiva circa prætensam nullitatem gestorum, ut supra.

Declaratur eadem prætensa nullitas.

Temerè ad cautelam committitur Delegato facultas absolvendi, Expulsores, aliasque personas cum diversis ordinationibus.

Prosecutio præsentium literarum Apostolicarum cum expositione plurium attentatorum.

Accessus nempe Canonici Isidori Navarro tamquam Delegati prætensæ Monarchiæ ad Civitatem Agrigenti pro violenter obtinenda Ecclesiarum aperitione, ac frequentatione.

Occupationis bonorum, aliarumque molestiarum Ecclesiasticis ac etiam Parochis renuentibus illatorum.

Carcerationis secutæ trium Vicariorum Generalium, ac etiam præparatæ contra quartum.

Aperitionis Ecclesiæ Cathedralis violenter factæ jussu ejusdem Delegati.

Celebrationis Missæ per eum inibi sacrilegè expletæ, promulgato prius Edicto revocatorio Interdicti.

de &c, : Clericus Angelus Liano Magister Notarius in Causa, &c.

§. 3. Post hæc Ministri dicti prætensi Tribunalis, cum forsan suarum iniquitatum mensuram nondum satis per præmissa impleviſse sibi viderentur, admissis criminibus nova, & sanè semper graviora crimina adjicere non formidarunt. Quidam enim Canonicus Isidorus Navarro, asserens se ejusdem prætensi Tribunalis, illiusque asserti Judicis delegatum existere, nec non speciale ab eo mandatum habuisse revocandi generale Interdictum, cui præfatus Franciscus Episcopus Civitatem, & Diœcesim supradictas, ut præfertur, suppoſuerat, ad prædictam Civitatem Agrigentin. die 15. ejusdem mensis Septembris, plurium armatorum Militum turmâ stipatus se contulit, ibique tam Ecclesiasticos ad aperiendas, quàm Populum ad frequentandas Ecclesias inducere tentavit; Sed cum illos in exactà ejusdem Interdicti observantiâ, fidelique erga Pastorem suum, atque hanc Sanctam Sedem obedientiâ firmissimos inveniſset, ad violenta remedia confugit, eorumque constantiam, antiqua propemodum ab Ethnicis in Christifideles illatarum persecutionum exempla renovando, bonorum interceptionibus, carceribus, exiliis, aliisque irrogatis mulctis, expugnare studuit. Plures proinde tam Sæculares, quàm Regulares Sacerdotes, sive in carceres, & vincula crudeliter conjecit, sive bonis spoliavit, sive exulare acerbè jussit, atque hos inter plerosque etiam Parochos oves Christi sibi commissas, eo planè tempore, quo Pastorum suorum præsentiâ, ac custodiâ maximè indigebant, deserere coegit; Et, quod sanè sine honore, ac lachrymis audiri nequit, tres Vicarios in spiritualibus Generales à memorato Francisco Episcopo successivè deputatos, nempe dilectos Filios Petrum Attardum, Josephum Mariam Rhinum, & Gasparem Salernum, in odium constantis, & invicti illorum zeli pro Ecclesiæ Jurium, atque Apostolicæ authoritatis tuitione in carceres detrusit, ingenti prius pecuniâ ab eis extortâ; ac quartum, qui illis successerat, nempe quemdam Blasium Mairam, nisi hic intereà non tam lethalis morbi violentiâ, quàm innumeris pro eadem Ecclesiæ causâ toleratis ærumnis confectus, ac penè morti proximus: ad gravis pecuniariæ mulctæ solutionem impio ejusdem Isidori jussu immanissimè adactus, ab humanis decessisset, eâdem carceris pœnâ afficere decreverat. Neque his contentus dictus Isidorus, propriæ non minus conscientiæ, quàm divini timoris penitus immemor, censuris omnibus, ac pœnis in Ecclesiasticî Interdicti violatores per sacros Canones, & Apostolicas sanctiones inflictis prorsùs contemptis, Cathedralem Ecclesiam Agrigentinam violenter aperiri fecit, ibique detestabili impietate à sacrilegiis ad Altare progrediens, imò Altare ipsum sacrilegiis polluens, majori Excommunicatione, aliisque censuris non uno, sed plurimis nominibus innodatus, Sacrosanctum, ac tremendum Missæ Sacrificium, concrepantibus interea plurium scloporum dispositionibus per ejus Milites factis, aliisque igniarii pulveris fragoribus additis, cum interventu quorumdam, qui ad eamdem Ecclesiam metu, & violentiis compulsi convenerant, celebrare ausus fuit: promulgato tamen prius in eâdem Civitate Agrigentin. quodam Edicto, per quod idem Isidorus Interdictum præfatum nullum, injustum, illegitimum, insubsistens, & irritum, nulliusque roboris, & efficaciæ declaraverat, adeòque omnibus Superioribus Ecclesiarum tam Sæcularium, quàm Regularium, nec non Parochis, Beneficiatis, Cappellanis, Presbyteris, & Clericis Civitatis, & Diœcesis Agrigentin. præfatarum, ut illo minimè attento, Ecclesias omnes apertas, ut prius, retinere, ac in illis Missas, & alia Divina Officia celebrare, & celebrari, ac Christifidelibus Ecclesiæ Sacramenta administrare, & administrari facere deberent, perinde ac si Interdictum hujusmodi nunquam emanasset, sub Excommunicationis, aliisque pœnis districtè mandaverat, & aliàs, prout etiam uberiùs continetur in præfato Edicto, tenoris sequentis, videlicet: Nos Doctor Don Isidorus Navarro Canonicus Sanctæ Metropolitanæ Primariæ hujus Siciliæ Regni Ecclesiæ Panormitanæ, Examinator Synodalis, & Delegatus Tribunalis Apostolicæ Legatiæ, & Regiæ Monarchiæ seriò ad infrascripta constitutus vigore literarum datarum Panormi die nonâ Septembris septimæ Indictionis 1713. præsentatarum, executarum, & registratarum in hac Civitate Agrigenti die 15. Instantis, ad quas &c.: Omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus hujus prædictæ Civitatis, ejusque Diœcesis salutem in Domino sempiternam: *Non senza doglianza, e perturbazione della publica quiete ha pervenuto alla notizia di S. E., e del Reverendissimo Monsignore D. Francesco Miranda, e Gayarre Abbate di Santa Maria di Terrana, del Consiglio di sua Maestà, (che la Divina guardi) e suo Giudice Ordinario del Tribunale dell' Apostolica Legazia, e Regia Monarchia in questo fedelissimo Regno, che essendo stato il Reverendissimo Arcivescovo D. Francesco Ramirez Vescovo di Girgenti intimato d'ordine di S. E. à partirsi da questa Dioceſi, e da tutto il Regno per li giusti motivi mossero il zelo indefesso, e l'animo di S. E., attinenti al Real servigio, publico bene, e quiete de Popoli, valendosi con matura riflessione; e con giustizia della Potestà Economica contro il succennato Prelato, quale abusandosi del titolo specioso di Consigliere di Sua Maestà, e del proprio giuramento di fedeltà, e di osservare le Regie prerogative, privilegi, e lodevoli osservanze del Regno, fingendo hi esser stata lesa la libertà Ecclesiastica, e di haver patito violenze dal Capitan D. Giovanni Ochoa, Dottore D. Giovan Battista Guzzardi, Clerico D. Pompeo Grugno, Ettore Antinoro, e d'altre persone generalmente, specialmente, ed individualmente nominate, passò à scommunicarli, e supponendo, che l'esercizio di tal Potestà Economica fosse enorme delitto, credendo esser Prelato per la sola grazia della Corte Romana, non per la Real munificenza, interdisse questa Cathedrale, e tutte le Chiese della Dioceſi, con lo scudo di esserſi commesso gravissimo eccesso contro il Pastore di questo Gregge, senza però riflettere le turbolenze, e pessime conseguenze può partorire tanto scandaloso attentato contro il Real servigio, publica quiete, ed in dispregio della Potestà Economica, ma anche totalmente irregolare, assolutamente, & de facto, & ex abrupto, nullo Juris ordine servato, contro la forma de sacri Canoni, e Concili Generali, mancando li requisiti necessarj dell'Interdetto, e la materia, e causa efficiente del medesimo, con suppoſizione di violenze non vere, ed eccessi non commessi, mentre il mettere in dubio la Potestà Economica, e chiamare abuso, violenza, ed eccesso l'esercizio della medesima è contro ogni dritto, contro ogni Jus delle genti, e l'inveterate, e mai interrotte prerogative, e dritti di Sua Maestà (che la Divina guardi), e di questo fedelissimo Regno, e Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, maggiormente, che si asserisce in sudetto asserto, e nullo Interdetto d'haver processo per potestà concessali dalla Corte Romana, non esecuta, ne presentata nel Regno in grave pregiudizio, anzi dispregio delle Regalie, e prerogative del Regio Exequatur, secondo si prescrive da più Reali dispacci de Serenissimi Monarchi, fondati in evidenti raggioni,*

Tenor ejusdem Edicti.

Per injuriam memoratur declaratio censurarum facta per Episcopum contra Expulsores, ac Interdictum ab eo latum.

Præmissa temerè asseruntur esse nulla, & publicæ quietis perturbativa adductis nonnullis prætextibus.

av-

avvalorate d'antichissima, ed immemorabile osservanza mai interrotta nel lungo corso di più Secoli, non solo in questo fedelissimo Regno, mà anche per tutto il Mondo Cattolico, come uniforme à dritto delle Genti, alli sacri Canoni, Concilj Universali, Privilegi Apostolici, e Concordie con la Santa Sede, ed includendo per conseguenza manifesta ingiustizia, notoria insussistenza, ed evidente nullità, s'hà stimato perciò dal detto Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, e dal riferito Reverendissimo Monsignore Giudice della medesima provedere d'opportuno rimedio, riparando col suo zelo non solo alli pregiudizj del Real servigio, ma anche à quelli delli Popoli di questa Diocesi ingiustamente lesi dal sudetto Prelato loro Pastore contro la carità Pastorale, ha deliberato commettere à Noi la sua autorità, e potestà, ac vices, & voces suas, & ejusdem Tribunalis, con ordinarci, che dovessimo passare in questa Città, è qualsivoglia parte della Diocesi, e levare, e far levare sudetto Interdetto, e qualsivoglia Cedolone affissato, e dichiarare juxta Juris formam ex Commissione speciali l'istesso Interdetto nullo, ingiusto, illegitimo, ed insossistente. Per tanto Noi valendoci della sopradetta potestà amplissima nelle sopracitate lettere, come speciali Delegato in questo negozio, e Causa, precedendo le prove legitime di non esser veri li motivi addotti nel citato Interdetto, passassimo in dorso la petizione del nostro Procuratore Fiscale D. Domenico Piccione, con interlocutoria in scriptis à dichiarare nullo, ingiusto, illegitimo, ed insussistente, irrito, di nessuna forza, e valore il succennato Interdetto; In tanto per il nostro presente Editto authoritate, qua supra, publichiamo la nullità, ingiustizia, ed insossistenza del medesimo, ed ordiniamo in virtù della facoltà à Noi specialmente, come s'hà detto, concessa, à tutti li Superiori delle Chiese, tanto Regolari, quanto Secolari, Parochi, Beneficiati, Cappellani, Sacerdoti, e Chierici, che non ostante il sudetto Interdetto, stante la sua notoria ingiustizia, nullità, ed insossistenza, dovessero tenere le Chiese aperte, ed ivi celebrare, e far celebrare li Divini Officj, e Messe, come si faceva prima del sudetto ingiusto, nullo, ed insossistente Interdetto, ed amministrare à tutti li Fedeli li Santi Sacramenti della Santa Chiesa, come prima, e come se mai vi fosse stato detto Interdetto, nullo, ingiusto, ed insossistente, e questo sotto la pena alli Contraventori, e disobedienti della Scommunica Maggiore riservata al sudetto Reverendissimo Giudice della Regia Monarchia, della disgrazia di Sua Maestà, & di altre pene à Noi ben viste, e non altrimente. Datum Agrigenti die trigesima Septembris septimæ Indictionis 1713. *Affigatur: Canonicus Navarro Delegatus. Innocentius Guerreri Magister Notarius.*

Enarratur facultas collata in Delegatum accedendi ad Civitatem, & Diœcesim, ac revocandi Interdictum.

Prætensa nullitas Interdicti declaratur, addita ordinatione aperiendi Ecclesias, & Divina Officia celebrandi.

§. 4. Idem porrò Edictum à memorato Isidoro per universam Diœcesim Agrigentin. transmissum fuit, ut juxta ejus tenorem Presbyteri omnes singulorum locorum Diœcesis hujusmodi, Interdicto præfato nequaquam obstante, Missas celebrare, aliaque Divina peragere per assertos Delegatos locales supradicti prætensi Tribunalis compelli possent; quemadmodum inter cæteros ita fecisse; atque executum fuisse Nobis innotuit quemdam Josephum Alexandri, qui asserens se ejusmodi Delegatione munitum esse, in Oppido *Castel Tervine* nuncupato ejusdem Diœcesis quoddam præceptum, seu mandatum hac de re edidit, additâ in eo adversus Transgressores pœnâ incorporationis omnium bonorum, illudque nonnullis Ecclesiasticis dicti Oppidi transmisit, imò & ad quorumdam ex eis domorum januas affigi fecit, tenoris sequentis, videlicet: *Die* 28. *Octobris septima Indictione* 1713. *Portiero d'ordine del Reverendo Sacerdote Don Gioseppe Alessandro Delegato del Tribunale dell'Apostolica Legazia, e Regia Monarchia in virtù di Lettere Patenti date in Palazzo in detto Tribunale diebus &c., e di Commissione parimente del Reverendo Signor Canonico D. Isidoro Navarro Delegato speciale in Casu di detto Tribunale, e in virtù di suo ordine e Lettera data in Girgenti diebus &c. alli quali &c. s'ingiunge, notifica, & intima al Sacerdote D. Antonino Matteliano, quatenus domane Domenica 29. del corrente 7. Indictione 1713. e successivamente in appresso di giorno in giorno habbia, voglia, e debba celebrare la Santa Messa, assistere in detto giorno die 29. Ottobre alla Meßa Cantata, e Divini Officj, Administratione delli Santissimi Sacramenti, stante l'evidente nullità dell'Interdetto, come chiaramente si vede nelli Editti affissati d'ordine di detto Reverendo Delegato in Causa nelli luoghi publici di questa predetta Terra. Altrimente, facendo il contrario, e non facendo copia di se, s'intende incorso in quelle pene publicate, ed espressate in detto ordine, e Lettere, procedendosi per la disobedienza all'espressi nell'istese Ordinazioni, con la incorporazione di tutti li suoi beni. Unde &c.*

Prosecutio præsentium literarum.

Enarrat transmissionem præfati Edicti per totam Diœcesim, & specialiter illius executionem in Oppido Castel Tervino.

Tenor præcepti facti in sequelam Edicti cuidam Presbytero, ut Missam celebret, ac Sacramentorum administrationi assistat.

§. 5. Cum autem nimiùm evidens sit, nec quisquam inficiari valeat gravissimam ex præmissis Ecclesiasticæ Libertati, imò etiam Pontificiæ authoritati illatam fuisse injuriam: ac similiter exploratum sit nullum Judicem, quacumque tandem potestate, & authoritate suffultum, quoties de Excommunicatione, Interdicto, aliisque censuris ex causa læsæ, seu violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ, ac potissimum de speciali Nostro, & Sedis Apostolicæ mandato latis, agi contingit, in illarum validitatis, seu invaliditatis, justitiæ, seu injustitiæ cognitionem, quæ, non nisi Nobis, ac dictæ Sedi reservata est, se ingerere ullatenus posse; adeòque eadem præmissa in maximam plurimorum perniciem, ac scandalum tendant, animasque pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in gravissima pericula, & errores conjicere, ac deplorandis malis involvere valeant. Hinc est, quod Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris à Domino constituti sumus, omniumque Christifidelium curam, & sollicitudinem supernâ dispositione gerimus, Libertatem, Immunitatem, & jurisdictionem Ecclesiasticam, nec non Sanctæ hujus Sedis authoritatem ab ejusmodi nefariis, ac pernicios conatibus sartam, tectamque, atque illibatam tueri, & tùm Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes: omniumque & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo decreta, jussa, ordinata, acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, nec non præfatorum, ac quorumvis aliorum Tribunalium, Judicum, Ministrorum, etiam Principalium, seu Supremorum Officium, Notariorum, Scribarum, & Personarum quarumcumque in eisdem præmissis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, ac expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & singillatim specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Literas, Edictum, ac Præceptum, seu Mandatum præinserta, nec non quæcumque in iis contenta, aliaque omnia eâ occasione per memoratos Franciscum Miranda, & Gayarre assertum Judicem dicti prætensi Tribunalis; nec non Andream Ficani, Isidorum Navarro, & Josephum

Continuatio præsentium literarum, exposita enormitate omnium præmissorum.

Motivum infra recensendæ declarationis nullitatis, & reprobationis.

Declarat nullitatem litterarum, Edicti, ac Præcepti præinsertorum.

Alexandri vigore ſuarum reſpective aſſertarum Delegationum acta; geſta; & ordinata, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & forſan quandocumque ſecuturis; penitùs; & omninò nulla, irrita, invalida, injuſta; reprobata, damnata, inania, temeraria, & à non habentibus poteſtatem damnabiliter attentata, ac de facto præſumpta, nulliuſque omninò roboris, & momenti, vel efficaciæ eſſe, & ab initio fuiſſe; ac perpetuò fore, neque illa à quoquam obſervari poſſe; vel potuiſſe, adeoque nec ullum ſtatum facere; vel feciſſe, ſed perinde, ac ſi nunquam emanaſſent, nec facta fuiſſent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere; tenore præſentium declaramus; Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula harum ſerie damnamus, reprobamus, revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitus, & omninò vacuis ſemper haberi volumus, & mandamus.

Ad cautelam revocat omnia præmiſſa.

§. 6. Prætereâ, tametſi de veteri Nationis Siculæ pietate, ac Religione confiſi, minimè dubitemus Chriſtifideles illarum partium, ac præſertim Civitatis, & Diœceſis Agrigentin. præfatarum Incolas, etiam noſtrâ hac declaratione minimè expectatâ, Literas, Edictum, ac Præceptum, ſeu Mandatum hujuſmodi, aliaque per dictos Franciſcum Miranda, & Gayarre, Andream, Iſidorum, & Joſephum geſta pro irritis, & invalidis, nulliuſque prorſus roboris, ac valoris jam habuiſſe, & in poſterum habituros eſſe, adeòque omnia è converſo per ſupradictum Franciſcum Epiſcopum acta, & ordinata religioſè, ac exactè obſervaſſe, & obſervaturos eſſe, nihilominus ad majorem ſimiliter cautelam, generale Interdictum, cui præfatus Franciſcus Epiſcopus Civitatem, & Diœceſim ſupradictas, ſicut præmittitur, ſubjecit, nec non cenſuras, ſeu declarationes Excommunicationis ab eo contra ſuos Expulſores promulgatas pro validis, & juſtis habentes, ipſumque Interdictum, ac cenſuras, ſeu declarationes hujuſmodi authoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtrâ approbantes, & confirmantes, ac adverſus præmiſſa, quatenus opus ſit, renovantes: Motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, omnes, & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas tam ſæculares cujusvis gradus, præeminentiæ, ac dignitatis fuerint, quam cujuſvis Ordinis, Congregationis Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, Regulares ad exactam ejuſdem Interdicti obſervantiam omninò teneri, & obligatas exiſtere, & fore, ita ut in quibusvis Eccleſiis, locis piis, Oratoriis, etiam privatis, ac Cappellis domeſticis Civitatis, & Diœceſis Agrigentin. prædictarum, prætensâ etiam memoratæ aſſertæ Monarchiæ Siculæ authoritate munitis, ſive aliàs quocumque privilegio, exemptione, & indulto etiam prætenſæ Protectionis Regiæ, ſeu prætenſi Juriſpatronatus Regii, tametſi pluries, ac quantiſcumque vicibus à Sede præfatâ approbati ſuffultis, nec Miſſæ, nec alia Divina Officia celebrari, neque Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrari, minuſque Fidelium Defunctorum cadavera ſepeliri, aliave tempore Interdicti prohibita exerceri, niſi temporibus, caſibus, & modis per ſupradictos Sacros Canones permiſſis, ullo modo valeant, earumdem pariter tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus.

Ac ſimiliter confirmat Interdictum, & cenſuras ab Epiſcopo inflictas.

§. 7. Ad hæc omnes, & ſingulos, quantumvis exemptos, & quovis modo privilegiatos qui ſtatuto, decreto, & ordinationi Noſtris hujuſmodi ſub quovis quæſito colore, ratione, aut prætextu quomodolibet contravenerint, quocumque tandem titulo, munere, aut dignitate præfulgeant, eo ipſo, & abſque aliâ declaratione in cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas per præfatos Sacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas deſuper latas, & impoſitas incidiſſe, illiſque innodatos fuiſſe, & eſſe, ac fore, nec ab eis à quoquam, niſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentiâ in eaſdem cenſuras eo ipſo, quo convaluerint) abſolvi, & liberari poſſe, harum ſerie ſimiliter ſtatuimus.

Contravenientes incurriſſe cenſuras Sedi Apoſtolicæ reſervatas ſtatuit.

§. 8. Cæterum, cum notorii Juris ſit non tam eos, quos præfatus Franciſcus Epiſcopus in actu ſuæ expulſionis Excommunicatos declaravit, quàm ſupradictos Franciſcum Miranda, & Gayarre, Andream Ficani, Iſidorum Navarro, & Joſephum Alexandri; ac ulterius Julium Rotundo Promagiſtrum Notarium, qui præinſertis literis prædictis Franciſci Miranda, & Gayarre, Clericum Angelum Fiano Magiſtrum Notarium, qui promulgationi literarum hujuſmodi per dictum Iſidorum, ut præfertur, factæ, ac Innocentium Guerreri ſimiliter Magiſtrum Notarium, qui præinſerto Edicto ejuſdem Iſidori reſpectivè ſubſcripſerunt; nec non Dominicum Piccione; ad cujus nimirùm inſtantiam, uti Procuratoris Fiſcalis ejuſdem prætenſi Tribunalis, dictus Iſidorus in ſuo præinſerto Edicto ſe proceſſiſſe aſſeruit: alioſque omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, dignitatis, quantumcumque excelſæ, ac ſublimis fuerint, qui ſive Franciſci Epiſcopi expulſionem hujuſmodi, ſive geſta per dictos Franciſcum Miranda, & Gayarre, Andream, Iſidorum, & Joſephum quovis modo mandarunt, ac ordinarunt, ſeu illis conſilium, auxilium, favorem vel quamvis aliam damnabilem operam præſtiterunt, aut in eorum ſequelam, & executionem geſta approbarunt, & rata habuerunt, ſeu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, cenſuras omnes, & pœnas Eccleſiaſticas à Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum decretis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac præſertim Literis die Cœnæ Domini ſingulis annis legi, & promulgari conſuetis inflictas eo ipſo incurriſſe; Noverint id circò illi omnes, etiam ſpecialiſſimâ mentione digni, à cenſuris, & pœnis hujuſmodi, poſt debitam, ac condignam Eccleſiæ realiter, & cum effectu præſtitam ſatisfactionem, non niſi à Nobis ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente (præterquam in mortis articulo conſtituti, nec etiam tunc niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtitâ, ac cum reincidentiâ præfatâ eo ipſo, quo convaluerint) abſolvi, & liberari poſſe, prout harum ſerie ſimiliter decernimus, & declaramus; facultatem inſuper quandocumque procedendi ad alia ſeveriora remedia, quatenus prædicti Eccleſiaſticæ libertatis Violatores in ſuâ contumaciâ perſiſtentes cenſuras, & pœnas hujuſmodi animo, quod abſit, ſuſtinuerint indurato, Nobis, & eidem Apoſtolicæ Sedi expreſsè reſervantes.

Abſolutionem cenſurarum quoad expulſores Epiſcopi, alioſque omnes participes in expulſione, aliiſque ut ſupra geſtis eidem Sedis reſervat.

§. 9. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd prædicti, & alii quicumque, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ cauſâ, colore, prætextu,

Decreta ſtabilitia.

Decernit omnes perſonas quibuſvis privilegiis munitas ad Interdicti obſervantiam teneri, nulla etiam habita ratione Eccleſiarum vel locorum quantumvis exemptorum.

& capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; Sed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac quibuſcumque juris, ſeu facti defectibus, qui adverſus illas à ſæculari potiſſimum poteſtate, ſeu prædicto aſſertæ Monarchiæ Siculæ Tribunali, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, ſeu ex quavis causâ opponi, ſeu objici poſſent, minimè refragantibus, ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: eaſque propterea, omnibus, & ſingulis per eamdem ſæcularem poteſtatem, ſive per idem aſſertum Tribunal quomodolibet allatis, ſeu afferendis impedimentis penitus, & omninò rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Etiam adverſus oppoſitiones, quas præſtare poſſet aſſertum Tribunal Monarchiæ.

Clauſula ſublata, & irritans.

§. 10. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, & quorumvis Monaſteriorum, Conventuum, Eccleſiarum, locorum piorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Monaſteriis, Conventibus, Eccleſiis, & locis piis prædictis, illorumque reſpectivè Superioribus, aliisve quibuslibet perſonis, etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecialiſſimâ mentione dignis à Sede prædictâ ex quâcumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus, ſeu ad quarumcumque perſonarum, etiam Imperiali, regali, aliâve quâlibet mundanâ, vel Eccleſiaſticâ Dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum

Derogatio contrariorum etiam Privilegiorum Societatis Jeſu.

conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Privilegiis, & Indultis hujuſmodi mentionem. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 11. Ut autem eædem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari; ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; Utque ipſarum literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Decembris, 1713. Pontificatus noſtri anno Decimoquarto.

Affixio præſentium in Urbe vim habeat perſonalis intimationis.

Fides habenda Tranſumptis.

Dat. 23. Decembr. 1713.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo quarto, Indictione ſeptima, die verò vigeſima octava Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno Decimo quarto ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Bartalottum Apoſtolicum Curſorem.

Anno 1714.

Antonius Placentinus Magiſter Curſ.

DIVERSÆ ORDINATIONES LXIX.

Ad vindicandam Dignitatem, ac Juriſdictionem R. P. D. Iſidori Bertran Archiepiſcopi Tarraconenſis ab iis, quæ adverſùs illum per abuſum Laicalis Poteſtatis attentata fuerunt.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

IN excelsâ Sedis Apoſtolicæ ſpeculâ, meritis licèt imparibus, per ineffabilem Divinæ bonita-

Proœmium.

tis

tis abundantiam constituti, nostra, & ejusdem Sedis, inferiorumque Ecclesiarum jura, ex commissi Nobis cœlitùs Pastoralis Officii debito, sarta tecta tueri, ac si quando ea temerariis quorumcumque, præsertim Laicorum, quos in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi, ausibus violata esse novimus, ab ejusmodi violationibus asserere studemus, sicut divinitus concessa Ecclesiæ libertas, atque animarum pericula postulant, ac Nos omnibus maturæ considerationis trutina perpensis æquitati, & justitiæ consentaneum esse in Domino arbitramur.

Narrat laicalis potestatis audaciam, quæ Archiepiscopum Tarraconensem non agnoscere præsumpserat, eumque à sua Diœcesi exulare coegerat.

§. 1. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam, non sine gravissimo animi nostri dolore, pervenit, quod cùm Venerabilis Frater Isidorus Bertran Archiepiscopus Tarraconensis, qui aliàs, nempe priusquam Metropolitanæ Ecclesiæ Tarraconensi in Archiepiscopum, & Pastorem à Nobis præfectus esset, Canonicatum, & Præbendam, nec non Archidiaconatum majorem nuncupatum Ecclesiæ Gerundensis obtinebat, in plenâ, & quietâ supradictæ Ecclesiæ Tarraconensis possessione reperiretur, ac munere consecrationis ritè suscepto, Pallioque Archiepiscopali, quod ei tradi jusseramus, recepto, quæcumque suæ Dignitati annexa munia pacificè exerceret: redditæ ei fuerunt literæ à Laicali potestate illarum Partium non ita pridem, videlicet die xv. Decembris anni proximè præteriti conscriptæ, illique per summam, ac penè incredibilem temeritatem, tanquam Canonico, & Archidiacono majori dictæ Ecclesiæ Gerundensis, ac in præfatam Ecclesiam Tarraconensem intruso directæ, quibus perinde, ac si ipsi Laicali potestati fas fuisset Archiepiscopum ab hac Sanctâ Sede institutum impunè destituere, ac Christum Domini indelebili charactere à Spiritu Sancto insignitum arbitratu suo exauthorare, nulla non minus, quàm injusta provisio dictæ Ecclesiæ Tarraconensis de illius personâ à Nobis facta impudenter asserebatur, eique propterea sacrilegâ, ac verè detestabili audaciâ præcipiebatur, ut non modò è suâ Civitate, sed etiam ab universâ Diœcesi, ac Provinciâ Tarraconensi illicò exiret: nec interim quempiam, qui sui exulantis loco vices suas inibi suppleret, Ecclesiæque ab eo deserendæ gubernationem susciperet, subrogare, aut constituere præsumeret, ita ut nemini ab ipso, sive ante sive post suam expulsionem deputato, vel deputando, jurisdictionem Ecclesiasticam ejus nomine exercere ullatenus permissum esset.

Ac insuper Capitulo Tarraconensi præceperat, ne eumdem Archiepiscopum agnosceret, fructusque Archiepiscopalis mensæ exigeret & in forma depositi servaret.

§. 2. Eodem fermè tempore, nec sanè minus temerè Laicalis eadem potestas per alias suas literas die, & anno supradictis datas, ac, quod planè intolerandum est, Decano, & Capitulo Ecclesiæ Tarraconensis *Sede vacante* inscriptas, dilectos Filios Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ hujusmodi de iis omnibus, quæ memorato Isidoro Archiepiscopo, sicut præmittitur, scripserat, certiores facere non erubuit, eis insuper injungendo, ne illum in Archiepiscopum ullatenùs agnoscerent, seu reciperent, quinimò juribus sibi competentibus uti deberent, quibus verbis, attentâ præsertim secundo dictarum literarum inscriptione præfatâ, satis, superque ea omnia, quæ à Cathedralium Ecclesiarum Capitulis illarum Sede Episcopali vacante, peragi, atque exerceri possunt, aut debent, indicata fuisse compertum est: interim verò omnes, & singulos mensæ Archiepiscopalis Tarraconensis fructus, redditus, & proventus exigere, ac colligere, illosque tutâ, & fideli sub custodiâ, atque ad formam depositi servare tenerentur & alias, prout in ambabus literis prædictis, quarum tenores non alio, quàm illos penitus, & omninò reprobandi, ac damnandi animo præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, plenius continetur. Hujusmodi porrò literis tam Isidoro Archiepiscopo, quàm Capitulo, & Canonicis supradictis publicè præsentatis, idem Isidorus Archiepiscopus, ut graviores sibi, & Ecclesiæ imminentes injurias effugeret, commissum sibi gregem deseruit, nec solùm à Civitate, sed etiam à Diœcesi, ac Provinciâ Tarraconensi præfatis incunctanter discessit.

§. 3. Cùm autem præmissa, ad quæ eadem Laicalis potestas non minùs malorum, & calamitatum, quibus Divina Justitia execrabiles ejusmodi ausus sæpè etiam in hoc sæculo ulcisci solet, penitus immemor, quam censurarum omnium, ac pœnarum Ecclesiasticarum per Sacros Canones, Conciliorum Generalium Decreta, & Apostolicas Constitutiones adversùs similia perpetrantes, eorumque Adhærentes, Fautores, Consultores, & Defensores, quocumque tandem gradu, ac dignitate præfulgeant, inflictarum, miserè oblita, damnabiliter devenit: Ecclesiasticam libertatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam apertè læserint, ac lædant, nostramque, & hujus Sanctæ Sedis authoritatem, quâ Isidorum Archiepiscopum præfatum Ecclesiæ Tarraconensi supradictæ sicut præmittitur, præfecimus, gravissimè violaverint, & violent, ac insuper animas pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in maxima pericula conjicere possint: adeòque novum, & sanè peracerbum vulnus multiplicibus aliis, ac diuturnis injuriis quas Sancta Dei Ecclesia jampridem in iis Ditionibus pertulit, & adhuc perfert, adjungere noscantur. Hinc est, quod Nos, qui jurium Ecclesiasticorum Assertores in Terris à Domino constituti sumus, omniumque Ecclesiarum, & Christifidelium curam, & solicitudinem supernâ dispositione gerimus; tametsi probe sciamus, quantus semper fuerit, & quam constans Capituli, & Canonicorum Ecclesiæ Tarraconensis hujusmodi erga Nos, & Sedem prædictam sinceræ fidei, ac devotionis affectus: quantum itidem, & quam tenax Ecclesiasticæ disciplinæ studium: quanta demùm, & quam religiosa Sacrorum Canonum, Conciliarium Ordinationum, & Apostolicarum Sanctionum observantia; adeoque non dubitemus pios illorum animos ad prænarratos sæcularis potestatis excessus vehementer exhorruisse, nec eos unquam sacrilegis, & inanibus potestatis hujusmodi jussis obtemperasse, aut obtemperaturos esse credamus; nihilominus, ne incumbenti Nobis muneri ullâ ex parte deesse, ac tam horrendum dictæ sæcularis potestatis abusum dissimulasse videamur, Metropolitanæ Ecclesiæ Tarraconensi supradictæ, illiusque Præsulis indemnitati opportunè consulere, nostraque, & ejusdem Sedis jura sarta tecta, atque illibata tueri, & conservare, nec non animarum periculis hujusmodi, quantùm Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, omniumque, & singulorum in iisdem præmissis quomodolibet actorum, & gestorum, seriem, causas, & occasiones, aliave quælibet etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus itidem pro plenè, & sufficienter expressis, ac exactissimè specificatis habentes; Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnem, & quamcumque jurisdictionem, seu potestatem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus Archiepiscopo Tarraconensi pro tempore existenti quovis modo competentem nequaquam ab alio, quàm à memorato Isidoro Bertran Archiepiscopo, quem scilicet authoritate Omnipotentis Dei Sanctorum Apostolorum

Declarat ordinariam jurisdictionem in dicta Ecclesia non ab alio, quàm in præfato Archiepiscopo exerceri posse, aut debere.

Petri, & Pauli, ac noſtrâ, præfatæ Metropolitanæ Eccleſiæ Tarraconenſi, ut præfertur, præfecimus, ſive ab iis, quos ipſe loco ſui abſentis ad regimen dictæ Eccleſiæ conſtituerit, ac interim ab illo, cui ante ſuum diſceſſum vices ſuas commiſerat, juxta facultates eis reſpectivè conceſſas, vel concedendas, exerceri poſſe, aut debere, tenore præſentium decernimus, & declaramus.

Inhibet Capitulo, ne in exercitio ordinariæ juriſdictionis ullo modo ſe ingerat, & quoſcumque menſæ fructus conſignari mandet Archiepiſcopo, vel ejus Procuratori.

§. 4. Adeòque Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ hujuſmodi ſub excommunicationis latæ ſententiæ, nec non privationis Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque per eos obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcumque in poſterum quomodolibet obtinenda per Contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis pœnis, quarum abſolutionem, ſeu relaxationem Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dumtaxat ſpecialiter reſervamus, diſtrictè prohibemus, & interdicimus, ne per ſe, vel alios, ſub quovis quæſito colore, causâ, titulo, ratione, aut prætextu, ac multò minùs, quod abſit, præfatarum literarum ſibi à ſæculari poteſtate damnabiliter, ſicut præmittitur, ſcriptarum vigore, ſupradictæ Eccleſiæ Tarraconen. regimen ſuſcipere, & aſſumere, ſive jam ſuſceptum, & aſſumptum de cætero retinere, minúſque ullam inibi juriſdictionem, poteſtatem, vel authoritatem Archiepiſcopo Tarraconenſi pro tempore exiſtenti quovis modo competentem exercere, ullumve juriſdictionalem, ſeu alium actum ex iis, qui à Capitulis Cathedralium Eccleſiarum illarum Sede Epiſcopali, ſive Archiepiſcopali vacante de jure, vel conſuetudine, ſeu aliàs quomodolibet fieri poſſunt, aut debent facere, ſeu continuare, neque demum ipſius Eccleſiæ, ſeu menſæ Archiepiſcopalis adminiſtrationi ullatenùs ſe immiſcere, illiuſque fructus, reditus, & proventus ſub quovis titulo, etiam cuſtodiæ, ſeu depoſiti de cætero percipere, colligere, & exigere, ac forſan jam perceptos, collectos, & exactos, niſi eidem Iſidoro Archiepiſcopo, ad quem nimirùm ii legitimè pertinent, ſive ejus legitimo Procuratori, vel aliis, quibus ille eos tradi, vel conſignari mandaverit, tradere, vel conſignare audeant quovis modo, ſeu præſumant.

Nulla, ac irrita declarat omnia acta Capituli, Archiepiſcopalem juriſdictionem quomodolibet concernentia.

§. 5. Cæterum de ſalute Dominici gregis paternâ charitate ſolliciti, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Eccleſiaſticis Sæcularibus, & cujuſvis Ordinis, Congregationis, vel Inſtituti Regularibus, quàm Laicis harum ſerie denunciamus, attentis præmiſſis, nullam à quoquam in præfatâ Eccleſiâ Tarraconenſi juriſdictionem, aut poteſtatem ſive quoad ſpiritualia, ſive quoad temporalia, præterquam à dicto Iſidoro Archiepiſcopo, ſeu perſonis ab eo deputatis, vel deputandis exerceri poſſe; adeòque omnia, & ſingula, quæ circa ea, quæ Sacramentorum adminiſtrationem, cauſarum cognitionem, aut aliàs forum conſcientiæ, vel contentioſum Archiepiſcopi Tarraconenſis pro tempore exiſtentis quomodolibet concernere poſſunt, à Capitulo, & Canonicis ſupradictis, poſtquam præſentes literæ ad eorum notitiam devenerint, per ſe, vel alios agi, geri, fieri, mandari, decerni & ordinari contigerit, cum omnibus, & ſingulis inde quandocumque ſecuturis, penitus, & omnino nulla, invalida, inania, irrita, & de facto præſumpta, nulliuſque roboris, momenti, & efficaciæ perpetuò fore, prout illa earumdem tenore præſentium ſimiliter declaramus.

§. 6. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd præfati & alii quicumque in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & ejuſdem Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Cum decreto irritanti, clauſula ſublata, & aliis ſalutaribus.

§. 7. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non præfatæ Eccleſiæ Tarraconen. & aliis quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, & ſtilis etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis præfatis, aliisve quibuslibet perſonis, etiam quacumque eccleſiaſticâ, vel mundanâ, ac ſublimi dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut

Et ampliſſima derogatione quibuſcumque contrariis.

ali-

aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & inserterentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annullo Piscatoris die XVII. Martii 1714. Pontificatus nostri Anno XIV.

F. Oliverius.

LXX.

CONSTITUTIO

Qua plura disponuntur, & ordinantur in favorem Artis Agrariæ, & eam exercentium.

CLEMENS PAPA XI.

Exordium.

MOtu proprio &c. Inter gravissimas Pastoralis officii nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut hæc nostra Alma Urbis, ad quam quotidiè tanquam ad Principis Apostolorum Sedem, & communem omnium Christifidelium Patriam, catholicæ omnes Nationes confluunt, & quam Nos quantùm in Domino possumus, ac misera præsentium temporum conditio patitur, commodis omnibus atque ornamentis instruere, & augere jugiter satagimus, non solum rei frumentariæ inopia nequaquam laboret, sed feliciori in dies ubertate perfruatur.

Paulus V. solicitus de arte agraria restituenda plura disposuit in favorem Agricultorum Mercatorum & Colonorum.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster, ut prospero Annonæ, & Graſciæ ejusdem Urbis regimini ooportunè consuleret, potissimùm verò Artem Agriculturæ in illius Territorio, ac districtu, nec non Latii, Campaniæ, & Maritimæ Provinciis restitueret, ac ampliaret, specialem Congregationem nonnullorum Prælatorum, & aliorum Virorum, in qua scilicet tunc, & pro tempore existentes Thesaurarius Generalis, Annonæ Præfectus; Graſciæ Præses, Cameræ Apostolicæ Commissarius Generalis, ac ulterius q. Jo. Baptista Costaguta ejusdem Pauli Prædecessoris Familiaris interesse deberent, ibique potissimùm de Arte Agriculturæ restituenda, & auguenda, nec non de statu Annonæ, & Graſciæ hujusmodi, rebusque omnibus illas concernentibus invicem conferrent, tractarent, & diligenter perpenderent, eidemque Paulo Prædecessori quidquid ab ipsis resolutum fuisset referrent, erexit, atque instituit; Ac subinde alia plura, eodem consilio disposuit, & ordinavit: inter cætera verò, ut Agriculturæ Artem exercentibus, quò faciliùs Arti hujusmodi incumbere, pecuniasque minori interusurio habere possent, opportuna aliqua subventione succurrere volens, tunc existentibus Provisoribus, ac Ministris Sacri Montis Pietatis Urbis districtè mandavit, ut cuilibet Agricultori usque ad summam mille scutorum monetæ, seu aliam ab eodem Annonæ Præfecto ordinandam, recepto emolumento duorum pro centenario nomine meriti, seu aliàs ab aliis ratione expensarum solvi consueto, nec non accepto idoneo, & sufficienti pignore, aliisque ejusdem Montis legibus, & institutis adimpletis, & observatis, de licentiâ Præfecti Annonæ prædicti subministrare deberent. Ac insuper omnibus Agricultoribus, Mercatoribus, & Colonis, qui tam in propriis, quàm in alienis, & conductis terris in Territorio, & districtu Urbis, nec non Latii, Campaniæ, Maritimæque Provinciis hujusmodi Agriculturam exercuissent, & sementem feciſſent, singulis annis, quibus pretium, & valor frumenti communiter in eâdem Urbe per ipsos Agricultores, & Mercatores vendendi à tempore messis, & recollectionis usque ad Kalendas Martii cujuslibet anni summam juliorum quinquagintaquinque in singula Rubra non excessisset, quintam partem totius frumenti per ipsos eodem anno recollecti, deducto tamen semine, ad quævis loca, præter Infidelium, & S. R. E. hostium, terrâ, marique liberè extrahendi, & transportandi seu extrahi, & transportari faciendi facultatem concessit: prævio tamen Chirographo ab eodem Paulo Prædecessore subsignando, ac solutis prius Cameræ nostræ Apostolicæ, tunc suæ, juliis quinque pro quolibet Rubro extrahendo, & aliàs prout in Cedulâ motus proprii memorati Pauli Prædecessoris desuper expeditâ, ac die XIX. Octobris 1611. publicatâ, cujus tenorem præsentibus &c. pro plenè &c. volumus, uberiùs continetur.

Narrat diram boum pestilentiam, & damna indè in Agriculturam profecta.

§. 2. Cùm autem novissimè, nempe à mense Septembris anni mox elapsi, peccatis nostris graviores in dies calamitates promerentibus, non sine ingenti paterni cordis nostri dolore, mortiferâ bovum pestilentia per Urbem illiusque districtum, ac provincias prædictas immaniter grassante, integra penè armenta interierint, adeo ut peremptis animalibus, de quibus ineffabilis Dei providentia laboribus hominum solatia subrogavit, agrorum culturam planè deseri, terrasque in proximè præterito Autumno minimè seri contigisset, nisi Nos tam frumento, quàm pecuniis per dilectum filium Annonæ Præfectum abundè subministratis, Agricultorum nopiam sublevassemus, aliisque opportunis, ac salubribus provisionibus ei, quam benedicente Domino speramus, futuræ messis ubertati consuluissemus; tempus verò, quo agri serendis frumentis proventuri anni 1715. messe destinati aratro proscindi debent, jam advenerit: domini tamen prædiorum, Mercatores, Coloni, aliique Artem Agriculturæ prædictam exercentes ob ingentia damna, quæ ex suorum animalium jacturâ passi fuerunt novo indigeant paternæ providentiæ nostræ subsidio, ut expensas pro emendis bobus, & laboreriis necessariis faciendas subire valeant.

Confirmat disposita à Paulo V.

§. 3. Hinc est, quod Nos publicæ causæ nullâ ex parte deesse, nostrorumque, & Apostolicæ Sedis subditorum commodis peramplius providere volentes, motu simili, ac ex certâ scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Cedulam motus proprii Pauli Prædecessoris supradictam, quoad ea, quæ præsentibus non advertantur, ac usu recepta reperiuntur, earumdem tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robur, & præsidium adjungimus.

Congregationem instaurat à Paulo V. erectam pro re agraria, & Agricultoribus suppeditari mandat scuta centum millia cum certis cautelis.

§. 4. Præterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus Congregationem Prælatorum à præfato Paulo Prædecessore, sicut præmittitur, institutam, cui scilicet dilecti Filii nunc, & pro tempore existentes Thesaurarius noster Generalis, Annonæ Præfectus, Graſciæ Præses, Commissarius Generalis Cameræ nostræ prædictæ, ac loco q. Jo: Baptistæ Costaguta ab eodem Paulo Prædecessore deputati Præceptor

Archihospitalis S. Spiritus in Saxia interesse debeant harum serie renovamus, ac quatenus opus sit de novo erigimus, & instituimus. Eidemque Congregationis toties, quoties opus fuerit, habendæ facultatem concedimus, & impartimur, ut iisdem Agricultoribus, Mercatoribus, & Colonis, aliisque Artem Agriculturæ prædictam exercentibus, ac sive proprios, sive alienos, & conductos agros in Latii, Campaniæ, & Maritimæ Provinciis prædictis colere, & serere volentibus, pecunias necessarias pro novis terris proscindendis, aliisque laboreriis perficiendis pro messe dicti venturi anni millesimi septingentesimi decimi quinti à dilectis Filiis Provisoribus, & Ministris Sacri Montis Pietatis, nec non Mensæ nummulariæ S. Spiritus in Saxia usque ad summam centum millium scutorum monetæ, nempe medietatem ex dicto Monte Pietatis, & aliam medietatem ex dictâ Mensâ nummulariâ Sancti Spiritus, cum licentiâ ab eodem Annonæ Præfecto subscribenda, ac Provisoribus, & Ministris Montis, & Mensæ nummulariæ prædictis dirigendâ subministrari curent & faciant, unicuique scilicet pro eâ summâ, quæ juxta cujusque Agricultoris, & aliorum prædictorum indigentiam, & idoneitatem eidem Congregationi congrua, & opportuna videbitur, ac cum cautionibus pro indemnitate Montis Pietatis, & Mensæ nummulariæ hujusmodi ab eis, qui pecunias acceperint, præstandis, ac à præfatâ Congregatione (citra tamen illius periculum, seu damnum) recognoscendis, & approbandis.

§. 5. Cæterum, ut facilius subministratio dictarum pecuniarum Agricultoribus, & aliis prædictis fieri possit, volumus, & mandamus, ut pro eâ quantitate, quæ ejusdem Congregationis arbitrio, intra tamen summam dd. centum millium scutorum monetæ, Agricultoribus, & aliis prædictis suministranda erit, solvi debeant quotannis usque ad restitutionem summæ subministratæ, Monti Pietatis, , & Mensæ Nummulariæ prædictis scuta duo pro quolibet centenario nomine meriti, seu expensarum, quas tam Mons Pietatis, quàm Mensa nummularia hujusmodi pro salariis Ministrorum, & Officialium sustinere coguntur.

Agricultoribus pro anno tantum 1715. tractam gratis indulget quintæ Partis frumenti ab ipsis recollecti.

§. 6. Demùm Agricultoribus, & aliis prædictis, ut alacriùs laboreria necessaria pro serendo frumento in proximè futuro Autumno perficere, ac complere valeant, quintam partem frumenti (detracto tamen semine) in subsequenti messe Anni millesimi septingentesimi decimi quinti per ipsos recolligendi ad quævis loca, præter Infidelium, & S. R. E. hostium terrâ, marique libere extrahendi, & transportandi, seu extrahi, & transportari faciendi gratis, & absque ullâ solutione tractæ Cameræ nostræ Apostolicæ solvi solitæ, expedito tamen priùs Chirographo per Nos signando, ac solutis emolumentis Officialibus, & Ministris Cameralibus pro ejusmodi licentiarum expeditione debitis, licentiam concedimus, & impartimur; Dummodo tamen sive pretium, & valor frumenti tunc currens, sive aliæ temporum circumstantiæ eidem paternæ charitati, qua Subditorum nostrorum commodis consulere cupimus, aliter non suadeant. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices &c. sublatâ &c. judicari, & definiri debere, ac irritum &c. decernimus.

§. 7. Mandantes etiam Congregationi, & Deputatis prædictis, ac præsertim Annonæ Præfecto, ut præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcumque observent, & exequantur, & ab aliis, quantum in eis erit, condignâ pœnarum inflictarum animadversione, aliisque opportunis juris, & facti remediis firmiter, & inviolabiliter observari faciant, & curent. Dantes eis, ac præcipuè eidem Annonæ Præfecto, in præmissis, & circa ea plenam, & omnimodam facultatem, & potestatem.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, ac rec. mem. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ prædictæ concernentibus in eâdem Camerâ intra certum tempus præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Urbis, Provinciarum, Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum quorumcumque, ac Montis Pietatis, & Mensæ nummulariæ Sancti Spiritus prædictorum, aliisve quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, Consuetudinibus, Reformationibus, Decretis, Privilegiis, Indultis, & Literis Apostolicis Urbi, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis, ac Sacri Monti, & Mensæ nummulariæ præfatis, illorumque respectivè Communitatibus, Universitatibus, Ministris, Officialibus, & aliis personis quibuslibet à Sede prædictâ, vel à Nobis forsan concessis, ac etiam confirmatis, approbatis, & innovatis, quæ eis, quoad præmissa nolumus suffragari, & quibus omnibus, & singulis, etiamsi &c. illorum tenores &c. pro sufficienter expressis, & insertis habentes hac vice ad effectum præsentium dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè, ac latissimè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat amplissimè in quibuscumque contrariis.

§. 9. Volumus etiam, quod præsentium sola signatura sufficiat, etiam absque aliâ datâ, & registraturâ, regulâ quâcumque contrariâ pariter non obstante. Et nihilominus literæ in quavis formâ expediri possint cum clausulis opportunis, præsentiumque literarum desuper forsan expediendarum transumptis etiam impressis, manu unius ex Cameræ nostræ Apostolicæ Notariis subscriptis, & sigillo alicujus, ex Congregatione prædicta obsignatis in judicio, & extra plena fides adhibeatur.

Placet motu proprio I. F.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo quarto, Indictione septima: Pontificatus Sanctissimi D. Nostri Clementis Papæ XI. Anno decimo quarto, die verò 24. Martii, supradicta Cedula Motus proprii publicata, & affixa fuit in magna Curia Innocent. Montis Citatorii, in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Bartholomæum de Camillis Apost. Curs.

Antonius Placentinus Mag. Curs.

LXXI.

DECLARATIO

Nullitatis, damnatio, abolitio, & reprobatio Edicti promulgati à quodam Delegato asserti Tribunalis Monarchiæ Siculæ nuncupati super abrogatione Ecclesiastici Interdicti, cui Vicarius Generalis R. P. D. Nicolai Mariæ Episcopi Liparensis Civitatem, & Diœcesim Liparen. in actu suæ ab eis expulsionis per manifestum Sæcularis potestatis abusum secutæ subjecerat, cum aliis diversis Ordinationibus, Decretis, & Declarationibus.

Narrat expulsionem Didaci Hurtado Vicarii Generalis Liparensis in odium obedientiæ præstitæ mandatis Sedis Apostolicæ secutam.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

AD Apostolatus nostri notitiam, non sine gravi paterni cordis nostri dolore, pervenit quòd cum aliàs dilectus filius Didacus Hurtado Ve-

nerabilis Fratris Nicolai Mariæ Episcopi Liparensis Vicarius in spiritualibus Generalis, non aliâ profecto de causâ, nisi quod quibusdam mandatis nostris Apostolicæ authoritatis tuitionem respicientibus, sibi antea per literas die xxxi. Augusti MDCCXIII. à dilecto filio nostro Fabritio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Paulutio nuncupato Secretario nostro Status ei jussu nostro conscriptas datis illâ qua par erat fide, & obedientiâ obtemperans, ab executione cujusdam dispensationis matrimonialis sibi ab Alonso Mercorrella, qui illam obtinuerat, exhibitæ providè abstinuisset, per summam injuriam, ac manifestum sæcularis potestatis abusum, adnitente in id, atque instigante apud ejusdem sæcularis potestatis Ministros supradicto Alonso, è Civitate, ac Diœcesi Liparen. expulsus fuerit; Ipseque in actu ejusmodi suæ expulsionis, quo Immunitati Ecclesiasticæ per id enormiter læsæ consuleret, ac vim vi repelleret, Joannem Baptistam Gastaldum, & Carolum Alconanda expulsores suos, omnesque alios, qui eamdem expulsionem mandarunt, seu illi auxilium, favorem, aut consilium quovis modo præstiterunt, cujuscumque gradus, & conditionis essent, in excommunicationem majorem à Constitutionibus Apostolicis, & speciatim illâ quotannis die Cœnæ Domini legi solitâ contra similia perpetrantes inflictam incidisse declaraverit, ac insuper Civitatem, & Diœcesim Liparen. præfatas generali Ecclesiastico Interdicto, affixis super excommunicatione, & interdicto hujusmodi publicis schedulis subjecerit.

Nec non declarationem incursus excommunicationis factam adversùs Expulsores, aliosque operam præstantes.

§. 1. Tametsi hæc omnia, à memorato Didaco Vicario generali ritè, ac rectè, nec non juxta Sacrorum Canonum præscriptum, imò de speciali prævio mandato nostro peracta fuerint: nihilominus quidam Josephus Marotta Canonicus Sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Panormitan. asserens se specialem prætensi Tribunalis Monarchiæ Siculæ nuncupati, illiusque asserti Judicis Delegatum existere, unà cum Francisco Bruno Notario, Corrado Chirco Fiscali, Francisco Navaglio executore, Algozzino vulgariter nuncupato, ad dictam Civitatem Liparen. accessit, ibique assumpto in Consultorem Josepho Russo Liparensi Edictum quoddam promulgari, ac in locis publicis ejusdem Civitatis affigi fecit, per quod temerario non minùs, quàm execrando ausu, generale Interdictum, qui præfatus Didacus Vicarius generalis Civitatem, & Diœcesim prædictas, sicut præmittitur, supposuerat, nullum, irritum, injustum, illegitimum, insubsistens, nulliusque roboris, & valoris declaravit, illoque minimè attento, mandavit, ut Ecclesiæ omnes tam sæculares, quàm regulares Civitatis, & Diœcesis hujusmodi apertæ, ut priùs, retineri ac in illis Missæ, & alia Divina Officia celebrari, nec non Christifidelibus Sacramenta administrari deberent, perinde ac si ipsum Interdictum nunquam emanasset, & aliàs, prout uberiùs continetur in præfato Edicto, quod non alio quidem, quàm illud penitus, & omninò reprobandi animo præsentibus inserendum duximus, tenoris, qui sequitur, videlicet, Nos D. Joseph Marotta Cap. & M. & Canonicus Regiæ Cappellæ Sancti Petri S. R. P. Sen. Judex Ecclesiasticus revisionis causarum decisarum in Tribunali Consistorii S. Regiæ conscientiæ, & Delegatus Regiæ Monarchiæ hujus Regni seriò ad infrascripta constitutus vigore literarum datarum Panormi die prima Februarii 1714. ad quas &c. Omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus hujus prædictæ Urbis, ejusque Diœcesis salutem in Domino sempiternam: *Essendo pervenuto a notizia, non con poca maraviglia dell' Illustrissimo Monsignor Giudice della Monarchia, che essendo stato intimato il Reverendo Don Diego Hurtado Canonico, & Vicario Generale della Catedrale Chiesa di questa nobile, e fedelissima Città di Lipari dal Luogotenente Giovanni Battista Castaldi, e di ordine speciale del Governo à partirsi dalla Città, ed Isola di Lipari, e sua Dioceſi, per li motivi maturamente esaminati, che mossero il zelo del Governo, a far ciò per l' accertato del Real servizio, publico bene, e quiete de Popoli, esercitando con matura riflessione la Potestà economica, e le regole del buon Governo contro il sudetto Vicario perturbator di detta quiete, il quale scordatosi l' obligo di fedel Vassallo e di osservare le Regie prerogative, e lodevoli osservanze del Regno; lusingando, per farsi ragione, di esser stata lesa Immunità Ecclesiastica, e di haver patito violenza dal riferito di Castaldi, & Carlo Alconada Agiutante, coprendosi col specioso soudo, erroneo però, e premeditato non meno, che affettato, di essere il sudetto di Castaldi Commissario, seu Delegato del Tribunale della Monarchia, a cui per sfogo del suo naturale dà indebitamente il titolo di preteso, e quando il sudetto Tribunale della Regia Monarchia non hà dato ordine contro il sudetto Vicario, sua Corte, e Chiesa, ne mai il detto di Castaldi fù Commissario, seu Delegato di detto Tribunale, ne disse, ne poteva dire, essere Ministro con delegazione speciale di detto Tribunale, come nella scommunica, e quel che è più, con molto disconsolo di tutti li Fedeli, non solo di questa, ma del Regno interdisse questa Santa Catedrale, e tutte l'altre della Città, e Dioceſi, sottomettendoli ad Interdetto locale, e generale, senza però riflettere alla falsità delle supposizioni, ed alle turbolenze, e pessime conseguenze può partorire tal scandaloso attentato contro il Real servizio, e publica quiete, e quel che è più, nullo juris ordine servato, e contro la forma de Sagri Canoni per mancanza delli requisiti necessarii all' Interdetto; Perciò si hà stimato da detto Monsignor Illustrissimo Giudice della Regia Monarchia provedere dell' opportuni remedi, riparando col suo sommo zelo alli pregiudizj del Real servizio, ma anche a quello de Popoli di questa Città, & Dioceſi, i quali sono stati tanto ingiustamente lesi dal Sudetto Vicario contro la carità non solo Pastorale, ma Ordinaria, tanto dal Sommo Dio incaricata; Deliberò commettere a Noi la sua autorità, & potesta, ac vices, & voces dicti Tribunalis, e di conferirci in questa, e dichiarando ex commissione speciali lo stesso Interdetto nullo, ingiusto, illegitimo, ed insussistente, far levare il sudetto Interdetto. Per tanto Noi valendoci della sudetta Potestà amplissima in dette lettere sopracitate, come speciale Delegato in questo negozio, dichiariamo con il presente nostro Editto, authoritate, qua fungimur, nullo ingiusto, illegitimo, insussistente, irrito, e di neussa forza, e valore il cennato Interdetto, ed ordiniamo a tutti i Superiori delle Chiese, tanto Regolari, quanto Secolari, Parochi, Beneficiati, Cappellani, Sacerdoti, e Clerici, che non ostante il sudetto Interdetto stante la sua notoria ingiustizia, insussistenza, e nullità, dovessero tenere le Chiese aperte, ed ivi celebrare, e far celebrare li Divini Ufficj, e Messe, come si faceva prima di detto Interdetto, ed amministrare a tutti i Fedeli li Santissimi Sagramenti della Santa Chiesa, come prima, e come mai vi fosse stato il sudetto nullo Interdetto, e questo sotto pena alli Contravenienti, e Disobedienti di scommunica maggiore riservata al sudetto Monsignor Giudice della Monarchia, della disgrazia di Sua Maestà (che Dio guardi) ed altre pene a Noi, ed a detto Monsignore riservate, e non altrimenti. Datum Liparæ die 10. mensis Februarii 1714. Affigatur: Canonicus Don Joseph Marotta Delegatus: Dominus Don Franciscus Bruno Magister Notarius.*

Ac suppositionem Civitatis, & Diœcesis Liparensis Ecclesiastico Interdicto.

Canonicus Marotta ass. Monarchiæ Delegatus præfatum Interdictum revocat, promulgato hac de re publico Edicto.

Tenor ejusdem Edicti.

Per injuriam exponit Interdictum à Vicario appositum esse publicæ quietis perturbativum, Regiorumque jurium læsivum.

§. 2. Subindè verò dictus Josephus Marotta, his minimè contentus, dilectos quoque filios Franciscum Canalem Canonicum, & Paro-

Refert delegationem factam à Judice ass Monarchiæ in personam promulgantis præsens Edictum.

Declaratur prætensa nullitas Edicti addita ordinatione, quod nemo ex quibuscumque Ecclesiasticis illi pareat.

Prosecutio præsentium litterarum.

chum

ANNO 1714. Exponit attentatum carcerationis nonnullorum Eccleſiaſticorum, qui auxilium præſtiterant publicationi Interdicti.

chum Eccleſiæ Liparen., Dominicum Francolinum, Franciſcum Corſum, Dominicum Sciachitanum, Alonſum Bonica, Presbyteros, & Franciſcum Canalem Clericum, non alterius delicti reos niſi quod affixioni ſchedularum excommunicationis, & Interdicti hujuſmodi operam ſuam præſtitiſſe, ac in actu expulſionis dicti Didaci Vicarii Generalis campanas ſono funebri pulſaſſe inſimulati fuerint, in carceres detrudi juſſit. Cùm autem valdè manifeſtum ſit nec quiſquam inficiari valeat graviſſimam tam Eccleſiæ quàm huic Sanctæ Sedi illatam fuiſſe injuriam ex prædicti Didaci Vicarii Generalis expulſione, aliiſque præmiſſis adversùs perſonas Eccleſiaſticas ſacrilegè perpetratis: præſertim verò ex promulgatione Edicti præinſerti præfatum Interdictum temerè annullantis; tum quia exploratì Juris eſt nullum Judicem, quacunque tandem poteſtate, & auctoritate ſuffultum, quoties de excommunicatione, Interdicto, aliiſve Cenſuris ex causâ læſæ, ſeu violatæ Immunitatis Eccleſiaſticæ, ac potiſſimùm de ſpeciali noſtro, & Sedis Apoſtolicæ mandato latis agi contingit, in illarum validitatis, ſeu invaliditatis, juſtitiæ, ſeu injuſtitiæ cognitionem, quæ nonniſi Nobis, ac eidem Sedi reſervata eſt, ſe ingerere poſſe; Tum etiam quia ſatis ſimiliter perſpectum eſt, Eccleſiam Liparenſem Nobis, ac dictæ Sedi immediatè ſubjectam eſſe, & quoad ſpiritualia à quorumcumque Tribunalium, etiam Eccleſiaſticorum Regni Siciliæ juriſdictione exemptam, & liberam exiſtere; Quandoquidem licèt dicta Civitas Liparen. anno MDCIX. per claræ memoriæ Philippum III. dum vixit, Hiſpaniarum Regem Catholicum, qui etiam utriuſque Siciliæ Rex exiſtebat, à Regno Neapolitano pro majori commoditate gubernii diſmembrata, & ſeparata, ac eidem Regno Siciliæ ultra Pharum unita, & incorporata fuerit: indubitati tamen juris eſt ejuſmodi diſmembrationem, & unionem ſolâ Sæculari, ac Regiâ auctoritate, ut præfertur, factas, locum habere ad ſummum potuiſſe quoad ea, quæ gubernium ac regimen rerum temporalium dumtaxat concernunt, ac ſemper ſine præjudicio directi dominii utriuſque Siciliæ hujuſmodi, juriumque ab eo dependentium ad eamdem Sedem etiam in temporalibus, ut notum eſt, pertinentium: nunquam verò quoad ea, quæ adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, ac Spiritualium reſpiciunt, quarum ſtatum, & ordinem Laicalis poteſtas immutare non valuit.

Nullitas ejuſdem Edicti recenſetur ex pluribus motivis; ac ſignanter quia cognitio Cenſurarum ex cauſa læſæ Immunitatis Eccleſiaſticæ reſervata eſt S. Sedi.

§. 3. Unde nec Indulgentiæ illæ, & gratiæ tam ſpirituales, quàm temporales Cruciatæ Sanctæ nuncupatæ, aliàs ab hac Sanctâ Sede diverſis earumdem Hiſpaniarum Regibus Catholicis, Religionis Chriſtianæ contra Turcas defenſioni incumbentibus, nec non Chriſtifidelibus in ipſarum Hiſpaniarum Regnis, & illis adjacentibus, ac Sardiniæ Inſulis conſiſtentibus, & ad illa declinantibus, qui quædam ſibi injuncta opera adimpleviſſent, ad certum tunc expreſſum tempus conceſſæ, ac ſubindè ad Regnum Siciliæ ultra Pharum extenſæ, & pluries prorogatæ: nec etiam jus præſentandi perſonas idoneas Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus ad præſentationem hujuſmodi præficiendas quibuſcumque Cathedralibus, etiam Metropolitanis Eccleſiis prædicti Regni Siciliæ ultra Pharum, memorati Philippi Regis deſcendentibus in Hiſpaniarum, ac Siciliæ ultra Pharum Regnis hujuſmodi legitimis Succeſſoribus, quamdiù illi vixiſſent, ab eâdem Sede conceſſum, & aſſignatum: neque demum Tribunal Inquiſitionis Hiſpaniarum adversùs hæreticam pravitatem auctoritate Apoſtolicâ inſtitutum, cujus juriſdictio ad prædictum Siciliæ ultra Pharum Regnum cæteroqui extenditur: in Eccleſiâ, Civitate, ac Diœceſi Liparen. prædictis locum unquam habuerunt; imò nec ipſi Miniſtri ſæculares ejuſdem Regni Siciliæ ultra Pharum, ſive ſub diſmembrationis, & unionis prædictarum obtentu, ſive ſub alio quovis prætextu præmiſſa locum habere debuiſſe, vel debere unquam prætenderunt.

Quia Eccleſia Liparenſis eidem Sedi immediatè ſubjecta eſt, & in ſpiritualibus exempta à Tribunalibus Regni Siciliæ juxta illius præſentem ſtatum, & quoad omnes materias.

§. 4. Hinc eſt, quod Nos, qui jurium Eccleſiaſticorum aſſertores in terris à Domino conſtituti ſumus, omniumque Chriſtifidelium curam, & ſolicitudinem ſupernâ diſpoſitione gerimus, libertatem, immunitatem, juriſdictionem Eccleſiaſticam nec non Sanctæ hujus Sedis authoritatem, ac dignitatem, ab ejuſmodi nefariis, ac perniciosis conatibus ſartam, tectamque, atque illibatam tueri, & conſervare, animarumque periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, ac omnium, & ſingulorum, quæ in præmiſſis, ſeu eorum occaſione quovis modo decreta, juſſa, ordinata, acta, & geſta fuerunt, ſeriem, cauſas, circumſtantias etiam aggravantes, nec non prædictorum, ac quorumvis aliorum Tribunalium, Judicum, Miniſtrorum, etiam principalium ſeu Supremorum Officialium, Notariorum, Scribarum, & perſonarum quarumcumque in eiſdem præmiſſis quomodolibet culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ſingillatim ſpecificatis habentes; In præmiſſis verò ſupradictæ Eccleſiæ Liparenſis immediatam Nobis, & Sedi præfatæ ſubjectionem, illiuſque quoad ſpiritualia à quocumque Tribunali, etiam Eccleſiaſtico Regni Siciliæ exemptionem, ac libertatem approbantes, & confirmantes, ac quatenus opus ſit, innovantes: Motu proprio, & ex certa ſcientiâ & maturâ deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Edictum præinſertum, ac quæcumque in eo contenta, nec non alia per memoratum Canonicum Joſephum Marotta ea occaſione vigore ſuæ aſſertæ delegationis acta, geſta, & ordinata, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, & forſan quandocumque ſecuturis, penitùs, & omninò, nulla, irrita, invalida, injuſta, reprobata, damnata, inania, temeraria, & à non habentibus poteſtatem damnabiliter attentata, ac de facto præſumpta, nulliuſque omninò roboris, & momenti, vel efficaciæ eſſe, & ab initio fuiſſe, ac perpetuò fore, neque illa à quoquam obſervari poſſe, vel potuiſſe, adeòque nec ullum ſtatum facere, vel feciſſe, ſed perindè, ac ſi nunquam emanaſſent, nec facta fuiſſent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere tenore præſentium declaramus.

Motivum annullandi præfatum Edictum ex obligatione tuendi Eccleſiaſticam libertatem, & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem.

§. 5. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula & ſi quæ inſuper præmiſſorum occaſione, ſeu in eorum ſequelam per prædictum Canonicum Joſephum Marotta, aut quæcumque præfati Regni Siciliæ Tribunalia, ſeu eorum Delegatos, vel Commiſſarios hac in re de cætero agi, geri, & ordinari quomodolibet contigerit, harum ſerie damnamus, reprobamus, revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribuſque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitùs, omninò vacuis ſemper haberi volumus, & mandamus.

Omnia præmiſſa reprobat.

§. 6. Præterea, tametſi de perſpecta Populi, & Incolarum Civitatis, & Diœceſis Liparen. præfatarum pietate, illorumque veteri in Eccleſiam, atque hanc Apoſtolicam Sedem devotione tam præclarè ſentiamus, ut minimè dubitemus ipſos, etiam ejuſmodi noſtra declaratione minimè expectata, præinſertum Edictum aliaque per

Privilegium Immediatæ ſubjectionis Eccleſiæ Liparenſis erga S. Sedem confirmat.

Declarat nullitatem ſuprarelati Edicti cum irritatione omnium geſtorum per dictum Delegatum Marottam.

Ad cautelam Generale Interdictum Civitatis, & Diœceſis Liparenſis, nec non cenſuras contra Vicarii Expulſores confirmat.

dictum

dictum Canonicum Josephum Marotta, gesta, pro irritis, & invalidis, nulliusque prorsus roboris, ac valoris jam habuisse, & inposterùm habituros esse, adeòque omnia è converso per supradictum Didacum Vicarium Generalem acta, & ordinata religiosè, ac exactè observasse, & observaturos esse: nihilominus ad majorem similiter cautelam generale Interdictum, cui præfatus Didacus Vicarius Generalis Civitatem, & Diœcesim supradictas, sicut præmittitur, subjecit, nec non censuras, seu declarationes excommunicationis ab eo contra prænominatos Joannem Baptistam Gastaldum, & Carolum Alconenda expulsores suos, aliosque omnes, qui eamdem expulsionem mandarunt, seu illi opem, favorem, aut consilium quovis modo præstiterunt, promulgatas, pro validis, & justis habentes, ipsumque Interdictum, ac Censuras, seu declarationes hujusmodi auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ac nostrâ approbantes, & confirmantes, ac adversùs præmissa, quatenus opus sit, innovantes: Motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, omnes, & singulas personas Ecclesiasticas tam Sæculares, cujusvis gradus, præeminentiæ, ac dignitatis fuerint quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Regulares, ad exactam ejusdem Interdicti observantiam juxta formam à Sacris Canonibus præscriptam omninò teneri, & obligatas existere, & fore, itaut in quibusvis Ecclesiis, Locis piis, Oratoriis etiam privatis, ac Cappellis domesticis Civitatis, & Diœcesis prædictarum, quibuscumque tandem privilegiis, exemptionibus, & Indultis, etiam prætensæ protectionis Regiæ, seu prætensi jurispatronatus Regii, tametsi pluries, ac quantiscumque vicibus ab hac Sanctâ Sede approbati munitis, nec Missæ, nec alia Divina Officia celebrari, neque Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum administrari, minùsque fidelium defunctorum cadavera sepeliri, aliave tempore Interdicti prohibita exerceri, nisi temporibus, casibus, & modis per supradictos Sacros Canones permissis, ullo modo valeant, earumdem tenore præsentium statuimus, & ordinamus.

Observantiam ejusdem Interdicti strictè præcipit cum derogatione quarumcumque contrariarum, & quarumvis exemptionum.

§. 7. Ad hæc omnes, & singulos, quantumvis exemptos, & quovis modo privilegiatos, qui Statuto, Decreto, Ordinationi nostris hujusmodi sub quovis quæsito colore, ratione, aut prætextu quomodolibet contravenerint, quocumque tandem titulo, munere, aut dignitate præfulgeant, eo ipso, & absque aliâ declaratione in censuras, & pœnas Ecclesiasticas per eosdem Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas desuper latas, & impositas incidisse, illiusque innodatos fuisse, & esse, ac fore, nec eos à quoquam, nisi à Nobis seu Romano Poontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentiâ in easdem censuras, & pœnas, eo ipso, quod convaluerint) à censuris, & pœnis hujusmodi absolvi, & liberari posse, harum serie similiter statuimus.

Præmissis Contravenientes, quantumvis exemptos, censuris Sedi Apostolicæ reservatis declarat irretitos.

§. 8. Cæterùm cum notorii juris sit, non tam eos, quos præfatus Didacus Vicarius Generalis in actu suæ expulsionis excommunicatos declaravit, quàm supradictum Canonicum Josephum Marotta, nec non Franciscum Bruno Magistrum Notarium, qui præinserto Edicto subscripsit, Corradum Chirco Fiscalem, Josephum Russo Consultorem, Franciscum Xavaglio Executorem, Alonsum Mercorella Instigatorem, aliosque omnes, & singulos cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis quantumcumque excellæ, ac sublimis fuerint, qui sive ejusdem Didaci Vicarii Generalis expulsionem, sive publicationem, & affixionem præinserti Edicti, sive detrusionem in carceres Presbyterorum, ac Clerici præfatorum, sive alia gesta per dictum Canonicum Josephum Marotta mandarunt, ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam præstiterunt aut in eorum sequelam, & executionem similiter gesta approbarunt, & rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes, & pœnas Ecclesiasticas à Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse; Noverint idcircò illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni à censuris, & pœnis hujusmodi, post debitam, ac condignam Ecclesiæ realiter, & cum effectu præstitam satisfactionem, nonnisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, ut præfertur, & tunc cum reincidentiâ præfatâ eo ipso quo convaluerint absolvi, & liberari posse, prout earumdem tenore præsentium decernimus pariter, & declaramus; Facultatem insuper, ad alia severiora remedia, quatenus prædicti Ecclesiasticæ libertatis Violatores in suâ contumaciâ persistentes, censuras, & pœnas hujusmodi animo, quod absit, sustinuerint indurato, Nobis, & eidem Apostolicæ Sedi reservantes.

Absolutionem à censuris, quas Vicarii Expulsores, promulgatores præinserti edicti, quive Ecclesiasticos ut supra carcerarunt, vel in his auxilium præstiterant, S. Sedi reservat.

Alias pœnas contra Delinquentes præservat.

§. 9. Demùm, cum etiam intellexerimus, quod postquam idem Didacus Vicarius Generalis, sicut præmittitur, exulare coactus fuit, dilecti Filii Capitulum, & Canonici dictæ Ecclesiæ Liparen. in Vicarium Generalem hujusmodi dilectum quoque filium Emanuelem Carnevale præfatæ Ecclesiæ Archidiaconum elegerint; notorii autem, & explorati juris sit, quod quemadmodùm Pastoralis cura ejusdem Ecclesiæ penès prædictum Nicolaum Mariam Episcopum, tametsi ab ipsâ Ecclesiâ absentem, omninò atque integrè remansit, ita sanè ad ipsum quoque jus deputandi suum Vicarium Generalem irrefragabiliter spectabat, & spectat; Idcircò in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ Sententiæ pœnâ per Contrafacientes eo ipso incurrendâ, à quâ nemo, nisi à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo constitutus) absolvi possit, Capitulo, & Canonicis supradictis, nec non reliquo Clero tam Sæculari, quàm Regulari Civitatis, & Diœcesis Liparen. præfatarum districtè prohibemus, & interdicimus ne postquam earumdem præsentium, nec non deputationis alterius Vicarii in spiritualibus Generalis à prædicto Nicolao Mariâ Episcopo factæ, vel faciendæ notitiam habuerint, eumdem Emanuelem Archidiaconum, ut Vicarium Generalem ampliùs agnoscant, aut illi actum ullum obedientiæ præstent; illos seriò monentes, ac tam eis, quàm universo Populo Civitatis, & Diœcesis hujusmodi enixè præcipientes, ut ei dumtaxat Vicario Generali, qui à memorato Nicolao Mariâ Episcopo deputatus fuit, vel in posterum deputabitur, congruam obedientiam exhibeant; Simulque sciant ea omnia, quæ de cætero Vicariatus ejusmodi titulo, sive à supradicto Emanuele Archidiacono, sive à quovis alio, qui absque nostrâ, seu præfati Nicolai Mariæ Episcopi facultate dicti Vicariatus auctoritatem sibi quomodolibet usurparet, geri contingeret, omnino irrita, invalida, & inania, nulliusque roboris, ac momenti fore, quemadmodum Nos verè illa pro irritis, invalidis, & inanibus habenda esse harum serie similiter declaramus.

Prohibet, ne obedientia præstetur Vicario Generali deputato post dictam expulsionem à Capitulo Ecclesiæ Liparensis, ac respectivè injungit, ut soli Vicario deputando per Episcopum obedientia exhibeatur.

§. 10. Decernentes pariter eadem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis

Decreta roborantia etiam adversùs ordinationes, quæ à Tribunali ass. Monarchiæ Siculæ possent emanare cum clausula sublata, & irritante.

ANNO 1714.

præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversùs illas à sæculari potissimùm potestate, seu prædicto assertæ Monarchiæ Siculæ Tribunali ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu ex quâvis causâ opponi, seu objici possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Easque propterea omnibus, & singulis per eamdem sæcularem potestatem, sive per idem assertum Tribunal quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis penitùs, & omninò rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio Contrariorum.

§. 11. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, Nostrâ & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, & quorumvis Monasteriorum, Conventuum, Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliisque quibuscumvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus, quantumcumque longissimis, & immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis, & Locis Piis prædictis, illorumque respectivè Superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissimâ mentione dignis, à Sede prædictâ ex quâcumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis: aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarum cumque personarum etiam Imperiali, Regali, aliâve quâlibet mundanâ, vel Ecclesiasticâ Dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Privilegiis, & Indultis hujusmodi mentionem. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Affixio præsentium in Urbe vim habeat personalis intimationis.

§. 12. Ut autem eædem præsentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: Utque ipsarum Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Septembris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno XIV.

Fides habenda transumptis.

F. Oliverius.

Publicatio

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo quarto, Indictione septima: die verò vigesima prima Novembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimo quarto supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Josephum Baziale Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Mag. Curs.

CONCESSIO LXXII.

Indulgentiarum pro recitantibus Coronam S. Birgittæ, & declaratio, quod Superiores, & Religiosi Ordinis S. Birgittæ dumtaxat facultatem habeant ejusmodi Coronas benedicendi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

DE salute gregis Dominici Divina dispositione Nobis commissi sollicitè cogitantes Christi-

fi-

fideles Spiritualibus muneribus adjuvare non ceſſamus, ut eorum devotio ad omnipotentis Dei cultum in dies magis augeatur. Cùm itaque, ſicut dilectus Filius, modernus Procurator Generalis Ordinis Fratrum S. Birgittæ Nobis nuper exponi fecit, dilecti filii Fratres dicti Ordinis Coronas, quas vocant, ejuſdem S. Birgittæ, jampridem Fidelibus diſpenſare conſueverint; dictus verò Procurator Generalis ejuſmodi Coronas Indulgentiis ad Spiritualem Fidelium conſolationem, & animarum ſalutem à Nobis decorari plurimùm deſideret; Nos piis ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quâvis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem nomine Nobis nuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitorum conſilio omnes, & ſingulas Indulgentias eiſdem Coronis quomodolibet conceſſas (ſalvis tamen iis ejuſmodi Coronis à fel. rec. Leone Papa Decimo Prædeceſſore noſtro per quaſdam ſuas deſuper ſub plumbo 6. Idus Julii 1515. expeditas literas conceſſis) harum ſerie, revocantes, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui quotidie per integrum annum prædictam Coronam, dummodo ſit ſaltem quinque decadum, recitaverint, & ſubinde veré pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam ſemel in anno, die per unumquemque ex eis eligenda, omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem quam etiam animabus Chriſtifidelium; quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicare poſſint, miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

§. 2. Præterea declaramus, quòd Superiores dumtaxat Monaſteriorum, ſeu Religioſi prædicti Ordinis, qui ab illis ad id ſpecialiter deputati fuerint Coronas hujuſmodi benedicendi facultatem habeant. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut ſupradictæ Coronæ nemini poſſint vendi, nec commodari, & ſi ſecus fiat, Indulgentia ſupradicta ceſſet, nulliuſque ſit roboris, vel momenti. Utque earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 22. Septembris MDCCXIV. Pontificatus noſtri anno decimoquarto.

F. Oliverius.

DECLARATIO

Super omnimodâ, & in inviolabili obſervantiâ Eccleſiaſtici Interdicti, cui Civitates, & Diœceſes Catanienſis, & Agrigentina ſubjectæ reperiuntur, cum rejectione quarumcumque excuſationum ab ejuſdem Interdicti Tranſgreſſoribus allatarum, ac additione aliarum pœnarum in eos, ultra illas, quas ex præſcripto Sacrorum Canonum jam incurrerunt.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium ab inobſervantia Interdicti Civitatibus, & Diœceſibus Catanienſi, & Agrigentinæ appoſiti, deplorata mali gravitate.

UBi alias ad multiplices, & ſanè graviſſimas, quas Sancta Dei Eccleſia in Regno Siciliæ, per inauditum, ac penè incredibilem Sæcularis poteſtatis abuſum tamdiu ſuſtinuit, & adhuc ſuſtinet, calamitates, inſignem illam, ac verè atrocem acceſſiſſe novimus injuriam, quâ non minùs ſacrilegè quàm crudeliter erepto eidem Eccleſiæ unico illo, ac triſti ſolatio, quod miſeris omnibus ipſa infelicitas reliquum facit, mala ſcilicet ſua publicis mœſtitiæ ſignificationibus deplorandi; ſuas ipſa lachrymas ſiſtere juſſa fuit luctumque illum abjicere, quo prius, januis Templorum clauſis, Sacrorum ſolemniis intermiſſis, Sacerdotibus ejus gementibus, Virginibus ejus ſquallidis, dolores ſuos longè latèque aperiens, à fidelibus quidem filiis amaritudinis ſuæ levamen, à Rebellibus verò irrogatarum ſibi contumeliarum pœnas depoſcere cœperat; Ubi aliàs (iterum repetimus) maximâ cum animi noſtri moleſtiâ intelleximus tam multos, etiam ex charioribus Eccleſiæ filiis, ignavâ, ac damnabili illarum pœnarum formidine perculſos, quas eis minabantur illi, qui corpus quidem occidunt, animam autem non poſſunt occidere, ad ea miſerè progreſſos fuiſſe ut exutâ Eccleſiaſticis Decretis debitâ obedientiâ, indictum juſſu noſtro in Catanienſi, & Agrigentinâ Civitatibus, ac Diœceſibus Sacrorum juſtitiam turpiter violaverint: illiſque interrogantibus, qui captivos eos duxerunt, verba cantionum, ea ipſa, quæ in ſalicibus ſuſpenderant, organa ad lætitiam revocare, & hymnum cantare de canticis Sion minimè erubuerint; Ubi hæc (ut ajebamus) jampridem inaudivimus, nullam profectò ærumnâ hac iniquiorem, aſperiorem nullam Eccleſiæ ipſi miſeriam evenire potuiſſe, aut unquam poſſe credidimus. Noſtris propterea auribus continenter obſtrepere videbantur triſtes illius voces: Quis mihi hoc tribuat, ut plorans plorem in nocte? Quis mihi det, ut plangam paululum dolorem meum?

§. 1. Ita planè credidimus. Sed citò nimis Nos falli cognovimus; ubi ſcilicet omnibus antea in præfato Regno Siciliæ illatis Eccleſiæ vulneribus graviorem aliam, & planè acerbiorem plagam ejuſdem Eccleſiæ pectori ſubindè inflictam fuiſſe percepimus ab ipſiſmet ejus filiis, ingratis filiis, filiis deſertoribus, qui adverſus Matrem ſuam pugnantes, nec ſolùm ipſi illius mandatis parere detrectantes, verùm & alios ad paris inobedientiæ crimen incitantes, os Domini non interrogarunt, ſed habentes fiduciam in umbrâ Ægypti, docuerunt, quæ non oportet, ut excuſarent excuſationes in peccatis; Ii ſiquidem aquam turbidam, non de fontibus Salvatoris ſed de Babylonis fluminibus hauſtam, incautis propinantes: hoc eſt, falſas non minùs quàm perniciosas doctrinas in eorum patrocinium, qui metu malorum ſibi à Sæculari poteſtate denunciatorum Eccleſiaſticum Interdictum in memoratis Civitatibus, ac Diœceſibus appoſitum minimè ſervaſſent, abſ-

Malitiam eorum perſtringit, qui falſis doctrinis ad violationem Interdicti alios induxerunt.

que

que ullo rubore obtrudentes, plurimos fascinarunt non obedire veritati, illosque non sine maximo Christifidelium scandalo, ac manifesto hujus Sanctæ Sedis contemptu, ad ejusdem Interdicti, tametsi authoritate nostrâ Apostolicâ pluries comprobati, inexcusabilem violationem, per quam nimirùm, ut Sacri Canones docent, Ecclesiasticæ disciplinæ nervus disrumpitur, apertè seducere non formidarunt; latam nimiùm sic aperientes viam universæ propemodum Christianæ Legis deformationi, ac ruinæ; *Si enim ita nequissimorum timeatur audacia, ut quod illi jure, atque æquitate non possunt, temeritate, ac desperatione perficiant, actum est*, ut Sanctus Episcopus, & Martyr Cyprianus præclarè scriptum reliquit, *de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi, ac divina potestate: Nec Christiani ultrà aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, atque insidias pertimescamus.*

Et similiter eorum, qui perperam jactarunt Interdicti transgressionem approbari à Sede Apostolica.

§. 2. Quod verò planè deterius, ac intolerabilius est, alii etiam novissimè non defuerunt, qui adjicientes peccatum super peccatum, atque ipsâmet nimiâ forsan longanimitate nostrâ, qua pœnitentiæ spatium damus, subdolè abutentes per illam traditos ab eis errores tacitè saltem à Nobis approbari, adeòque ipsam quoque Interdicti transgressionem minimè improbari impudentissimè vulgarunt. Quis jam tam hebeti, ac gelido erit animo, qui ad effrenatam hanc, atque execrabilem temeritatem non exardescat? Quis unquam sanæ, rectæque mentis inveniri poterit, qui Nos prorsus immemores celebris illius documenti à Sanctissimo Prædecessore Nostro Leone traditi, cùm scripsit: *Nimis hæc improba, nimis sunt prava, quæ Sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria*: eo tandem prolapsos fuisse existimet, ut illas quovis modo probare, aut saltem non improbare potuerimus doctrinas, quæ non alio nixæ fundamento, quàm metu, veris Christi Militibus indigno, in quorum scilicet cordibus hospitari debet charitas Christi quæ foras mittit timorem, Apostolicis Sanctionibus apertissimè adversantur.

In reprobationem præmissorum ad memoriam revocat Literas in forma Brevis datas ad Vicarios Agrigentinos 4. Novembris 1713.

§. 3. Ignotæ forsan cuiquam sunt Nostræ illæ Literæ jam ante annum, hoc est, die IV. Novembris MDCCXIII. ad tres Agrigentinæ Ecclesiæ vicarios Generales in simili formâ Brevis datæ, eodemque tempore, ut omnibus paterent, typis editæ, quibus nimirùm homines illos, qui ut ambulantes in veritate ad carnalis prudentiæ semitas traducerent, eosdem, aut similes errores in vulgus spargere præsumpserant, perditionis filios nuncupavimus: contra verò effusis, meritisque laudibus virtutem, atque constantiam eorumdem trium Vicariorum, ob intrepidam Ecclesiasticæ libertatis, ac Pontificiæ authoritatis defensionem, in carceres conjectorum, extulimus, qui aures suas obturaverant, ne exaudirent voces incantantium, quique propterea quod & ipsi Interdictum, cui eadem Agrigentina Ecclesia subjecta reperiebatur, custodire vellent, & ab aliis, ut par erat, similiter custodiri satagerent, nullas minas, pœnas nullas, nullam quantumvis sævam, atque horribilem tempestatem formidaverant.

Alias itidem literas in simili forma expeditas ad Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Agrigentinæ 10. Martii 1714.

§. 4. Nonne perspectæ etiam omnibus sunt aliæ Nostræ Literæ Capitulo, & Canonicis præfatæ Agrigentinæ Ecclesiæ posteriùs, hoc est, die X. Martii proximè præteriti in eâdem forma Brevis conscriptæ, ac typis pariter evulgatæ, quibus ea in primis, quam muneris nostri debitum exposcebat, gravi constituta animadversione in quemdam Canonicum Joannem Baptistam Formicam, qui pro Vicario Generali ejusdem Ecclesiæ perperam se gerebat, ac non modo memoratum Interdictum palàm, & audacter contempserat, verùm, ut & ab aliis similiter contemneretur, author fuerat; eisdem subindè Canonicis vehementer exprobrare non omisimus, quod quamplures ex eis à pristinâ, ac debitâ Ecclesiæ mandatis obedientiâ descivissent: Reprobato potissimùm eo metus obtentu, quo ipsi gravem suum lapsum excusare studuerant; illisque insuper injunximus, ut conscientiarum suarum securitati opportunè consulerent: quæ nequiter egerant, debitâ emendatione corrigerent, nullâque interpositâ morâ inustam dignitati suæ labem abolere contenderent.

Præceptum pariter indictum Superioribus quorumcumque Ordinum, ut ab eorum subditis in Regno Siciliæ observari curarent Interdictum.

§. 5. Anne quempiam latet, quod simul ac Nobis innotuerunt errores illi, quibus Magistri mendaces, ponentes tenebras lucem, ac lucem tenebras, tanto cum animarum Christifidelium periculo, tantoque cum Ecclesiasticæ disciplinæ dispendio, Interdicti violationem excusare conabantur; Nos jam adveniisse rati tempus illud ab Apostolo prænuntiatum, cum ad Timotheum scripsit: *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt sed. ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent*: quorumvis Regularium Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Superioribus Generalibus districtè præcepimus, & mandavimus, ut à suis quisque Subditis in Monasteriis, Conventibus, Collegiis, ac Domibus Regularibus Regni supradicti respectivè commorantibus Interdictum præfatum sub pœnis per Sacros Canones, & Apostolicas Constitutiones in eos, qui secus fecissent, præscriptis, exactè, & inviolabiliter observari curarent, & facerent; nec illud quovis titulo, colore, ingenio, causâ, excusatione, seu prætextu, violari finerent, aut permitterent, donec à Nobis, vel jussu nostro Interdictum ipsum expresè sublatum, abrogatumque fuisset? Quomodo jam publica hæc nostra, atque alia plurima dicta, iisque perpetuò respondentia facta congruere unquam possunt cum iis, quæ ad diuturnam, ac detestabilem Contemptorum Ecclesiæ inobedientiam, & pervicaciam fovendam temerè confinguntur?

Ex præmissis infert quænam fuerit vera mens super interdicti observantia.

§. 6. Hæc profectò omnia abundè sufficere possent, ac deberent, ut vera mens, ac voluntas nostra omnibus hac in re nota fieret, simulque apertæ, ac perpectæ essent fallaces artes, quibus filii hujus sæculi graviora semper vulnera Ecclesiæ infligere, acerbioribus semper injuriis Apostolicam authoritatem impetere, nec non animas pretioso Salvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptas in majora semper pericula conjicere nituntur. Cupientes nihilominus (donec divinâ Nobis ope suffragante, ad funditùs extirpandam tot malorum radicem, nec non ad Ecclesiasticam immunitatem, Sanctæque hujus Sedis dignitatem ab iis, quæ adversus utramque in supradicto Regno Siciliæ enormissimè attentata fuerunt, cumulatè vindicandam, ea validiùs exequamur, quæ Pastoralis Officii nostri ratio postulat, quæque assiduis, ac ferventibus tam nostris, quàm alienis precibus humiliter imploratum cœlestis gratiæ lumen ostendet) omnia interim, & quæcumque, tametsi inania, ac prorsus futilia eorum subterfugia, qui debitam Ecclesiasticis, imò Apostolicis, mandatis obedientiam præstare recusant, penitùs, & omnino præcludere; Et quia nihil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset: ac juxta Canonicas Sanctiones quædam sunt culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam, contumacium hujusmodi audaciam, & impudentiam severiori insimul animadversione compescere, ac cohibere.

Statuit nihilominus idem Interdictum esse inviolabiliter observandum sublata quacunque exemptione, ac rejecto prætextu metus cujusvis periculi.

§. 7. Hinc est quod Nos illius vices, licet immeriti, gerentes in terris, qui Discipulis suis dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*: ac alias addidit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: opportunè ac in præmissis providere, ac desuper concessæ Nobis à Domino potestatis partes, quantùm Nobis ex alto conceditur, interponere volentes: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, generale Interdictum, cui memoratæ Civitates, ac Diœceses Catanienſis, & Agrigentina jussu nostro ab earum Præsulibus respectivè, sicut præmittitur, subjectæ fuerunt, omninò, & ab omnibus (exceptis dumtaxat temporibus, & casibus à jure permissis) in quibusvis Ecclesiis, Locis Piis, Oratoriis, etiam privatis, Civitatum, & Diœcesum præfatarum, prætensa etiam assertæ Monarchiæ Siculæ authoritate munitis, seu aliàs quocumque Privilegio, Exemptione, & Indulto, etiam prætensi Jurispatronatus Regii, tametsi pluries, & quantiscumque vicibus ab hac Sancta Sede approbati, suffultis, exactè, & inconcussè observandum esse, & ab initio fuisse, ac in posterùm fore; Nec illud à quoquam, sive cujuscumque periculi metu, sive alio quovis prętextu, titulo, causâ, vel colore violari unquam potuisse, vel posse, tenore pręsentium decernimus, & declaramus.

Contemptores Interdicti monet de incursu censurarum, aliarumque pœnarum, quarum absolutionem S. Sedi reservat.

§. 8. Noverint propterea omnes, & singuli Ecclesiastici tam Seculares, cujusvis gradus, prœeminentię, ac dignitatis fuerint, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Regulares; qui prœmissis contraire, ac Interdictum hujusmodi violare quovis modo hactenus prœsumpserunt, vel de cætero prœsumpserint; se censuras omnes, & pœnas adversus Ecclesiasticos Interdicti Violatores à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, latas, & impositas, ac potissimum Irregularitatem, nec non privationem vocis activę & passivę eo ipso, & absque alia declaratione incurrisse, ac respectivè de cętero incursuros esse: adeòque eos ad quęcumque Ecclesiastica tam Sęcularia, quàm Regularia respectivè officia, beneficia, ac digni tates minimè eligi, aut postulari, nec cum aliis ad eligendum, seu postulandum admitti debuisse, vel unquam debere, neque demum censurarum, ac pœnarum hujusmodi absolutionem, seu relaxationem à quoquam (prœterquam à Nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente) obtinere potuisse vel posse, prout earumdem tenore prœsentium similiter declaramus.

Alias pœnas privationis Beneficiorum quoad Sæculares, Officiorum, & Graduum quoad Regulares adjicit cum aliis ordinationibus.

§. 9. Prœterea, ut non modò quibusvis transgrediendi prętextibus, sicut prœmittitur, sublatis, sed auctis etiam contra Trangressores pœnis, omnes in posterùm ad debitam Nobis, & Ecclesię obedientiam exhibendam revocentur, omnibus, & singulis Ecclesiasticis prœfatis quantumvis exemptis, & quovis modo privilegiatis, prœter, & ultra omnes alias censuras, & pœnas superiùs enunciatas, si Sæculares fuerint, seu dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, cujusvis generis, seu naturæ sint, si verò Regulares, sub officiorum, dignitatum, & graduum Regularium quorumcumque per eos respectivè obtentorum privationis, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis pœnis, harum serie districtè prohibemus, & interdicimus, ne Decreto, ac declarationi nostri supradictis de cætero contravenire audeant quovis modo, seu præsumant. Dignitates autem, & Beneficia hujusmodi, quorum privationis pœnam propter transgressionem præsentis prohibitionis per præfatos Ecclesiasticos Sæculares contrafacientes quomododibet incurri contigerit, etiam ipso facto, & absque aliâ declaratione vacare, illaque per quoscumque impetrari posse pariter decernimus; Nec non eorumdem Beneficiorum, & dignitatum sic vacantium collationem, provisionem & omnimodam dispositionem, prout etiam pœnarum de novo sic additarum relaxationem similiter Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

Decreta roborantia.

§. 10. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis, non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversus illas à Sæculari potissimùm potestate; seu prædicto assertæ Monarchiæ Siculæ Tribunali ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu ex quavis causâ opponi, seu objici possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Easque propterea, omnibus, & singulis per eamdem Sæcularem potestatem sive per idem assertum Tribunal quomodolibet allatis; seu afferendis impedimentis penitus, & omninò rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet, quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Etiam adversus exceptiones, quæ opponi possent ab ass. Tribunali prætensæ Monarchiæ Siculæ.

Clausula sublata, & irritans.

§. 11. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, & specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam

Derogatio contrariorum.

Jesu,

Jesu, & quorumvis Monasteriorum, Conventuum, Ecclesiarum, Locorum piorum, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis, & Locis piis prædictis, illorumque respectivè Superioribus, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissimâ mentione dignis, à Sede prædicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Affixio præsentium in Urbe vim habeat personalis intimationis.

§. 12. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis sub Annulo Piscatoris die VI. Novembris MDCCXIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Fides habenda transumptis.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimoquarto, Indictione septima, die verò nona Novembris, Pontificatus SS. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimoquarto, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Ludovicum Cappellum Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Magister Curs.

DECLARATIO

LXXIV.

Nullitatis Præcepti, seu Mandati à quodam Delegato asserti Tribunalis Monarchiæ Siculæ nuncupati ad impediendam executionem Literarum, Decretorum, Mandatorum, aliorumque Rescriptorum Apostolicorum promulgati, ac ab eo per universam Diœcesim Catanienſem transmissi, cum ejusdem Præcepti, seu Mandati, ac inde secutorum, & secuturorum quorumcumque reprobatione, damnatione, & abolitione.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Memorat attentatum aliàs commissum à Cajetano Buglio Delegato asser. Monarchiæ Siculæ indeclaratione prætensæ nullitatis Interdicti Catanienſis.

NOva semper in dies, ut aliàs non semel diximus, & semper acerbiora ex Regno Siciliæ ad Nos afferuntur. Nuper siquidem Nobis innotuit, quod ille idem Cajetanus Buglio, qui dudum, uti Delegatus prætensi Tribunalis Monarchiæ Siculæ nuncupati, generale Interdictum, cui Venerabilis Frater Andreas Episcopus Catanienſis è suâ Civitate Catanienſi, ejusque Diœcesi, per execrabilem Sæcularis potestatis abusum ejectus, in actu ejusmodi suæ ejectionis Civitatem, ac Diœcesim præfatas non ita pridem jussu nostro subjecerat, nullum, irritum, injustum, ac illegitimum, speciali suo in eadem Civitate Catanienſi ad id promulgato Edicto, temerè declaravit.

Refert aliud attentatum ejusdem Delegati Buglio in promulgatione Mandati declarantis nulla esse Rescripta Sedis Apost. ni præcedat permissio executionis à Potestate Seculari.

§. 1. Gravissimo hoc patrato crimine minimè contentus, sed secundùm duritiam suam, & impœnitens cor addens peccatum super peccatum, ac thesaurizans sibi iram in die iræ, animo forsan, ut stultè opinabatur, enervandi efficaciam eorum, quæ ex injuncti Nobis Apostolici muneris debito adversus ipsum, ejusque acta à Nobis decerni contigisset, ac potissimùm eludendi executionem quarumdam nostrarum in simili formâ Brevis Literarum die XVII. Junii MDCCXIII. expeditarum, quibus non modò illius Edictum præfatum, aliaque per ipsum eâ occasione vigore suæ assertæ Delegationis perperam gesta, cum omnibus inde secutis, & quandocumque secuturis, damnavimus, reprobavimus, cassavimus, & irritavimus, ac pro damnatis, reprobatis, cassatis, & irritis semper, & omninò haberi voluimus, & mandavimus: verùm etiam eumdem Cajetanum, nec non Joannem Baptistam Perino Magistrum Notarium, qui memorato Edicto subscripserat, censuras omnes, & pœnas Ecclesiasticas à Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim Literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari consuetis contra similia perpetrantes inflictas incurrisse declaravimus; sequenti mense Julio ejusdem anni, in suarum iniquitatum cumulum, impudenti non minus, quàm detestabili ausu, Præceptum quoddam, seu Mandatum edidit, illudque typis impressum, & ab eodem Joanne Baptista Perino similiter subscriptum Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus universæ Diœcesis Catanien. transmitti, ac denunciari curavit, per quod inter cætera ipsæmet Apostolicæ Literæ, aliaque Decreta, Mandata, Edicta, Censuræ, Interdicta, & Rescripta quæcumque ab hac Romana Curiâ, hoc est, ab hac Sanctâ Sede provenientia, quorum executionem Sæcularis potestas minimè permisisset, nulla, irrita, ac, quod horrendum est, conscientiarum Christifidelium tranquillitati adversantia, impiè, & sacrilegè declarantur: gravibus constitu-

tis

tis pœnis adversus eos, qui illa quovis modo executi fuissent, & aliàs, prout uberiùs continetur in eodem Præcepto, seu Mandato, quod non alio quidem, quam illud penitus, & omninò damnandi, & anathematizandi animo præsentibus inserendum duximus, tenoris, qui sequitur, videlicet: *Portiero. D'ordine del Reverendissimo Dottor Don Gaetano Buglio Decano, e prima Dignità di questa Santa Proto Metropolitana Chiesa di Messina, Commissario Ordinario del Tribunale del Sant' Offizio, e Santissima Inquisitione, e Delegato del Tribunale della Regia Monarchia di questo Regno di Sicilia, non solo Ordinario in questa Città di Messina, mà encora Delegato speciale in Causa dato d'all' Illustriss., e Reverendissimo Dottor D. Francesco Miranda e Gayarre del Conseglio di Sua Maestà (che la Divina guardi) e suo Giudice Ordinario dell' Apostolica Legazia, e Regia Monarchia in questa Regno di Sicilia in, virtù di lettere spedite dal Tribunale della medesima sotto il primo Luglio corrente presentate, & esecute nell' Officio dell' istesso Buglio sotto li 11. del medesimo, injungi, ed intima con la seguente ingiunzione trasmessane dal Tribunale di detto Illustrissimo, e Reverendissimo Giudice: Qua tenus nel caso si publicassero qualsivoglia Editti, Interdetti, Censure, ò altri qualsisia Ordini, Decreti, ò Rescritti. eziamdio in forma Brevis della Corte Romana per qualsivoglia via. ò sotto qualsivoglia Titolo, senza prima precedervi il Regio* Exequatur; *Per li quali, ò qualsivoglia di loro direttamente, ò indirettamente, tacita, ò espressamente venissero revocati, lesi, e pregiudicati, ò in qualsivoglia modo alterati gl' Editti publicati d'ordine di Sua Eccellenza, ò d'altri d'ordine nostro, stante le speciali Commissioni per via del'istesso Tribunale sotto li 25. Aprile, e 16. Maggio scorsi, ò che rinovassero l'Interdetto, Censure, ed altre publicate d'ordine del Reverendissimo Monsignor Don Andrea Riggio Vescovo di Catania, ò d'ordine di qualsisia Prelato, Vicario Generale, ò altro Commissionato di sudetta Corte, ò verò, che publicassero altri Editti, Interdetti, e Censure contra qualsisia persona di qualunque stato, e condizione, che fosse, non habbia, ne debba quelli eseguire, ne osservare, ne fare eseguire, ne osservare da proprj Sudditi;* Et quatenus *fossero eseguiti, ò in qualsivoglia modo osservati, habbia, voglia, e debba ogni cosa ridurre allo stato primiero, come se mai fossero stati li sudetti Decreti, Editti, Interdetti, e Censure ne publicati, ne osservati, ne affissati, e questo sotto pena della disgrazia di Sua Maestà, (che la Divina guardi) di privazione di voce attiva, e passiva, & di anni cinque di carceri formali per ogni Contraventore, ed altre pene riservate all'arbitrio di Sua Excellenza, e Tribunale sudetto; e questo stante che li sudetti Decreti, Brevi, Interdetti, Rescritti, e Censure non sono nel Regno esecuti, anzi tendono contro la publica quiete del Regno, contro la tranquillità delle Conscienze de Fedeli del medesimo, & in grave pregiudizio delle Regalie di Sua Maestà, (che la Divina guardi) del Regno, e di sudetto Tribunale dell' Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, con evidente perturbazione de Popoli, scandali, ed inconvenienti, contro la publica quiete, & contro la disposizione delle Leggi del Regno, di più Reali Dispacci de' Serenissimi Monarchi, fondati in evidentissime ragioni, avvalorate da antichissima, ed immemorabile osservanza, mai incorrotta nel corso di più Secoli, ma uniforme al dritto delle Genti, Sacri Canoni, Privilegj Apostolici, e Concordie con la Santa Sede, e stante che notoriamente sono di nessuna forza, e valore li Decreti, e Rescritti sudetti, come quelli, che tengono l'origine d'altri Decreti assolutamente non effecuti nel Regno, mà emanati de facto, & ex abrupto; nullo Juris ordine servato, e senza essere inteise le ragioni di Sua Maestà, del Regno, de Regnicoli, e del Fisco di sudetto Tribunale dell' Apostolica Legazia, e Regia Monarchia, senza veruna cognizione, ne discussione di Causa, e senza monizione, nè citazione alcuna, assolutamente necessaria per ogni Legge Divina, & humana, e ne meno senza citazione* ad dicendum causam Quare, *secondo li precetti dell'istessa Verità increata, Constituzioni Apostoliche, e Concilj Generali, e non altrimenti &c. Fiat D. D. Cajetanus Buglio Delegatus: Jo. Baptista Perino Magister Notarius.*

Tenor ejusdem Mandati.

Decernitur, quod Edicta, Interdicta, vel quæcunque alia Romanæ Curiæ Præcepta non dentur executioni absque Regio Exequatur.

Et in casu cæptæ executionis omnia reducantur in pristinum.

Per injuriam asseritur Romanæ Curiæ ordinationes vergere in damnum publicæ quietis & jurium Regnorum.

§. 2. Cùm autem in præcepto seu Mandato hujusmodi nullum planè sit verbum per quod tam Ecclesiastica Libertas Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constituta quàm Apostolicæ Sedis authoritas acerbissimè non lædantur: potissimùm verò per ea, quæ inibi continentur, illamet suprema ligandi, atque solvendi potestas Beatissimo Apostolorum Principi, ejusque Successoribus à Christo Domino tradita Sæcularis potestatis arbitrio per summam injuriam, atque intolerabilem temeritatem manifestè subjiciatur: nec non execrandus abusus quoquo modo impediendi executionem Literarum Apostolicarum per eosdem Sacros Canones, & plurimas notissimas Pontificias Constitutiones sub anathemate damnatus, plenè conformis non tam Juri Gentium, quàm ipsismet Sacris Canonibus, Privilegiis Apostolicis, ac Concordiis cum Sede præfatâ initis, falsò non minùs, quàm perversè nuncupetur: adeòque animæ pretioso Salvatoris Nostri Sanguine redemptæ in maxima pericula conjici possint.

Continuatio præsentium literarum enormitatem suprad. Mandati explicans.

§. 3. Hinc est, quod Nos, qui quorumcunque tam ejusdem Apostolicæ Sedis, quàm Ecclesiæ Jurium Assertores in terris à Domino constituti sumus, tametsi, credamus Præceptum, seu Mandatum præinsertum, omniaque in eo contenta, satis, superque tam per seipsa, quàm vigore eorum, quæ in aliis memoratis nostris Literis pro reprobatione, irritatione, & annullatione Edicti ab eodem Cajetano dudum promulgati, nec non aliorum ab eo in vim suæ assertæ Delegationis gestorum, omniumque inde secutorum, & quandocumque secutorum, sicut præmittitur, editis, amplissimè decrevimus, & mandavimus, pro reprobatis itidem, irritis, & omninò nullis haberi potuisse, ac debuisse, & forsan à sanioris saltem mentis hominibus jam habita fuisse; nihilominus, cum inter tam gravia animarum pericula liberum Nobis non sit fidelibus populis documenta salutis subtrahere, nec Nos in tam apertâ, atquè effrenatâ Sacrarum Legum violatione turpiter tacere, aut Pastoralis providentiæ nostræ ministerium otiosum esse velimus: omnium idcirco, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione tam ab eodem Cajetano, quàm ab aliis quibuscunque in sequelam Præcepti, seu Mandati præinserti quovis modo decreta, acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, nec non præfatarum nostrarum Literarum tenorem, aliave quælibet etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, ac singillatim specificatis habentes: Motu proprio, ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Præceptum, seu Mandatum, præinsertum, ac quæcumque in eo contenta, nec non alia à memorato Cajetano Buglio in præmissis, vel circa ea quomodocunque, & qualitercunque acta, gesta, mandata, decreta, & ordinata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omninò nulla, irrita, invalida, injusta,

Meminit irritationis aliàs factæ gestorum, & agendorum per supra nominatum Delegatum Buglio.

Declarat nullitatem præinserti Mandati; ac omnium, quæ exinde secuta sunt, & sequi possent

re-

reprobata, damnata, inania, temeraria, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque omninò roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore, neque illa à quoquam observari posse, vel potuisse adeòque nec ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem habere tenore præsentium declaramus.

Reprobat, quæ præmissorum occasione fieri in posterum contingeret.

§. 4. Et nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula, & si quæ insuper præmissorum occasione, sivè in eorum sequelam à prædicto Cajetano, seu ejus jussu mandato, vel nomine ab aliis quibuscunque in futurum (quod Deus avertat) agi, geri, mandari, decerni, & ordinari quomodolibet contigerit, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

Decreta roborantia cum clausula sublata, & irritante.

§. 5. Decernentes pariter easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, pretextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversus illas à Sæculari potissimum potestate, seu prædicto assertæ Monarchiæ Siculæ Tribunali, ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu ex quavis causâ opponi, seu objici possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Easque propterea, omnibus, & singulis per eamdem Sæcularem potestatem, sivè per idem assertum Tribunal quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis penitùs, & omninò rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros: sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus; vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus, quantumvis longissimis, & immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, quibuscumque personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis, à Sede prædicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, iritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliave qualibet mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplationem, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Affixio præsentium in Urbe vim habeat personalis intimationis.

§. 7. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctarum Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxix. Novembris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Fides habenda transumptis.

F. Oliverius

Dat. die 29. Novembris 1714.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo quarto, Indictione septima, die verò quarta Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimoquarto, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ,

Publicatio.

&

& publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Joan. Trifellium Apost. Curs.

Antonius Placentinus Mag. Curs.

LXXV.

DECLARATIO

Nullitatis, damnatio, & abolitio Edicti, seu Bannimenti à quâdam Congregatione *Giunta* nuncupatâ, per Sæcularem Potestatem Regni Siciliæ deputatâ novissimè promulgati, ad effectum impediendi in eodem Regno executionem Literarum, Mandatorum, & Decretorum Apostolicorum: cum pari damnatione, & abolitione quorumcumque similium, quæ forsan de cætero inibi eodem consilio, sive ad eumdem finem quandocumque, & quomodocumque geri, aut ordinari contigerit, itaut illis non obstantibus Literæ, Mandata, & Decreta hujusmodi omninò observari debeant: ac cum Decreto, quod illi omnes, qui ea de causa Ecclesiasticas Censuras quovis modo incurrerunt, seu incurrent, nonnisi à Sede Apostolicâ absolvi possint.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Narrat post devulgationem Brevis super observantia Interdicti Civitatum, ac Diœcesum Catanensis, & Agrigentinæ secutam in Regno Siciliæ, fuisse ibidem quoddam Edictum Potestatis Sæcularis publicatum.

ACcepimus nuper, quòd statim ac in Regno Siciliæ vulgatæ fuerunt quædam nostræ in simili formâ Brevis Literæ die 1v. Novembris proximè præteriti expeditæ, quas pro omnimodâ, ac debitâ observantiâ Ecclesiastici Interdicti, cui Civitates, ac Diœceses Catanienſis, & Agrigentina jussu nostro subjectæ reperiuntur, obtinendâ, nec non quibuscumque effugiis ad excusandam ejusdem Interdicti transgressionem exquisitis penitus præcludendis, novissimè edidimus: Sæcularis Potestatis in eodem Regno Administri nullam dimittentes occasionem, quæ eis offeratur, novis semper injuriis Pontificiam authoritatem, ac jurisdictionem Ecclesiasticam impetendi, ac forsan, tametsi inaniter, arbitrantes posse earumdem Literarum Nostrarum efficaciam eludere, simulque executionem illarum ulteriorum, graviorumque deliberationum præpedire, quas Nos, ut Pastoralis muneris Nostri debito satisfaciamus, omninò suscipere compellimur, quasque ipsi sese abundè promereri minimè ignorant: absque ullâ cunctatione in Panormitanâ Civitate, ac forsan etiam in aliis prædicti Regni Locis, promulgare præsumpserunt, præfixo nomine cujusdam Congregationis, Giuntæ nuncupatæ, specialiter deputatæ super conservatione, ac defensione jurium, & prærogativarum, quæ eidem Sæculari Potestati in illo Regno competere prætenduntur, Edictum, seu Bannimentum quoddam Typis impressum, tenoris sequentis, videlicet: *Bando, e comandamento, d'ordine dell' Illustre Giunta deputata da S. S. R. M. (che Dio guardi) sovra la conservazione, e defensione delli Reali dritti, che hà, e possiede, come Re Augusto, e Monarca in questo Regno, e di quelle prerogative, e Privilegi, che il medesimo gode, come con suo Real ordine in data di 17. Aprile 1714. Invigilando Sua Maestà (che Dio guardi) colla sua Regia protezione ed amore, all' intera conservazione de' Privilegi, ed antiche consuetudini di questo fedelissimo Regno, come della sua Real giurisdizione, ed antichissima preeminenza della Legazia Apostolica, e Regia Monarchia, si per sostegno de' dritti toccanti alla sua Real Corona, che della giusta difesa, e buon governo de suoi Vassalli, accordando anche su quelle per le quali providenze supplicateli dal General Parlamento detenuto in questa felice, e fedelissima Città di Palermo capo di questo Regno sotto li 17. del trascorso Marzo composto da tre Bracci, Ecclesiastico, Militare, e Demaniale rappresentate il Regno tutto; ha determinato stabilire una Giunta di Ministri, quali debbano invigilare con particolar zelo, attenzione, e cura, perche venghino ovviati, ed impediti gl' inconvenienti, e riparati tutti i pregiudici, che potessero in qualche maniera indursi. Essendosi servita la Maestà Sua per sua Real benignità appoggiare à noi Don Giuseppe Fernandez Presidente del Tribunale della Regia Gran Corte, Don Antonino Nigri Presidente del Tribunal del Concistoro della Sacra Regia coscienza, Conte Borda Consultore, Don Nicolo Pensabene Presidente Avvocato Fiscale del Tribunale della Regia Gran Corte, Don Francesco Maria Cavallaro Giudice della Gran Corte Civile, e Don Ignazio Perlongo Avvocato Fiscale del Tribunale del Real Patrimonio l'incumbenza di tanta premura, e rilievo, conferendoci tutte l'opportune potestà, e giurisdizioni necessarie ad usarsi per il conseguimento di sì importante fine: E perche non solo conviene che fosse manifesta a tutti la Real determinazione, mà anche cognosca ogn'uno come da sua parte debba corrispondere all'obligo di buon Vassallo di S. M. sù l'osservanza dell'accennati Privilegi, consuetudini, preeminenze, e regali, e quali siino le pene s'incorreranno da Trasgressori, si è divenuto d'ordine nostro alla presente general Notificanza, ed Editto in vigore della giurisdizione, e suprema potestà Economica conferitata da S. M., acciocche resti intesa, e notificato ogni Persona di qualsivoglia grado, e condizione sì Secolare, che Ecclesiastica, ò Regolare, come arrivando in questo Regno, e sue Isole coadiacenti per via dirrita, ò indirretta qualsisia legge, rescritto, diploma, determinazione, bando, editto, dispaccio, privilegio, breve, provisione, esorto, ò letera in forma publica, ò privata, manuscritti, ò in stampa, spediti da qualsivoglia Corte, ò Potestà straniera, quali immediatamente, ò mediatamente venissero, ò senza alcuna particolar direzione, ed indi apparissero candestinamente, o in altra maniera affissati in luoghi publici, ò privati, ò pure con qualche direzione à qualsivoglia Persona publica, ò privata, Giudici, Magistrati, Superiore, d'ogn'ordine, consesso, e Communità, Rettori particolari, ò universali ai qualunque condizione di ciascuna Città, Provincia, Diocesi, e Università del Regno, o di sue Isole Coadiacenti, non se li dovrà dare nessuna fede, esecuzione, ed osservanza, ove pria non fossero resi autentici, legali ed esequibili nella forma sempre costumata, si per dritto di legge particolare, e consuetudine legitimamente prescritta in questo Regno, come per altra universal ragione toccante ad ogni Sovrano ne' suoi Domini Avvertendosi ogn'uno che mai debbano intendersi resi autentici, ed esequibili li rescritti stranieri, ed altri sovracennati, se prima non fussero segnati dal Regio Exequatur per via dell' Avvocato Fiscale del Real Patrimonio, à chi vien commesso l'esame di riconoscere, se racchiudono pregiudizio, ò apportino diminuzione, ò lesione alcuna agli antichissimi Privilegi, Legge, Consuetudini del Regno, ò pure à dritti della Real Corona di S.M., e preeminenze della Legazia Apost., e Regia Monarchia; E dandosi diversamente fede, osservanza, ò esecuzione, si notifica, ed intima in vigor della presente Notificanza, ed Editto alli Controventori, e Trasgressori, se saranno Ecclesiastici, ò Regolari l'occupazione de' beni temporali, e come sedizioſi, e perturbatori della publica quiete, avessero fra il termine di giorni quindici da partirsi da questo Regno, e non entrare in Parte, Luogo, Terra, ò Città del Dominio di S. M. e se saranno Laici, e Secolari, se gli notifica, ed intima la maggior disgrazia di S. M. ed altre pene le più gravi ad arbitrio nostro etiam usque ad mortem naturalem inclusivè. Ed acciochè venghi alla notizia di tutti s'hà fatto la presente publica dichiarazione d'affigersi ne i luoghi solit*

Tenor ejusdem Edicti.

Motivum deputationis cujusdam Cœtus, sive Giunta pro conservandis Juribus Regiis.

Interdicitur executio cujusvis Rescripti, Brevis, & Ordinationis provenientis ab extera Potestate, ni præcedat Regium Exequatur.

Præscribitur forma servanda in concessione dicti Exequatur.

Contravenientibus, sive sint Ecclesiastici, sive Sæculares, pœna indicitur.

Publicatio ejusdem Edicti.

che servirà per intima formale ad ogn'uno, e non altrimente, ne in altro modo: Promulgetur: Pensabene Præses F.P.P.S.P.U. Benza Sindacus: Die septimo Decembris octavæ Indictionis 1714. *Constat per me Franciscum Perino publicum Præconem hujus Fœlicis, & Fidelissimæ Urbis Panormi, publicasse supradictum Bannum per loca solita, publica, & consueta, Tubis Regiis &c.*

Continuatio præsentium literarum.

§. 1. Perspectum profectò, ac compertum habemus eos, qui præinsertum Edictum, seu Bannimentum promulgarunt, Mandata, Literas, aliaque Decreta Apostolica in eo complecti, ac forsan præcipuè comprehendere voluisse; quemadmodum satis, superque conjici potest nedum ex ejusdem Edicti tenore, verùm etiam ex tot aliis præcedentibus actis, quibus ejusdem Sæcularis Potestatis Ministri parvum suum animum etiam apertius ostenderunt, dum minimè contenti publicatione aliorum consimilium Edictorum, Præceptorum, seu Mandatorum, quibus libertas Ecclesiastica & Apostolica authoritas manifestè lædebantur, ac libera hujus Sanctæ Sedis Rescriptorum executio impediebatur, minis insuper, atque terroribus, imò etiam carceribus, vinculis, exiliis, bonorum proscriptionibus, aliisve pœnis eos ferè omnes, qui eidem Sanctæ Sedi debitam obedientiam præstiterunt, temerè non minùs, quàm sacrilegè afflixerunt: adeòque certi sumus, quod ex solà memorati Edicti lectione quilibet sanæ, rectæque mentis non modò illius evidentem nullitatem, verùm etiam manifestam injustitiam perspicuè intelliget.

Explicat in præinserto Edicto comprehendi etiam Decreta, & mandata Apostolica.

Illius enormitatem pluribus pertringit.

§. 2. Ambigere prætereà non possumus, quin horrore perfundendus sit quisquis illud legerit, dum inter cætera perspiciet, ac animo reputabit eò temeritatis perventum esse ut Potestatis exteræ titulus Potestati illi adscribatur, quam Nos per Beatum Petrum, ejusque Successores à Domino accepimus in Terris maximam, & quæ in indigno hærede non deficit: perinde ac si Siciliæ Regnum extra Terrarum Orbem situm esset, cum neminem penè lateant, verba, illa quibus inclytus Claravallensis Abbas Eugenium Pontificem allocutus fuit: *Orbe exeundum ei, qui forte volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam.* Illud insuper omnibus satis exploratum, ac planè cognitum fore credimus, ejusdem Sæcularis Potestatis Administros, dum in memorato Edicto vetitum voluerunt, ne cujuscumque speciei rescripta ullo modo executioni demandari debeant, nisi priùs ad Advocato Fiscali Regii Patrimonii recognita, ac approbata fuerint expressè declarando eidem Advocato Fiscali injunctum esse munus, prævio examine, discutiendi, an ejusmodi rescripta ullum præjudicium Privilegiis, Legibus, & Consuetudinibus Regni, vel juribus Regiis, aut præeminentiis assertæ Regiæ Monarchiæ inferre possint, execrabili nimis ausu conatos fuisse prædictum Advocatum Fiscalem Judiciorum Apostolicæ Sedis Judicem constituere, ac uno, eodemque tempore sublimem illam Potestatem ligandi, atque solvendi Nobis, ac Romano Pontifici pro tempore existenti à Domino traditam, quæ non ancilla est, sed libera, ipsius Sæcularis Potestatis arbitrio subjicere, & mancipare; cùm tamen sciamus, quòd Magistratui, ac Principi Sacerdotum exprobrantibus: *Præcipiendo præcepimus Vobis, ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Jerusalem doctrina vestra*; Petrus, & Apostoli responderunt: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.*

S. Bernard. de consid. l. 3. c. 1.

Act. Apost. c. 5. v. 29.

§. 3. Demum nec pariter dubitamus, quin quilibet Catholicus, etiam absque ullius peculiaris nostræ declarationis, vel admonitionis ope, satis agnoturus per se sit, quàm irregularis, absona, ac scandalosa existat præfati Edicti conclusio, in qua ad iniquitatis non minùs, quàm nullitatis ipsius Edicti cumulum Transgressoribus, & Contraventoribus, illis nempe fidelibus, qui nullâ interpositâ morâ, promptoque animo Mandata Apostolica observant, & exequuntur, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, & Jesu, Christi Vicario veram illam obedientiam, quàm ei quicumque Catholicus in professione Fidei spondet; præstare non detrectant, eadem Sæcularis Potestas pœnas imponit, si Ecclesiastici quidem fuerint tam Sæculares, quàm Regulares, occupationis bonorum temporalium, ac exilii à Regno, tanquam seditiosis, publicæque tranquillitatis perturbatoribus, si vero Laici extiterint, indignationis ipsius Sæcularis Potestatis, præter alias pœnas illius arbitrio irrogandas usque ad mortem naturalem inclusivè.

§. 4. Nihilominus Nos, qui quorumcumque tam Apostolicæ Sedis, quàm Ecclesiæ Jurium Assertores in Terris à Domino constituti sumus, probè intelligentes, & recogitantes liberum Nobis non esse tam apertâ, ac detestabili utriusque oppugnatione silere, ac insuper ambarum indemnitati, quantùm Nobis ex Alto conceditur, opportunè consulere, nec iis tantùm, quæ hactenus gesta sunt, congruum adhibere remedium, verùm etiam aliis, quæ sub iisdem erroneis, falsis, damnatisque principiis, tam ab antedictâ Congregatione, Junctâ nuncupatâ, quàm ab aliis quibuscumque Ministris, ac Delegatis, sive ejusdem Sæcularis Potestatis, sivè etiam prætensi Tribunalis Monarchiæ Siculæ deinceps attentari possent, tempestivè occurrere cupientes: Omniumque idcircò, & singulorum, quæ in præmissis, vel circa ea tam ab iis, qui præinsertum Edictum, seu Bannimentum promulgarunt, quàm ab aliis quibuscumque, sive in sequelam ejusdem Edicti, vel Bannimenti, sive aliàs ad eumdem finem impediendi in Regno prædicto executionem quarumcumque Literarum, Mandatorum, aliorumve Rescriptorum Apostolicorum quovis modo decreta, jussa, ordinata, acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias; ac tam prædictæ, quàm alterius cujusvis Congregationis, seu Junctæ, Cœtus, & Tribunalis ejusdem Regni, nec non quorumcumque Judicum, Ministrorum, etiam principalium, seu supremorum Officialium, Notariorum, Scribarum, & Personarum quarumlibet in eisdem præmissis culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & singillatim specificatis habentes: Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, Edictum, seu Bannimentum præinsertum, ac quæcumque in eo contenta, aliaque omnia sive in illius sequelam, sive eodem consilio, tam ab ipsamet Congregatione seu Junctâ, quæ idem Edictum, vel Bannimentum promulgavit, quàm ab aliis quibuscumque Congregationibus, Cœtibus, Tribunalibus, Judicibus, Ministris, Officialibus, & personis præfati Regni Siciliæ forsan acta, gesta, & ordinata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & quandocumque secuturis penitùs, & omninò nulla, irrita, invalida, injusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque omninò roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore, neque illa à quoquam observari posse, vel potuisse, adeòque nec ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere, tenore præsentium declaramus.

Motivum infra recensendæ reprobationis.

Declarat nullitatem præfati Edicti, omniumque secutorum, quæve in posterum sequi possunt.

§. 5.

Reprobat omnia, quæ unquam in Regno Siciliæ geri contingat pro impedienda executione Mandatorum, & Decretorum Sedis Apost.

§. 5. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, ac si quæ insuper à prædictis, seu aliis præmissorum occasione, sive ad eumdem finem quoquomodo impediendi executionem Literarum, Mandatorum, & Decretorum Apostolicorum in eodem Regno quandocunque, & quomodocumque (quod Deus avertat) de cætero similiter agi, geri, & ordinari contigerit, harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitùs, & omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus. Sciant propterea universi Christifideles ejusdem Regni, memorato, sive alio quovis Edicto, Mandato, seu Præcepto, quod à præfatæ Sæcularis Potestatis, sive etiam prætensi Tribunalis Monarchiæ Siculæ Ministris quibuslibet in posterum promulgari contingeret, non obstante, sese teneri, ac obligatos esse Decretis, Ordinationibus, Mandatis, Literis, aliisque provisionibus Apostolicis quibuscumque, vigore illius potestatis Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici divinitus concessæ tam hactenus editis, quàm de cætero quandocumque edendis, veram, integram, & omnimodam obebientiam præstare, atque exhibere.

Monet Christifideles ejusdem Regni de obedientia, quam, non obstante præfato Edicto, Apostolicis Decretis præstare tenentur.

§. 6. Præterea cum notorii Juris sit non tam illos, qui præinsertum Edictum, seu Bannimentum ediderunt, ac promulgarunt, quàm alios omnes, & singulos cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis quantumcumque excelsæ, ac sublimis fuerint, qui sive editionem, publicationem, & affixionem ejusdem Edicti, vel Bannimenti, sive alia eodem consilio, sicut præmittitur, quovis modo gesta mandarunt, ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam præstiterunt, aut in eorum sequelam, & executionem similiter gesta approbarunt, & rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes, & pœnas Ecclesiasticas contra similia perpetrantes à Sacris Canonibus, Generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim Literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse, illasque insuper etiam incursuros esse eos omnes, qui similia ad eundem finem quoquomodo impediendi executionem Literarum, aliorumve Decretorum Apostolicorum in Regno supradicto de cætero peregerint, ut præfertur; Noverint idcircò illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, à censuris, & pœnis hujusmodi, post debitam, & condignam Ecclesiæ realiter, & cum effectu præstitam satisfactionem, nonnisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentiâ in easdem censuras, & pœnas eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari posse, prout eorumdem tenore præsentium decernimus, & similiter declaramus.

Omnes, qui in præmissis partem habuerunt, censuras incurrisse reservatas Sedi Apost. declarat.

Et proinde absolvi non posse, nisi à Romano Pontifice.

§. 7. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversùs illas a seculari potissimùm potestate, seu prædicto assertæ Monarchiæ Siculæ Tribunali, illorumve Ministris quibuslibet, ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu ex quâvis causâ opponi, seu objici possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Easque propterea omnibus, & singulis per eamdem sæcularem Potestatem, sive per idem assertum Tribunal, eorumve Ministros quoscumque quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis penitùs, & omninò rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quàcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros; sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Etiam adversùs oppositiones, & impedimenta, quæ præstari possent per Ministros asserti Tribunalis Monarchiæ.

Clausula sublata, & irritans.

§. 8. Non obstantibus præmissis, & quatenùs opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumvis longissimis, & immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque Personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissimâ mentione dignis à Sede prædictâ ex quâcumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, seu ad quarumcumque Personarum, etiam Imperiali, Regali, aliâve quâlibet mundanâ, vel Ecclesiasticâ Dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis; etiam continentibus, quod excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes

Derogatio contrariorum.

Decreta roborantia.

plenam,

plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Privilegiis, & Indultis hujuſmodi mentionem. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Affixio præſentium in Urbe vim habeat perſonalis intimationis.

§. 9. Cùm autem eædem præſentes Literæ in memorato Regno Siciliæ nequeant tutè publicari, ut hactenus experientiâ compertum eſt, ac ex iis, quæ in præinſerto Edicto, ſeu Bannimento habentur, manifeſtò apparet, imò hoc ipſum inſuper per legitimas probationes ſatis, ſuperque Nobis conſtat, prout harum ſerie pariter declaramus; Volumus illas, ſeu earum exempla, ut ad omnium notitiam deveniant, ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt affigi, & publicari; ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; Utque ipſarum Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XI. Januarii MDCCXV. Pontificatus Noſtri Anno XV.

Fides habenda tranſumptis.

Dat. die 11. Januarii 1715.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimoquinto, Indictione Octava, die verò duodecima Januarii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimoquinto, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranen., & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Ludovicum Cappellum Apoſtolicum Curſorem.

Antonius Placentinus Mag. Curſ.

LXXVI.

EXTINCTIO

Et abolitio prætenſæ Apoſtolicæ in Regno Siciliæ Legationis, & Monarchiæ nuncupatæ, ejusque Tribunalis, Judicis, Miniſtrorum, & Officialium quorumcumque.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab Officio Romani Pontifi-

Romanus Pontifex, quem Salvator, & Dominus Noſter æqui, bonique ſupremum Aſſertorem in terris conſtituit, ut juxta Propheticum verbum noxia evellat, & deſtruat, utiliaque plantet, & ædificet, ea interdum, quæ non ſolùm minus legitimis ſubnixa titulis, in Eccleſiaſticæ Libertatis, atque Apoſtolicæ authoritatis perniciem invecta eſſe cognoſcit, ſed quæ etiam rationabilibus ex cauſis ab hac Sanctâ Sede aliquando conceſſa fuiſſe non dubitat, ubi rerum experientia ita ſuadeat, gravioreſque cauſæ, quibus præſertim Eccleſiæ rationibus, animarum ſaluti, rectoque rerum ordini opportunè conſulitur, hoc ipſum expoſcant, ſapienti conſilio abolet, revocat, reſcindit, & immutat, ac aliàs deſuper Paſtoralis ſollicitudinis, & providentiæ ſuæ partes interponit, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Narrat querelas à graviſſimis Viris prolatas ſuper abuſu Tribunalis Monarchiæ nuncupati in Regno Siciliæ.

§. 1. Sanè, cum Divinâ ordinatione, Sacrorumque Canonum definitionibus, Eccleſiaſticæ, ac Sæcularis Poteſtatis diſcreta ſint munera, nemo propè eſt, qui ignoret graviſſimos Viros eximiâ non minus pietate conſpicuos, quàm zelo incorruptæ diſciplinæ celebres, ſacræque antiquitatis cognitione præclaros, magnas protuliſſe querelas de eo Regni Siciliæ Tribunali, quod Monarchiam appellant, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Primatui ipsâmet ſui nominis novitate plurimùm injurioſo, in quo ſcilicet, non ſine apertâ Sacrarum Legum violatione, Spiritualia Jura Sanctuarii per Sæcularem Poteſtatem adminiſtrari noverant, prætenſæque Pontificæ Legationis titulo acerbiſſima Apoſtolicæ Sedis authoritati vulnera infligi deplorabant. Ut talem proinde, ac tantam Eccleſiaſticæ jurisdictionis perturbationem, quantùm in ipſis erat, funditùs everterent, luculentis commentariis primò quidem planum facere ſtuduerunt, non obſcuris indiciis deprehendi Privilegium illud, quo Sæculares Miniſtri Monarchiam Siculam ſuffultam eſſe contendunt, quodque dudum Rogerio Siciliæ Comiti à fel. recor. Urbano Papâ Secundo Prædeceſſore noſtro conceſſum fuerunt, vel omninò fictum, ac commentitium eſſe, vel ſaltem inſignis alicujus Veteratoris fraude corruptum, ac depravatum. Nullum deinde in eo, licet verum eſſet, ac minimè vitiatum, ſupradictæ Monarchiæ veſtigium reperiri, ſed pravos potius pleroſque illius Tribunalis uſus ipſiſmet allati Privilegii verbis coerceri declararunt; cum nullam per hujuſmodi Privilegium eidem Rogerio Comiti Eccleſiaſtici juris dicendi facultatem tributam fuiſſe contenderent, ſed filialis auxilii partes dumtaxat demandatas, ut Apoſtolicas Ordinationes pro ſuâ in Eccleſiam reverentiâ exequeretur.

Nec non motiva per eoſdem Viros adducta pro decernenda abolitione ſupradicti Tribunalis.

§. 2. Addiderunt præterea, tametſi decantatam illam Apoſtolicæ Legationis poteſtatem, ac Monarchiam, memorato Rogerio Comiti, atque ejus filio Simoni, ſive alteri, qui legitimus illius hæres extitiſſet, idem Urbanus Prædeceſſor conceſſiſſet, imò etiam ad alios ipſius hæredes, quod falſum omninò cenſuerunt, extendiſſet, nunquam profectò illam ad omnes promiſcuè Siciliæ Reges propagari potuiſſe, aut ita cum temporalibus juribus Regni coaleſcere, ut in quamdam veluti Sæcularis Imperii prærogativam evaderet. Ad hæc pluribus documentis probarunt prædicti Urbani Prædeceſſoris Privilegium, ſi quod unquam conceſſum fuiſſet, etiam cum eâ poteſtatis amplitudine, quam Monarchiæ Magiſtratus temerè arripuerunt (quod tamen illi ſine gravi ipſius Urbani Prædeceſſoris, acerrimi Eccleſiaſticorum jurium, ac fortiſſimi vindicis injuriâ nequaquam dici poſſe conſtanter aſſerebant) abrogatum poſtea fuiſſe iteratis plurium Romanorum Pontificum etiam

Aſs. videlicet Privilegium Urbani II. eſſe commentitium.

Quinimmo, etiamſi verum ſit, ex illius verbis Monarchiæ facultates non deprehendi.

Idem Privilegium extendi non potuiſſe ad omnes Siciliæ Reges.

Abrogatum etiam fuiſſe per ſubſequentium Pontificum literas, & decreta.

Prædeceſſorum noſtrorum literis, ac decretis, quibus nullo obſtante Reſcripto, quod ab eâdem Apoſtolicâ Sede fuiſſet impetratum, Romanæ Eccleſiæ jura etiam quoad legationes, & appellationes in Regno prædicto reſtituta fuerunt, ipſis Siciliæ Regibus ſubortos contra Eccleſiaſticam Immunitatem abuſus palam deteſtantibus, atque ejurantibus. Poſtremò, quoniam optima Legum, ac Privilegiorum interpres eſt conſuetudo, hujus etiam plurimis Teſtimoniis Monarchiam præfatam improbare non omiſerunt; recenſentes ſcilicet frequentiſſimas, poſt ejuſdem Urbani Prædeceſſoris tempora, Apoſtolicas in Siciliam miſſas Legationes, delatas ad Sedem prædictam appellationes, aliosve in Siculorum cauſis Pontificiæ authoritatis edictos actus, quibus aſſerta memoratæ Monarchiæ Privilegia cohærere minimè poterant. Mirandum idcirco ſibi videri, quo pacto nonniſi poſt plurium Sæculorum ſilentium emergere potuerint, & confeſtim ad tantam amplitudinem progredi prætenſæ legationis facultates, quarum diploma ſuperiores Siciliæ Reges nunquam produxerint, iis præſertim in controverſiis, in quibus illud maximo uſui rebus ſuis fuiſſent habituri. Hæc omnia neque illuſtrium Scriptorum authoritate, nec pluribus hiſtoriarum monumentis, nec valido demum argumentorum robore deſtituta eſſe Majores noſtri probè agnoverunt. Maluit nihilominus hucuſque Apoſtolica Sedes de Catholicorum Principum Religione confiſa, à Siculorum Regum pietate, quos paternis identidem monitis ad id hortari, atque excitare non prætermiſit, optatam, atque integram Eccleſiæ libertatem præſtolari, quàm poſitâ ad radicem ſecuri invectæ ſervitutis cauſas, quas tamen interea nunquam approbavit, imò ſæpiùs reprobavit, exſcindere.

Illi pariter adverſari obſervantiam ex legationibus S. Sedis, aliiſque actibus per eam editis in dicto Regno.

Admirationem ingerere, quo modo repentè creverint facultates dicti Tribunalis, quamvis Privilegii Diploma nunquàm fuerit exhibitum.

Exponit cauſam tolerantiæ Sedis Apoſtolicæ.

§. 3. Cùm autem ex diuturnâ patientiâ adeò in dies ingraveſcere, ac præſertim ab aliquot annis in tantum Apoſtolicæ Poteſtatis contemptum graſſari malum perrexerit, ut in eos noviſſimè abuſus eruperit, qui nimium omnibus innoteſcunt, apertèque patefaciunt ultra viſibile illud Eccleſiæ, quod à Fidelibus unicum colitur, novum aliud, ac verè monſtruoſum in Regno Siciliæ oſtentari Caput, eidem Eccleſiæ ſuperinductum, à quo ſcilicet per ſummam, ac intolerabilem temeritatem, vero Eccleſiæ Capiti, ac Jeſu Chriſti Vicario, quaſi infeſtis ſignis, bellum palam indicitur, dum ab eo noſtra, atque hujus Sanctæ Sedis Mandata reſcinditur: Litteræ, ac Reſcripta contemnuntur: Cenſuræ revocantur; illi inſuper, qui Nobis, ac Sedi prædictæ debitam obedientiam exhibent, exilii, carceris, bonorum interceptionis, aliiſque gravioribus pœnis ſeverè plectuntur; ii demum, qui illâmet ligandi, ac ſolvendi poteſtate, quam per Beatum Petrum, ejuſque Succeſſores à Domino accepimus, ligati à Nobis ſunt, nefariè ſolvuntur: aliique contra, qui à Nobis ſoluti ſunt, impudentiſſimè ligantur. Explorati verò, ac comperti juris ſit, invaleſcentibus corruptelis, etiam certiſſima ipſa ab eâdem Sede conceſſa, ac ſæpiùs confirmata Privilegia omninò deleri, atque abrogari poſſe, imò etiam debere: cum legum omnium judicio Privilegium mereatur amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate, nec unquam ſit inexcuſabilior abuſus, quàm cum is, qui Privilegium accepit, adverſus eum, qui illud conceſſit, inſurgit, ejuſque juſſionibus pertinaciter obſiſtere non veretur: meritò propterea rec. mem. Alexandro Papa III. etiam Prædeceſſore noſtro quibuſdam Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſcribente: *Pro certo ſciatis, quod Nos conceſſa Vobis privilegia decurtabimus, cum Eccleſiæ Romanæ ſcriptis authenticis obviare minimè timeatis:* Hinc eſt, quod Nos, pro commiſſi Nobis divinitus Paſtoralis muneris debito, ſacrificare ſacrificium juſtitiæ, & Eccleſiæ Dei jura, ac libertatem, nec non hujus Sanctæ Sedis authoritatem, dignitatemque conſtanter, ac viriliter propugnare parati, nihil profectò de Nobis, ſed omnia de eo præſumentes, qui Nos confortat, & operatur in Nobis, exurgere tandem in Domino, atque ut judicium noſtrum de vultu illius prodeat, divinâ ejus ope enixis tam noſtris, quàm aliorum precibus, humiliter priùs implorata, abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, Apoſtolicæ diſtrictionis ſarculo radicitus evellere, atque extirpare decrevimus; probè agnoſcentes liberum jam Nobis non eſſe diuturniori longanimitate committere, ut Siculæ Monarchiæ privilegiorum obtentu Eccleſiaſtici Ordinis dignitas penitus collabatur.

Inde tamen creviſſe mala quæ ſingillatim refert.

Ob idque, malis ingraveſcentibus abrogari oportere Privilegia etiam conceſſa per Sedem Apoſtolicam.

Cap. dilecti Filii de privileg.

Narrat ea propter ſtatuiſſe deve-

§. 4. Habitâ itaque ſuper præmiſſis cum particulari Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Immunitati Eccleſiaſticæ, & controverſiis juriſdictionalibus præpoſitorum, nec non quorumdam dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, qui rem maturè diſcuſſerunt, longâ, ac diligenti deliberatione: auditiſque inſuper hac in re quampluribus in Sacrâ Theologiâ Magiſtris, & in decretis Doctoribus, qui omnes unanimi voce adversùs Monarchiam præfatam ad Nos clamarunt, Propheticum illud repetentes: *Succidite arborem, & diſſipate illam*: Omnium denique, & ſingulorum, ſi quæ ſint, Privilegiorum, ſeu Indultorum tam à memorato Urbano, quàm ab aliis quibuſcumque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris eidem Monarchiæ, illiuſque Tribunali quandocumque, & quâcumque ex cauſâ conceſſorum, ac quantiſcumque vicibus confirmatorum, nec non quarumcumque, ſi quæ pariter ſint, deſuper expeditarum literarum tenores, & datas, ac circumſtantias quaslibet præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis; Perſonarum verò, in quarum favorem Privilegia, ſeu indulta hujuſmodi conceſſa aſſeruntur, qualitates, ac dignitates quantumcumque ſublimes, & in Laicali Ordine ſupremas, nec non ejusdem Tribunalis Judicis, Notariorum, Scribarum, Miniſtrorum, ſeu Officialium quorumlibet nomina, & cognomina, aliave quæcumque etiam ſpecificam, & individuam mentionem requirentia pro pleniſſimè, & exactiſſimè ſpecificatis habentes: de eorumdem Cardinalium conſilio pariter, & aſſenſu, ac etiam motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine: prætenſam Apoſtolicam Regni Siciliæ Legationem, ac Monarchiam nuncupatam, ejuſque aſſertum Tribunal, unà cum illius Judicis, Notariorum, Scribarum, Miniſtrorum, aliorumque Officialium quorumlibet quovis nomine nuncupatorum dignitatibus, officiis, & miniſteriis quibuſcumque, omnique eorum titulo, eſſentiâ, ac denominatione, tenore præſentium perpetuò extinguimus, ſupprimimus, & abolemus; Nec non omnia, & ſingula Privilegia, Facultates, & Indulta, ſi quæ ſint, tam ſpecialia, quàm generalia illis, & illorum cuilibet à quibuſcumque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ex quâcumque causâ, ac quorumcumque meritorum intuitu, & contemplatione, ſeu aliàs quomodolibet conceſſa, ac pluries confirmata, & innovata, penitùs, & omninò reſcindimus, caſſamus, delemus, revocamus, & abrogamus. Volentes propterea, ac mandantes, ut illa omnia pro extinctis, ſuppreſſis, & abolitis, nec non reſpectivè reſciſſis, caſſatis, deletis, revocatis, & abrogatis ab univerſis Chriſtifidelibus perpetuò haberi, ac reputari debeant, adeòque eiſdem Chriſtifidelibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, præeminentiæ, ac

nire ad extirpationem præfati abuſus Monarchiæ.

Et maturam diſcuſſionem habitam fuiſſe cum S. R. E. Cardinalibus, Rom. Curiæ Prælatis aliisque Viris peritis.

Daniel. cap. 4. v. 20.

Extinguit prætenſam legationem Apoſtolicam, Monarchiam nuncupatam, ejuſque aſs. Tribunal in Regno Siciliæ.

Omniaque Privilegia, & Indulta, quæ unquam ſint.

Sub pœna excommunicationis ipso jure incurrendæ, ac Sedi Apostolicæ reservatæ prohibet quascumque oppositiones.

dignitatis, sive Ecclesiasticæ, sive Laicalis, etiam specialem, & individuam expressionem requirentis, existant, harum serie interdicentes, ne aliquid unquam, quod extentioni, suppressioni, abolitioni, aliisque præmissis directè, vel indirectè, seu aliàs quomodolibet adversetur, facere, moliri, seu attentare quoquo modo audeant, vel præsumant, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, per Contrafacientes absque aliâ declaratione ipso facto incurrendâ, à quâ nemo à quoquam, præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.

Pollicetur, se modum præstiturum, quo causæ ad Forum Ecclesiasticum spectantes in dicto Regno tractari possint, donec aliter Sedes Apostolica provideat.

§. 5. Cæterùm, quia ad præmissa devenimus, non quidem animo avocandi Siculas causas ad nostra hæc Romanæ Curiæ Tribunalia, licèt id cæteroqui perspicuis, ac notissimis hujus Sanctæ Sedis juribus inniteretur, priscoque Ecclesiæ mori omninò esset consentaneum, sed eo tantùm consilio, ut Sacrosanctæ Dei Ecclesiæ libertatem tueremur, nostram, & hujus Sanctæ Sedis authoritatem vindicaremus: nec non periclitantium animarum saluti pro Pontificiæ solicitudinis nostræ debito prospiceremus; idcircò Christifidelium illarum partium, quos verè in visceribus gerimus paternæ charitatis, incommodis, ac dispendiis, quæ eis quomodolibet hinc evenire possent, opportunis mediis, quantùm Nobis ex alto conceditur, occurrere non omittemus; interea vero modum aliquem propediem præscribemus, quo causæ prædictæ ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, etiam abolito Monarchiæ Siculæ Tribunali, de cætero in eodem Regno Siciliæ, &, quod caput est rectè, ac ordine cognosci possint, fineque debito terminari, donec à Nobis, & Sede Apostolicâ prædictâ Nationis Siculæ indemnitati amplioribus gratiis consulatur.

Decreta roborantia cum clausula sublata, & irritante.

§. 6. Decernentes pariter easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis etiam Regiæ, & Imperialis, existant, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversùs illas à seculari potissimùm potestate, seu prædicto abolito, & extincto Monarchiæ Siculæ Tribunali, illorumve Ministris quibuslibet, ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu ex quâvis causâ opponi, seu objici possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Easque propterea, omnibus, & singulis per eamdem sæcularem potestatem, sive per idem abolitum, ac extinctum Tribunal, eorumque Ministros quoscumque quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis penitus, & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus præmissis, & quatenùs opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumvis longissimis, & immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque Regnis, Provinciis, ac Personis, etiam Imperiali, Regiâ, aliâve quâlibet mundanâ, seu etiam Ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione dignis à Sede prædictâ ex quâcumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, seu aliàs quomodolibet in genere, vel in specie, in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis, etiam continentibus, quod excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Privilegiis, & Indultis hujusmodi mentionem. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Etiam adversùs quoscumque defectus, qui per Ministros extinctæ Monarchiæ possent opponi.

Publicatio. præsentium. literarum in Urbe supplere debeat personalem intimationem.

§. 8. Cum autem eædem præsentes literæ in memorato Regno Siciliæ nequeant tutè publicari, ut hactenus experientiâ compertum est, ac Nobis per legitimas probationes satis, superque constat, prout harum serie declaramus; Volumus illas, seu earum exempla, ut ad omnium notitiam deveniant, ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas, post duos menses à die earum publicationis, & affixionis computandos, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere,

ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; Utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastică dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent, exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum extinctionis, suppressionis, abolitionis, rescissionis, cassationis, deletionis, revocationis, abrogationis, mandati, interdictionis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraïre; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo quarto, decimo Kalendas Martii Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

✝ Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✝
✝ N. Episcopus Portuen. Card. Acciajolus.
✝
✝ Ego F. Episcopus Prænestinus Card. Spada.
✝ Ego F. Episcopus Sabinen. Card. Astallius.
✝ Ego F. Episcopus Albanen. Card. de Abdua.
✝ Ego G. Tit. S. Laurentii in Lucina Prior Presbyter. Card. Marescottus.
✝ Ego B. Tit. S. Praxedis Card. Panciaticus.
✝
✝
✝
✝
✝
✝ Ego F. T. M. Tit. S. Clementis Card. Ferrarius.
✝ Ego Joseph Tit. S. Mariæ Transpontinæ Presbyter Card. Sacripantes.
✝ Ego J. B. Tit. S. Cæsarei Card. Spinula S. R. E. Camerarius.
✝
✝ Ego F. Tit. SS. Jo. & Pauli Card. Paulutius Major Pœnitent.
✝
✝
✝ Ego F. Tit. S. Eusebii Presbyter Cardinalis Martellus.
✝ Ego L. Tit. S. Petri ad Vincula Cardinalis Casonus.
✝ Ego Laurentius Tit. S. Susannæ Presbyter Card. Corsinus.
✝
✝
✝ Ego T. Tit. S. Mariæ Trans Tyberim Cardinalis Rufus.
✝
✝
✝ Ego Joseph Tit. S. Mariæ Angelorum Card. Vallemanus.
✝
✝
✝
✝ Ego C. A. Tit. S. Augustini Presbyter Card. Fabronus.
✝ Ego M. A. Tit. SS. Quirici, & Julictæ Presbyter Card. de Comitibus.
✝
✝ Ego L. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Card. Picus.
✝
✝
✝
✝
✝
✝
✝ Ego P. M. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Card. Corradinus.
✝
✝
✝
✝
✝ Ego A. Tit. S. Marci Card. Priolus S. Marci nuncupatus.
✝ Ego Jo. B. Tit. S. Stephani in Monte Cælio Presbyter Card. Ptholomæus.
✝ Ego F. M. Tit. S. Priscæ Presbyter Cardinalis Casinus.
✝
✝ Ego B. S. Mariæ in Viâ latâ Prior Diaconorum Cardinalis Pamphilius.
✝ Ego P. S. Laurentii in Damaso Card. Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellarius.
✝ Ego C. S. Agathæ Gothorum Diaconus Card. Bichius.
✝ Ego J. R. S. Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis.
✝ Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Barberinus.
✝ Ego L. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. Card. de Alteriis.
✝ Ego C. S. Mariæ de Scalâ Diaconus Card. Columna.
✝
✝ Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Grimaldus.
✝ Ego Annibal S. Eustachii Diaconus Cardinalis Albanus.
✝ Ego Curtius S. Mariæ in Dominicâ Diaconus Cardinalis Origus.
✝
✝

Joseph Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia pro R. P. D. Masserio

L. Sergardus.

Loco ✝ Plumbi.

J. Pelucchius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Die, Mense, & Anno, quibus supra, supradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Magnæ Curiæ Innocentianæ Montis Citatorii, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Thomam de Unionibus Apost. Curs.

Petrus Romolatius Mag. Curs.

LXXVII.

LITERÆ APOSTOLICÆ

In formâ Brevis ad Archiepiscopos, & Episcopos, nec non utrumque Clerum tam Sæcularem, quàm Regularem, reliquosque omnes Christifideles Regni Siciliæ, quibus præscribitur modus, quo causæ dicti Regni ad Forum Ecclesiasticum pertinentes in posterùm, etiam abolito Monarchiæ Siculæ Tribunali, judicari possint, ac debeant in eodem Regno, donec aliâ ratione à Sanctitate Suâ, & Sede Apostolicâ indemnitati, ac commodis Nationis Siculæ plenius, & uberius consulatur.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii salutem, & Apostolicam benedictionem.

Mem r abolitionem asserti Tribunalis Monarchiæ Siculæ à se præcedenter expletam.

CUm Nos hodie speciali nostrâ, ac perpetuò valiturâ Constitutione, gravissimis, atque justissimis rationibus adducti, seu potius compulsi, prætensam Apostolicam istius Regni Siciliæ Legationem, ac Monarchiam nuncupatam, ejusque assertum Tribunal, unà cum illius Judicis, Notariorum, Scribarum, Ministrorum, aliorumque Officialium quorumlibet quovis nomine nuncupatorum dignitatibus, officiis, & ministeriis quibuscumque, omnique eorum titulo, essentiâ, ac denominatione, traditâ Nobis ab Omnipotenti Deo authoritate, extinxerimus, suppresserimus, & aboleverimus, nec non omnia, & singula, si quæ essent, illis, & illorum cuilibet à quibuscumque Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris quomodolibet concessa, ac pluries confirmata privilegia, facultates, & indulta, penitus, ac omnino rescinderimus, cassaverimus, revocaverimus, & abrogaverimus, illaque pro extinctis, suppressis, & abolitis, nec non respectivè, rescissis, cassatis, revocatis, & abrogatis, ab omnibus Christifidelibus perpetuò haberi, ac reputari debere voluerimus, ac mandaverimus: uno, eodemque tempore considerantes Apostolicæ nostræ providentiæ esse incommodis, ac periculis vestris maturè occurrere, ac interim modum aliquem præscribere, quo causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes, abolito jam Monarchiæ Siculæ Tribunali, rectè, ac ordine, & nihilominus, quantum fieri potest, sine majori Partium litigantium dispendio cognosci possent, fineque debito terminari; ejusmodi modum non aliunde, quàm ex Canonicarum sanctionum censurâ petendum, nec Judices pro earumdem causarum cognitione, ac terminatione alibi, quàm in istomet Regno constituendos esse censuimus; primùm quidem, ut testatum omnibus faceremus, Nos ad præmissa devenisse, non quidem animo augendi Siculis causis Romanæ Curiæ subsellia, sed eâ tantùm mente, ut enormibus, ac gravissimis scandalis, quibus universi propemodùm Christifideles summoperè offendebantur, Apostolicâ falce succisis, Ecclesiæ honori, Pontificiæ authoritatis vindicationi, animarumque saluti pro commisso Nobis cœlitus Pastorali munere consuleremus; deinde verò, ut Vobis manifestum fieret Nos eâ in re pro paternâ, quâ Regnum istud in Domino complectimur, charitate, utilitatis, commodique vestri congruam habuisse rationem; Hinc igitur est, quod Nos diuturnâ, atque maturâ, sicut negotii gravitas flagitabat, consultatione adhibitâ, auditaque desuper nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum Filiorum ejusdem Romanæ Curiæ Prælatorum, Sacrarum Legum doctrinâ, rerumque usu præstantium sententiâ, pro facili, rectâ ac ordinatâ prædictarum causarum directione sequentem normam præscribere, ac sancire decrevimus, quam de cætero ab iis omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inconcusse, ac inviolabiliter observari volumus, & mandamus, donec aliâ ratione à Nobis, & ab hac Sanctâ Sede indemnitati vestræ pleniùs, ac uberiùs prospiciatur.

Et captam deliberationem providendi, ut causæ Fori Ecclesiastici cognosci possint in Regno Siciliæ donec aliter statuatur.

Motiva ejusdem deliberationis refert.

Declarat statuisse normam servandam in causarum directione usque ad plenam S. Sedis ordinationem.

S. 1. Causæ omnes ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, cujuscumque sint generis, in primâ instantiâ coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, nec ab eorum Tribunali avocari possint, nisi titulo tantùm appellationis à sententiâ definitivâ, aut ab interlocutoriâ definitivæ vim habente, cujus gravamen per appellationem à definitivâ reparari nequeat, vel nisi integro biennio à die motæ litis computando coram ipsis Ordinariis pependerint indecisæ, quemadmodùm Tridentini Concilii decreto in cap. Causæ omnes sess. XXIV. de reformat. salubriter cautum est; Quod si secus fiat, quævis appellatio, inhibitio, aut sententia ad ejusdem Concilii præscriptum eo ipso irrita sit, ac nullius prorsùs roboris, vel momenti.

In prima Instantia causæ omnes Ecclesiasticæ cognosci debeant coram Ordinariis juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini.

S. 2. A sententiâ Ordinarii ad Metropolitanum, vel ad alium Episcopum Metropolitani loco à Nobis subrogatum, juxta ordinem inferiùs præscribendum, appelletur, servatâ in omnibus formâ, quæ à supradicto Concilio sancitur.

Appellatio à sententia Ordinarii, ad Metropolitanum, vel alium Episcopum, ut infra, subrogandum interponatur.

S. 3. Ubi verò Metropolitanus, vel Episcopus Metropolitani loco, ut præfertur, subrogatus, in causâ pronunciaverit, Partibus, vel earum alteri liberum sit ab illius sententiâ ad Apostolicum Delegatum provocare, servato ordine, de quo infra, ac ipsius Concilii præscripto.

A Sententia Metropolitani, vel Episcopi subrogati appelletur ad Apostolicum Delegatum, ut infra.

S. 4. Quiscumque à sententiâ, vel decreto Apostolici Delegati gravatum se senserit, ad Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem poterit appellare, à quo causæ cognitio Judici Ecclesiastico in partibus Siciliæ committetur per literas Apostolicas necessariis, & opportunis clausulis, prout juris fuerit, muniendas, ac eâ potissimum, quod si Partes in ullum non consenserint, alium ipse deputare valeat iisdem Partibus non suspectum.

A Delegeto Apostolico appelletur ad Romanum Pontificem, qui causam in Partibus cognoscendam committet.

S. 5. In Causis Beneficialibus valorem viginti quatuor ducatorum auri de Camerâ, nec non in profanis summam quinquaginta ducatorum similium non excedentibus, Pars, quæ à judicio Delegati Apostolici gravamen illarum sibi fuisse conqueretur, ut appellationis remedio consulere sibi possit, adibit tres Judices Synodales antiquiores Diœcesis ejusdem Delegati, qui tanquam Arbitri, an appellatio rejici, vel admitti debeat, & quibus clausulis causa sit committenda, prævio diligenti examine dispicient. Quòd si causam committendam esse censuerint, ipsi, tanquam Apostolici Delegati, Judicem deputabunt Partibus non suspectum. Hunc autem in finem prædictis Judicibus Synodalibus quascumque facultates necessarias, ac opportunas concedimus, & impertimur.

Facultas concessa tribus Judicibus Synodalibus circa modum committendi appellationes à Judicato Delegatorum cujusq; Diœcesis in causis Beneficialibus vigintiquatuor ducatorum, & in profanis quinquaginta non excedendi.

S. 6. Porrò in causis, in quibus Conservatores Regularium decretum, vel sententiam tulerint, qui se ab illis gravatum existimaverit, recurrere similiter poterit ad tres antiquiores Judices Synodales illius Diœcesis, ubi judicium latum est: Qui quidem Judices, tanquam Arbitri, cognitis utriusque Partibus juribus, statuent, an appellatio rejici, vel admitti, & quibus clausulis causa committi debeat. Quod si causam committendam esse duxerint, tanquam Apostolici Delegati, Judicem deputabunt Partibus non suspectum cum omnibus facultatibus necessariis, ac opportunis. Cæterùm qui à sententiâ, aut decreto hujus secundi Judicis gravatum se senserit, adibit tres antiquiores Judices Synodales Metropolitanæ Diœcesis, vel illius, quæ Metropolitanæ locum obtinebit in ordine inferiùs præscribendo; Qui sanè

In Judicatis Conservatorum Regularium agendum coram dictis Judicibus Synodalibus Diœcesis pro admissione, vel rejectione appellationis.

Sic etiam in secundis Judicibus recurrendum ad dictos Ju-

dices Synodales Diœcesis Metropolitanæ.

Judices alium deputabunt Judicem eâ prorsùs ratione, quæ supra quoad modum appellandi à judicio Conservatorum præscripta fuit. Omnibus autem prædictis Judicibus Synodalibus tam Metropolitanæ, quàm alterius Diœcesis, quascumque facultates ad præmissorum effectum necessarias, & opportunas concedimus, & impertimur.

Injungitur, quid agendum in causis Regularium tam intra, quàm extra claustra delinquentium pro triplici Instantia.

§. 7. In criminalibus causis Regularium, quando hi deliquerint intra claustra, Tridentini Concilii, & peculiarium illius Ordinis, quem quilibet Delinquens professus fuerit, Constitutionum dispositio exactè servetur. Quòd si delinquant extra claustra, vel extra Monasterium degant, ab Episcopis juxta ejusdem Tridentini Concilii, & Apostolicarum Constitutionum præscriptum judicentur, ac puniantur. Qui verò Episcopi judicio acquiescere detrectaverit, provocare poterit ad tres antiquiores Judices Synodales Diœcesis illiusmet Episcopi, à quo judicatus fuit; Qui planè Judices, tanquam Arbitri, an appellatio admittenda, vel rejicienda sit, & quomodò causam committi oporteat, prævio maturo examine decernent. Ubi verò eam committendam esse statuerint, Judicem deputabunt Partibus non suspectum cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis, Quod si quis ab hujus secundi Judicis sententiâ, vel decreto se gravatum putaverit, recurret ad tres Judices Synodales antiquiores Metropolitanæ Diœcesis, vel illius, quæ Metropolitanæ loco in ordine, de quo infra, subrogabitur; Hi autem Judices alium deputabunt Judicem eâ prorsùs servatâ ratione, quæ supra quoad modum appellandi à Judicio Episcopi sancita fuit. Omnibus pariter antedictis Judicibus Synodalibus tam Metropolitanæ, quàm alterius Diœcesis, quascumque facultates ad præmissorum effectum quomodolibet necessarias, & oportunas concedimus, ac impertimur.

Causæ majores judicio S. Sedis reserventur.

§. 8. Caveant tamen Ordinarii locorum, ne causis, quæ majores nuncupantur, quæque apud Sedem Apostolicam tractari debent, sive in primâ, sive etiam in aliâ ulteriori instantiâ, ullo pacto sese ingerant, aut immiscеant; Sed illæ juxta memorati Tridentini Concilii, Sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum præscriptum, in Romanâ tantùm Curiâ, vel à Judicibus, quos Romanus Pontifex, pro tempore existens specialiter deputaverit, cognoscantur.

Judicibus, ut supra nominatis prohibet, ne absolvant à censuris inflictis per Bullas diei Cœnæ Domini, vel Sedi Apostolicæ reservatis.

§. 9. Nulli præterea ex supradictis sive primæ, sive secundæ, sive etiam tertiæ Instantiæ Judicibus, nec cuiquam alteri Ecclesiastico Judici, cujuscumque gradus, & conditionis existat, tametsi Legati à Latere dignitate insignitus reperiatur, ullo unquam tempore liceat quempiam absolvere, etiam cum reincidentiâ, & ad effectum agendi tantùm, à censuris Ecclesiasticis per literas die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari solitas, sive alias Apostolicas Constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur; Caveantque omnes antedicti, ne postquam eædem censuræ ab ipsis declaratæ, ac promulgatæ fuerint, ullo modo sese ingerant, aut immiscеant cognitioni, an illæ, earumve declaratoriæ validæ, aut nullæ, justæ, aut injustæ sint; cum ejusmodi cognitionem Romano dumtaxat Pontifici pro tempore existenti, & Congregationi ejusdem S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositæ, ad id ab Apostolicâ Sede specialiter deputatæ, privativè quoad omnes alios competere satis constet.

Minùsque se ingerant in cognitione validitatis, ac justitiæ earumdem censurarum, postquam declaratæ fuerint.

Profitetur se ad tempus concessurum facultatem absolvendi à censuris, ut supra, reser-

§. 10. Attento nihilominus ingenti eorum numero, quos isthic, præsertim ob notam Ecclesiastici Interdicti, cui Civitates, ac Diœceses Catanien. & Agrigentin. jussu nostro subjectæ fuerunt, violationem in ejusmodi censuras Nobis reservatas miserè incidisse novimus, ut æternæ eorum saluti paternâ charitate consulamus, facultatem eos, qui respuerint, ac humiliter id flagitaverint, absolvendi, ad certum tempus duraturam, istius Regni Episcopis impertiri non detrectabimus, quò faciliùs, atque commodiùs iisdem censuris innodati Sacramentis Ecclesiæ, & communioni Fidelium restitui possint.

vatis ob violationem Interdicti in Diœcesibus Agrigentina, & Catanensi.

§. 11. Causæ demùm omnes, de quibus supra actum est, coram Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis eo, qui inferiùs præscribitur, ordine in posterùm tractandæ erunt.

§. 12. Prima instantia, juxta Tridentini Concilii dispositionem, ad Ordinarium Loci pertineat. Ab Ordinario autem appellare liceat, & causæ in ulterioribus instantiis cognoscantur, ut infra.

Statuit ordinem servandum in tractatione causarum usque ad tertiam Instantiam inclusivè pro singulis Diœcesibus Siciliæ, cum deputatione Episcoporum subrogatorum, & Delegatorum Apostolicorum.

§. 13. Ab Archiepiscopo Panormitano appelletur ad Episcopum Cephaludensem, cujus sit secunda instantia: Ab Episcopo Cephaludensi ad Episcopum Catanensem provocetur, ad quem, ut Delegatum Apostolicum, spectet tertia instantia.

§. 14. Ab Archiepiscopo Montis Regalis appelletur ad Episcopum Pactensem, & ab hoc ad Episcopum Mazarensem, ut Delegatum Apostolicum.

§. 15. Ab Archiepiscopo Messanensi appelletur ad Episcopum Syracusanum, & ab hoc ad Episcopum Catanensem, ut Delegatum Apostolicum.

§. 16. Ab Episcopo Catanensi appelletur ad Archiepiscopum Montis Regalis, ut Metropolitanum, & ab eo ad Episcopum Agrigentinum, ut Delegatum Apostolicum.

§. 17. Ab Episcopo Syracusano appelletur ad Archiepiscopum Montis Regalis, ut Metropolitanum, & ab eo ad Episcopum Mazarensem, ut Delegatum Apostolicum.

§. 18. Ab Episcopo Agrigentino appelletur ad Archiepiscopum Panormitanum, ut Metropolitanum, & ab eo ad Episcopum Syracusanum, ut Delegatum Apostolicum.

§. 19. Ab Episcopo Mazarensi appelletur ad Archiepiscopum Panormitanum, ut Metropolitanum, & ab eo ad Archiepiscopum Messanensem, ut Delegatum Apostolicum.

§. 20. Ab Episcopo Cephaludensi appelletur ad Archiepiscopum Messanensem, ut Metropolitanum, & ab eo ad Episcopum Agrigentinum, ut Delegatum Apostolicum.

§. 21. Ab Episcopo Pactensi appelletur ad Archiepiscopum Messanensem, ut Metropolitanum, & ab eo ad Archiepiscopum Panormitanum, ut Delegatum Apostolicum.

Eumdem ordinem præscribit in causis spectantibus ad Tribunal Archimandritæ Messanensis.

§. 22. Ab Archimandritâ Messanensi, qui jurisdictionem quasi Episcopalem in nonnullis Oppidis, seu Locis Nullius Diœcesis Provinciæ Messanensis exercere asseritur, appelletur ad Episcopum Catanensem, quem loco Archiepiscopi Messanensis Metropolitani subrogavimus, attentis pluribus litibus, quæ, ut etiam asseritur, inter eosdem Archiepiscopum, & Archimandritam pendent indecisæ; A dicto autem Episcopo Catanien. ad Archiepiscopum Panormitanum, ut Delegatum Apostolicum.

Nec non Abbatis S. Luciæ Provinciæ Messanensis.

§. 23. Ab Abbate demùm Sanctæ Luciæ, qui similiter jurisdictionem quasi Episcopalem in uno, seu pluribus Oppidis, vel Locis Nullius Diœcesis Provinciæ Messanen. exercere asseritur, appelletur ad Archiepiscopum Messanensem, ut Metropolitanum, & ab eo ad Archiepiscopum Montis Regalis, ut Delegatum Apostolicum.

Protestatio hujus ordinationis citra approbationem ass.

§. 24. Per præmissa tamen non intendimus dictorum Archimandritæ Messanensis, & Abbatis Sanctæ Luciæ assertam jurisdictionem quasi Episcopalem ullatenus approbare, aut quidquam eis,

jurisdictionis dictorum Archimandritæ, & Abbatis.

seu eorum alteri in quorumvis aliorum præjudicium novi juris tribuere.

§. 25. Cæterùm omnibus, & singulis Archiepiscopis, & Episcopis supradictis tam pro secundâ loco Metropolitanorum subrogatis, quàm pro tertiâ respectivè instantiis, sicut præmittitur, delegatis, ut omnes, & singulas causas ad eorum judicium de cætero, ut supra, deferendas cognoscere, ac legitimè definiri possint, & valeant; quascumque facultates ad id quomodolibet necessarias, & opportunas amplissimè tribuimus, ac elargimur.

Facultatem concedit supradictis Prælatis procedendi in cognitione causarum ordine præmisso.

§. 26. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de unâ, & Concilii Generalis de duabus dietis, ita ut vigore præsentium etiam ultra duas, pluresve dietas quilibet in judicium trahi possit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in prædictâ nostrâ nuper editâ Constitutione voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis, ac præcipuè Constitutioni sanctæ me. Bonifacii VIII. de una, & Concilii Generalis de duabus dietis.

§. 27. Vos itaque potissimùm, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur, ac admonemus, ut vigore pleno, quo Episcopos agere oportet, ea quæ sancivimus, debitæ executioni pro virili parte demandetis, ac etiam ab aliis, qui vobis subsunt, demandari strenuè satagatis. Zelum proinde vestrum pro Ecclesiæ juribus, ac libertate, proque vestrâ, atque supremâ nostrâ, & Apostolicæ Sedis authoritate hoc tam necessario tempore roborate, palamque proferte, ambulantes in Domo Domini cum consensu, quatenus antiqua vobis, ac per Vos reliquis istis Fidelibus veræ pietatis, ac filialis in hanc Sanctam Sedem devotionis laus constet, & nos gratulari possimus ab electâ istâ Dominici Agri parte evulsa prorsùs fuisse zizania, bonæque frugis integritatem, id est, veterem Ecclesiæ disciplinam, debitam Canonicis Sanctionibus reverentiam, Episcopalem denique, & Apostolicam dignitatem, ope potissimùm Fraternitatum vestrarum pristinum in locum fuisse restitutam. Quæ omnia ut alacriùs exequi valeatis, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Spiritualium charismatum incrementum ex animo à Deo precamur, perpetuumque paternæ charitatis nostræ pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud, adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Februarii MDCCXV. Pontificatus Nostri Anno XV.

Fides habenda Transumptis.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo quinto, Indictione Octava, die verò vigesima Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus XV. supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ SS. Apostolorum, Petri, & Pauli, Cancellariæ Apostolicæ, in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Thomam de Unionibus Apostolicum Cursorem.

Publicatio.

Petrus Romolatius Magister Cursorum.

Prælatos Regni Siciliæ hortatur, ut alacriter, incumbant executioni præsentium literarum.

TABELLA

Tribunalium Ecclesiasticorum Regni Siciliæ.

Juxta modum in supradictis Literis Apostolicis præfinitum.

Prima Instantia.

Archiepiscopi Panormitani.

Archiepiscopi Montis Regalis.

Archiepiscopi Messanensis.

Episcopi Catanien sis.

Episcopi Syracusani.

Episcopi Agrigentini.

Episcopi Mazarien sis.

Episcopi Cephaludensis.

Episcopi Pactensis.

Archimandritæ Messanensis, *Nullius Diœcesis Provinciæ Messanen.*

Abbatis S. Luciæ, *Nullius Diœcesis Provinciæ Messanen.*

Secunda Instantia.

Episcopi Cephaludensis, *ut subrogati loco Metropolitani.*

Episcopi Pactensis, *ut subrogati loco Metropolitani.*

Episcopi Syracusani, *ut subrogati loco Metropolitani.*

Archiepiscopi Montis Regalis, *ut Metropolitani.*

Archiepiscopi Montis Regalis, *ut Metropolitani.*

Archiepiscopi Panormitani, *ut Metropolitani.*

Archiepiscopi Panormitani, *ut Metropolitani.*

Archiepiscopi Messanensis, *ut Metropolitani.*

Archiepiscopi Messanensis, *ut Metropolitani.*

Episcopi Catanien sis, *ut subrogati loco Metropolitani.*

Archiepiscopi Messanensis, *ut Metropolitani.*

Tertia Instantia.

Episcopi Catanien sis, *ut Delegati Apostolici.*

Episcopi Mazarien. *ut Delegati.*

Episcopi Catanien. *ut Delegati.*

Episcopi Agrigentini, *ut Delegati.*

Episcopi Mazarien sis, *ut Delegati.*

Episcopi Syracusani, *ut Delegati.*

Archiepiscopi Messanensis, *ut Delegati.*

Episcopi Agrigentini, *ut Delegati.*

Archiepiscopi Panormitani, *ut Delegati.*

Archiepiscopi Panormitani, *ut Delegati.*

Archiepiscopi Montis Regalis, *ut Delegati.*

LXXVIII.

PRÆCEPTUM.

Super omnimodâ, absolutâ, integrâ, & inviolabili observatione eorum, quæ aliàs à Sanctitate Suâ in Causâ Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium decreta fuerunt: Cum rejectione quarumcumque rationum, seu excusationum ad ejusmodi Decretorum executionem declinandam allatarum, ac præscriptione Formulæ juramenti per Missionarios illarum Partium præsentes, & futuros hac in re præstandi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium ab enixo desiderio dirimendi controversias ortas in Sinarum Imperio inter Apostolicos Missionarios tam circa usum quarumdam vocum ad exprimendum Dei nomen acceptarum, quàm circa quosdam ritus inibi vigentes.

EX illâ die, quâ, nullo licèt meritorum nostrorum suffragio, Catholicæ Ecclesiæ gubernacula, hoc est, munus suâ amplitudine gravissimum, ac temporum iniquitate molestissimum, Deo sic disponente, suscepimus: nihil Nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quàm acerrimas contentiones jampridem in Imperio Sinarum inter Apostolicos illarum partium Missionarios exortas, semperque in dies magis invalescentes, tam circa quasdam voces Sinicas ad Sanctum, & ineffabile Dei Nomen exprimendum inibi usurpatas, quàm circa nonnullos earum Gentium ritus, veluti superstitiosos à quibusdam ex Missionariis prædictis reprobatos: ab aliis verò, ut potè eos civiles tantùm asserentibus, permissos, Apostolici Judicii censurâ opportunè dirimere, ut sublatis dissidiis, Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipsum dicerent in eodem sensu, & in eâdem sententiâ, unoque ore glorificaretur Deus ab iis, qui sanctificati sunt in Christo Jesu.

Narrat prævia diligenti discussione fuisse his de rebus edita nonnulla responsa per Congregationem S. Officii, eaque subindè Apostolica Authoritate confirmata.

§. 1. Hoc consilio responsa, illa, quæ ad varias quæstiones super ejusmodi rebus excitatas, prævio diuturno examine dudùm, videlicet tempore fel. rec. Innocentii Papa XII. Prædecessoris nostri inchoato, ac deinde jussu nostro per plures annos continuato, auditisque utriusque Partis rationibus, nec non complurium Theologorum, & Qualificatorum sententiis à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in totâ Republicâ Christianâ Generalium Inquisitorum adversùs hæreticam pravitatem authoritate, Apostolicâ deputatorum data fuerunt, Nos die xx. Novembris MDCCIV. eadem authoritate confirmavimus, & approbavimus.

Tenor eorumdem Responsorum.

§. 2. Ea autem, quæ in responsis hujusmodi decreta fuerunt, sunt, quæ sequuntur: *Cùm Deus Optimus Maximus congruè apud Sinas vocabulis europæis exprimi nequeat: ad eumdem verum Deum significandum, vocabulum* Thien Chu, *hoc est, Cœli Dominus, quod à Sinensibus Missionariis, & Fidelibus longo, ac probato usu receptum esse dignoscitur, admittendum esse: Nomina verò* Tien *Cœlum, &* Xang Ti, *Supremus Imperator, penitus rejicienda.*

Ad significandum verum Deum approbatur vox *TienChu*, rejectis nominibus *Tien*, & *Xang* Ti.

Idcircò tabellas cum inscriptione Sinica King Tien, *Cœlum colito, in Ecclesiis Christianorum appendi, seu jam appensas in posterùm inibi retineri permittendum non esse.*

Appensio Tabellarum cum Inscriptione *King Tien* prohibetur.

Ad hæc nullatenus, nullaque de causa permittendum esse Christifidelibus, quod præsint, ministrent, aut intersint solemnibus sacrificiis, seu oblationibus, quæ à Sinensibus in utroque æquinoctio cujuscumque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri solent, tanquam superstitione imbutis. Similiter nec esse permittendum, quod in Ædibus Confucii, quæ Sinico nomine Miao *appellantur, iidem Christifideles exerceant, ac peragant ceremonias, ritus, & oblationes, quæ in honorem ejusdem Confucii fiunt; tum singulis mensibus in Novilunio, & plenilunio à Mandarinis, seu primariis Magistratibus, aliisque Officialibus, & Literatis: tum ab iisdem Mandarinis, seu Gubernatoribus, ac Magistratibus, antequam dignitatem adeant, seu saltem post ejusdem possessionem adeptam: tum denique à Literatis, qui postquam ad gradus sunt admissi, è vestigio ad Templum, seu Ædem Confucii se conferunt.*

Christifidelibus interdicitur ministerium, & interventus Sacrificiis Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri consuetis.

Exercitium itidem ceremoniarum, quæ statis temporibus peraguntur in honorem ejusdem Confucii.

Præterea non esse permittendum Christianis in Templis, seu Ædibus Progenitoribus dicatis oblationes minùs solemnes eisdem facere, nec in illis ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alios ritus, & ceremonias peragere.

Oblationes minus solemnes, aliaque similia in Templis Progenitoribus dicatis vetantur Christianis.

Item nec esse permittendum præfatis Christianis oblationes, ritus, & ceremonias hujusmodi coram Progenitorum tabellis in privatis Domibus, sive in eorumdem Progenitorum sepulchris, sive antequam Defuncti sepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri consuetas, una cum Gentilibus, vel seorsim ab illis peragere, eisque ministrare, aut interesse; Imò prædicta omnia, utpotè quæ, perpensis hinc inde deductis, nec non diligenter, ac maturè discussis omnibus, ita peragi comperta sunt, ut à superstitione separari nequeant, Christianæ Legis cultoribus ne quidem permittenda esse præmissa publica, vel secreta protestatione se non religioso, sed civili, ac politico tantùm cultu erga Defunctos illa præstare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare.

Idque etiam coram Progenitorum Tabellis in privatis domibus.

Quamvis præmittatur publica, vel secreta protestatio, quod hæc omnia cultu civili expleantur.

Non tamen per hæc censendam esse damnatam præsentiam illam, seu assistentiam merè materialem, quam cum Gentilibus superstitiosa peragentibus, citra ullam sive expressam, sive tacitam gestorum approbationem, ac quovis ministerio penitus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque præstari contingat à Christianis, cum aliter odia, & inimicitiæ vitari non possunt, facta tamen priùs, si commodè fieri poterit, fidei protestatione, ac cessante periculo subversionis.

Supraposita prohibitio limitatur in ea sumerè assistentiæ materialis, præhabita fidei protestatione, ac secluso ministerio, & periculo subversionis.

Demùm permittendum non esse Christifidelibus tabellas Defunctorum Progenitorum in suis privatis domibus retinere juxta illarum partium morem, hoc est, cum inscriptione Sinica, qua Thronus, seu Sedes Spiritus, vel Animæ N. significetur; imò nec cum alia, qua Sedes, seu Thronus, adeoque idem, ac priori, licèt magis contracta inscriptione, designari videatur. Quo verò ad tabellas solo Defuncti nomine inscriptas tolerari posse illarum usum, dummodo, in eis conficiendis omittantur omnia, quæ superstitionem redolent, & secluso scandalo; hoc est, dummodo qui Christiani non sunt, arbitrari non possint tabellas hujusmodi à Christianis retineri ea mente, qua ipsi illas retinent, nec non adjecta insuper declaratione ad latus ipsarum tabellarum apponenda, qua, & quæ sit Christianorum de Defunctis fides, & qualis Filiorum, ac Nepotum in Primogenitores pietas esse debeat, enuncietur.

Tabellæ Defunctorum Progeniorum vetantur cum Inscriptione Sinica, qua Sedes Spiritus, vel animæ designantur: permissis iis, quæ tantùm continent nomen Defuncti, cessante scandalo.

Per præmissa nihilominus non vetari, quominùs erga Defunctos peragi possint alia, si quæ sint, ab iis Gentibus, peragi consueta, quæ verè superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem præseferant; sed intra limites civilium, & politicorum Rituum contineantur. Porrò quænam hæc sint, & quibus adhibitis cautelis to'erari valeant, tum pro tempore existentis Commissarii, & Visitatoris Generalis Apostolici, seu ejus vices exercentis in Imperio Sina-

Alia erga Defunctos præstari consueta permittuntur, dummodo superstitiosa non sint, etiam specie tenus, declaratione circa id relicta Visitatori Apostolico, aliisque Prælatis.

Sinarum, tum Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum illarum partium judicio relinquendum esse, qui tamen interea omni, quo poterunt, studio, ac diligentia curare debebunt, Gentium ceremoniis penitus sublatis, illi sensim à Christianis, & pro Christianis hac in re usu recipiantur, Ritus, quos Catholica Ecclesia pro Defunctis piè præscripsit.

Continuatio præsentium literarum.

§. 3. Post hæc verò labente ferè sexennio, nempe die XXV. Septembris MDCCX,, auditis iterum dictorum Cardinalium, qui rem maturè, ac diligentissimè discussérunt, suffragiis, eadem Responsa, nec non Mandatum, seu Decretum, quod illis expressè inhærendo à piæ record. Carolo Thoma, dum vixit, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarchâ Anthiocheno, Commissario, & Visitatore Apostol. Generali in præfato Imperio Sinarum die XXV. Januarii MDCCVII. editum fuit, ab omnibus, & singulis, ad quos spectabat, inconcussè, & inviolabiliter sub censuris, & pœnis in Mandato, seu Decreto hujusmodi expressis observanda esse decrevimus, & declaravimus: quovis contrafaciendi quæsito colore, seu prætextu penitus sublato, ac potissimùm non obstante quàcumque appellatione à quibusvis personis ad Nos, & Sedem Apostolicam interpositâ, quam propterea prorsus rejicienda esse similiter decrevimus, ac re ipsâ rejecimus, prout in Decreto hac de re edito fusius continetur.

Refert Decretum factum die 25. Septembris 1710. super observantia predictorum Responsorum, ac alterius Decreti edit à Cardinale de Tournon Visitatore.

§. 4. Hæc omnia plenè, & abundè sufficere debuissent, ut ea, quæ inimicus homo superseminaverat, zizania ex agro illo radicitùs evellerentur, Fidelesque omnes nostris, & hujus Sanctæ Sedis mandatis eâ qua par erat, humilitate, & obedientia obsequerentur: præsertim cum in calce Responsorum prædictorum à Nobis, sicut præmittitur, confirmatorum, & approbatorum causam jam finitam esse apertis, & perspicuis verbis pronunciatum fuerit.

Causa ex præmissis jam absoluta fuerat.

§. 5. Verùm cum, sicuti ex eisdem partibus, non sine intimo animi nostri dolore, ad Nostri pervenit Apostolatus auditum, tam enixè à Nobis præscripta Responsorum hujusmodi executio malè à plerisque sive vano, falsoque obtentu, quod illa à Nobis suspensa fuerint, vel minùs legitimè promulgata, sive conditionum, ut perperam asseritur, in eis insitarum, & ante executionem ipsam verificandarum, factorumve, super quibus ipsa emanarunt, non justificatorum ratione, sive ulteriorum à Nobis eâ in re edendarum declarationum colore, sive gravium, quæ tam Missionariis, quàm Missioni ipsi ex demandatâ executione obvenire possent, periculorum formidine, sive demùm Decreti dudùm, nempe die XXIII. Martii MDCLVI. super ejusmodi Ritibus, seu Ceremoniis Sinicis à præfatâ Congregatione Cardinalium editi, ac à rec. mem. Alexandro Papâ VII. etiam Prædecessore nostro approbati prætextu, non sine gravi Pontificiæ nostræ Authoritatis injuriâ, Christifidelium scandalo, ac salutis Animarum detrimento, satis diu multùmque eludatur, aut saltem nimiùm retardetur.

Executionem nihilominus supra expositorum Responsorum finistra interpretatione, ac pluribus excitatis prætextibus retardari ait.

§. 6. Hinc est, quod Nos, ex commissæ Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis munere, difficultates, tergiversationes, subterfugia, & prætextus hujusmodi penitus, & omnino è medio tollere, ac rejicere, nec non Christifidelium quieti, Animarumque saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes: de eorumdem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis Archiepiscopis, & Episcopis in supradicto Sinarum Imperio, aliisque ei conterminis, sive adjacentibus Regnis, ac Provinciis nunc, & pro tempore quandocumque existentibus sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingressu Ecclesiæ: eorum verò Officialibus, ac Vicariis in spiritualibus Generalibus, aliisque illorum Locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apostolicis, qui Episcopi non sint, eorumve Provicariis, nec non Missionariis tam Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Regularibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, à quâ nemo à quoquam, præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per Contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis, tenore præsentium præcipimus, ac in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut Responsa præinserta, omniaque, & singula in eis contenta exactè, integrè, absolutè, inviolabiliter, & inconcussè observent, ac ab eis, quorum cura ad illos spectat, similiter observari, quantùm in ipsis est, curent, & faciant; Neque illis sive ullo ex superiùs expressis, sive alio quovis titulo, causâ, occasione, colore, vel prætextu contravenire quoquo modo audeant, vel præsumant.

Quibuscumque Prælatis, Vicariis, Missionariis, & Officialibus in Sinarum Imperio, certis constitutis pœnis, observantiam injungit prædictorum Responsorum.

§. 7. Præterea motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie statuimus, & sub eisdem excommunicationis reservatæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis ordinamus, ut omnes, & singuli Ecclesiastici tam Sæculares, quàm prædictorum Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Regulares, ad Sinas, aliave præfata Regna, & Provincias, sive ab hac Sanctâ Sede, sive etiam ab eorum Superioribus missi, & quandocumque in posterùm mittendi, cujusvis tandem tituli, aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint: missi scilicet, statim ac præsentes literæ eis innotuerint, mittendi verò, antequam ibidem aliquod Missionarii munus exercere incipiant, Juramentum de fideliter, integrè, ac inviolabiliter observando ejusmodi Præcepto, ac Mandato nostro juxta formulam in præsentium literarum calce annotandam, in manibus Commissarii, & Visitatoris Apostolici in præfato Imperio Sinarum pro tempore existentis, vel alterius ab illo deputati; sive eo deficiente, in manibus Episcoporum, vel Vicariorum Apostolicorum dictarum partium, in quorum respectivè jurisdictione commorantur, vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum: Regulares verò in manibus insuper Superiorum suæ Religionis, vel ab illis deputatorum in eisdem partibus existentium, præstare omnino debeant, ac teneantur, ita ut ante præstationem juramenti hujusmodi, & subscriptionem sub eâdem formulâ ab unoquoque, qui juramentum ipsum præstiterit, propriâ manu faciendam, nullum Missionarii munus continuare, aut exercere, imò nec tanquam deputati ab Episcopis, seu Ordinariis Locorum, aut tanquam simplices suæ Religionis Presbyteri, sive alio quovis titulo, causâ, seu privilegio, de quibus expressa, specialis, & specialissima esset facienda mentio, Christifidelium confessionis audire, concionari, aut Sacramenta quomodolibet administrare ullo modo valeant, nullisque omnino facultatibus, sive sibi speciatim, sive suis respectivè Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, hujusmodi generaliter à Sede præfatâ concessis uti possint, sed quoad eos, præter, & ultra superiùs expressas pœnas, omnes, & singulæ facultates prædictæ omnino cessent, nulliusque roboris sint, & esse censeantur.

Sub eisdem pœnis mandat, ut omnes Missionarii præstent juramentum super dicta observantia juxta formulam infra recensendam.

§. 8. Omnia autem juramenta hujusmodi per quoscumque Missionarios tam Sæculares, quàm Regulares in memoratorum sive Commissarii, & Visitatoris Apostolici pro tempore existentis, sive

Personas designat, quæ tale juramentum recipere debeant.

Inhibet Missionariis, ne ante præstationem juramenti munus ipsis incumbens continuare, vel assumere possint, suspensis quibuscumque facultatibus.

Prædicta juramenta transmitti debeant ad Sac. Congregatio-

nem Sanctiſſimæ Inquiſitionis.

sive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, ſicut præmittitur, præſtanda, poſtquam ſubſcriptione munita fuerint, vel ſaltem authentica illorum exempla per eosdem Commiſſarium, & Viſitatorem Apoſtolicum pro tempore exiſtentem, Epiſcopos, & Vicarios Apoſtolicos ad præfatam Congregationem Cardinalium, quantocitius fieri poterit, tranſmittantur.

Superiores cujuſvis Ordinis, & Congregationis exiſtentes in illis partibus teneri etiam ad exigendum à ſuis Subditis juramentum, ac tranſmittendum ad Superiores Generales.

§. 9. Superiores verò Regulares cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam Jeſu, illic nunc, & pro tempore exiſtentes ſub eisdem pœnis teneantur non ſolum idem juramentum in præfatorum, ſive Commiſſarii, & Viſitatoris Apoſtolici pro tempore exiſtentis, ſive Epiſcoporum, aut Vicariorum Apoſtolicorum manibus, juxta modum ſupra præſcriptum, præſtare, ejuſque formulæ ſubſcribere, ſed etiam illius præſtationem à ſuis reſpectivè Subditis exigere, ac authentica eâ ſuper re documenta quamprimùm tranſmittere ad ſuos reſpectivè Superiores Generales, qui illa memoratæ Congregationi Cardinalium ſtatim tradere debebunt.

Decreta roborantia cum clauſula ſublata, & irritante.

§. 10. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd prædicti, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & Subſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adversùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac quibuſcumque juris, ſeu facti defectibus, qui adversùs illas, etiam quorumvis à Sede præfatâ conceſſorum privilegiorum prætextu, ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, ſeu ex quâvis causâ opponi, ſeu objici poſſent, minimè refragantibus, ſuos plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; eaſque propterea, omnibus, & ſingulis quomodolibet allatis, ſeu afferendis impedimentis penitùs, & omninò rejecti, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum etiam Statutorum, & Privilegiorum Societatis Jeſu.

§. 11. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenùs opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, ac quarumvis Eccleſiarum, & aliis quibuſlibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus quantumcumque longiſſimis, & immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Eccleſiis prædictis, aliisve quibuslibet perſonis, etiam quantumvis ſublimibus, & ſpecialiſſimâ mentione dignis à Sede prædictâ ex quâcumque causâ, etiam per viam contractus, & remunerationis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque perſonarum, etiam Imperiali, Regali, aliâve quâlibet mundanâ, vel Eccleſiaſticâ dignitate fulgentium inſtantiam, aut earum contemplatione, ſeu aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Formula juramenti præſtandi, ut ſupra.

§. 12. Formula autem juramenti, ſicut præmittitur, præſtandi eſt, quæ ſequitur, videlicet: *Ego N. Miſſionarius ad Sinas, vel ad Regnum N. vel ad Provinciam N. à Sede Apoſtolica, vel à Superioribus meis juxta facultates eis à Sede Apoſtolica conceſſas miſſus, vel deſtinatus, Præcepto, ac Mandato Apoſtolico ſuper Ritibus, & Ceremoniis Sinenſibus in Conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis divina providentia Papæ XI. hac de re edita, qua præſentis juramenti formula præſcripta eſt, contento, ac mihi per integram ejusdem Conſtitutionis lecturam optime noto, plenè, ac fideliter parebo, illudque exactè, abſolutè, ac inviolabiliter obſervabo, & abſque ulla tergiverſatione adimplebo; ſi autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties, quoties id evenerit, pœnis per prædictam Conſtitutionem impoſitis me ſubjectum agnoſco, & declaro. Ita tactis Sacroſanctis Evangeliis promitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

Mandat, ut præſentes literæ generalibus Superioribus cujuſvis Ordinis, & Congregationis

§. 13. Cæterùm volumus, & expreſsè mandamus, ut eædem præſentes literæ, ſeu earum exempla, etiam impreſſa, notificentur, & intimentur omnibus, & ſingulis memoratorum Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Socie-

tionis intimentur, quò illi obſervantiam nomine proprio, & Subditorum ſpondeant, aliaque adimpleant pro literarum executione.

cietatum, etiam Jeſu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut tam ſuo, quàm prædictorum eis reſpectivè Subditorum, ſeu Inferiorum nomine, ipſas literas fideliter exequi, & obſervare ſpondeant, actumque ſponſionis hujuſmodi in ſcriptis reddant: earum verò exempla prædicta pluribus viis, quanto citiùs fieri poterit, tranſmittant ad eosdem ſuos Subditos, ſeu Inferiores in Sinis, aliiſque Regnis & Provinciis ſupradictis degentes, cum arctiſſimis præceptis easdem literas, & in eis contenta quæcumque plenariè, & integrè, ac verè, realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia ſimiliter exequendi, & obſervandi. Quia verò difficile foret literas hujuſmodi originales ubique oſtendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Martii MDCCXV. Pontificatus Noſtri Anno XV.

Fides habenda Tranſumptis.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimoquinto, Indictione Octava, die verò vigeſima Martii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus decimoquinto ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ SS. Apoſtolorum, Petri, & Pauli, Cancellariæ Apoſtolicæ in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Horatium Pierum Apoſtolicum Curſorem.

Petrus Romolatius Magiſter Curſorum.

LXXIX.

JUBILEUM UNIVERSALE.

Ad implorandam Divinam opem contra Turcas.

CLEMENS PAPA XI.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. à bellico apparatu, & minis Turcarum.

UBi primùm non ſine graviſſimo animi noſtri dolore accepimus nefarium Turcarum Tyrannum tot, ac tantarum ante aliquot annos, cum immortali Chriſtiani nominis gloriâ, acceptarum claudium benè memorem, ac de iis vindictam ſumere ſeriò cogitantem, collectis tot Provinciarum, ac Regnorum, quæ tyrannide ſuâ opprimit, viribus, efferatiori, quàm unquam rabie, bellum inſtaurare velle, maximiſque tam maritimis, quàm terreſtribus copiis Chriſtianorum fines formidabili ſuâ potentiâ irrumpere decreviſſe; Nos imminentibus fideli Populo periculis paternâ charitate vehementer commoti, primùm quidem privatis Noſtris Sacrificiis ad Deum toto corde clamare non ceſſavimus, ut effunderet iram ſuam in gentes, quæ illum non noverunt, & in Regna, quæ Nomen ejus non invocaverunt: verba illa Joſaphat Regis, cum ab Ammonitis, & Moabitis impeteretur, humiliter uſurpantes: *Domine Deus Patrum Noſtrorum, tu es Deus in Cœlo, & dominaris cunctis Regnis gentium: in manu tua eſt fortitudo, & potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere. In Nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper Nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Indictis deindè publicis precibus Chriſtifideles non ſolùm in Almâ Urbe noſtrâ, ſed etiam in univerſâ Italiâ, eique adjacentibus Inſulis degentes ad iram Dei, quæ peccatis hominum aſſiduè laceſſitur, per ſalutaris pœnitentiæ lamenta, jejunia, eleemolynas, ſinceraſque obſecrationes placandam excitare ſtuduimus.

ExPſal. 78. v. 6. 2. Paralypom. c. 20. v. 6. & 12.

Chriſtianum populum hortatur ad ea veræ pietatis opera, per quæ divinum præſidium concilietur.

§. 1. Idipſum nunc demum à toto Chriſtiano Populo faciendum eſſe arbitramur, ut concordi charitatis fervore accedant omnes cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ſciſſiſque per veram pœnitentiam cordibus, ac auctis per jejuniorum labores, & eleemoſynarum largitiones viribus orationis, Divinam opem in his urgentiſſimis Eccleſiæ neceſſitatibus unanimiter implorare connitantur. Potens eſt enim oratio Eccleſiæ ſupplicantis ad Dominum, qui pius eſt, ac miſericors, & propitiatur invocantibus eum in veritate. Opportuno igitur recurrente tempore, quo Divinus Spiritus, repentino ſonitu ſuper Apoſtolos, venit, menteſque carnalium in ſui amorem permutavit, & foris apparentibus linguis igneis facta ſunt intus corda flammantia, Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis ſuppliciter invocemus, ut fideles ſuos, ac præſertim Catholicos Principes, veræ charitatis indiſſolubili nexu firmiter vinciat, induatque illos fortitudine, quæ de Cœlo eſt; undè hoſtes Chriſtiani Nominis, qui in multitudine contumaci, & ſuperbiâ venientes, Regna, Provincias, & Principatus evertere, cladibuſque involvere meditantur, protegente Domino, in cujus manu eſt ſalvare in multis, & in paucis, diſſipentur, & diſperdantur, atque à Chriſtianorum cervicibus longè repellantur.

Solemnem Proceſſionem indicit à Baſilica Vaticaria ad Eccleſiam S. Spiritus.

§. 2. Hæc autem ut fructuoſiùs, ac promptiùs ab omnibus peragantur, ex priſco Romanæ Eccleſiæ omnium Matris, & Magiſtræ more, cœleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem fidei Noſtræ commiſit Divina dignatio, aperire, & liberali manu erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, ex illâ ligandi, atque ſolvendi poteſtate, quam Nobis Dominus, licèt indignis contulit, univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus in præfatâ Urbe degentibus, qui ſolemni Proceſſioni, quam feriâ ſecundâ proximi Feſti Pentecoſtes à Baſilicâ Principis Apoſtolorum ad Eccleſiam Sancti Spiritus in Saxiâ de eâdem Urbe unà cum Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quos in Romanâ Curiâ adeſſe contigerit, ac Chriſtianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos exiſtentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, univerſoque Clero, & Populo, benedicente Domino, de more agemus, devotè interfuerint: vel Sancti Joannis in Laterano, ejuſdem Principis Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris dictæ Urbis Eccleſias, ſeu Baſilicas, vel earum aliquam intra ſpatium duarum proximarum hebdomadarum à Dominicâ infra currentem Octavam Aſcenſionis inchoandarum, ſaltem ſemel devotè viſitaverint, ibique per aliquod temporis ſpatium pias ad Deum preces, ut ſupra, effuderint, ac quartâ, & ſextâ feriis, & Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata ſua confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Dominicâ die immediate ſequenti, vel alia die inter eamdem hebdoma-

Plenariam Indulgentiam elargitur Adimplentibus opera præſcripta.

dam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decursurarum saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quartâ, & sextâ feriis, ac Sabato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominicâ immediatè sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam Sanctissimâ Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Præscribit adimplenda à Navigantibus, Regularibus, & aliis.

§. 3. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primùm ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, nec non aliis quibuscumque tam Laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi Pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam Laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfata, quàm extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causâ latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Facultatem Confessariis tribuit absolvendi à reservatis, & commutandi vota, religionis, & castitatis exceptis.

§. 4. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cùm præsentium literarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, terras & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Ordinariis ejusmodi literarum publicationem injungit.

§. 5. Non intendimus autem per præsentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolicâ Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico, etiam eorum nomine speciatim non expresso, excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum Partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Declaratio quoad Irregulares, excommunicatos, & alios.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcunque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus: privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresè ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio quibuscumque contrariis.

§. 7. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur, ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxxi. Maii MDCCXV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

Fides habenda transumptis.

Pro D. Card. Oliverio
I. C. Battellus.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo-quinto, Indictione octava, die verò 31. Maii, Pontificatus D. N. D. Clementis Divinâ Providentia Papæ XI. Anno decimo-quinto. supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranen-

Publicatio.

*sis, Vaticanæ, & Lib*eria*næ Cancellariæ Apostolicæ, Montis Citatorii, Aciei Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Josephum Batialem SS. D. N. Papæ Curs.*

Ludovicus de Cappellis Curs. Mag.

LXXX.

DECLARATIO

Nullitatis, rejectio, damnatio, & abolitio cujusdam actus appellationis, & protestationis à Procuratore Fiscali Regni Siciliæ novissimè editi adversùs binas Literas Apostolicas à Sanctitate Suâ non ita pridem emanatas super extinctione prætensæ Monarchiæ Siculæ, nec non super modo in posterùm judicandi Causas dicti Regni ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, cum aliis diversis Ordinationibus, & Decretis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

INnotuit Nobis nuper, quòd statim ac ad Siciliæ Regnum deferri contigit quasdam Nostras decimo Kalendas Martii proximè præteriti sub plumbo expeditas Literas, quibus, ob gravissimas in eis expressas rationes, prætensam Apostolicam ejusdem Regni Legationem, ac Monarchiam nuncupatam, ejusque assertum Tribunal, unà cum illius Judicis, Notariorum, Scribarum, Ministrorum, aliorumque Officialium quorumlibet dignitatibus, officiis, & ministeriis quibuscumque, omnique eorum titulo, essentiâ, ac denominatione perpetuò extinximus, suppressimus, & abolevimus: simulque etiam vulgatæ ibidem fuerunt aliæ Nostræ in simili formâ Brevis Literæ ad Venerabiles Fratres Archiepiscopos, & Episcopos, nec non dilectos Filios tam Sæcularem, quàm Regularem Clerum, reliquosque omnes Christifideles Regni præfati eâ ipsâ die, videlicet xx. Februarii nuper elapsi directæ, quibus pro paternâ Nostrâ erga illos populos charitate, certum præscripsimus modum, quo Causæ digni Recti ad Forum Ecclesiasticum pertinentes de cætero, etiam abolito Monarchiæ supradictæ Tribunali, cognosci, & definiri possent, ac deberent in ipsomet Regno, donec aliâ ratione à Nobis, & Sede Apostolicâ indemnitati, ac commodis Nationis Siculæ uberiùs consuleretur, ac aliàs, proùt in ambabus Nostris Literis prædictis pleniùs continetur; Sæcularis Potestatis in illo Regno Administri, in omnem sibi datam occasionem lædendi Nostram, & ejusdem Sedis authoritatem semper intenti, dictarumque Nostrarum Literarum vim, & efficaciam, quantum in ipsis est, tametsi irrito conatu, eludere, ac evertere satagentes: nullâ interpositâ morâ, sub nomine Procuratoris Fiscalis ejusdem Regni in Civitate Panormitan. edere, ibique, & forsan etiam in aliis ipsius Regni locis pervulgare præsumpserunt super præmissis Actum quemdam appellationis, & protestationis typis impressum tenoris, qui sequitur, videlicet: *Atto di Appellatione, e Protesta del Regio Procurator Fiscale del Regno di Sicilia. Il Regio Procurator Fiscale nel Regno di Sicilia, cui spetta invigilare per la difesa delli Privilegi, Regalie, Dritti e Consuetudini antiquitate del Rè, e del Regno, avendo avuta notizia, che nell' Alma Città di Roma sotto li 20. Febrajo del corrente Anno 1715. si publicò una Bolla del Sommo Pontefice Clemente XI.*

Narrat gesta in Regno Siciliæ post abolitionem Tribunalis asser. Monarchiæ, & destinationem Judicum pro cognitione Causarum Ecclesiasticarum.

Appellatio, & protestatio Procuratoris Fiscalis Siciliæ.

concernente l'Abolizione della Legazia della Monarchia di questo Regno con termine di due mesi, ed un Breve, che dona il sistema alle Cause Ecclesiastiche di essa Legazia, e considerando, che dette asserte Bolla, e Breve furono emanati senza citazione, ed audienza, ed in oltre che sono orrettizi, e surrettizi, e vengono à levare al Rè, ed al Regno una prerogativa, e giuridizione posseduta, ed essercitata per tempo immemorabile di tanti Secoli passata in legitima consuetudine, ed approvata non solo con la fama di antichissimo Privilegio, ma anche confirmata colla Bolla del Pontefice Urbano Secondo, e colli concordati così col Pontefice Adriano Quarto, come nel tempo del Santo Pontefice Pio Quinto, e con più atti susseguti sì espressi, che taciti, dalli Pontefici Successori fino al Regnante Pontefice Clemente XI. nel 1705. ratificati, ed osservati per lo spazio di sei Secoli, e non mai vulnerati, per essere stati concessi per causa onerosa (passata in forza di contratto) alla gloriosa memoria di quel Grande Eroe il Conte Rogiero Nortmanno conquistatore di questo Regno di Sicilia da potere dell' Infedeli, e Fondatore di tante belle Basiliche, Vescovati, ed Abbazie, con averle dotate della terza parte di esso, e che con tale osservanza, e possessione si è sempre continuato, sendo li suoi Popoli già connaturalizati à questa forma di vivere, in maniera che con detti asserti Bolla, e Breve vengono ad inferir si gravissimi pregiudizi alla Real Corona, ed à Regnicoli, e perche la detta asserta Bolla di Abolizione, ed in consequenza detto asserto Breve, come orrettizi, e surrettizi, contengono in se ingiustizia, privandosi il privilegiato delle riferite prerogative, e giurisdizione godute per lo corso di tanti Secoli, motivo per il quale crede esso Regio Procurator Fiscale, che la mente del Sommo Pontefice non sii stata bene informata, e che se fosse stata, non averebbe devenuta ad una tale risoluzione coll' abolizione di un dritto, e consuetudine immemorabile comprovata colli cennati Privilegi, e concordati già invisceratì ne i Regnicoli. Per tanto esso Regio Procurator Fiscale, come quello, à cui carico corre invigilare alla difesa delle Regalie, Dritti, Consuetudini, e Privilegi della Corona, e del Regno, ed al riflesso, che variandosi il costume antiquato disturbarebbe la publica quiete, e produrebbe molti sconcerti, ha giudicato in vigor del presente Atto con tutti li rispetti dovuti alla Santa Sede, ed al Sommo Pontefice (di cui li Popoli di questo fidelissimo Regno sono ubidientissimi figli) fare la presente supplica, ed appellazione dal Sommo Pontefice male informato, allo stesso Sommo Pontefice meglio informando, seu alla Santa Sede Apostolica, seu à chi, ed à quali si possono fare li legitimi ricorsi, ed appellazione, secondo la disposizione delli sacri Canoni per la revocazione delli riferiti due asserti Bolla, e Breve per riceverne la giustizia. E perche secondo la disposizione delle Leggi pendente l'appellazione non si deve innovar cosa alcuna; Perciò stante la presente supplica, ed appellazione s'intenda ipso jure sospesa la esecuzione di detti asserti Bolla, e Breve; protestandosi esso Regio Procurator Fiscale nel caso contrario di tutte le cose lecite, e permesse à protestarsi secondo la disposizione del dritto Naturale, Canonico, e Civile: Implorans &c. Salvo Jure &c. Cum potestate &c. Onde per futura testimonianza, e per passare alla notizia di tutti li Prelati Secolari, e Regolari, ed altri Ecclesiastici, e Popoli di questo Regno, e d'ogn'altro, dove tocca, si è fatto il presente Atto. In Palermo oggi li 20. Marzo 1715. die vigesimo Martii 1715. Fuit, & est redactus in Actis Magnæ Regiæ Curia præsens Actus Supplicationis, & Appellationis, & Protestationis: D. Salvator Biso pro Mag. Not.

§. 1. Licèt autem minimè dubitemus, quin absque ullius novæ nostræ declarationis ope, satis omnibus perspectum, exploratumque futurum sit, quantùm præinsertus appellationis, & protestatio-

tationis Actus, solo ejus tenore perpenso, Sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum dispositioni adversetur: ideòque quàm absonus, quàm irregularis, quàm scandalosus, ac prorsus inanis, & nullus, nulliusque roboris, & efficaciæ existat: attentisque insuper tot derogatoriis, aliisque amplissimis, & efficacissimis clausulis, ac decretis, quæ in præfatis Nostris Literis leguntur, manifestò contemnendus, ac nihili faciendus sit; Nihilominus, ne intolerandum per eumdem Actum Nobis, & huic Sanctæ Sedi illatam injuriam silentio præterire, ac quodammodò dissimulare videamur, ex injuncto Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis munere, memoratæ Sæcularis Potestatis Siculæ, abrogatæque Monarchiæ Ministris omnem, & quamcumque sub obtentu præinserti Actus in injusto abolitæ jurisdictionis exercitio continuandi ansam, seu prætextum omninò tollere; illosque, si qui sint, qui ob appellationem, ac protestationem hujusmodi præfatarum Nostrarum Literarum effectum, vel suspensum fuisse, vel saltem suspendendum esse falsò crederent, ab ejusmodi errore penitùs eripere, ac removere volentes: nec iis tantùm, quæ hactenus gesta sunt, congruum adhibere remedium, verùm etiam aliis, quæ eodem damnabili consilio tam à prædicto Procuratore Fiscali, quàm ab aliis, sive ejusdem Sæcularis Potestatis Siculæ, sive etiam extinctæ Monarchiæ Officialibus, & Ministris quibuscumque deinceps attentari possent, quantùm Nobis ex Alto conceditur, tempestivè occurrere cupientes: omniumque idcircò, & singulorum, quæ in præmissis, vel circa ea tam ab iis, qui præinsertum appellationis & protestationis Actum ediderunt, & pervulgarunt, quàm ab aliis quibuscunque, sive in sequelam ejusdem Actus, sive aliàs ad eundem finem impediendi, seu suspendendi executionem prædictarum Nostrarum Literarum quovis modo decreta, jussa, ordinata, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias; nec non quorumcumque Judicum, Ministrorum, etiam principalium, seu supremorum, Officialium, Notariorum, Scribarum, & Personarum quarumlibet in eisdem præmissis culpabilium qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcunque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & singillatim specificatis habentes: Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, Actum præinsertum, ac quæcumque in eo contenta, aliaque omnia, & singula sive in illorum sequelam, sive eodem consilio tam à memorato Procuratore Fiscali, quàm ab aliis quibuscumque Judicibus, Ministris, Officialibus, & Personis dicti Regni, etiam speciali, ac individuâ mentione dignis quovis modo forsan acta, gesta, & ordinata, cum omnibus, & singulis indè secutis, & quandocumque secuturis penitus, & omninò nulla, irrita, invalida, injusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, nulliusque omninò roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perindè ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere, tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, ac si quæ insuper à prædictis, seu aliis præmissorum occasione sive ad eumdem finem quoquomodò impediendi, seu suspendendi executionem Literarum Nostrarum prædictarum quandocumque, & quomodocumque (quod Deus avertat) de cætero similiter agi, geri, & ordinari contigerit, harum serie rejicimus, damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac pro rejectis, damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis & abolitis, viribusque, & effectu penitùs, ac omninò vacuis semper haberi volumus, & mandamus. Sciant propterea Archiepiscopi, & Episcopi supradicti, nec non uterque Clerus tam Sæcularis, quàm Regularis, ac reliqui omnes Christifideles ejusdem Regni, memorato eppellationis, & protestationis Actu, sive alio quovis Edicto, Decreto, Mandato, seu Præcepto, quod sive à Sæculari Potestate dicti Regni, sive ab illius, aut etiam abrogatæ Monarchiæ Ministris quibuslibet hactenùs hac in re promulgatum esset, vel in posterùm promulgari contingeret, non obstante, sese teneri, ac obligatos esse Literis Nostris supradictis absque ullâ morâ, retardatione, vel suspensione etiam minimâ, veram, integram, & omnimodam obedientiam præstare, atque exhibere, & si secus fecerint, omnes, & singulas pœnas in illis adversùs Contrafacientes præfinitas sese noverint eo ipso incursuros.

Actum præfatæ appellationis, & protestationis, & omnia inde secuta, & secutura nulla, ac irrita decernit, nec non illa expressè damnat, & reprobat.

§. 2. Præterea cùm explorati juris sit non tam illos, qui præinsertum Actum ediderunt ac promulgarunt, seu ei se subscripserunt, quàm alios omnes, & singulos, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, quantumcumque excelsæ, ac sublimis fuerint, qui sive editionem, & divulgationem ejusdem Actus, sive alia eodem consilio, sicut præmittitur, quovis modo gesta mandarunt, ac ordinarunt, seu illis consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam præstiterunt, aut in eorum sequelam, & executionem similiter gesta approbarunt, & rata habuerunt, seu aliàs in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, non solùm supradictas, sed etiam alias omnes censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra similia perpetrantes à Sac. Canonibus, Generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim Literis die Cœnæ Domini singulis annis legi, & promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse, illasque insuper etiam incursuros esse eos omnes, qui similia ad eumdem finem quoquomodo impediendi, seu suspendendi executionem earumdem Nostrarum Litterarum de cætero peregerint, ut præfertur; Noverint idcircò illi omnes, etiam specialissimâ mentione digni, à censuris, & pœnis hujusmodi, post debitam, & condignam Ecclesiæ realiter, & cum effectu præstitam satisfactionem, nonnisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentiâ in easdem censuras, & pœnas eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari posse, prout earumdem tenore præsentium decernimus, & similiter declaramus.

Declarat participes præfati Actus incidisse in Censuras Ecclesiasticas, à quibus præterquam in mortis articulo, à solo Rom. Pontif. absolvi possint.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari; nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis formali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, seu adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus concesso,

Decreta roborantia cum clausulis salutaribus consuetis

vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo unquam posse; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio quibuscumque contrariis.

§. 4. Non obstantibus præmissis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in binis Nostris Literis supradictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Cum autem præsentes Literæ in memorato Regno Siciliæ nequeant tutè publicari, ut hactenùs experientiâ compertum est, ac Nobis per legitimas probationes satis, superque constat, prout harum serie declaramus; volumus illas, seu earum exempla, ut ad omnium notitiam deveniant, ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; Utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Junii MDCCXV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

Præscribitur modus publicationis.

Fides habenda transumptis.

Pro D. Card. Oliverio
I. C. Battellus

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesus Christi millesimo septingentesimo decimoquinto, Indictione Octava, die verò 23. Julii, Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimoquinto, supradicta literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Vaticanæ, & Liberianæ, Cancellariæ Apostolicæ, Montis Citatorii, Aciei Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Theodorum Vannonum SS. D. N. Papæ Curs.

Ludovicus de Cappellis Mag. Curs.

LXXXI.

CONCESSIO

Indulgentiarum Christifidelibus Italiæ, & Insularum ei adjacentium, Divinam opem contra Turcas, aliosque Infideles implorantibus

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

CUm Nos nuper, videlicet in Festo proximè præterito Sanctissimi Nominis Beatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, solemni Processioni à Collegiata Ecclesia Sancti Marci ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Porticu nuncupat. de Urbe à Nobis institutæ, una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos tunc in Romanâ Curiâ adesse contigerat, aliisque Prælatis, & Officialibus ejusdem Curiæ, imò etiam universo Clero, & populo Urbis supradictæ interfuerimus; ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui peracto præcedentis diei jejunio Ecclesiastico, Processioni præfatæ interfuissent, vel utramque Ecclesiam hujusmodi eodem, aut aliquo ex duobus subsequentibus diebus visitassent, ibique Divinum auxilium contra Turcas, aliosve Infideles ingentibus copiis, immanique ferociâ exitium, & clades Christiano nomini inferre molientes, ac Mahumetanæ perfidiæ abominationem longè, latèque propagare satagentes, devotè imploràssent, ac insuper aliquam eleemosynam, prout unicuique suggessisset devotio, pauperibus erogassent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concesserimus; Nec non ejusmodi Indulgentiæ sub certis modo, & formâ tunc expressis participes quoque fieri voluerimus Regulares utriusque sexus in clausurâ viventes, ac alios Christifideles quoscumque in carcere existentes, vel aliquâ corporis infirmitate, seu aliquo quovis impedimento detentos, qui ad cœlestem opem in hoc gravissimo Christianæ Reipublicæ periculo similiter confugissent: publicasque propterea ad Deum preces indixerimus, ut Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, eâdem Glorioßissimâ Virgine Maria intercedente, Ecclesiam suam sanctam protegere, illiusque hostes secundis armorum suorum initiis elatos, nihilque sibi impervium jam fore confidentes, virtutis suæ potentiâ confringere, & dissipare dignaretur; Nunc verò etiam reliquos Italiæ universæ, & Insularum illi adjacentium Christifideles, ad eadem Christianæ pietatis opera peragenda, similibus spiritualium gratiarum muneribus incitare cupiamus.

Solemnem Processionem habuit Ecclesia S. Marci ad Ecclesiam S. Mariæ in Porticu ad implorandum divinum auxilium contra Turcas.

§. 1. Hinc est, quod Nos Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis aliisque Ecclesiarum Prælatis, & Ordinariis Civitatum, & Diœcesum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum universæ Italiæ, & Insularum adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus Generalibus per præsentes committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa ad eos pervenerint, Processiones, in suis respectivè Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis instituant, publicasque preces pro eorumdem Turcarum, & aliorum Infidelium depressione, ac felicibus armorum Christianorum successibus pariformiter indicant; Nos enim omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui Processionibus hujusmodi respectivè interfuerint, vel Ecclesias à quâ, & ad quam aliqua Processio hujusmodi fiet, eodem, vel aliquo ex duobus sequentibus diebus devotè itidem visitaverint, ibique divinum auxilium, ut præmittitur, imploraverint, ac insuper pari unius diei jejunio Ecclesiastico peracto, aliquam similiter eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, pauperibus erogaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem per unumquemque Christifidelem, semel tantùm lucrifaciendam, concedimus pariter, & elargimur.

Italiæ & Insularum adjacentium Ordinariis injungit, ut similes Processiones, publicasque preces instituant; easque peragentibus Indulgentiam plenariam concedit.

Aliam Indulgentiam elargitur Intereſſentibus recitationi Litaniarum omnium Sanctorum.

§. 2. Præterea eiſdem Chriſtifidelibus, qui recitationi Litaniarum omnium Sanctorum cum Collectis, & precibus tempore belli contra Paganos, recitari ſolitis in aliquâ ex Eccleſiis Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum prædictorum per memoratos Locorum Ordinarios reſpectivè deſignandis, anno à die publicationis earumdem præſentium computando durante dumtaxat, itidem devotè interfuerint, ibique, ut ſupra dictum eſt, oraverint, quocunque die interim id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu per eos quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Eccleſiæ conſuetâ relaxamus; Nec non, ut omnes, & ſingulæ Indulgentiæ, ſeu peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes prædictæ animabus Fidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum ſuffragii applicari poſſint, indulgemus.

Utramque communicat Regularibus aliiſque impeditis.

§. 3. Denique Regularibus utriuſque ſexus in perpetuâ clauſurâ viventibus, nec non aliis Chriſtifidelibus quibuſcumque in carcere exiſtentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, ſeu aliquo quocunque impedimento detentis, qui ſupra expreſſa, vel eorum aliqua præſtare nequiverint, ut illa Confeſſarius ex jam approbatis à Locorum Ordinariis ante præſentium publicationem, ſeu approbandis, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus differre, eaque injungere poſſit, quæ ipſi Pœnitentes adimplere poterunt, ſimiliter indulgemus.

Fides adhibeatur tranſumptis.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Octobris MDCCXV. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquinto.

F. Card. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimoquinto, Indictione Octava, die verò duodecima Octobris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno ejus decimo quinto, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ SS. Apoſtolorum, Petri, & Pauli, Cancellariæ Apoſtolicæ, in Monte Citatorio; in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Antonium Placentinum Apoſt. Curſ.

Andreas Grecus Magiſter Curſ.

LXXXII.

BEATIFICATIO

Servi Dei Joannis Franciſci Regis Sacerdotis profeſſi Societatis Jeſu, ejuſque Miſſæ, & Officii certis in locis conceſſio.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

VIros glorioſos, qui divites in virtute, adepti ſunt gloriam in converſatione gentis, hoc eſt: Sanctos, & Electos Domini, quos clarioribus multiformis ſuæ gratiæ chariſmatibus exornavit Divina dignatio, laudandos eſſe monet Spiritus Sanctus; Decet ſiquidem eis, quos æternus Judex immarceſcibilis gloriæ coronâ donat in Cœlis, & quorum Sanctitatem ſequentibus ſignis teſtatam facit in terris, debitæ venerationis cultum etiam à Fidelibus exhiberi, ut ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Eccleſia.

Narrat virtutes, & merita Servi Dei Jo. Franciſci Regis.

§. 1. Hos inter, cum longè, latèque refulſerit Dei Servus Joannes Franciſcus Regis Sacerdos profeſſus Societatis Jeſu, qui nimirum virtute indutus ex alto, portanſque jugum ab adoleſcentiâ ſuâ, pœnitentiæ auſteritatem cum innocentiæ candore uſquequaque conjunxit: ac, jugiter dilatante cor ejus Spiritu Sancto, in omnibus exhibuit ſeipſum, ſicut Dei Miniſtrum, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in ſcientiâ, in ſuavitate: præcipuè verò in charitate non fictâ, quâ in Deum, & proximos mirabiliter æſtuavit; Apoſtolici muneris, quod Nos, viribus licèt, & meritis longè impares, gerere voluit Altiſſimus, ratio exigit, ut illius honorem, ac venerationem, ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Eccleſiæ decus, Chriſtianique populi ſpiritualem ædificationem, quantùm Nobis ex alto conceditur, promovere ſtudeamus.

De Conſilio Congregationis Sacrorum Rituum Beatum declarat eumdem Dei Servum.

§. 2. Cùm itaque maturè, diligenterque diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum proceſſibus ritè, ac rectè confectis ſuper vitæ Sanctitate, & Virtutibus heroicis, quibus idem Servus Dei Joannes Franciſcus multipliciter claruiſſe, nec non miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & ad manifeſtandam hominibus illius Sanctitatem à Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, eadem Congregatio coram Nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unâque voce cenſuerit poſſe, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari, cum conſuetis indultis; Hinc eſt, quod Nos piis, atque enixis quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Regni Galliarum, ac potiſſimùm Provinciæ Occitaniæ, nec non dilectorum Filiorum Magiſtratuum, Procerum, & Populorum Provinciæ hujuſmodi, ac totius inſuper Societatis Jeſu ſupradictæ ſupplicationibus (quas dudum etiam claræ memoriæ Ludovicus XIV., dum viveret, Francorum Rex Chriſtianiſſimus devotarum ſuarum precum acceſſione roboraverat) Nobis ſuper hoc humiliter porrectis paternâ benignitate annuentes, de memoratorum Cardinalium conſilio pariter, & aſſenſu, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium indulgemus, ut idem Dei Servus Joannes Franciſcus Regis in poſterùm Beati nomine nuncupetur, ejuſque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore non Pontifice ſingulis annis, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, die XXIV. Maii, cum dies XXXI. Decembris, quâ ipſe Servus Dei ſpiritum Creatori reddidit, & aliæ plures illam ſubſequentes, ut notum eſt, impeditæ reperiantur.

Indulget, ut ejus Corpus, & Reliquiæ venerationi exponantur, Imagines exornentur, ac de eo Miſſa, & Officium in certis dumtaxat locis celebrentur.

Loca deſignat, ubi Miſſam celebra-

§. 3. Porrò recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infraſcriptis, videlicet: in Opido de

ri, & Officium recitari permittit.

Foncovverte Narbonenſis Diœceſis, in quo dictus Servus Dei natus eſt, in Pago *Laloveſci* Viennenſis Diœceſis in Delphinatu, undè ad Cœlos evolavit, & ubi venerabile ejus Corpus requieſcit, ac in Civitate Anicienſi, in quâ plurium annorum ſpatio, & penè uſque ad ſuum obitum habitare conſuevit, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, nec non in univerſâ Societate præfatâ, & quantùm ad Miſſam attinet, etiam à Sacerdotibus ad Eccleſias ejuſdem Societatis confluentibus.

Solemnia Beatificationis ejuſdem Servi Dei primo tantum anno ſub Ritu duplici majori celebrari indulget.

§. 4. Præterea primo dumtaxat anno à datis hiſce literis, & quoad Indias à die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Oppidi, Pagi, Civitatis, & Societatis hujuſmodi reſpectivè Solemnia Beatificationis ejuſdem Servi Dei cum Officio, & Miſſâ ſub Ritu Duplici majori, die ab Ordinariis reſpectivè conſtitutâ, & intra ſex menſes promulgandâ, poſtquam tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia: pro qua re ſupradictam diem 24. currentis menſis Maii aſſignamus, pariter celebrandi facimus poteſtatem.

Derogat quibuſcumque contrariis, & fidem tranſumptis haberi mandat.

§. 5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis de non cultu editis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die octavâ Maii MDCCXVI. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.

F. Card. Oliverius.

LXXXIII.

IMPOSITIO SUBSIDII

Unius millionis Cruciatorum ad favorem Regis Portugalliæ pro ſumptibus belli contra Turcas.

Venerabili Fratri Vincentio Archiepiſcopo Laodiceæ noſtro, & Sedis Apoſtolicæ apud Regem Portugalliæ Nuncio.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium à pietate, ac zelo Regis Portugalliæ, qui validum bellicarum Navium ſubſidium adverſus Turcas Corcyram obſidentes tranſmiſerat.

CUm Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Joannes Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illuſtris non minus pro eximiâ ſuâ pietate, egregioque, quo fervet, honoris Dei, & Catholicæ Religionis tuendæ zelo, quàm noſtris paternis officiis, atque hortationibus excitatus validum complurium bellicarum Navium tam Claſſi noſtræ Pontificiæ, quàm aliis Navibus, & Triremibus ab aliis Regibus, Principibus, & Rebuſpublicis Chriſtianis contra Turcas miſſis, ſeu mittendis uniendarum, ac inſimul adverſus eoſdem Turcas, Civitatem, & Arcem Corcyren. vehementi obſidione urgentes, militaturarum ſubſidium tranſmiſerit; Vires verò Ærarii ipſius Regis tam præteritis bellis, quàm graviſſimis prædictarum bellicarum Navium expeditione, hactenùs factis, ſumptibus attritæ, nec non Laicorum ei ſubjectorum facultates ulterioribus in ejuſmodi cauſam faciendis expenſis pares minimè futuræ ſint, ac proinde idem Joannes Rex aliquo præſentaneo ex rebus, & bonis Eccleſiarum, & Locorum Piorum in ejus Regnis, aliiſque dominiis conſiſtentium ſubſidio à Nobis juvari plurimùm deſideret, præſertim quia aliud ſimile ſubſidium, quod Nos dudum per quaſdam noſtras in ſimili formâ Brevis die XVI. Aprilis MDCCXII. expeditas Literas, quarum tenorem præſentibus haberi volumus pro expreſſo, à Perſonis Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus Regnorum, & dominiorum præfatorum in cauſam neceſſariæ eorum defenſionis ſub certis modo, & formâ tunc expreſſis perſolvi poſſe permiſimus, ſuum effectum non habuit, nec noſtræ Literæ hujuſmodi executioni demandatæ fuerunt; Nos licet ab Eccleſiarum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Locorum Piorum gravaminibus animo ſimus maximè alieni, nihilque magis Nobis cordi ſit, quàm eorum libertatem, & immunitatem illibatam conſervare; conſiderantes tamen hac in re univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ, immò ipſius Dei, cujus Templa, & Sacra violantur, veraque Religio per Mahumetanæ abominationis propagationem conculcatur, & pervertitur, cauſam agi, adeòque non minùs Clericorum, quàm Laicorum intereſſe, ut communis, & infenſiſſimi Chriſtiani nominis hoſtis conatus, & audacia reprimantur, afflictæque rei Chriſtianæ opportunè ſubveniatur, ejuſdem Joannis Regis poſtulatis quantùm Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere volentes, nec non memoratum ſubſidium à Nobis aliàs, ſicut præmittitur, ſolvi permiſſum, expeditaſque deſuper Literas noſtras ſupradictas harum ſerie revocantes, irritantes, & annullantes, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacuantes, de Nobis divinitùs attributæ poteſtatis plenitudine, unum aliud ſubſidium, ſeu contributionem unius millionis Cruciatorum monetæ Portugalliæ ſuper omnibus, & ſingulis fructibus, reditibus, & proventibus omnium Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Collegiatarum, Parochialium, & aliarum Eccleſiarum, nec non Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Hoſpitiorum, Domorum, & aliorum Locorum Regularium utriuſque ſexus, ac Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, Conventualium, Capitularium, & aliarum Menſarum, Prioratuum quoque, Præpoſiturarum, Præpoſitatuum, Præceptoriarum, ſeu Commendarum, Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum etiam poſt Pontificales majorum in Cathedralibus, & principalium in Collegiatis Eccleſiis, Perſonatuum, Adminiſtrationum, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam de Jurepatronatus dicti Joannis Regis, aliorumque Principum, & Laicorum, etiam ex fundatione, & dotatione exiſtentium cum Curâ, vel ſine Curâ Secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Auguſtini, Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Præmonſtratenſis, Carthuſienſis, Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi, aliorumque Ordinum quorumvis utriuſque ſexus, etiam Mendicantium ex privilegio, & aliàs bona immobilia, ſeu certos reditus quoquo modo Eccleſiaſticos habentium, nec non Societatum etiam Jeſu, ac Sancti Salvatoris Lateranenſis, & Sancti Joannis Evangeliſtæ, aliorumque Congregationum, & Inſtitutorum Regularium quorumlibet tam Virorum, quàm Mulierum; præterea Hoſpitalium pauperum hoſpitalitatem non exercentium, ſeu bona, & reditus ultra uſus Infirmorum, & alia, pro quibus inſtituta ſunt, pia Officia exercenda poſſidentium; nec non Militiarium, cæterorumque Locorum piorum quorumcumque in Regnis, & Dominiis eidem

Et aliud pecuniarium ſubſidium à Pontifice obtentum nondum exegerat.

Abrogato priori ſubſidio Pontifex novum ſubſidium unius millionis Cruciatorum ſuper fructibus quarumcumque Eccleſiarum Portugalliæ, & Dominiorum ejuſdem Regis imponit.

Excipit S. R. E. Cardinales, Officium S. Inquiſitionis, & Milites Hieroſolymitanos.

Joanni

Designat Beneficia non taxanda.

Joanni Regi subjectis consistentium (exceptis tamen Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Officio Sanctæ Inquisitionis adversùs hæreticam pravitatem, ac Fratribus Militibus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, & quoad Curata iis, quorum quadraginta, quo verò ad simplicia Beneficia Ecclesiastica iis, quorum annui redditus summam decem ducatorum auri de Camerâ non excedunt,) ac similiter super omnibus, & singulis pensionibus annuis super præmissis assignatis, vel assignandis per quoscumque Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, Præpositos, Decanos, Canonicos, Rectores, Beneficiatos, Abbates, Priores, Commendatarios, Abbatissas, Prioriss as, Capitula, Conventus, Superiores, Monachos, Fratres, Clericos, & Presbyteros etiam dictæ Societatis Jesu, Moniales, Præceptores, seu Commendatarios, cæterosque quocumque jure, modo, occasione, & titulo præfata obtinentes, seu detinentes, & obtenturos, Oeconomos quoque, & Administratores perpetuos, seu temporales, usufructuarios, ac fructus, pensionesve præfatas quantumcumque exemptas, & quibusvis obligationibus, etiam in formâ Cameræ Apostolicæ, & juramento, etiam cum susceptione censurarum, & de non contraveniendo, ac etiam fortasse de non impetrando gratias nostras contra eos, & concessis non utendo, vallatis, & forsan aliis etiam efficacioribus cautelis, & decretis, & clausulis super iisdem pensionibus, etiam medio Cedularum Banchi, seu in formâ depositi, resque, & alia quæcumque hujusmodi Jura, & bona ex quacumque causâ quavis authoritate in toto, vel in parte sibi reservatâ, aut concessâ habentes, seu habituros, cæteraque Personas, ad quas spectat, & spectabit, Seculares, & Regulares (exceptis supradictis) semel tantùm intra tempus à Te præfiniendum, quod tamen non sit minùs triennio, persolvendum, & persolvendam tenore præsentium imponimus, & indicimus.

Nuncio Apostolico committit Exactionem ejusmodi subsidii.

§. 1. Ac proinde de Fraternitatis tuæ pietate, fide, integritate, prudentiâ, charitate, rerum usu, Christianæque Religionis, & boni publici studio plurimam habentes in Domino fiduciam, eidem Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut ipsorum subsidii, & contributionis sic impositorum, & in dictorum ratas portiones singulas, & singula, Ecclesias, Monasteria, Collegia, cæteraque pia loca, & Beneficia præfata, ac eorum Capitula, Conventus, Prælatos, Rectores, Administratores, & Personas quascumque respectivè contingentes, assumptis tamen, & adhibitis ad hoc aliquibus timoratæ conscientiæ Viris earum rerum peritis, quos assumendos, & adhibendos esse censueris, authoritate nostrâ Apostolicâ taxes, definias, & determines, ipsasque ratas portiones sic taxatas, definitas, & determinatas per Commissarios, Exactores, Collectores, & Executores à Te constituendos, & deputandos à prædictis omnibus, aliisve quibuslibet, ad quos spectat, & spectabit, cujuscumque qualitatis, status, ordinis, præeminentiæ, conditionis, & dignitatis, ac quocumque privilegio, immunitate, exemptione reali, personali, & mixtâ quantumlibet antiquâ, & pacificâ, nec unquam interruptâ, & libertate suffulti, seu aliàs, specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni existant, omni, & quacumque appellatione, exceptione, reclamatione, recursu, excusatione, & tergiversatione remotis, & postpositis, eâdem authoritate exigas, & exigi cures, illosque, & eorum quemlibet tam conjunctim, quàm divisim ad veram, realem, & actualem solutionem subsidii, & contributionis hujusmodi eos respectivè contingentium sine ullâ morâ faciendam opportunis juris, & facti remediis etiam per censuras Ecclesiasticas dictâ authoritate cogas, & compellas.

Cum amplissima facultate cogendi ad solutionem quoscumque renuentes.

§. 2. Nos enim Tibi quoscumque Contradictores, perturbatores, molestatores, & rebelles in præmissis Tibi parere recusantes, eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, ac directè, vel indirectè quovis quæsito colore præstantes cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis opportunis cogendi, & compellendi, ipsasque censuras, & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii secularis quandocumque opus fuerit, invocandi, eos verò qui debitè satisfecerint, ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in formâ Ecclesiæ consuetâ absolvendi, ac cum eis super irregularitate per eos eâ de causâ contractâ dispensandi, eosque rehabilitandi, & ad pristinum statum restituendi; Præterea Viros Ecclesiasticos probos, ac fide, & facultatibus idoneos ad præmissa omnia, & singula executioni mandandum, Commissarios tuos, Exactores, Collectores, & Executores in singulis Civitatibus, & Diœcesibus, Provinciis, & Locis Regnorum, & Dominiorum præfatorum, quotquot videris expedire, cum simili, vel limitatâ potestate constituendi, & deputandi, illosque arbitrio tuo removendi, & revocandi, & alios eorum loco, toties quoties opus fuerit, deputandi, & subrogandi, in delinquentes, vel contumaces per Te, vel alium, seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ Judicii inquirendi, & procedendi, eosque debitis pœnis, & animadversionibus puniendi, modos, & formas in præmissis servandos præscribendi, dubia quæcumque in iisdem præmissis forsan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & singula in eis, & circa ea quoquo modo necessaria, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus sit expressum, faciendi, gerendi, decernendi, statuendi, & exequendi, plenam, liberam, amplam, & omnimodam facultatem, licentiam, & potestatem authoritate præfatâ earumdem tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Mandat pecunias exigendas persolvi Regi, vel ejus Ministris, & erogari in sumptus tantùm belli contra Turcas.

§. 3. Volumus autem ut pecuniæ quæcumque ex subsidii, & contributionis hujusmodi exactione, quomodolibet proventuræ, & redigendæ memorato Joanni Regi, seu ejus Ministris à Te, seu à Commissariis tuis de speciali mandato tuo, seu pro tempore existentis apud eumdem Joannem Regem nostri, & Apostolicæ Sedis Nuncii, per Te, seu illum subscripto tradantur, & consignentur, ad hoc ut in causam memoraturam, & aliarum expensarum occasione præfati Belli contra Turcas, aliosve Infideles dumtaxat faciendarum, & non in aliam quamcumque omninò convertantur, super quibus, aliisque omnibus, & singulis præmissis tuam, dictique Nuncii, ac Commissariorum, Executorum, Exactorum, & Collectorum præfatorum, nec non quoad conversionem pecuniarum hujusmodi ipsorum quoque Joannis Regis, ejusque Ministrorum conscientias oneramus.

Decretum irritans cum sublata, & aliis amplissimis clausulis.

§. 4. Decernentes omnia, & singula per Te, seu Commissarios tuos in præmissis juxta earumdem tenorem præsentium facienda, gerenda, dicenda, & mandanda, valida, firma, & efficacia forè, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, inviolabiliter observari, & adimpleri debere, neque ipsas præsentes Literas, etiam ex eo quod in præmissis quomodolibet

intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex aliâ quacumque etiam quantumvis juſtâ, legitimâ, piâ, & privilegiatâ cauſâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus aliove quolibet etiam quantumvis formali, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, & facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeu impetrato, aut etiam Motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſo, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare unquam poſſe; Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus omnibus, & ſingulis præmiſſis; ac felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædeceſſoris noſtri de unâ, & Concilii Generalis de duabus dietis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Coliegiorum, & Locorum Piorum, ac Ordinum Congregationum, & Societatum etiam Jeſu, Militiarum, & aliorum præfatorum, & quibuſvis aliis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, & uſibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, Conventibus, & Loci Piis, ac Ordinibus, Congregationibus, Societatibus etiam Jeſu, Militiis, & aliis prædictis, illorumque Præſulibus, Capitulis, Abbatibus, aliiſque Superioribus, & perſonis quibuslibet, etiam in limine fundationis, & erectionis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, approbatis, & innovatis.

Derogat quibuſcumque contrariis.

§. 5. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ exprimerentur, & inſererentur præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac pleniſſimè derogatum eſſe voluimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi præfatis, vel aliis quibuslibet communiter, vel diviſim ab eâdem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

In exactione ſubſidii mandat ſervari Conſtitutionem Clementis V. & caveri, ne ſacra ſuppellectilia recipiantur.

§. 6. In percipiendis verò ſubſidio, & contributione prædictis rec. me. Clementis PP. V. etiam Prædeceſſoris noſtri in Concilio Viennenſi editam Conſtitutionem, ac præſertim, quòd nec Calices, nec libri, cæteraque Eccleſiarum ornamenta Divino Cultui dicata, aliave ſuppellectilia Eccleſiaſtica ex causâ pignoris capi, recipi, vel diſtrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique præcipimus obſervari: quinimò volumus, ut illius occaſione Eccleſiæ, Monaſteria, aliaque pia, & Sacra Loca quæcumque debitis propterea non fraudentur obſequiis, ac Divinus in eis Cultus, & ſolitus Altiſſimo famulantium, & Miniſtrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo injuncta onera, aut pia, quæ exercere ſolent, opera, & officia ullo modo minuantur, ſeu negligantur, ſed eorum congruè ſupportentur onera conſueta, quodque præſentium literarum exemplа, etiam impreſſa, manu Notarii publici ſubſcripta, & alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ ſigillo obſignata eamdem in judicio, & extra illud ubique locorum fidem faciant, quàm ipſæ originales facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Auguſti MDCCXVI. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſexto.

Neve Sacra loca debitis fraudentur obſequiis.

Loco ✠ Sigilli.

F. Card. Oliverius.

UNIO PERPETUA LXXXIV.

Trium Parochialium Eccleſiarum de Jurepatronatus Regis Portugalliæ Regiæ Cappellæ M. S. in Civitate Ulyxbonen. pro augumento proventuum eidem Regiæ Cappellæ Inſervientium.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcopi Bracharen. & Epiſcopi Lamacen. Officialibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Exordium à zelo promovendi incrementum divini Cultus in Eccleſiis præſertim Collegiatis inſignibus.

IN Supremo Apoſtolicæ Dignitatis Solio Divinâ favente clementiâ meritis licèt imparibus conſtituti ad ea, per quæ quarumdam Collegiatarum Eccleſiarum, quæ inter præcipuas Univerſi Orbis Eccleſias, utpotè Regio nomine inſignitas, ac alicui ex Divis Apoſtolis dicatas conſpicuo honore illuſtrantur, & frequenti Nobilium interventu, atque Regalium Perſonarum præſentiâ decorantur, gloriæ, & ornamento, & Eccleſiaſticorum Miniſtrorum in illis Divini cultus inſiſtentium indigentiis conſulitur, Paſtoralis Officii noſtri ſollicitudinem favorabiliter interponimus, ut eiſdem Eccleſiis, ubi debita veneration is officia, eâ qua par eſt curâ, religione, & reverentiâ, præſtantur, additis majoribus reditibus, ipſorumque Eccleſiaſticorum Miniſtrorum adauctis commodis, & utilitatibus pro majori illorum decore, onerumque illis incumbentium ſupportatione ad uberiorem æterni nominis gloriam Divinus cultus, ac Fidelium pietas latiùs in dies multiplicetur.

Pontifex in Collegiatam insignem erexit Regiam Cappellam Ulyxbonen. ac in ea sex dignitates, octodecim Canonicatus, & duodecim Beneficiatus instituit.

§. 1. Alias siquidem Nos Regiam Capellam Divo Thomæ dicatam Regii Palatii Civitatis Ulyxbonen. totius Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum Metropolis in Sæcularem, & Insignem Collegiatam Ecclesiam sub ejusdem Divi Thomæ invocatione, & in eâ Decanatum Primam, & Principalem, cujus octoginta octo cum duobus tertiis, computatis verò distributionibus quotidianis, ducentorum, & sexaginta sex, ac alias quinque Dignitates, & octodecim Canonicatus, totidemque Præbendas, quarum, & quorum cujuslibet sexaginta sex cum duobus tertiis, computatis verò distributionibus quotidianis, ducentorum, nec non duodecim perpetua simplicia, personalemque residentiam requirentia Beneficia Ecclesiastica, quorum cujuslibet triginta trium ducatorum auri de Camerâ cum uno tertio alterius ducati similis, computatis verò eisdem distributionibus quotidianis centum ducatorum auri similium, respectivè fructus, reditus, & proventus valorem annuum non excederent, pro totidem Clericis, seu Presbyteris futuris in eâ respectivè Dignitatibus, Canonicis, & Beneficiatis in eisdem tamen Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis, & Beneficiis hujusmodi ad nominationem infrascripti Joannis Regis, & ejus in dictis Regnis Successorum Regum per Ordinarium loci, aut aliàs instituendis, qui apud dictam Collegiatam Ecclesiam residere, illique in Divinis, ac aliàs deservire deberent, Apostolicâ auctoritate ereximus, & instituimus, eidemque infrascripto Joanni Regi, ejusque in dictis Regnis Successoribus Regibus præfatis deputandi nonnullos Clericos Mansionarios nuncupatos ad ejus, eorumque respectivè nutum amovibiles, qui eidem Collegiatæ Ecclesiæ unà cum Dignitatibus, Canonicis, & Beneficiatis præfatis inservire tenerentur, facultatem tribuimus, & pro majori dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, ubi Rex, & Regina quotidiè functionibus Ecclesiasticis assistunt, decore, & honore, & magnificentiâ alia Indulta, Privilegia, & prærogativas concessimus, pro Mensæ verò Capitularis ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ, ac Dignitatum, & Canonicatuum, & Præbendarum, nec non Beneficiorum hujusmodi dote, nonnullos tunc expressos reditus, & proventus applicavimus, & appropriavimus.

Quorum nominationem Regi Portugalliæ pro tempore reservavit.

§. 2. Nuper verò Charissimus in Christo Filius noster Joannes modernus Portugalliæ, & Algarbiorum Regnorum Rex animadvertens, fructus, reditus, & proventus Mensæ Capitulari dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, ut præfertur, applicatos, & appropriatos ob illius conspicuitatem, & splendorem impares existere, eique de illis, quantum in se est, providere anhelans, ad hoc, ut Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ se honorificentiùs manutenere valeat, ac Dignitates, & Canonicatus, & Præbendas, nec non Beneficia hujusmodi, nunc, & pro tempore obtinentes in functionibus Ecclesiasticis peragendis, & Divinis Officiis celebrandis Altissimo, Deiparæque Virgini Mariæ, Divoque Thomæ, quotidiè, & assiduè etiam honorificè, & splendidè præstent famulatum, & providè considerans, quòd si una Sancti Petri de Alfan Degada Fee, cujus septingentorum, & sex, una verò cum incertis septingentorum, & quadraginta unius, super quibus una nonaginta duorum, & alia Sancti Bartholomæi Oppidi de Villaflor Bracharen., cujus septingentorum, & viginti sex cum duobus tertiis, una verò cum incertis septingentorum, & octoginta unius, super quibus altera pensiones annuæ, antiquæ, perpetuæ, centum, & triginta Ducatorum auri de Camerâ, cum uno tertio alterius ducati hujusmodi olim dictæ Capellæ Regiæ in Collegiatam erectæ, Apostolicâ auctoritate reservatæ, post verò erectionem, & institutionem præfatas Mensæ Capitulari præfatæ Collegiatæ Ecclesiæ hujusmodi assignatæ respectivè reperiuntur, quæ per præsentem gratiam extinctæ, & cum fructibus, ut infra, applicandis consolidatæ remanebunt, nec non reliquæ Parochiales Ecclesiæ Sancti Jacobi Oppidi de Leomil Lamacen. respectivè Diœcesis, cujus, & illis forsan respectivè annexorum, etiam respectivè, fructus, reditus, & proventus tercentorum, & novem una verò cum incertis tercentorum, & quinquaginta unius insimul deductâ congruâ pro infrascriptis Vicariis mille sexcentorum, & nonaginta quatuor ducatorum auri de Camerâ cum duobus tertiis alterius ducati similis secundùm communem æstimationem, valorem, annuum, ut asseritur, non excedunt, & quæ, sicut accepimus, de Jurepatronatus præfati Joannis Regis ex fundatione, vel dotatione, aut privilegio Apostolico, cui non est hactenùs in aliquo derogatum, fore dignoscuntur, & ad præsens primo, & secundo dictæ, videlicèt per obitum illarum ultimorum Possessorum extra Romanam Curiam defunctorum; Tertio dictæ verò Parochiales Ecclesiæ hujusmodi certo modo extra eandem Curiam vacantes prævià illarum, & cujuslibet earum tituli collativi suppressione, & extinctione de consensu ejusdem Joannis Regis eidem Mensæ Capitulari dictæ Collegiatæ Ecclesiæ auctoritate nostrâ Apostolicâ perpetuò unirentur, ex hoc profectò decori, majorique splendori præfatæ Ecclesiæ Collegiatæ, & Divini Cultus in ea augmento consuleretur. Quare pro parte dicti Joannis Regis, & ejus nomine dilecti Filii Nobilis Viri Roderici Annes de Saa Almeida, & Menezes Marchionis de Fontes præfati Joannis Regis apud Nos Oratoris extraordinarii, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Collegiatæ Ecclesiæ præfatæ venustati, & decori in præmissis providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Eidem Regi facultatem insuper tribuit deputandi nonnullos Mansionarios amovibiles, & plures reditus, & varia privilegia prædictæ Collegiatæ concessit.

Attenta modicitate redituum imparium conspicuitati, & splendori dictæ Collegiatæ Rex Portugalliæ supplicat Sanctitati suæ, ut tres Parochiales Ecclesias de Regio Jurepatronatus vacantes hic nominatas cum omnibus illarum proventibus prædictæ Collegiatæ Mensæ Capitulari in perpetuum unire dignetur.

§. 3. Nos igitur, qui Collegiatarum Ecclesiarum quarumlibet præsertim in Regiis Palatiis erectarum, statum felicem, & manutentionem sinceris promovere desideramus affectibus, ipsumque Joannem Regem specialis gratiæ favore prosequi volentes, verumque, & ultimum dictarum Ecclesiarum vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis, reservatis etiam in corpore Juris clausa resultet, præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis omnibus, qui fuerint evocandi, Parochiales Ecclesias præfatas, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex aliorum quorumcumque Personis, seu per liberas resignationes dictorum defunctorum, & quoad tertio dictam Parochialem Ecclesiam illius ultimi possessoris, vel quorumvis aliorum de illis in dictâ Curiâ, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & Testibus sponte factas, aut Constitutionem felicis recordationis Joannis Papæ XXII. Prædecessoris nostri, quæ incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici ordinariâ auctoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quòd earum collatio juxta Lateranen. Statuta Concilii, ad Sedem præfatam legitimè devoluta, dictæque Parochiales Ecclesiæ dispositioni Apostolicæ specialiter reservatæ existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, illarumque titulum collativum, statum, & essentiam, & denominationem, eâdem auctoritate nostrâ etiam perpetuò supprimatis, & extinguatis, ita quòd illæ ex nunc collativæ esse desinant, & uti tales in titulum collativum quàvis auctoritate conferri, & de illis disponi quovis modo ampliùs nequeat, & si illas deinceps conferri, aut impetrari, aut

Sua Sanctitas Regiæ annuens petitioni mandat Officialibus Archiepiscopi Bracharen. & Episcopi Lamacen. ut ser. ser. ad unionem præfatarum trium parochialium Mensæ Capitulari d. Collegiatæ procedant, omnesque illarum fructus eidem mensæ uniant, & incorporet.

aliàs de illis disponi contigerit, collationes, provisiones, & quævis aliæ dispositiones de illis quovis modo faciendæ nullæ, & invalidæ existant, nullique suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuant, nec non dictarum Parochialium Ecclesiarum respectivè fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, bona, proprietates, aliaque emolumenta quæcumque in quibuslibet rebus consistentia, & undecumque provenientia, cum infrascriptis tamen legibus, & conditionibus Mensæ Capitulari dictæ Collegiatæ Ecclesiæ pro Decanatus, & aliarum Dignitatum, ac Canonicatuum, & Præbendarum, nec non Beneficiorum hujusmodi dotis, & distributionum quotidianarum augmento, ita quòd liceat Decano, aliisque Dignitatibus, & Canonicis, nec non Beneficiatis prædictis eorum, ac dictæ Mensæ Capitularis nomine, corporalem, realem, & actualem possessionem bonorum, jurium, & pertinentiarum, ac annexorum quorumcumque ad Parochiales Ecclesias præfatas spectantium, & pertinentium liberè apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, illarumque omnium, & singulorum fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, exigere, & levare, ac in eorumdem Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendas, ac Beneficia hujusmodi pro tempore obtinentium, communes usus, & utilitatem, modo tamen infra dicendo, ac salvis infrascriptis, convertere, Diœcesani locorum, vel quorumvis aliorum licentiâ desuper minimè requisitâ auctoritate nostrâ etiam perpetuò uniatis, annectatis, & incorporetis.

§. 4. Nec non in primodictâ unam, & in secundo dictâ aliam, ac tertio dictâ Parochialibus Ecclesiis uniendis præfatis reliquam perpetuas Vicarias pro tribus Presbyteris futuris Parochialium Ecclesiarum uniendarum hujusmodi Vicariis perpetuis in eis ad præsentationem dicti Joannis Regis, ejusque in dictis Regnis successorum Regum præfatorum per Ordinarium loci instituendis, & per eumdem Ordinarium prius examinandis, & approbandis, qui apud Parochiales Ecclesias, ut præfertur, uniendas, hujusmodi continuò personaliter residere, ac omnia, & singula munia, & onera Parochialia eisdem Parochialibus Ecclesiis, ut præfertur, uniendis, & earum cuilibet quomodolibet incumbentia subire, & adimplere respectivè debeant, & teneantur, etiam perpetuò erigatis, & instituatis, illisque sic erectis, & institutis pro illarum congruâ, & competenti dote, easque pro tempore obtinentium congruâ subsistentatione ex Parochialium Ecclesiarum uniendarum præfatarum fructibus, redditibus, & proventibus supradictis primo, & secundo dictis, videlicet summam centum millium Regalium monetæ Portugalliæ pro quâlibet, tertiodictæ verò Vicariis erigendis hujusmodi congruam portionem aliàs Rectori tertiodictæ Parochialis Ecclesiæ in actu applicationis illius fructuum, reddituum, & proventuum Conventui Villæ de Batalha Ordinis Fratrum Sancti Dominici Prædicatorum nuncupatorum Ulyxbonen Diœcesis pro illius reparatione ad certum tunc expressum tempus auctoritate nostrâ, & ob lapsum temporis hujusmodi jam cessatæ, assignatam videlicet octoginta millium Regalium dictæ monetæ Portugalliæ cum pede Altaris summam centum ducatorum auri de Camerâ respectivè constituentium quotannis per Capitulum, & Canonicos præfatos respectivè persolvendam, & per Vicarias erigendas hujusmodi pro tempore obtinentes annuatim respectivè percipiendam, exigendam, & levandam, ac in cujuslibet eorum respectivè usus, & utilitatem convertendam, etiam perpetuò applicetis, & approprietis, ita tamen, quòd dictarum Parochialium Ecclesiarum, ut præfertur, uniendarum fructus, redditus, & proventus à die vacationis cujuslibet earum usque, & per totam diem vigesimam secundam mensis Octobris anni Domini millesimi septingentesimi undecimi decursi in Paramentorum Ecclesiasticorum, sacrarumque supellectilium emptionem, seu illorum sarcitionem, ac pro fabricâ, aliisque necessitatibus, & indigentiis dictæ Collegiatæ Ecclesiæ erogari debeant, reliqui verò post dictam diem vigesimam secundam Octobris dicti anni, usque nunc etiam decursi, nec non annui redditus dictarum Parochialium Ecclesiarum, ut præfertur, uniendarum, deductâ tamen ex eis supradictâ congruâ centum millium pro quâlibet ex primo, & secundo dictis,, ac octoginta millium respectivè Regalium dictæ monetæ pro tertio dictâ Vicariis, ut prefertur, erigendis insimul mille sexcentorum nonaginta quatuor ducatorum auri similium valorem annuum, ut præfertur, non excedentium pro illorum sextâ parte, videlicet pro summâ ducentorum octoginta duorum ducatorum auri de Camerâ hujusmodi, & juliorum octo monetæ pro Præbendarum dotis augmento, ita quòd Decano, & aliis quinque Dignitatibus, & Canonicis præfatis novem ducati auri hujusmodi, & julii septem monetæ cum uno tertio alterius julii pro quolibet, cuilibet verò ex dictis Beneficiatis quatuor ducati auri hujusmodi cum dimidio alterius ducati paris, & julii tres monetæ cum dimidio alterius julii similis annuatim respectivè obveniant, residuum verò pro distributionum quotidianarum, etiam augmento inter Decanum, aliasque Dignitates, Canonicos, & Beneficiatos præfatos eodem modo proportionabiliter dividendum respectivè distribuatur.

§. 5. Et ad dictas Vicarias sic, ut præfertur, erigendas tam hac primâ vice ab earum primevâ erectione, & institutione, ut præfertur, faciendis vacantes, quàm quoties ex tunc deinceps aliàs quovis modo, etiam ex quorumcumque personis, etiam nostri, & Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cujusvis etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, etiam tunc viventis familiarium continuorum Commensalium, seu Sedis præfatæ Notariorum, Protonotariorum nuncupatorum, & aliorum Romanæ Curiæ Officialium, & Conclavistarum, Curialiumque, & aliorum quorumcumque specialissimas qualitates habentium, per quas ex uno, vel pluribus capitibus tam personalibus, quàm realibus quæcumque reservatio, vel affectio Apostolica inducatur, etiam ex vacatione apud Sedem Apostolicam, & in quibusvis mensibus, Nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique prædictæ per quascumque Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariæ Apostolicæ regulas nunc, & pro tempore reservatis, seu Ordinariis Collatoribus, etiam per Constitutiones, & regulas easdem, seu literas alternativarum, aut alia Privilegia, & Indulta hactenus concessa, & in posterùm concedendæ, aut aliàs de jure quomodolibet competentia, ubicumque, qualitercumque, & quomodocumque vacare contigerit Juspatronatus, & præsentandi ad Vicarias erigendas hujusmodi personas idoneas per Ordinarium loci instituendas præfato Joanni Regi, ejusque in dictis Regnis successoribus Regibus prædictis eâdem Apostolicâ auctoritate, eo, quo ante ad dictas Parochiales Ecclesias, ut præfertur, uniendas competebat, modo similiter perpetuo reservetis, concedatis, & assignetis, ac Juspatronatus, & præsentandi hujusmodi præfato Joanni Regi, ejusque in dictis Regnis successoribus Regibus præfatis, non ex Privilegio Apostolico, sed uti ex verâ, primævâ reali, & actuali, plenâ, integrâ, & omnimoda fundatione, & perpetua dotatione laicali ex bonis merè laicalibus, Regiique

Patri-

Mandat fructus earumdem Parochialium decursos usque ad diem 22. Octobris 1711. erogari in usum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ.

Alios verò fructus à dicta die decursos, ac in posterum decurrendos distribui modo hic præscripto.

Et in præfatis Parochialibus tres Vicarias perpetuas de Regio Jurepatronatus pro administratione Sacramentotum instituant, & singulis Vicariis certam hic præscriptam congruam assignent.

Decernit jus præsentandi ad præfatas Vicarias perpetuò competere debere Regi pro tempore, & amplissimè derogat quibuscumque affectionibus, & reservationibus Apostolicis.

ANNO 1716.

Patrimonii redditibus factis tantùm competere, & uti tale sub derogatione Jurispatronatus ex Privilegio Apostolico, vel consuetudine, aut præscriptione acquisiti, nullatenus comprehendi, nec illi ullo unquam tempore, etiam cujusvis litispendentiæ, vel vacationis præfatarum Vicariarum apud Sedem eamdem, etiam ex resignationis causa permutationis, aut alio quocumque prætextu ex quavis alia causa quamvis urgentissimâ, & legitimâ etiam per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes derogari posse decernatis, ac easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quòd causæ, propter quas præmissa omnia, & singula facta fuerint coram Ordinariis locorum, tanquam Sedis præfatæ Delegatis vel aliàs examinatæ, verificatæ, approbatæ, justificatæ non fuerint, ac quicumque in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes cujusvis gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliàs specifica, & individua mentione digni existant, eisdem præmissis, eorumque singulis non consenserint, seu ad ea vocati, seu auditi fuerint, etiamsi consentire, seu vocari, & audiri debuissent, aut ex alia quantumvis juridicâ, legitimâ, & privilegiatâ causâ, & quovis alio colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ aliove, quolibet etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, infringi, & in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut adversùs illas quodcumque juris, vel facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, suosque plenarios, & integros, & irrevocabiles, perpetuosque effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & quandocumque pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

Decreta roborantia, & clausulæ salutares.

§. 6. Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, Sedisque præfatæ Nuncios judicare, & definiri debere, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane eadem auctoritate nostra decernatis, non obstan. nostris, & Cancellariæ Apostolicæ præfatæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac de unionibus, aliisque similibus gratiis, ad partes committendis, vocatis iis, qui fuerint evocandi, ac de exprimendo vero annuo valore, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, fieri prohibentis, & aliis Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, vel edendis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque clausulis, & decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores pro plenè, & sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris latissimè, & plenissimè hac vice dumtaxat specialiter & expresè harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexto decimo. Quartodecimo Kalendas Septembris Pontificatus Nostri Anno sexto decimo.

Decretum irritans cum derogationibus quibuscumque contrariis.

ANNO 1716

LXXXV.

CONFIRMATIO

Novorum Decretorum, seu Statutorum Congregationis Musicorum sub invocatione S. Cæciliæ in Urbe institutæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis Dignitatis fastigium, meritis licèt imparibus, per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque clementiæ abundantiam evecti, illa, quæ pro felici Societatum quarumlibet præsertim in Almâ Urbe nostrâ, ex quâ bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes promanant, institutarum, ubereseque pietatis, & Christianæ charitatis fructus, adjuvante, & incrementum largiente Domino, proferre laudabiliter satagentium regimine, & directione providè constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata permaneant, Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id à Nobis petitur, libenter constabilimus. Nuper siquidem pro parte dilectorum Filiorum Congregationis Musicorum sub titulo, seu invocatione S. Cæciliæ in Urbe prædicta canonicè (ut asseritur) erectæ, suasque functiones in Ecclesia S. Caroli ad Catenarios nuncupati de eadem Urbe Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum de præsenti exercentis, Nobis expositum fuit, quòd ipsi pro salubri directione, rectâque administratione dictæ Congregationis Musicorum, & Piorum Operum, quibus incumbit, ultra Statuta, quæ à fel. rec. Innocentio Papa XI. Prædecessore Nostro per quasdam suas desuper in simili forma Brevis die XVIII. Maij expeditas literas confirmari obtinuerunt, cum plenâ approbatione supradictæ eorum Congregationis, ac subscriptione dilecti filii Nostri Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Orthoboni nuncupati dictæ Congregationis Musicorum apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, aliorumque hujusmodi Congregationis Officialium facta fuerunt nonnulla alia nova Decreta, & Statuta tenoris, qui sequitur videlicet.

I. Si è stabilito, inerendo al Capitolo ottavo de' nostri Statuti, che qualunque Persona tanto Ecclesiastica, quanto Secolare, che al presente esercita, ed in avvenire esercitarà la Professione della Musica, sì nelle Cappelle di servizio continuo, come in ogni altra Chiesa di Roma, debba osservare li Statuti della nostra Congregazione, ed ubbidire non solo a' presenti Decreti, mà à tutti gl'altri ordini, e decreti da farsi in avvenire della medesima sotto le pene, che si diranno appresso, volendo, che il presente Decreto comprenda indifferentemente i Mastri di Cappella, Organisti, Cantori, ed Istromentisti, intendendosi però sempre eccettuati li Musici della Cappella Pontificia, li quali formano trà di loro un Collegio affato distinto dalla nostra Congregazione, e però non sono, nè devono essere mai compresi sotto alcuno delli passati, ò de presenti nostri infrascritti Decreti, e questa dichiarazione, e protesta s'intenda sempre repetita in ciascheduno delli seguenti Capitoli.

II. Per miglior dichiarazione del primo Capito-

pitolo de' noſtri Statuti, ove ſi diceva, che non debbano ammeterſi in Congregazione, ſe non quelli, che hanno ſervigio, ò ſervano Cappelle ferme, ſi ſtabiliſce, che anche quelli, che non hanno il ſervigio fermo di ſimili Cappelle, poſſono eſſere ricevuti in arbitrio della Congregazione, e quando non foſſero ammeſſi, pur ſi poſſa dall'iſteſſa Congregazione dar loro licenza di poter cantare nelle Muſiche, ogni volta che ſi obligheranno di oſſervare li noſtri Statuti; Mà ſe un Profeſſore ſarà ſtato permanente in Roma un'anno, ſenza eſſerſi fatto aggregare noſtro Fratello, e ſenza haver pagato nell'ingreſſo una libra di cera alla noſtra Congregazione, non poſſa eſſere più ammeſſo à Muſiche Eccleſiaſtiche, ſotto pena al Maſtro di Cappella, che l'inviterà, ò riceverà à dette Muſiche, di pagare ſcudi trè del proprio da applicarſi in opere pie ſolite farſi dalla noſtra Congregazione.

III. Ampliando il ſudetto primo Capitolo de' noſtri Statuti, ove ſi dice, che, per eſſer valida la Congregazione Generale, dovrà paſſare il numero di quaranta, e trà queſti dovranno eſſere preſenti due Guardiani almeno, e ſia in arbitrio dell'Eminentiſſimo Protettore, ò di Monſignore Primicerio ſupplire all'aſſenza dell'altri due Guardiani, come vi foſſero ſtati preſenti tutti quattro; ſi ſtabiliſce, e ſi aggiunge, che ſia in facoltà d'ell'minentiſſimo Protettore, ò Primicerio ſudetti di ſupplire anco al numero delli ſudetti quaranta Profeſſori, quando ne mancaſſero due, ò trè, ed anche quattro, mà non più, di modo che colla diſpenza, ò approvazione di uno delli ſudetti Superiori, baſti l'intervanto di due Guardiani, e di trenta ſei Profeſſori per fare, che ſia valida la ſudetta Congregazione Generale.

IV. Per miglior eſecuzione del Capitolo ſecondo de' noſtri Statuti, dove ſi dice, che dovranno eſſervi ogni anno quattro Guardiani, cioè un'Maſtro di Cappella, l'altro Organiſta, l'altro Cantore, e l'altro Iſtromentiſta; Si determina, che delli quattro Guardiani due ne debbano reſtare confermati nell'anno ſeguente per meglior iſtruzzione delli due nuovi, che ſi eleggeranno, e così di anno in anno, e però eſſendo ſtati nel preſente anno confermati il Maſtro di Cappella, ed il Muſico, nell'anno ſeguente ſi confermaranno l'Organiſta, ed Iſtromentiſta, e così in avvenire.

V. Si è ſtabilito, che ſi debbano deſcrivere in una Tabella tutti li Profeſſori di Muſica aggregati alla medeſima Congregazione, e detta Tabella debba ſtare eſpoſta perpetuamente nella ſtanza de'll' Archivio della noſtra Congregazione.

VI. Che ciaſchedun' Fratello ſia obligato accettare l'officio, che gli ſarà conferito dalla Congregazione, e ricuſandolo ſenza giuſte cauſe da approvarſi dalla medeſima, ſe ſarà Officio di Feſtarolo, ſia penato di ſcudi trè, ſe di Guardiano, ſia penato di una piaſtra, e ſe altro Officio, ſia penato di due libre di cera, da applicarſi le dette pene come ſopra.

VII. Che da ciaſcheduna Cappella ſi debba eleggere la metà de'Muſici proviſionati, li quali ſiano obligati intervenire à tutte le Congregazioni Generali, e quelli, che ſaranno di Congregazione ſegreta, ſiano tenuti tanto all'una, come all'altra, e mancando alcuno ſenza cauſa legittima da allegarſi in tempo almeno appreſſo uno delli Guardiani, debba pagare per ogni volta una libra di cera alla Congregazione, e terminato l'anno dell'eſtrazione, ſucceda l'altra metà all'obligo medemo, ò più, ò meno, che ſaranno, in caſo di numero diſparo, e coſi vicendevolmente ſi continui anno per anno, eleggendo la metà delli Maſtri di Cappella, ed Organiſti col medeſimo obligo, e con l'alternativa di un'anno per ciaſcheduno, così anche gl'Iſtromentiſti, che ſi eleggeranno fino al numero di ventiquattro, cioè trà Violini, Viole, e Baſſi, ed altri Iſtromenti, la metà de' quali habbia li medeſimi peſi, e pena come ſopra.

VIII. Coſi anche ſi è riſoluto, che ogni meſe ſi habbia da fare la Congregazione particolare, ò ſegreta, per ſopra intendere alle coſe, che occorreranno.

IX. Inerendo agl'altri Decreti fatti per l'addietro ſopra l'oſſervanza del pagamento dell'annua elemoſina, novamente ſi decreta, che tutti li Maſtri di Cappella di Roma, ed altri, quali ſono di Congregazione ſegreta, debanno pagare un groſſo il meſe, e tutti gl'altri di Congregazione Generale, e Profeſſori doveranno pagare mezzo groſſo il meſe, non eccettuando alcuno, tanto Iſtromentiſta di arco, come di fiato, e timpani, e di qualunque altra ſorte, così per ordine dell'Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signor Cardinale Protettore dato in voce à tutti li Maſtri di Cappella, li quali dalla Congregazione ſono perpetuamente dichiarati Camerlenghi delle loro Cappelle, per l'eſazzione di quanto ſi commanda in queſto Decreto, con obligo di dover renderne conto al Camerlengo Generale da deputarſi dalla Congregazione di anno in anno, dovendo queſto denaro ſervire all'Opere Pie, ed altri obligi della Congregazione: E perche gl' Iſtromentiſti non ſono proviſionati menſualmente nelle Cappelle di Roma, ſi provede anche à queſto, deputandoſi dalla Congregazione anno per anno quattro di eſſi per l'eſazzione ſudetta, li quali doveranno render conto al Camerlengo Generale come ſopra, il quale ſarà ſindicato ogn'anno.

X. E perche ſi è ſtabilito, e ſi vuole, che detta elemoſina ſi paghi indiſpenſabilmente da tutti quelli, che eſercitaranno in quaſivoglia modo la noſtra Profeſſione, e potrebbe darſi il caſo, che ſi foſſe alcuno così povero, il quale non poteſſe corriſpondere à queſta, benche tenue contribuzione, in tal caſo non ſia tenuto farla del proprio, mà ſi ritenga nell'elemoſina, che alli Profeſſori poveriſi diſtribuiſce dalli Guardiani pro tempore, e non altrimente.

XI. Si è decretato, che li fogli, ove ſi ſcrivono i decreti, e reſoluzioni della Congregazione, detti communemente ſtracciafogli, ſi debbano ſottoſcrivere almeno da uno delli Guardiani, e ſubbito che ſaranno regiſtrati al libro della Segretaria, ſi portino, e ſi laſcino nell'Archivio della Congregazione.

XII. Che turti quelli di Congregazione ſegreta non poſſano nè paleſare, nè diſcorrere de trattati, che ſi ſon fatti, e delle riſoluzioni, che ſi ſon preſe, ſe non chi ſarà ſtato preſente, e contravenendo ſia penato ad arbitrio della Congregazione ſegreta.

XIII. Che gl'Ufficiali, che ritengono appreſſo di loro denari, libri, ſcritture, e coſe ſimili della noſtra Congregazione, dentro il termine di un meſe, dal giorno, che uſciranno dall'offizio, debbano farne la conſegna al Succeſſore, ed in caſo di contravenzione ſiano penati ad arbitrio della Congregazione ſegreta, come ſopra.

XIV. Che il Camerlengo pro tempore debba tenere un libro in buona forma, nel quale doverà notare tutti li Nomi, e Cognomi delli Maſtri di Cappella, Cantori, Iſtromentiſti, e Profeſſori, come ſopra, nel quale doverà diligentemente regiſtrare tutti li denari, che ſi eſiggeranno per la ſudetta annua elemoſina, in modo tale, che portandoſi detto libro nella Congregazione,

ANNO 1716.

ne, si possa da ciascheduno vedere, chi haverà pagato, e sodisfatto, e così pure debba tenere il conto à parte delle pene, che si saranno riscosse, ed esatte in tutto l'anno, con rendere doppo finito l'anno, il conto delli sudetti denari.

XV. In fin'di ogni anno tutto il denaro, che avanzerà dall'esigenza, doppo havere il Camerlengo pro tempore pagati tutti li pesi, spese, ed ogni bisognevole per la medesima Congregazione, si debba immediatamente impiegare in estinguere il debito, caso che la Congregazione ne habbia.

XVI. E doppo, che la Congregazione sarà liberadalli sudetti pesi, ò vero debiti, tutti li denari, che sopravanzeranno, detratte le spese necessarie, siano depositati nel Sacro Monte di Pietà, ò Banco di S. Spirito di Roma dal Camerlengo pro tempore in credito della Congregazione à disposizione delli Guardiani, e Congregazione segreta, li quali denari non si possino riscuotere senza mandato sottoscritto dalli Guardiani sudetti, ed i medesimi mandati siano spediti in Congregazione segreta con il consenso della medesima Congregazione, perche così &c.

XVII. Che la mutazione delli Uffiziali si debba fare nella Congregazione Generale più prossima avanti la Festa di S. Cecilia, ed in tal forma osservarsi di anno in anno nel modo, che prescrivono li nostri Statuti.

XVIII. Trovandosi stabilito nel capitolo nono dell'antichi Statuti, che per il buon regolamento delle Feste solenni della nostra Congregazione si ellegono due Prefetti delle Feste communementi detti Festaroli, dichiarando ed ampliando il sudetto Statuto, si dermina, che li sudetti Festaroli debbano essere sei, accioche ripartito trà più persone sia minore l'incommodo, e la spesa, e nella solennità di S. Cecilia alli due Vesperi, ed alla Messa solenne debbano trovarsi in Chiesa pronti li Guardiani per incontrare, e ricevere li Signori Cardinali, che vengono ad onorare la Festa, e si habbia da procurare, che le Feste, e le Funzioni riescano con il maggior decoro possibile.

XIX. In ordine poi al servizio, che tutti siamo tenuti prestare alla nostra Cappella di S. Cecilia, ed alla Chiesa di S. Carlo alli Catinari, ove habbiamo fabricata detta Cappella, si debba eleggere, ed avvisare per tempo chi doverà operare nelle nostre solennità, tanto Mastro di Cappella, quanto Organisti, Cantori, ed Istromentisti, affinche ogni uno si possa preparare, e tale elezzione debba farsi dalla Congregazione segreta, come di già si prescrive negl'antichi Statuti al Capitolo nono, e i destinati, ed intimati per tempo in caso, che machino al loro obligo, siano indispensabilmente penati dalla medema Congregazione segreta, cioè il Mastro di Cappella in pena di scudi sei, l'Organista di scudi trè, ed il Musico, ed Istromentista di giuli quindici. E per incorrere detta pena basti l'attestatione del Mandataro della nostra Congregazione di haverli intimati. Ed in caso, che nel tempo dell'intimazione vi fosse, ò doppo sopragiungesse legittimo impedimento, debbano detti intimati mandare l'avviso per tempo alli Guardiani, acciò si possa accettare la scusa, se sarà legittima, ò pure procedere alla pena, ed in tanto in caso d'imminente funzione, e che mancasse il Mastro di Cappella, suppliſca il primo Guardiano, come si dispone anco negl'antichi Statuti al Capitolo nono, e ciò si è stabilito da osservarsi inviolabilmente per evitare in avvenire lo scandalo, nel quale ci siamo altre volte trovati in occorrenza di funzioni, non essendosi potuto nè principiare, nè proseguire con publico disordine, e scandalo.

XX. Che per le sudette Musiche della nostra Chiesa si debba stabilire un numero fisso tanto de Mastri di Cappella, come de Musici, e Istromentisti à guisa di Turno, ripartendosi equalmente le parti, e si debbano avvisar tutti con viglietto, ò bollettino, il qual viglietto ciascheduno debba portarlo seco nel venire al servigio della nostra Chiesa, e consegnarlo al Camerlengo, Mandataro, ò altri, che sarà deputato a tal'effetto, accioche possa rincontrarsi chi sarà mancato, e volendo alcuno mandare un'altro in suo cambio, debba scrivere d'all'altra parte del medemo bollettino il nome di chi manderà, acciò si riconosca, se sarà stato equivalente, e niuno possa partirsi dal servigio senza licenza del Mastro di Cappella, e chi trasgredirà, sia penaro di una libra di cera.

XXI. Inerendo al Decreto fatto sotto li 13. Genaro MDCLXXXVI., come nel libro de' Decreti approvati dalla Congregazione Generale, e sottoscritti dall'Eminentiss. Protettore in quel tempo &c. Si è stabilito, e nuovamente decretato, che in avvenire non sia più lecito ad alcun Musico, ò Istromentista di qualsisia sorte di far Musiche nelle Chiese di Roma senza essere stato prima abilitato, ed approvato per idoneo dalli quattro Mastri di Cappella, che à questo effetto si elegeranno dalla Congregazione ogni anno, dovendo la medesima invigilare, che nelle Musiche, che si faranno dalli Mastri di Cappella, ed abilitati come sopra, siano le composizioni di vero stile Ecclesiastico, ed in tutto uniforme alla mente del Regnante Sommo Pontefice Clemente XI. ed agl'Editti emanati sopra le Musiche, e per togliere ad ogn'uno, che non sia approvato, ò abilitato come sopra il modo di poter far Musiche si dichiara, che ogni Cantore, ò Istromentista, il quale anderà à cantare, ò sonare alle Musiche di questi non approvati, sia penato in scudi trè per chiascheduna volta, che anderà à cantare, ò sonare à dette Musiche; E perche si potrebbe far fraude, e uno non abilitato potrebbe pregare un Mastro di Cappella, ò abilitato, che li prestasse il nome, e facesse la battuta in sua vece, scoprendosi ciò sia penato tanto il Professore, quanto il Mastro di Cappella, ò abilitato ad arbitrio della Congregazione segreta.

XXII. E perche presentemente vi sono molti, che già ritengono posti, e da molto tempo in quà sono tollerati, e fanno Musiche senza essere stati abilitati dalla Congregazione sudetta, se ne sono considerati dodici, i nomi de quali si terranno per ora esposti in Catalogo à parte nell'Archivio della nostra Congregazione, & ad effetto di non recare alli medesimi pregiudizio, ne danno, in levar loro detti posti, che da molto tempo in quà già ritengono, la detta Congregazione hà stabilito, e decretato, che vengano in detta Congregazione à domandare la licenza di potere operare, che gli sarà concessa subito gratis, e questa grazia, che farà la nostra Congregazione, s'intenda fatta solamente per li sudetti, mà per l'avvenire non si darà più licenza à Persona alcuna, se prima non saranno abilitati, ed approvati dalli Signori Mastri di Cappella à tal'effetto deputati, come si è detto di sopra.

XXIII. Che ciascheduno Cantore, ò Istromentista, che entrera, ò passerà in alcuna Cappella di servizio fermo, debba pagare nel suo ingresso, ò passaggio una libra di cera à benefizio della Congregazione, e se sarà Mastro di Cappella, ne paghi due.

XXIV. Essendosi negl'antichi Statuti, e respettivamente ne' presenti nuovi Decreti stabilita l'elemosina d'un grosso il mese per ciascheduno

Professore, e così pure essendosi stabilite diverse pene pecuniarie contro chi ricusa gl'Uffizij, ò manca alle destinate funzioni, ò in altro modo contraviene agl'antichi, e nuovi Decreti, quali elemosine, e pene sono la maggiore, e quasi l'unica entrata della nostra Congregazione per mantenimento del nostro Altare di S. Cecilia, e per le solennità, funzioni, e spese, ch'ocorrono: si stabilisce, e determina, che ogn'uno debba pagare puntualmente le sudette elemosine decorse, ò pene incorse come sopra senza eccezione, ò dilazione alcuna, altrimenti passati otto giorni doppo finito il mese, ò doppo incorsa la pena si proceda all'esecuzione senza citazione, ò intimazione alcuna, mà solamente si porti nell'Uffizio d'uno de Notari dell'Eminentissimo Vicario la nota delli Contravenienti firmata da due Guardiani, e sottoscritta dal Camerlengo, e secondo la detta nota esibita in dett'Uffizio, senz'altra citazione si spedisca, e si eseguisca il Mandato per le somme, e contro le Persone in detta nota contenute irremissibilmente, perche si tratta di elemosina, e di causa pia, e così si è à pieni voti stabilito, e se qualche Professore, per abitare in qualche riguardevole Corte, ò per hauer familiarità di qualche gran Personaggio, ò per rispetto, che in altra maniera esigesse dalli Esecutori, volesse con ciò esimersi dall elemosina, e pene sudette, in odiò di questa sua ostinata contumacia di non voler' fare chegl'altri fanno, sia cassato dalla Congregazione, nè possa alcuno Mastro di Cappella chiamarlo in avvenire in alcuna Musica sotto pena di scudi sei, e se il Contumace fosse Mastro di Cappella, nissun' Musico, o Istromentista possa andare à servirlo sotto pena di scudi trè d'applicarsi in beneficio del nostro Altare come sopra.

XXV. Tutti li sopradetti Decreti sono stati approvati à viva voce per Congregazione Generale sotto li ix. Ottobre MDCCXI. coll'intervento di sessantadue Congregati, e poi di nuovo sotto li xiii. di Marzo MDCCXV. coll'approvazione ancora dell'Eminentissimo Signor. Cardinale Ottoboni nostro degnissimo, e zelantissimo Protettore, e si è ordinato, che tanto gl'antichi Statuti, quanto questi nuovi Decreti debbano inviolabilmente osservarsi, ed esseguirsi sotto le pene in essi contenute, se bene si spera, che ogn'uno sarà per esattamente osservarli, non già per la soggezzione, ò per il riguardo di queste picciole pene, mà bensì per il solo amore della virtù, e per il buon' regolamento della nostra Congregazione, e per mantenere, & accrescere sempre più il culto, e la devozione verso la gloriosa Vergine, e Martire Santa Cecilia nostra Protettrice nel Cielo.

Il Card. Ottoboni Protettore.
L. Sergardi Uditore, e Primicerio.

Pietro Paolo Bencini Guardiano.
Io Biagio Scarci Guardiano.
Gio: Domenico Gratiani Guardiano.
Gioseppe de Carolis Guardiano.

Domenico Antonio Mancini Segretario.

Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes Statuta, & Decreta hujusmodi, quò firmiùs subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri plurimùm desiderent; Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attentâ relatione per prædictum Petrum Cardinalem Protectorem eidem Congregationi Cardinalium super præmissis factâ, omnia, & singula Statuta, & Decreta præinserta auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes ipsas præsentes literas, ac Statuta, & Decreta præinserta semper firma, valida, & efficacia esse, fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Congregationis Musicorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus, omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litetarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die ix. Septembris MDCCXVI. Pontificatus Nostri Anno decimo sexto.

F. Card. Oliverius.

ERECTIO LXXXVI.

Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis, de Jurepatronatus Serenissimi Portugalliæ, & Algarbiorum Regis.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab officio gratias elargiendi Principibus de Catholica Religione optimè meritis quive Christianæ Reipauxilium præstant.

IN Supremo Apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, pastoralis officii nostri partes circa ea libenter interponimus, per quæ Orthodoxis Regibus,

aliisve

ANNO 1716.

aliisve de Apostolicâ Sede, & Catholica Religione optimè meritis Principibus, illustria grati animi nostri argumenta exhibere possimus, illosque præ cæteris, qui validis subsidiis communem Christianæ Reipublicæ Causam adversús teterrimos illius Hostes adjuvare satagunt, præcipuis, ac verè singularibus Pontificiæ largitatis gratiis prosequamur.

Memorat Bellum à Turcarum Tyranno Venetorum Dominio illatum, nec non militarem apparatum, quo ille aliàs Christianorum Provincias, & præsertim Corcyræ insulam aggredi parabat.

§. 1. Sanè cum immanissimus Turcarum Tyrannus postquam divinis omnibus, ut notum est, atque humanis legibus infractis, dirum, atroxque bellum superiori anno dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, & Dominio Venetorum nequissimè intulerat, felici, ac celeri Peloponnesi expugnatione summoperè elatus, ac nihil jam sibi impervium fore confidens, non Venetas tantum, sed & alias Christianorum Principum Provincias ingenti, & forsàn antehac inaudito terrestrium, maritimarumque copiarum apparatu, hoc præsenti anno aggredi, ac cladibus involvere, potissimum verò Insulam, & Civitatem Corcyræ, securitatis Italicæ propugnaculum, oppugnare moliretur; Nos tot, tantisque Ecclesiæ ac Reipublicæ, imò & temporalis nostræ Ditionis periculis vehementer commoti, primùm quidem ad Eum, qui potens est in prælio, toto corde clamavimus, ut secundum multitudinem miserationum suarum redimeret Nos à malis, nec daret hæreditatem suam in opprobrium, deindè verò Catholicos Principes, omni paternæ charitatis contentione hortari non prætermisimus, ut labenti rei Christianæ opem ferrent, ac eademmet, quibus nuper inter se digladiati fuerant, arma in Barbaros converterent.

Ob idque Divinam primò opem imploraſſe; ac deinde Catholicos Principes, ut opem ferrent, monuisse.

Hinc Portugalliæ Regem plures naves in auxilium misisse.

§. 2. Cùm autem inter illos Charissimus in Christo Filius noster Joannes Portugalliæ, & Algarbiorum Rex illustris eximiæ, non minus suæ pietatis stimulis, quam Officiis nostris adductus, in primis verò clarissimis Majorum suorum Portugalliæ Regum, de Orthodoxæ fidei tuitione, ac propagatione meritissimorum exemplis excitatus, nullis incommodis, nullisque expensis, quantumvis gravissimis, parcens, summo zelo, summâque, ac penè incredibili liberalitate, & alacritate, in auxilium Christianæ Classis validissimum quamplurium bellicarum, munitissimarumque Navium subsidium quàm citissimè transmiserit; Nos probe scientes prædictum Joannem Regem pluribus ab hinc annis, pio desiderio motum habendi in suo Palatio Regio Ulyssiponen. unam Cathedralem Ecclesiam, summoperè exoptasse, ut sæcularis, ac insignis Collegiata Ecclesia in eodem Palatio, sub invocatione Divi Thomæ Apostoli, aliàs à Nobis erecta, & instituta in Cathedralem Ecclesiam hujusmodi, sub invocatione Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis erigatur; protereaque Civitas, & Diœcesis Ulyssiponen., in duas partes dividantur, & in eis duo Archiepiscopatus constituantur, Civitatem verò Ulyssiponen. prædictam Lusitaniæ Metropolim, tum ob maritimum Portum, continuam frequentiam omnium Gentium, & Nationum, omnigenam mercaturam, ac divitiarum abundantiam, tum ob ingentem numerum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Conventuum tam Virorum, quàm Mulierum, Confraternitatum, Hospitalium, aliorumque Locorum piorum, tum denique ob plurimas nobilissimas familias, multosque Viros in illustribus gradibus constitutos, & tam literis, quam armis conspicuos, toto Orbe Terrarum celeberrimam esse, proindeque hujusmodi prærogativâ summoperè dignam, ipsasque Civitatem, & Diœcesim Ulyssiponen., tam ob laicalem Populum, quàm ob Clerum secularem, & regularem valdè numerosas, nec non fructus, reditus, & proventus

Exponit ejusdem Regis desiderium obtinendi erectionem Ecclesiæ Collegiatæ S. Thomæ in Cathedralem sub invocatione Assumptionis B. Mariæ Virginis in proprio Palatio Ulyssiponæ, ac divisionem ejusdem Civitatis, & Diœcesis in duos Archiepiscopatus.

Dictæ Civitatis quamplurimas, easque valde insignes prærogativas refert.

Mensæ Archiepiscopalis Ulyssiponen., cujus Ecclesia ad præsens Pastoris solatio destituta, ut accepimus, existit, ad duorum Archiepiscoporum, postquam Civitas, & Diœcesis Ulyssiponen. hujusmodi in duas partes divisæ fuerint, & in prædictis duabus partibus, mediante unius novi Archiepiscopatus erectione, duo Archiepiscopatus constituti fuerint, commodam, congruamque substentationem sufficientissimos existere.

Itidemque sufficientiam redituum pro duobus Archiepiscopatibus.

§. 3. Volentes eidem Joanni Regi aliquod singulare nostri grati animi argumentum præbere, ad majorem Dei gloriam, & divini Cultus argumentum, attentâ amplitudine ejusdem Diœcesis Ulyssiponen., motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Civitatem, & Diœcesim Ulyssiponen. præfatas in duas partes dividimus, ac unam tam Civitatis, quam Diœcesis divisarum hujusmodi partem versus Orientem, antiquo Archiepiscopatui Ulyssiponen. relinquimus, alteram verò partem versus Occidentem, novo Archiepiscopatui per Nos, ut infra erigendo, assignamus; itaut in posterùm perpetuis futuris temporibus pro tempore existens Archiepiscopus Ulyssiponen., qui medietatem Civitatis, necnon medietatem Diœcesis Ulyssiponen. versus Orientem habuerit, Archiepiscopus Ulyssiponen. Orientalis; futurus verò; ac pro tempore existens Archiepiscopus Ulyssiponen., qui medietatem Civitatis, itidemque medietatem Diœcesis Ulyssiponen. versus Occidentem pariformiter habuerit, Archiepiscopatus Ulyssiponen. Occidentalis respectivè nuncupari debeant.

Supradictam Civitatem, & Diœcesim divisit in duas partes, antiquo Archiepiscopatui relicta quoad Civitatem parte versùs Orientem, novo autem assignata parte versus Occidentem cum determinatione futuræ denominationis quoad singulas partes.

§. 4. Divisionem autem prædictæ Civitatis Ulyssiponen. in duas partes, ut infra, faciendam esse decernimus, prout vigore præsentium facimus, unamque partem ab alterâ dividimus, & separamus, itaut Civitatis Ulyssiponen. antiquior, cum suo Castello, & Suburbio Orientali, ad pro tempore existentem Archiepiscopum Ulyssiponen. Orientalem, Suburbium verò Occidentale, quod nova Ulyssipo nuncupatur, ad futurum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Ulyssiponen. Occidentalem respectivè nuncupandos, respectivè pertineant, unaque pars ab alterâ distinguatur per antiquiores muros Civitatis, nempè per murum Civitatis portæ Consolationis, per murum Costæ de Castello, ac per murum, & Portam Sancti Andreæ, & quidquid inde est, cum Civitate antiquiori in parte Orientali, una cum Parochialibus, aliisque Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, & Locis Piis quibuscumque ad Orientalem, quidquid verò existit in parte Occidentali, seu novâ Ulyssipone, similiter cum Parochialibus, aliisque Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, pariterque Locis Piis quibuscumque ad Occidentalem respectivè nuncupandum Archiepiscopum pro tempore existentem spectare, & pertinere debeat; Diœcesim verò Ulyssiponen. pariformiter in duas partes dividimus, ac partem Diœcesis Ulyssiponen. versus Orientem pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Orientali, partem verò ejusdem Diœcesis Ulyssiponen. versus Occidentem futuro, ac pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali respectivè nuncupandis, similiter respectivè subjicimus & assignamus.

Diœcesim dividit, constituta linea divisoria cum distinctione confinium, & assignatione Locorum cuique ex Archiepiscopis.

§. 5. Linea autem divisoria dictæ Diœcesis Ulyssiponen. incipiet à Locis de Arroios, Campogrande, Povoa Sancti Adriani, & Arruda, cum toto Territorio de Alenquer, qua parte terminat cum Territorio villarum de Ribatejo, & exinde Moinho novo, Otta, Cercal, Sancheira, cum Coutos de Alcobaca, usque ad Confinia Episco-

Terminos cujusque Archiepiscopatus in Civitate designat.

patus Leyrien., includendo omnia prædicta Loca, Oppida, & Villas, cum suis Territoriis, Dependentiis, Terris, Populationibus, omniaque alia, quæ intra hanc lineam, & littora Maris Oceani reperiuntur, ad pro tempore existentem Archiepiscopum Ulissiponen. Occidentalem nuncupandum, spectare, & pertinere debeant; Cætera verò Loca, Oppida, & Villas, quæ ex hac lineâ exclusivè reperiuntur, usque ad Ripas Tagi, & Confinia Jurisdictionis de Thomar, cum omnibus suis Territoriis, Districtibus, & Dependentiis ad pro tempore existentem Archiepiscopum Ulyssiponen. Orientalem pariter nuncupandum, spectare, & pertinere debeant; ex alterâ autem parte Tagi, Territorium de Setual, qua se extendit intra Flumina Sado, & Canha usque ad Confinia Archiepiscopatus Elboren. cum omnibus Locis, Oppidis, & Villis, eorumque Territoriis, & Dependentiis, ad pro tempore existentem Archiepiscopum Ulyssiponen. Occidentalem; Territorium verò de Sanctarem ultra Tagum intra Flumina Divor, & Castellum de Almourol, usque ad confinia Episcopatus Portalegrem., etiam cum Locis, Oppidis, & Territoriis ad pro tempore existentem Archiepiscopum Ulyssiponen. Orientalem respectivè nuncupandos, similiter respectivè spectare, & pertinere debeant. In prædictis autem parte Civitatis, ac parte Diœcesis Ulyssiponen. versus Occidentem pro futuro Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali nuncupando sic, ut præfertur, constitutis, & assignatis novum Archiepiscopatum Ulyssiponen. Occidentalem nuncupandum pro uno vero, & futuro Archiepiscopo Ulysiponen. Occidentali nuncupando ad nominationem prædicti Joannis Regis, ejusque in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Successorum Regum pro tempore existentium, ut infra, eidem Archiepiscopatui Ulyssiponen. Occidentali nuncupando Apostolicâ auctoritate præficiendo, qui novus Archiepiscopus Ulyssiponen. Occidentalis nuncupandus in nullo penitùs alteri Archiepiscopo Ulyssiponen. Orientali nuncupando, aliisque quibuscunque Archiepiscopis, Prælatis, & superioribus quocumque nomine nuncupatis subjectus sit; sed ab eis, eorumque Jurisdictione, & Superioritate penitùs, & omninò exemptus, ac duntaxat Sedi Apostolicæ immediatè subjectus existat erigimus, & instituimus; dictamque sæcularem, & Insignem Collegiatam Ecclesiam sub Invocatione Divi Thomæ Apostoli in prædicto Palatio Regio, ut præfertur, existentem, prævià suppressione denominationis, & Tituli Insignis Collegiatæ Ecclesiæ ejusdem Divi Thomæ Apostoli, in veram Archiepiscopalem Sedem, & Ecclesiam Metropolitanam Ulysiponen. Occidentalem nuncupandam sub Invocatione Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ pariformiter erigimus, & instituimus, ac nomine Archiepiscopali, & Metropolitano Ulysiponen. Occidentali, insignimus, & decoramus, ac volumus, quòd ipsa Collegiata Ecclesia, quæ ex sex Dignitatibus, octodecim Canonicatibus, totidemque Præbendis, quas, & quos obtinentes illius Capitulum constituebant, nec non & duodecim perpetuis Beneficiis Ecclesiasticis constituebatur, in Cathedralem erecta eodem numero Dignitatum Canonicatuum, & Præbendarum, quas & quos etiam obtinentes illius Capitulum similiter constituant, nec non eodem numero Beneficiorum constituatur, quorum tamen Canonicatuum tres in Pœnitentiarium, Theologalem, & Doctoralem respectivè Canonicatus per ipsum Joannem Regem designandi erunt, servatis tamen in præsentatione, collatione, & institutione Canonicatuum Pœnitentiarii, Theologalis, & Doctoralis hujusmodi, tam circa ætatem, quàm circa idoneitatem aliasque qualitates Concilii Tridentini decretis.

Archiepiscopatum novum Occidentalem, collato jure nominandi in Regem, erigit, eumque immediatè Sedi Apostolicæ subjicit.

Prænominatam Ecclesiam Collegiatam S. Thomæ in Archiepiscopalem Sedem Occidentalem sub invocatione Assumptionis B. Mariæ Virginis instituit.

§. 6. Cumque dicta Cathedralis Ecclesia Ulysiponen, Occidentalis nuncupanda, olim, ut præfertur, Collegiata Ecclesia, nunc ad hujusmodi sublimitatem, honorificamque excellentiam sublimata existat, dictusque Joannes Rex, ut accepimus, in ea Dignitates, & Canonicos habere, qui certas, & peculiares qualitates habeant, ad hoc ut ad altiores Dignitates, & Cathedralium Ecclesiarum regimina promoveri, seu præsentari possint summoperè desideret, eidem Joanni Regi, ut nonnullos ex Dignitates, & Canonicatus, & Præbendas hujusmodi, ac Beneficia præfata nunc obtinentibus pro hac vice tantùm ab eis removere, aliosque in eorum locum subrogare, dummodò tamen prius indemnitati eorum, qui sic remoti fuerint, saltem æquivalenter, consultum fuerit, liberè, & licitè possit, & valeat & sic remoti à Dignitatibus, aut Cononicatibus, & Præbendis, seu Beneficiis hujusmodi quâvis ratione, & sub quovis prætextu, etiam Triennalis possessionis juvari non possint, nec remotioni hujusmodi contradicere, & se opponere valeant, ac pro remotis Apostolicâ auctoritate haberi volumus, & mandamus, tenore præsentium, motu pari concedimus, & indulgemus. Ad hoc autem, ut tam Archiepiscopus Ulysiponen. Orientalis, quàm Archiepiscopus Ulysiponen. Occidentalis pro tempore existentes ultra propriam, & distinctam Diœcesim, ac proprium, & distinctum Territorium, cum propriâ, verâ, & particulari auctoritate, jurisdictione, & potestate in cujusque eorum Subditos, & Diœcesanos habere valeant, Archiepiscopo Ulysiponen. Orientali pro tempore existenti, ut auctoritatem, jurisdictionem, & superioritatem in Clerum, & Populum, in Castra, Oppida, Villas, Territoria, Districtus, Ecclesias, & Personas tam Sæculares, quàm Ecclesiasticas existentes, & existentia in medietate Civitatis, & medietate Diœcesis Ulysiponen. versus Orientem ei, ut præfertur, assignatis, habere debeat, & eas liberè & licitè exercere valeat, ac Loca, & Personæ hujusmodi ejus Jurisdictioni, subjectioni, visitationi, & correctioni semper, & perpetuò subjecta remaneant, citra tamen præjudicium Personarum, seu Locorum, forsan habentium privilegia exemptionis ab hujusmodi visitatione, quæ firma, & illæsa remanere, & ut antea ab hujusmodi visitatione exempta respectivè esse debeant.

In eadem Cathedrali confirmat Dignitates, Canonicatus, & Præbendas antea existentes in Collegiata nonnullis additis ordinationibus.

§. 7. Nec non eidem pro tempore existenti Archiepiscopo Ulysiponen. Orientali ultra jurisdictionem, & auctoritatem in Personas, & Loca in medietate Civitatis, & medietate Diœcesis Ulysiponen. hujusmodi versus Orientem sic, ut præfertur, ei assignatis, collationes, provisiones, & omnimodas alias dispositiones Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, Personatuum, Administrationum, Officiorum, cæterorumque omnium, & singulorum Beneficiorum Ecclesiasticorum cum curâ, & sine curâ, ac Præsentationes, electiones ad illa, confirmationes, & Institutiones in eisdem antea in tota Civitate & tota Diœcesi Ulysiponen prædefunctis Archiepiscopis Ulysiponen. competentes, salvis tamen, & illæsis semper remanentibus, reservationibus, & affectionibus Apostolicis, & absque præjudicio præsentationis Beneficiorum Juris patronatus Regii, & Laicalis in posterùm pro medietate tantùm Civitatis Ulysiponen., & medietate Diœcesis Ulysiponen. hujusmodi versus Orientem sic, ut præfertur, sibi assignatis, relinquimus & assignamus, eidemque pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Orientali Egitanien., Portalegren., Promontorii Viridis, Sancti Thomæ, & Congen. Episcopales Ecclesias, mo-

Facultatem Regi concedit removendi nonnulos ex possidentibus dictas Dignitates, & Canonicatus, apposita conditione consulendi eorum indemnitati.

Potestatem utriusque Archiepiscopi designat.

Archiepiscopi Orientalis quoad medietatem Civitatis, & Diœcesis Ulyssiponen. versus Orientem in personas, & Loca inibi existentia, salvis tamen exemptis à visitatione.

Sic etiam in provisionibus Dignitatum, & Beneficiorum quoad medietatem; ut supra, cum præservatione Reservationum & affectionum Apostolicarum, ac præsentationum de Jure patronatus.

Deputat Episcopos Suffraganeos cum consuetis facultatibus erga eos exercendis.

dernosque, & pro tempore existentes illarum respectivè Præsules, seu Administratores pro suis, & pro tempore existentis Archiepiscopi Ulyssiponen. Orientalis Suffraganeis, qui tanquam membra capiti pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Orientali jure metropolitico subsint, designamus, & deputamus; ita quòd idem pro tempore existens Archiepiscopus Ulyssiponen. Orientalis in eisdem Egitanien., Portalegren., Promontorii Viridis, Sancti Thomæ, & Congen. Civitatibus, & Diœcesis jus metropoliticum sibi vindicet, & Egitanien., Portalegren., Promontorii viridis, Sancti Thomæ, & Congen. pro tempore existentes Episcopi eidem pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Orientali ad omnia, & singula teneantur, & sint adstricti, ad quæ Suffraganei quicumque suis Metropoliticis Ecclesiis, & Metropolitanis juxta canonicas sanctiones tenentur, & obligati existunt, ac eidem pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Orientali prædictos suos Suffraganeos consecrandi, Provinciales Synodos evocandi, ac cum eisdem Suffraganeis Ecclesiastica negocia agendi, & definiendi, causas quarumcumque appellationum, sive querelas juxta Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decreta cognoscendi, omniaque alia, & singula quæcumque, quæ de jure, usu, consuetudine, aut aliàs quoquomodo ad Archiepiscopos, & Archiepiscopale munus spectare, & pertinere solent, & præcisè ad antiquum Archiepiscopum Ulyssiponen. antea spectabant, & pertinebant in medietate tantùm Civitatis Ulyssiponen. versus Orientem, & medietate tantùm Diœcesis Ulyssiponen. hujusmodi etiam versus Orientem sic ei pro suis Archiepiscopatu, & Territorio, à Nobis per præsentes relictis & assignatis, gerendi, & exercendi plenam, liberam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem relinquimus pariter, & assignamus.

Archiepiscopo Occidentali confirmat Officium Sacellani Majoris Regiæ Cappellæ, aliasque prærogativas, & jurisdictiones super Familiaribus Regiis.

§. 8. Pro tempore verò existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali, qui semper esse debeat Sacellanus major dictæ Regiæ Cappellæ, ut ultra gratias, privilegia, prærogativas, & indulta, quibus frui debebit uti Sacellanus major Regiæ Cappellæ, & præcisè ultra jurisdictionem spiritualem, & temporalem, quæ ei competere debebit super Familiaribus Regiis, aliisque Personis juxta formam, & tenorem privilegiorum eidem Sacellano majori aliàs concessorum, ubicumque domicilium habentibus, seu habituris, etiam ipse jurisdictionem, & authoritatem in Clerum, Populum, Castra, Oppida, Villas, Territoria, Districtus, Ecclesias, & Personas tam sæculares, quàm Ecclesiasticas, & Regulares existentes, & existentia in medietate Civitatis, & medietate Diœcesis Ulyssiponen. hujusmodi versùs Occidentem ei sic, ut præfertur, assignatis, habere debeat, ac eas liberè, & licitè exercere valeat, ac Loca, & Personæ hujusmodi ejus subjectioni, visitationi, & correctioni semper, & perpetuò subjecta remaneant, citra tamen præjudicium Personarum, seu Locorum forsan habentium privilegia exemptionis ab hujusmodi visitatione, quæ firma pariter, & illæsa remanere, & ut antea ab hujusmodi visitatione exemta respectivè esse debeant; nec non eidem pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali ultra jurisdictionem, & authoritatem in Personas, & Loca in medietate Civitatis, & medietate Diœcesis Ulyssiponen. hujusmodi versus Occidentem sic, ut præfertur, ei assignatis, collationes, provisiones, & omnimodas aliàs dispositiones Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum, Personatuum, Administrationum, Officiorum, cæterorumque omnium, & singulorum

Eidem jurisdictionem in personas, & Loca quoad medietatem dictæ Civitatis, & Diœcesis versus Occidentem, salvis exemptionibus tribuit.

Provisionem Dignitatum, & Beneficiorum quoad dictam medietatem, salvis tamen Reservationibus, & affectionibus Apostolicis, ac præsentationibus de Jurepatronatus Regio, eidem concedit.

Beneficiorum Ecclesiasticorum cum curâ, & sine curâ, ac præsentationes, electiones ad illa, confirmationes, & institutiones in eisdem antea in totâ Civitate, & totâ Diœcesi Ulyssiponen. prædefunctis Archiepiscopis Ulyssiponen. competentes, salvis tamen, & semper illæsis pariter remanentibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis, & absque præjudicio præsentationis Beneficiorum Jurispatronatus Regii, & Laicalis, inposterum pro medietate tantùm Civitatis Ulyssiponen. ac medietate tantùm Diœcesis Ulyssiponen. versùs Occidentem sic, ut præfertur, pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali assignatis, similiter concedimus, & respectivè indulgemus, eidemque pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali Leyrien., Lamacen., Funchalen., & Angren. Episcopales Ecclesias, modernosque, & pro tempore existentes illarum respectivè Præsules, seu Administratores pro suis, & pro tempore existentis Archiepiscopi Ulyssiponen. Occidentalis Suffraganeis, qui tanquam membra Capiti eidem pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali jure Metropolitico subjaceant, eique obedientiam, & reverentiam, tanquam proprio Metropolitano, præstare debeant, similiter designamus, & deputamus; ita quòd idem pro tempore existens Archiepiscopus Ulyssiponen. Occidentalis in eisdem Leyrien., Lamacen. Funchalen., & Angren Civitatibus, & Diœcesibus jus Metropolicum habeat, & habere debeat, & Leyrien., Lamacen., Funchalen., & Angren. Episcopi eidem pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali ad omnia, & singula teneantur, & sint adstricti, ad quæ Suffraganei quicumque de jure, usu, aut consuetudine tenentur, & obligati existunt, ipsique pro tempore existenti Archiepiscopo Ulyssiponen. Occidentali præfatos suos Suffraganeos consecrandi, Provinciales Synodos evocandi, accùm eis etiam Ecclesiastica negocia agendi, & terminandi, causas quarumcumque appellationum, sive querelas juxta Sacrorum Canonum statuta, & Concilii Tridentini decreta cognoscendi, omniaque alia, & singula, quæ similiter de jure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet ad Archiepiscopos, & Archiepiscopale munus spectare, & pertinere solent, & præcisè ad antiquum Archiepiscopum Ulyssiponen. antea in tota Civitate, & Diœcesi Ulyssiponen. spectabant, & pertinebant in posterùm in medietate tantùm Civitatis, & medietate tantùm Diœcesis Ulyssiponen. hujusmodi versùs Occidentem sic ei pariter pro suis Archiepiscopatu, & Territorio, à Nobis per præsentes assignatis, gerendi, & exercendi plenam, & omnimodam facultatem, & authoritatem concedimus & impartimur.

Suffraganeos ejusdem Archiepiscopi deputat cum consuetis facultatibus erga illos exercendis.

§. 9. Ut autem tam Archiepiscopus Ulyssiponen. Orientalis, quàm Archiepiscopus Ulyssiponen. Occidentalis pro tempore existentes in actu expeditionis literarum Apostolicarum super eorum promotione ad dictos Ulyssiponen. Orientalem, & Ulyssiponen. Occidentalem Archiepiscopatus ad nominationem dicti Joannis Regis, ejusque Successorum Regum præfatorum, ut infra, faciendam, taxam fixam, & invariabilem in libris Cameræ Apostolicæ, ac certos, & distinctos fructus habere valeant, cum taxâ antiqui Archiepiscopatus Ulyssiponen. in libris Cameræ Apostolicæ ad bis mille florenos auri descripta reperiatur, & æquum sit, quòd sicuti dividuntur Civitas, & Diœcesis, ita etiam dividantur fructus, & onera, volumus, & ordinamus, quòd in posterum fructus Archiepiscopatus Ulyssiponen. Orientalis ad mille florenos auri, & similiter fructus Archiepiscopatus Ulyssiponen. Occidentalis ad alios mille florenos similes respectivè in libris

Taxam servandam in expeditione

Literarum Apost. expeditioni pro quolibet ex dictis Archiepiscopatibus decernit.

Gameræ Apoſtolicæ taxati reſpectivè exiſtant.

§. 10. Unicuique autem ex prædictis duobus Archiepiſcopis Ulyſſiponen. Orientali, & Occidentali pro tempore exiſtentibus illi fructus ex decimis, & aliis quibuſcumque reditibus, proventibus, bonis ſtabilibus, cenſibus, & aliis hujuſmodi provenientes obveniant, qui provenire poterunt ex illâ medietate Civitatis, & medietate Diœceſis Ulyſſiponen. ei ſic, ut præfertur, aſſignatis; & ne antiquum Capitulum Ulyſſiponen. ex hac diviſione, & diſmembratione, ac novi Archiepiſcopatus Ulyſſiponen. Occidentalis erectione quoad infraſcriptos fructus, & alia emolumenta ei, ut infra, ſpectantia, aliquod detrimentum patiatur, tam fructus, quàm decimæ, & alia emolumenta, quæ antea eidem antiquo Capitulo ſpectabant, & pertinebant, etiam poſt diviſionem Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen., ac novæ Metropolitanæ Eccleſiæ hujuſmodi erectionem, ut antea, ſpectare, & pertinere debeant, abſque eo quod Capitulum, & Canonici novæ Metropolitanæ Eccleſiæ præfatæ ex dictis decimis, fructibus, & emolumentis ad antiquum Capitulum Ulyſſiponen., ut præfertur, ſpectantibus quidquam exigere, ſeu prætendere valeant, etiamſi fructus, decimæ, & emolumenta hujuſmodi ex quibuſcumque bonis, rebus, & Perſonis in medietate Civitatis, & medietate Diœceſis Ulyſſiponen. verſus Occidentem exiſtentibus quomodolibet proveniant.

§. 11. Ad effectum vero, ut ex diviſione Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen. præfatarum, & exiſtentiâ duorum Archiepiſcopatuum intra limites ejuſdem antiquæ Civitatis, ejuſdemque Diœceſis, diſcordiæ, & diſſenſiones non oriantur, cupientes pacem, & tranquillitatem inter Perſonas Eccleſiaſticas, ſummoperè conſentaneam, confovere, omnia, & ſingula infraſcripta, quæ juriſdictionem, ſuperioritatem, aliaque pro quiete, & concordiâ amborum Archiepiſcopatuum reſpicere poſſunt, perpetuis futuris temporibus tam ab Archiepiſcopo Ulyſſiponen. Orientali, quàm ab Archiepiſcopo Ulyſſiponen. Occidentali, eorumque reſpectivè Vicariis, Officialibus, & Miniſtris quocumque nomine nuncupandis, ac quâvis authoritate, ſuperioritate, juriſdictione, & facultate pollentibus, nec non Subditis, & Diœceſanis tam Sæcularibus, quàm Eccleſiaſticis, firmiter, & inviolabiliter obſervari debere mandamus. Primò videlicet, quòd Confeſſarii, & Concionatores, ſi à proprio ex duobus prædictis Archiepiſcopis pro tempore exiſtentibus approbati, & idonei reperti fuerint ad Confeſſiones audiendas, & verbi Dei prædicationes faciendas in unâ parte Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen., in quâ exiſtit dictus proprius Archiepiſcopus, tunc, & eo caſu, exhibendo coram altero Archiepiſcopo approbationem proprii Archiepiſcopi, poſſint in alterâ parte Civitatis Ulyſſiponen., ejuſque diſtrictu Confeſſiones audire, & Verbum Dei prædicare abſque alio examine, aliâque approbatione, ſed habitâ tantùm licentiâ ab Archiepiſcopo loci, in quo Confeſſiones hujuſmodi audire, & Verbum Dei prædicare voluerint.

§. 12. Secundò, quòd omnes, & quicumque caſus, qui in uno ex prædictis duobus Archiepiſcopatibus erunt reſervati, vel in poſterùm reſervabuntur, pariformiter ſint, & eſſe debeant etiam reſervati in alio ex prædictis duobus Archiepiſcopatibus, ne Subditi unius ex præfatis duobus Archiepiſcopatibus hujuſmodi committentes exceſſus, qui in ſuo Archiepiſcopatu ſunt reſervati, facilè abſolvi poſſint in alio ex præfatis duobus Archiepiſcopatibus, in quo ſimiles caſus reſervati non fuerint.

§. 13. Tertiò in eventum ſepeliendi aliquem defunctum unius partis Civitatis, vel Diœceſis in alterâ parte ejuſdem Civitatis, vel Diœceſis, vel quia in hac alterâ parte ſibi elegerit ſepulchrum, vel quia in hac alterâ parte ſepulchrum ſuorum Majorum, & Conſanguineorum exiſtat, tunc Parochus defuncti aſſociare debeat cadaver uſque ad limites illius Archiepiſcopatus, in quo deceſſit, illudque exinde aſſociabitur à Parocho, intra cujus limites ſita eſt Parochia, ſive Eccleſia, in qua cadaver prædictum erit ſepeliendum, dividendo tamen inter utrumque Parochum emolumenta debita ratione funeris.

§. 14. Quartò Religiones, & Laicorum Confraternitates totius Civitatis, quæ ad præſens in eâdem Civitate reperiuntur, in poſterùm aſſociando Cadavera, & in aliis quibuſcumque functionibus, tam eundo, quàm redeundo incedere poſſint per totam Civitatem proceſſionaliter eiſdem modo, & formâ, quibus ad præſens incedunt. Illæ verò Religiones, & Laicorum Confraternitates, quæ in futurum de novo fundatæ, & inſtitutæ fuerint, ad hoc ut in prædictis functionibus incedere poſſint per totam Civitatem proceſſionaliter, ab utroque Archiepiſcopo licentiam petere debeant, & facultatem.

§. 15. Quintò quotieſcumque opus fuerit facere denunciationes ſuper matrimoniis contrahendis, & ſuper Ordinibus conferendis pro Perſonis in dicta Civitate Ulyſſiponen. commorantibus, denunciationes hujuſmodi quamvis matrimonium contrahere, & ad Ordines hujuſmodi promoveri volentes unius partis dictæ Civitatis, ut præfertur, diviſæ habitatores exiſtant, non ſolùm in eorum Parochiali Eccleſiâ, verùm etiam in unâ ex Parochialibus Eccleſiis alterius partis ejuſdem Civitatis, ut præfertur, diviſæ, ad hoc ut fraudibus obviari poſſit, fieri debeant, nec ullo unquam tempore matrimonia contrahi, ac Ordines tam minores, quàm ſacri conferri poſſint abſque fide Notariorum, vulgò *Folha Corrida* nuncupata utriuſque Archiepiſcopatus, in qua expreſsè caveatur, quòd tam illi, qui matrimonia contrahere voluerint, quàm illi, qui ad Ordines præfatos erunt promovendi, nullo canonico impedimento irretiti exiſtant, nullave criminis infamiâ quoad Ordines hujuſmodi laborent.

§. 16. Sextò, quòd publicæ Proceſſiones, tam in die ſolemnitatis Corporis Chriſti ab utrâque Cathedrali faciendæ, quàm quæ ex conſuetudine, vel voto aliis diebus fiunt, vel de cætero fieri poterunt, nequaquam fieri valeant extra limites proprios unius Archiepiſcopatus abſque expreſsâ licentiâ, & facultate alterius Archiepiſcopi.

§. 17. Septimò Miniſtri, & Officiales unius Archiepiſcopatus non poſſint, nec debeant in aliâ parte & in alio Dominio, & Territorio alterius Archiepiſcopi deferre inſignia denotantia juriſdictionem, & Juſtitiam, nec facere per ſe ipſos executiones, aut aliquem, quamvis ſibi Subditum, in carceribus conjicere, ſed adhibendæ erunt Literæ hortatoriæ juxtà ſtylum Regni Portugalliæ; excepto tamen caſu, quo Rei reperti fuerint, vel in actu fugæ, vel in flagranti crimine, in quibus caſibus Rei conſignandi erunt Officiali illius Archiepiſcopi, in cujus ditione capti fuerint, ad hoc, ut iſte, vel eos puniat, ſi de jure ei competat facultas illos puniendi, vel eos remittat ad Judicem ſuum, qui de jure debebit procedere ad cognitionem criminis à Reis hujuſmodi commiſſi.

§. 18. Octavò omnes & quæcunque Literæ Apoſtolicæ tam ſub Plumbo, quàm ſub Annulo Piſcatoris in poſterùm expediendæ, & tam gratiam, quàm

Cuique ex dictis Archiepiſcopis diviſim aſſignat reditus ex qualibet medietate Civitatis, & Diœceſis.

Capitulo antiquo Ulyſſiponen. fructus, & emolumenta jampridem ſpectantia integrè præſervat.

Pro conſervatione pacis inter utrumque Archiepiſcopatum ſtatuit nonnullas proviſiones ab Archiepiſcopis, eorum Miniſtris, ac reſpectivè Subditis ſervandas.

Quoad Confeſſarios, & Concionatores approbatos ab uno ex dictis Archiepiſcopis

Quoad caſus reſervatos, & in poſterum reſervandos in uno ex eiſdem Archiepiſcopatibus.

Quoad aſſo-

ciationem cadaverum explendam à proprio Parocho in altera parte Civitatis, & Diœceſis, ac perceptionem emolumentorum.

Quoad ſimilem aſſociationem explendam à Religionibus, & Confraternitatibus Laicorum tam fundatis, quàm in poſterum fundandis.

Quoad denunciationes ſuper matrimoniis contrahendis, ac promotionibus ad ſacros Ordines.

Quoad publicas Proceſſiones tam in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, quam ex aliis cauſis obeundas.

Quoad delationem Inſignium, & exercitium Juriſdictionis in Miniſtris cujuſlibet Archiepiſcopatus.

Quoad executionem literarum Apoſtolicarum ad quemnam ex Archiepiſcopis ſpectare debeat.

quàm juſtitiam ſimul, vel ſeparatim concernentes, quæ pro illarum executione committendæ erunt Archiepiſcopo, ſeu Officiali Ulyſſiponen., quotieſcumque ex eiſdem Literis non conſtabit, an illarum executio Archiepiſcopo, ſeu Officiali Ulyſſiponen. Orientali, aut Archiepiſcopo, ſeu Officiali Ulyſſiponen. Occidentali commiſſa fuerit, tunc, & eo caſu hujuſmodi executio commiſſa eſſe intelligatur illi Archiepiſcopo, qui juriſdictionem habuerit, vel ſupra perſonam, ſi materia ſit perſonalis, vel ſupra rem, ſi realis.

Quoad continuationem cognitionis cauſarum pendentium, illarumque executionem, nec non quoad cauſas in poſterum introducendas.

§. 19. Nonò, omnes, & quæcumque cauſæ, & litium controverſiæ, quæ ad præſens introductæ, & indeciſæ reperiuntur continuari, & terminari debeant uſque ad ſententiam diffinitivam coram eiſdem Officialibus, ſeu Judicibus, coram quibus introductæ fuerunt; executiones verò faciendæ erunt ab Officiali illius Achiepiſcopi, cui juxta prædictam diviſionem ſpectabunt, mediantibus tamen ſolitis Literis hortatoriis juxta ſtylum Regni Portugalliæ: Illæ verò lites, & controverſiæ, quæ de novo movendæ, & introducendæ erunt, judicari, & definiri debebunt ab Officiali illius Archiepiſcopi Ulyſſiponen., aut Orientalis, ſeu Occidentalis, qui debebit de jure eas cognoſcere, & ſuper eis judicare, vel ratione perſonæ ei ſubjectæ, vel ratione rei in ſuo Archiepiſcopatu, & in ſua Diœceſi exiſtenti.

Quoad creationem novorum Officialium faciendam per Occidentalem Archiepiſcopum, & obligationem revelandi antiquos in caſu, quo Officia empta ſint.

§. 20. Decimò, novus Archiepiſcopus Ulyſſiponen. Occidentalis poterit creare, & eligere omnes, & ſingulos Officiales, qui ibidem creari ſolent, aut confirmare, & approbare jam creatos, & electos cum eiſdem juriſdictione, & poteſtate aliis Officialibus in parte Civitatis, & Diœceſis ſibi aſſignata competentibus, nec per hoc Officiales antiqui Archiepiſcopatus Ulyſſiponen. aliquam relevationem prætendere poſſint, præterquam in caſu, quo officia ab eis empta fuiſſent, quia tunc novus Archiepiſcopus Ulyſſiponen. Occidentalis decernere debebit, quod Officiales ab eo noviter electi reficiant damna, quæ Officiales antiqui Archiepiſcopatus Ulyſſiponen. ex hac novâ erectione, & electione Officialium pati poſſent, & infraſcripti Judices Executores ſummarie, & ſola facti veritate inſpectâ pretium eiſdem antiquis Officialibus debitum perſolvere faciant.

Quoad præſentiam obtinentium Dignitates, & Beneficia reſidentalia cum aliqua modificatione quoad eorum familias.

§. 21 Undecimò, quia in utrâque parte Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen. tam Orientalis, quàm Occidentalis reperiuntur Dignitates, Canonicatus, & Beneficia, quæ perſonalem reſidentiam requirunt, ne ob prædictam Civitatis & Diœceſis Ulyſſiponen. diviſionem Dignitates, Canonicatus, & Beneficia hujuſmodi pro tempore obtinentes in aliquo præjudicentur, volumus, quòd ſi Poſſeſſores Dignitatum, Canonicatuum, & Beneficiorum hujuſmodi in unâ parte Civitatis, ſeu Diœceſis hujuſmodi habitaverint, nihilominus habeantur, & reputari debeant præſentes in loco Dignitatum, Canonicatuum, & Beneficiorum hujuſmodi; ipſi verò, non tamen eorum Familiæ, & Familiares Subditi illius Archiepiſcopi exiſtant, in cujus Civitate, ſeu Diœceſi Dignitates, aut Canonicatus, ſeu Beneficia hujuſmodi extiterint.

Quoad terminationem controverſiarum quæ occaſione dictæ diviſionis in poſterum contingent, ſummarie explendam coram Executoribus infra nominandis.

§. 22. Duodecimò, quod omnes, & ſingulæ controverſiæ, quæ in poſterùm occaſione hujuſmodi diviſionis, ac novi Archiepiſcopatus erectionis oriri poterunt, ſummarie abſque ſtrepitu, & figurâ judicii, ac ſolâ facti veritate inſpectâ ab eiſdem infraſcriptis Judicibus Executoribus definiri, & judicari debeant. Inſuper, quod ex omnibus ſupradictis nullum præjudicium inferatur, nec ullo unquam tempore in futurum inferri poſſit juriſdictioni jam competenti novo Archiepiſcopo Ulyſſiponen. Occidentali, uti Sacellano Majori Cappellæ Regiæ Ulyſſiponen., quæ juriſdictio ſemper, & omni tempore immunis, & illæſa remaneat in ſuo primævo ſtatu, exercenda tamen à dicto novo Archiepiſcopo Ulyſſiponen. Occidentali, uti Præſule dictæ Cappellæ ſuper Familiâ Regiâ, eademque Cappellâ, & ejus Officialibus, ac Familiaribus ipſius Joannis Regis, ad formam Indultorum & Privilegiorum Apoſtolicorum, uſque nunc conceſſorum ad favorem Sacellani Majoris pro tempore exiſtentis, quibus nullo modo derogatum, ſeu præjudicatum intelligatur, ſed novus Archiepiſcopus Ulyſſiponen. Occidentalis, uti Cappellanus Major dictæ Regiæ Cappellæ ad formam Indultorum, & Privilegiorum Apoſtolicorum hujuſmodi privativè quoad omnes alios Judices, ſeu Superiores, quâvis authoritate, & dignitate fungentes, ſuam juriſdictionem Sacellani Majoris abſque ullâ diminutione, & controverſiâ exercere valeat

Juridictionem Archiepiſcopi Occidentalis tanquam Sacellani Majoris Regiæ Cāpellæ in Regiam Familiam, & Cappellam ad formam Indultorum aliàs conceſſorum præſervat.

Proſequitur in explicatione propoſita majores gratias elargiendi eidem Regi.

§. 23. Denique conſiderantes prædictam Metropolitanam Eccleſiam Ulyſſiponen. Occidentalem, ſic, ut præfertur, à Nobis per præſentes erectam, & inſtitutam in Regio Palatio Ulyſſiponen. conſtitutam exiſtere, inibique ipſas Perſonas Regias functionibus Eccleſiaſticis ſæpiſſimè adeſſe poſſe, valde congruum exiſtimamus, ut eadem Metropolitana Eccleſia Ulyſſiponen. Occidentalis, ejuſque pro tempore exiſtens Archiepiſcopus Ulyſſiponen. Occidentalis, uberioribus Indultis, privilegiis, & prærogativis ex ſpeciali noſtrâ & Sedis Apoſtolicæ Indulgentiâ condecorentur: hinc prædictum Joannem Regem amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, firmis tamen, & illæſis remanentibus ſupradictis omnibus, & ſingulis indultis, & privilegiis eidem Cappellæ Regiæ, ejuſque Sacellano Majori, ſic, ut præfertur, à Nobis, & Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſis, nec non citra ullum præjudicium, ſeu diminutionem authoritatis, juriſdictionis, præeminentiarum, ac jurium quorumcumque, etiam honorificorum, & merè cæremonialium nunc, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncio, ſeu alteri ejuſdem Sedis in eiſdem Regnis pro tempore ſimiliter exiſtenti Legato competentium quæ Nuncius, & Legatus ſupradicti, quoad dictum novum Archiepiſcopum Ulyſſiponen. Occidentalem pariformiter, & abſque ullâ prorsùs differentiâ, ac quoad alios Archiepiſcopos, & Epiſcopos dictorum Regnorum exercere poſſint, ac debeant, motu, ſcientiâ, & poteſtate ſimilibus eamdem ſecularem, & inſignem Collegiatam Eccleſiam, ſicà Nobis in Archiepiſcopalem Eccleſiam Ulyſſiponen. Occidentalem erectam & inſtitutam nomine, titulo, & prærogativâ Patriarchalis Eccleſiæ, ejuſque Archiepiſcopum Ulyſſiponen. Occidentalem pro tempore exiſtentem ſimiliter nomine, titulo, & prærogativâ Patriarchæ Ulyſſiponen. Occidentalis, ad inſtar Venerabilis Fratris noſtri moderni Patriarchæ Venetiarum, quoad Provinciam tamen Archiepiſcopatus Ulyſſiponen. Occidentalis tantùm inſignimus, & decoramus cum facultate utendi inſigniis, & ſtemmate propriæ Eccleſiæ Archiepiſcopalis Ulyſſiponen. Occidentalis, aliiſque ornamentis, quibus idem Patriarcha Venetiarum de jure, uſu, & conſuetudine utitur, necnon in eiſdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis deferendi Crucem, & Rocchettum apertum, Populum benedicendi, Thronum, & Baldachinum habendi, Pontificalia exercendi, infraſcriptas indulgentias concedendi, & ſupra Bracharen., Ulyſſiponenſ. Orientalem, ac Elborenſ. Archiepiſcopos; Necnon Portugal-

Metropolitanam Occidentalem erigit in Patriarchatum, & Archiepiſcopum reſpectivè in Patriarcham ad inſtar Patriarchæ Venetiarum, quoad Provinciam tamen dumtaxat illi tributam.

Pluresprærogativaseidem Patriarchæ impertitur.

Signanter præcedendi Archiep. Bralcharen., Ulyſſiponen. Orientalem, alioſq; Regni Prælatos etiam in propriis Eccleſiis.

Præmittit præſervationum Jurium aliàs conceſſorum, nec non competentium Sedi Apoſtolicæ ejuſque Nunciis, & Legatis in Regno Portugalliæ.

gallenſ., Colimbrienſ., Viſenſ., Mirandenſ., Lamacenſ., Egitanienſ., Leirienſ., Funchalenſ., Angrenſ., Promontorii Viridis, Sancti Thomæ, Congenſ., Algarbienſ., Portalegrenſ., & Eluenſ. Epiſcopos, alioſque omnes, & ſingulos Regnorum hujuſmodi Prælatos, in omnibus actibus, & functionibus, etiam in eorum Eccleſiis præcedentiam habendi, quorum nullus etiam in eorum Eccleſiis, eo præſente, aliquem juriſdictionis, honoris, vel facultatis actum gerere poſſit, quem coram Legato prædictæ Sedis Apoſtolicæ gerere non valeret; quo verò ad alias juriſdictiones, & facultates aliis Patriarchis, ſeu prædictæ Sedis Legatis competentes, nullas idem pro tempore exiſtens Archiepiſcopus Ulyſſiponen. Occidentalis Patriarcha nuncupatus habere, ſeu exercere poſſit, exceptis ſupradictis, niſi alia juriſdictio, ſeu facultas hujuſmodi, prius per Nos, aut Succeſſores noſtros, Sedemque præfatam declarata, & reſpectivè ei conceſſa fuerit, nec non utendi Pallio non ſolùm in diebus feſtivitatibus, & functionibus in Pontificali Romano deſcriptis, & deſignatis, ſed etiam in Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, in inventionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis, Sancti Joſephi, Sanctæ Annæ, Sancti Michaelis Archangeli, Sancti Vincentii Civitatis Ulyſſiponen. Protectoris, Sanctæ Elyſabethæ Reginæ Portugalliæ, Sancti Antonii Ulyſſiponen., Sancti Angeli Cuſtodis, & Sancti Georgii Regni Portugalliæ Defenſorum Feſtivitatibus, quæ omnes in ipſa Collegiatâ Eccleſiâ in Cathedralem, & Metropolitanam Eccleſiam Ulyſſiponen, Occidentalem erectam, & in toto Regno Portugalliæ ſolemniter celebrantur, nec non in qualibet aliâ die, ſi quæ fuerit ſolemnior in Eccleſiâ, in qua per totum Regnum prædictus Archiepiſcopus Ulyſſiponen. Occidentalis Patriarcha nuncupatus Pontificalibus uſus fuerit, ac in benedictionibus nuptiarum, & in ſolemni Baptiſmate filiorum, & deſcendentium Regiorum, ac in aliis ſimilibus, & ſolemnibus Regiis functionibus, quæ intra, vel immediatè poſt Miſſarum ſolemnia celebrabuntur, quodque prædictus pro tempore exiſtens Archiepiſcopus Ulyſſiponen. Occidentalis Patriarcha nuncupatus, ſic à Nobis per præſentes creatus, & inſtitutus, ac nomine, & prærogativâ Patriarchæ decoratus habitu purpureo ad inſtar Venerabilis etiam Fratris noſtri moderni Archiepiſcopi Salisburgen., indui poſſit, eaſque indulgentias concedere valeat, quas noſtri, & prædictæ Sedis Apoſtolicæ Nuncii in prædictis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis ejuſdem Sedis authoritate concedere ſolent; videlicet, centum, aut plures alios dies, non tamen ultra annum, nec non in uno Feſto dumtaxat, à primis uſque ad ſecundas Veſperas, & occaſum ſolis diei Feſti hujuſmodi, quinque annos, & quinque quadragenas, aut infra, ita tamen, ut ſemel tantùm pro unâ Eccleſiâ, vel Cappellâ fiat, etiam concedimus, & indulgemus.

Declarat conceſſionem dictarum facultatum.

Uſum Pallii concedit certis deſignatis diebus, & feſtivitatibus.

Ac ſingularem gratiam deferendi habitum purpureum ad inſtar Salisburgenſis Archiepiſcopi indulget cum facultate concedendi Indulgentias, quas Nuncii concedunt.

§. 24. Capitulo verò dictæ Collegiatæ Eccleſiæ, ſic à Nobis in Cathedralem, & Metropolitanam Eccleſiam erectæ, ac titulo, denominatione, & prærogativâ Patriarchalis Eccleſiæ decoratæ, ejuſque Dignitatibus, & Canonicis, ut ipſi in poſterum habitum Prælatitium violacei coloris ſerici, aut lanei ſupra Rocchettum, ubique terrarum extra tamen Romanam Curiam, & ubi non fuerit Romanus Pontifex, ad inſtar Canonicorum Eccleſiarum Patriarchalium de Urbe, quodque ipſi, qui jam vigore Indulti Apoſtolici habent uſum Cappæ magnæ violacei coloris, in poſterùm hyemali Cappam etiam magnam rubeam; æſtivo verò temporibus Mozzettam ſupra Rocchettum ſimiliter rubeam ad inſtar Canonicorum Eccleſiæ Piſanæ reſpectivè in ſingulis Horis Canonicis, Miſſis; & aliis Divinis Officiis, nec non Proceſſionibus tam intra, quàm extra eorum Eccleſiam peragendis, nec non actibus Capitularibus publicis, & privatis geſtare, & deferre poſſint, quodque Capitulum, & Canonici dictæ Eccleſiæ Ulyſſiponen. Occidentalis tam habitu Prælatitio, quàm Canonicali induti, & capitulariter exiſtentes, ſeu incedentes omnia Capitula, etiam in eorum Eccleſiis, omneſque Canonicos quarumcumque Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum totius Regni Portugalliæ; ſimiliter, ſi unus, vel plures dictæ Eccleſiæ Ulyſſiponen. Occidentalis cum alio, vel aliis, Dignitate, ſeu Canonico, aut Dignitatibus, ſeu Canonicis alterius, cujuſque Eccleſiæ Regni Portugalliæ incedent, ſeu in aliquâ functione Eccleſiaſticâ aderunt, etiam in eorum Eccleſiis præcedere debeant; nec non, ut ipſi, eorumque in Dignitatibus, ac Canonicatibus, & Præbendis hujuſmodi Succeſſores perpetuis futuris temporibus, ac tam in parte Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen. Occidentalis, quàm in toto Regno, & Dominiis præſente Rege, eoque abſente de licentiâ Ordinarii, in Miſſis, ac Horis Canonicis, ſolemniter decantandis, & perſolvendis ac etiam in Proceſſionibus, benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis Baptiſmalis, ac in reliquis Eccleſiaſticis functionibus, in quibus ſacra adhibentur paramenta, præſente, vel abſente Archiepiſcopo, Mitrâ, aliiſque indumentis, vel paramentis, ad inſtar Abbatum uſum Mitræ habentium, uti, nc non in eorum Armis, & Inſigniis gentilitiis Mitram apponi facere, ad inſtar Dignitatum, & Canonicorum Archiepiſcopalium Eccleſiarum Beneventanæ, & Mediolanen., quodque ipſius Eccleſiæ Ulyſſiponen. Occidentalis Dignitates, & Canonici præfati, eorumque Succeſſores indumenta, & paramenta, aliaſque res Eccleſiaſticas, in quibus Sacri Olei vel Chriſmatis unctio non requiritur, non tamen Calices, neque Patenas benedicere, ad inſtar canonicorum Eccleſiæ Neapolitanæ, eiſdemque prædictæ Eccleſiæ Ulyſſiponen. Occidentalis Canonicis cauſæ quæcumque, & ſuper quibuſcunque Litibus, & controverſiis motæ, vel movendæ, committi, reſpectivè, liberè, & licitè poſſint, & valeant, etiam cedimus, & indulgemus.

Capitulo Patriarchalis Eccleſiæ uſum habitus Prælatitii & Rocchetti tribuit.

Nec non Cappæ magnæ rubeæ tempore hyemali; æſtivo autem conſimilem Mozzettam ad inſtar Canonicorum Metropolitanæ Piſanæ.

§. 25. Ulteriùs, firmo remanente Jurepatronatus Regio, & præſentandi, ut antea, ad Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, ac Beneficia dictæ Collegiatæ Eccleſiæ, ſic à nobis in Metropolitanam Eccleſiam Ulyſſiponen. Occidentalem erectæ, ad Archiepiſcopatum Ulyſſiponen. Occidentalem, tam hac primâ vice à primævâ illius erectione hujuſmodi vacantem, quam in poſterùm in quibuſcumque aliis vacationibus, quandocumque, & quomodocumque, etiam apud Sedem Apoſtolicam occurrentibus, Juſpatronatus Regium, & nominandi, & præſentandi Perſonam idoneam Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, ac per Nos, & eumdem Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem dicto Archiepiſcopatui Ulyſſiponen. Occidentali Apoſtolicâ auctoritate, & mediantibus Literis Apoſtolicis præficiendam, prædicto Joanni Regi, ejuſque in dictis Regnis Succeſſoribus Regibus ſimiliter perpetuò reſervamus, concedimus, & aſſignamus, ac Juſpatronatus, & præſentandi hujuſmodi, prædicto Joanni Regi, ejuſque in dictis Regni Succeſſoribus Regibus præfatis, non ex privilegio Apoſtolico, ſed uti ex verâ, primævâ, reali, & actuali, plena, integrâ, & omnimodâ fundatione, & perpetuâ dotatione laicali, ex bonis merè laicalibus factis, competere, & pertinere, & uti tale ſub derogatione Juriſpatronatus ex privilegio Apoſtolico, vel conſuetudine, aut præſcriptione acquiſiti, nullatenus comprehendi, aut illi nullo unquam tempore,

Jus præcedendi quoad alia Capitula, & Canonicos Regni etiam in eorum Eccleſiis.

Uſum Mitræ, aliorum Paramentorum ad inſtar Abbatum uſu Mitræ fruentium.

Uſum Mitræ in eorum Armis, & inſigniis gentilitiis ad inſtar Canonicorum Eccleſiarum Beneventanæ, & Mediolanenſis.

Facultatem benedicendi ſacra indumenta ad inſtar Canonicorum Eccleſiæ Neapolitanæ.

Prærogativam ut iiſdem Canonicis commiti poſſint cauſæ.

Jus nominandi, & præſentandi Archiepiſcopum Occidentalem, Regi, ejuſque Succeſſoribus Regibus reſervat.

Hoc Juſpatronatus ex fundationis, & dotationis laicalis cauſa competere decernit: ob idque derogationi juris patronatus ex Privilegio Apoſtolico, & effectui vacationis in Curia non ſubeſſe.

pore, etiam ex causâ vacationis apud Sedem præfatam: aut quocumque alio prætextu, aut ex quâcunque aliâ causâ, quamtumvis legitimâ, etiam per nos, & prædictos Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros pro tempore exiſtentes, motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus decernimus.

In caſu tranſlationis Regiæ Curiæ durationem Eccleſiæ Metropolitanæ, ut ſupra, erectæ præſervat.

§. 26. Denique, ut in eventum, in quem prædictus Joannes, aut pro tempore exiſtens Portugalliæ, & Algarbiorum Rex, ejuſque ſucceſſores alibi Curiam, eorumque Regias Perſonas, vel perpetuò; vel per aliquod temporis ſpatium reſpectivè tranſtulerint, nihilominus firma, & illæſa remanere debeant, tam Cathedralitas dictæ Collegiatæ Eccleſiæ, ſic à Nobis in Metropolitanam, & Patriarchalem Eccleſiam Ulyſſiponen. Occidentalem erectæ, quàm omnia, & ſingula privilegia, & indulta eidem Cathedrali Eccleſiæ Ulyſſiponen. Occidentali, ſic, ut præfertur, conceſſa, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus decernimus, & declaramus.

Executores præſentium literarum deſignat Epiſcopos Elven. Algarbien. & Miranden.

§. 27. Ad hoc autem, ut omnia, & ſingula ſupradicta à Nobis conceſſa, & ordinata, ac in præſentibus contenta, & expreſſa debitæ exequutioni demandentur, ac perpetuis futuris temporibus ab omnibus, & ſingulis firmiter, & inviolabiliter obſerventur, motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, Venerabilibus Fratribus noſtris Elven., Algarbien. & Miranden. eiſque deficientibus, ſeu impeditis, Angolen. & Lamacen. Epiſcopis tenore præſentium mandamus, quatenus ipſi, vel unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, etiam quatenus difficultate occurrente, & à Nobis non prævisa, quæ effectum earumdem præſentium minimè retardare valeat, eaſdem præſentes literas, nullâ interpoſitâ morâ, debitæ exequutioni demandent, ſeu demandari faciant, ac unam partem tam Civitatis, quàm Dioeceſis Ulyſſiponen. præfatæ verſus Orientem pro propriâ Diœceſi, ac proprio Territorio Archiepiſcopatus Ulyſſiponen. Orientalis, alteram verò partem Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen. hujuſmodi versùs Occidentem, ſimiliter pro propriâ Diœceſi, & proprio Territorio Archiepiſcopatus Ulyſſiponen. Occidentalis conſtituant, & aſſignent, ac plantam cum Confinibus, & menſuratione per Peritos faciendam juxta formam à Nobis deſuper præſcriptam, tam partis Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen. Orientalis, quàm partis Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen. Occidentalis hujuſmodi, tam in Cancellariis eorum Epiſcopatuum, quàm in Cancellariis Archiepiſcopatus Ulyſſiponen. Orientalis, ac Archiepiſcopatus Ulyſſiponen. Occidentalis ad perpetuam rei memoriam, reponere, & aſſervare debeant, quodque ultra diviſionem præfatam ſic, ut præfertur, factam, omnia & ſingula ſupradicta ab omnibus, & ſingulis perpetuis futuris temporibus per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, & quacumque appellatione remotâ, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Brachii ſecularis, adimpleri, & inviolabiliter obſervari faciant.

Eiſdem Executoribus mandat, ut plantam diviſionis, ut ſupra, factæ reponi curent in eorum Cancellariis, ac utriuſque Archiepiſcopatus, communicatis inſuper quoad præmiſſorum executionem facultatibus.

Decreta roborantia cum clauſula ſublata, & irritante.

§. 28. Decernentes propterea eaſdem præſentes ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causâ, quantumvis legitimâ, & juridicâ, etiam ex eo quod Sedes Archiepiſcopalis Ulyſſiponen. ad præſens vacet, & proprio Paſtore, & Defenſore deſtituta exiſtat, ipſiuſque Capitulum, & Canonici, ſeu quicumque alii cujuſcumque Dignitatis, gradus, conditionis, & præeminentiæ ſint in præmiſſis, & circa ea quomodolibet, & ex quâvis causâ, ratione, actione, vel occaſione jus, vel intereſſe habentes, aut habere prætendentes, illis non conſenſerint, aut ad id vocati, & auditi, & cauſæ propter quas eædem præſentes emanaverint, adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, ſeu invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut jus, vel intereſſe habentium, conſenſus, aut quolibet alio, quantumvis magno, ſubſtantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac ſpecificam, & individuam mentionem, ac expreſſionem requirente, defectu, ſive etiam ex eo, quod in præmiſſis, eorumque aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, totaliſque læſionis, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causâ, etiam in corpore juris clausâ, occaſione, aliâve causâ, etiam quantumvis juſtâ, rationabili, legitimâ, juridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate noſtrâ, & aliis ſuperiùs expreſſis nullibi appareret, ſeu aliàs probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversùs illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeu quomodolibet, etiam motu ſimili conceſſo, aut impetrato, vel emanato, uti, ſeu ſe juvare in judicio, vel extra, poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliiſque contrarüs diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, & Sedem Apoſtolicam præfatam, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter ex quibuslibet cauſis, & ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiamſi in eis de eiſdem præſentibus, earumque toto tenore, ac datâ, ſpecialis mentio fiat, pro tempore factis, & conceſſis, ac faciendis, & concedendis, comprehendi, ſed tanquam ad majus bonum tendentes, ſemper, & omninò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum & validiſſimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant ſtatum, reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori datâ, quandocumque eligenda, conceſſas eſſe, & fore; ſicque & non aliàs in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ac alios quoſcumque quâvis auctoritate, poteſtate, prærogativâ, & privilegio fungentes, ac honore, & præeminentiâ fulgentes, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quocumque judicio, & in quâcumque inſtantiâ, judicari, & definiri debere, & ſi ſecùs ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogat contrariis, & ſignanter Paulinæ Conſtitutioni de rebus Eccleſiæ non alien. & quibuſcumq; Statutis antiquæ Cathedralis Eccleſiæ Ulyſſipo nen.

§. 29. Non obſtantibus quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo, aliiſque in contrarium præmiſſorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Univerſalibuſque Conciliis, ſpecialibus, vel generalibus, ac quatenus opus ſit, etiam illâ Pauli Papæ ſecundi ſimiliter Prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordina-

tionibus Apoſtolicis, ac antiquæ Cathedralis Eccleſiæ Ulyſſiponen. aliarumque Eccleſiarum, & aliorum locorum piorum antiquæ Diœceſis Ulyſſiponen. etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus, & Perſonis, ac locis quibuſcumque etiam ſpecificâ, & expreſſâ, ac individuâ mentione dignis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu pari, ac conſiſtorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium præmiſſorum conceſſis, approbatis, confirmatis, & innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quòd illis per quaſcumque Literas Apoſtolicas, etiam motu ſimili pro tempore conceſſas, quaſcumque etiam derogatoriarum derogatorias in ſe continentes, derogari non poſſit, neque cenſeatur eis derogatum, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut quæcumque alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & cauſas, etiam quantumvis prægnantes, pias, & privilegiatas, præſentibus pro plenè, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſertis, expreſſis, & ſpecificatis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum omnium validiſſimum effectum, hac vice dumtaxat, latiſſimè, & pleniſſimè ac ſufficienter, nec non ſpecialiter & expreſsè motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Sanctio pœnalis.

§. 36. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtri Motus proprii, ac Diviſionis, Aſſignationis, Erectionis, Inſtitutionis, Conceſſionis, Indulti, Reſervationis, Declarationis, Mandati, Voluntatis, Decreti, & Derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo ſexto decimo, ſeptimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno ſexto decimo

Dat. 7. Idus Novembris 1716.

P. de Comitibus.

LXXXVII

SUSPENSIO

Privilegiorum à Sede Apoſtolicâ conceſſorum Facultati Sacræ Theologiæ Pariſien. ad Sanctitatis Suæ, & ejuſdem Sedis beneplacitum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à ſtudio Romanorum Pontificum erigendi Collegia, ac Uni.

CIrcumſpecta Romanorum Pontificum providentiâ è ſublimi univerſæ Domus Dei ſpeculâ longè, latèque proſpiciens quantam Catholicæ Eccleſiæ utilitatem; atque ornamentum afferant ſacrarum; eiſque ancillantium bonarum Literarum ſtudia, per quæ depulſâ ignorantiæ caligine hominum mentes luce veritatis illuſtrantur, ut ad ea Chriſtifideles vehementiùs incenderet, adjuvaretque, Scholas pluribus in locis inſtituere, Doctorum hominum Collegia excitare, nec non Studiorum generalium Univerſitates erigere conſuevit, ubi ſanâ Fidei doctrinâ, optimiſque morum præceptis, atque inſtitutis, imbuendæ juventuti daretur opera: ſimul verò contra deterrima hæreſum monſtra, veluti armamentaria conſtituerentur, unde Epiſcopi, qui in partem Paſtoralis ſollicitudinis vocati ſunt, ad ſuos greges tuendos arma capere, atque expedire facilè poſſent. Ubi vero ſaluberrima hæc laudabilium diſciplinarum Gymnaſia, vel eorumdem Epiſcoporum curâ, vel Principum liberalitate, vel etiam privatorum Largitorum beneficentiâ, condita fuiſſe cognovit, novis ea proventibus auxit, gratiis, & privilegiis decoravit, aliiſque Apoſtolicæ benignitatis muneribus, prout in Domino cenſuit, proſecuta eſt.

versitates, ubi Juventus ſana doctrina, boniſque moribus imbueretur.

Romani Pontifices Univerſitatem Sorbonæ in ſuam, & B. Petri clientelam ſuſceperunt, privilegiis ornarunt, in adverſis ſtrenuè tutati ſunt.

§. 1. Hinc plures ex iiſdem Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, quibus compertum erat celeberrimam Univerſitatem Studii generalis Pariſienſis, in eaque præcipuè Sacræ Theologiæ Facultatem adeò in dies magis florere præſtanti ingenio, eximiâque doctrinâ Viris, ut ad eos audiendos è remotiſſimis etiam regionibus ingens undique Diſcipulorum multitudo conflueret: tanto quoque erga Apoſtolicam Sedem cultu, & veneratione commendari, ut hoc potiſſimum nomine excellere gloriaretur, eam maximis hiſce virtutum laudibus ornatum in ſuam & Beati Petri peculiarem clientelam ſuſceperunt: datis, ac ſæpius confirmatis immunitatibus, & exemptionibus ab aliâ quacumque Eccleſiaſticâ juriſdictione liberam eſſe voluerunt: aliiſque inſuper quamplurimis gratiis, ac favoribus cumularunt, quemadmodum ex pluries editis, innovatiſque à multis retro ſæculis eâ de re Apoſtolicis Literis apertè dignoſcitur. Quin etiam haud ſemel Facultatem eamdem variis ærumnarum acerbitatibus, moleſtiiſque conflictatam, in hujus omnium Fidelium Matris Eccleſiæ ſinum confugientem, ejuſque præſidium humiliter implorantem patrocinio munire, nec non paternâ, ſalutarique ſeveritate in eos, qui malum eidem pararent, animadvertere conſueverunt.

Eadem Univerſitatis ſancito Decreto Conſtitutionem Unigenitus ſolemniter recepit & ab omnibus obſervari mandavit.

§. 2. Hæc dum Nobiſcum animo reputamus, eo graviori doloris ictu perculſi ſumus, cum frequentibus literis, & famâ ubique gentium cum incredibili fidelium ſcandalo diffuſâ, ad Apoſtolatus noſtri notitiam pervenit, quod, poſtquam aliàs videlicet menſe Martio anni MDCCXIV., in lucem prodierat Decretum quoddam nomine dictæ Facultatis promulgatum, ac publicis literis conſignatum, per quod teſtatum omnibus fiebat eamdem Facultatem die v. ejuſdem menſis Martii Conſtitutionem noſtram, quæ incipit; *Unigenitus Dei Filius &c.* anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio ſexto Idus Septembris à Nobis editam ſummâ cum reverentiâ, atque obſequio recepiſſe, ac in ſuas tabulas referri juſſiſſe, ut ab omnibus, & ſingulis Magiſtris, Doctoribus, Baccalaureis, & Candidatis ſuis pari obſequio coleretur, & obſervaretur; Non ita pridem nonnulli prædictæ Facultatis Doctores, majorem forſan, ſed certè minimè ſaniorem ſui Cœtus partem conſtituentes, non minùs antiquæ ejuſdem Cœtus gloriæ, perpetuæque in hanc Sanctam Sedem obſervantiæ, quàm inſignium ab eâ ipſi Univerſitati collatorum Beneficiorum, ac Privilegiorum immemores: quinimò ipſius etiam ſui Doctoratus gradus, quo Apoſtolicâ auctoritate donati fuerunt, prorſus obliti: nullâ Eccleſiaſticarum pœnarum formidi-

ne:

ANNO 1716.

Deinde turpiter à proposito desciscens idem Decretum, ut falsum, & adulterinum, abrogavit.

ne: nullâ famæ reverentiâ: nullâ demum illius Jurisjurandi, quo in consortum dictæ Facultatis cooptati, initio omnium actuum se nihil unquam dicturos, scripturosve, quod Pontificiis Decretis repugnaret, disertè spoponderunt, Religione commoti: fruſtra reclamantibus aliis bonam causam strenuè tuentibus, eò impudentiæ processerunt, ut Decretum supradictum falsum, adulterinum, commentitium, atque ex ipsius Facultatis commentariis eradendum esse declaraverint: non obscurè sic agendo ostendentes se, aut debitam memoratæ Constitutioni nostræ obedientiam præstare contumaciter nolle, quippe quam se nunquam præstitisse acerrimè contenderunt, aut veriùs ab eâ, quam pro muneris sui debito præstiterunt, turpiter desciviſse: utcumque verò se res habuerit, semper à Majorum suorum, quos Religionis non minùs, quàm Sapientiæ claritas commendavit, vestigiis aberrasse, qui videlicet ab ipsis Scholæ Parisiensis exordiis Apostolicæ Sedis Leges accipere, suarum confirmationem expectare, oracula petere, judicia subire, Decretis obtemperare, pœnas exequi, Sanctionibus acquiescere, verbis, factisque toties professi sunt, maximoque sibi honori inconcussâ devotione duxerunt, prout ex ipsius Universitatis tabulis, & publicis etiam documentis constare notum est.

Præterea nonnulli ejusdem Universitatis Doctores d. Constitutionem impudenter proscindere, & Collegarum, nec non aliquorum Episcoporum illi obtemperantium existimationem impetere non dubitarunt.

§. 3. Ad hæc inquieti homines præfati minimè veriti sunt tum privatis collocutionibus, tum publicis etiam, toto suorum adstante Conventu, habitis sermonibus, moderno præsertim Sindico viam Aberrantium præeunte, prædictam Constitutionem nostram multiformiter impetere, atque proscindere: nec non Clarissimos Collegas suos à veritatis semitâ non recedentes, adeòque ab eis dissentientes, quos non paucos divina Providentia ad Reproborum contumeliam servare voluit, plurimùm divexare, perinde ac si morem Apostolicæ Sedi gerendo gravi aliquo se crimine commaculassent. Prætereo nonnullorum Venerabilium Fratrum Galliæ Episcoporum Decreta, quibus à perversâ ejusmodi ipsorum agendi ratione sese abhorrere palàm edixerant, abjudicare, & dispicere, quin etiam publicè impugnare non erubuerunt: Quod utique ingenti animum nostrum mœrore confodit, quippe qui in summo Episcopatus vertice à Domino constituti Episcopalem in primis auctoritatem, dignitatemque defendere omninò tenemur, idque maximè Ecclesiæ Dei, maximè etiam Religionis interſit.

Pontifex paterna usus charitate, & patientia refractariorum rescipiscentiam diù expectavit.

§. 4. Multa, & tam gravia mala cum jam diù invaluerint, Nos tamen, ut amantissimus Pater, quem delirantium filiorum miseret, in patientiâ, & longanimitate diutiùs, quoad fieri potuit, expectandum existimavimus, an fortè filii isti desertores conscientiâ commissi sceleris, aut saltem verecundiâ, ad se sponte redirent, vel alieno tandem impulsu, atque operâ revocarentur. Verùm cùm videamus lenitate nostrâ morbum quotidiè magis, magisque ingravescere, ne pœnas à Nobis neglectæ curationis repetat Supremus Ecclesiæ Author, ac Vindex, salubri aliquo canonicæ severitatis remedio vulnus istud tractandum suscipimus, ut, quod planè cupimus, cicatricem ducat, & prævaricatores revertantur ad cor; parati profectò, si secùs accidat, quod absit, ulcisci omnem inobedientiam, & juxtà traditam Nobis à Domino potestatem ad ulteriora procedere.

§. 5. Specialem itaque curam ejusdem Parisiensis Scholæ sub immediatâ Beati Petri protectione à tot sæculis, ut præfertur, susceptæ; Nobis & eidem Apostolicæ Sedi retinentes (neque enim boni Pastoris est infirmas oves deserere sed vigilantiùs custodire) ut illius bono, ut utilitati salubriùs, & efficaciùs consulamus; simulque animo reputantes reliquas omnes gratias, quibus ipsa Sacræ Theologiæ Facultas à Sede prædictâ cumulatissimè ornata fuit, ob tot, ac tanta, ut præfertur, in eâ perperam gesta, jam non in Fidei favorem, Ecclesiæ decus, Episcoporum adjumentum, Fideliumque ædificationem, ut mens profectò concedentium fuerat, sed in errorum potius fomentum, memoratæ Sedis injuriam, atque Episcopalis dignitatis imminutionem fore cessuras; omnium, & singulorum privilegiorum, facultatum, gratiarum, & indultorum dictæ Facultati Theologicæ Parisiensi à quibuscumque Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris concessorum, Literarumque Apostolicarum, tam sub plumbo, quàm in simili formâ Brevis ab eis desuper emanatarum tenores, & datas, etiam veriores, aliaque omnia, & singula, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, insertis, & expressis, ac specificatis habentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super hac re specialiter à Nobis deputatorum consilio, omnia, & singula Privilegia (præfato immediatæ subjectionis huic Sanctæ Sedi dumtaxat excepto) immunitates, libertates, prærogativas, facultates, indulgentias, gratias, & indulta quæcunque sive à Nobis, sive à quibusvis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris prædictæ Facultati Theologicæ Parisiensi, sive ejus Doctoribus, Magistris, Decano, Sindico, aliisve Ministris, Officialibus, & Personis quibuscumque tam conjunctim, quàm divisim, quandocumque, quomodocumque, & ex quacumque causâ concessa, ac etiam pluriès confirmata & innovata, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, ad Nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum suspendimus, ac suspensa esse, & fore decernimus, & declaramus.

Eorum tandem diuturna expensa contumacia, ut redeant ad cor, omnia Indulta, & privilegia eidem Universitati à Summis Pontificibus concessa suspendit ad suum & Sedis Apostolicæ beneplacitum.

Suspensione durante neminem ad gradus promoveri posse & promotum nec à S. Sede, nec à quovis Prælato admitti debere declarat.

§. 6. Neminem propterea in posterum, ejusmodi suspensione durante, ad Magisterii, seu Doctoratus, Licentiæ, Baccalaureatus, seu quemvis alium gradum in eâdem Facultate per Cancellarium supradictæ Universitatis, sive alium ipsius Facultatis Ministrum, seu Officialem quemcumque promoveri, eidemque Facultati aggregari ullo modo posse; nec ita fortè promotum, seu aggregatum à Nobis, & Sede prædictâ, ejusve Officialibus, & Ministris, aut à quovis alio Prælato Ecclesiastico Sæculari, vel Regulari, eorumve pariter Officialibus, & Ministris ubique gentium existentibus ullo modo admitti debere; Neque demum præfatorum graduum vigore ad quasvis Ecclesias, dignitates, Beneficia, aliaque munera Ecclesiastica, gradus hujusmodi requirentia, idoneum censeri, aut ad illa recipi quoquomodo posse, authoritate, & tenore prædictis similiter declaramus.

Magistros, & DD. Constitutioni obtemperantes sub hujusmodi suspensione non comprehendi decernit.

§. 7. Cæterum, quia Romani Pontificis æqui, bonique supremis Assertoris est Justitiæ limites non prætergredi, ne videamur virgam peccatorum relinquere super sortem justorum, Magistros omnes Doctores, Baccalaureos, alioſque quocumque nomine nuncupatos supradictæ Facultatis Alumnos, qui prædictæ Constitutioni Nostræ debitam obedientiam præstiterunt, aut in futurum præstiterint, præsenti gratiarum, & privilegiorum suspensione minimè affici volumus, perinde ac si quoad illos eædem præsentes Literæ prorsus non emanassent. Quinimò eosdem, ut veros obedientiæ filios, ac germanos egregiæ Facultatis Alumnos, paternæ charitatis sinu complectentes hortamur in Domino, ut Apostolicum illud sedulò cogitantes: *Si quid patimini propter justitiam, beati*: in suscepto tuendæ sanæ doctrinæ proposito gloriosâ stabilitate perseverent: quodque verè

Christiani Doctoris est, eos, qui contradicunt, arguere, pro traditâ sibi à Domino Sapientiâ non vereantur; certi divinam sibi retributionem, atque hujus Sanctæ Sedis protectionem, & gratiam minimè defuturam.

Sub clausula sublata, & decreto irritanti.

§. 8. Decernentes pariter ipsas præsentes literas firmas, validas, efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos quovis modo spectat, & spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusè observari; Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ac irritum, & inane esse, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Mandat fidem adhiberi tramsumtis.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xviii. Novembris MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno Decimo sexto.

F. Card. Oliverius.

ANNO 1717. LXXXVIII.

CONFIRMATIO

Actorum à Delegato Apostolico pro executione Literarum Apostolicarum erectionem novæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulyxbonen. Occidentalis concernentium.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

SOlicita Pastoralis officii vigilantia, qua, Divina suffragante Clementiâ, Catholicæ Ecclesiæ præsidemus, enixè efflagitat, ut ea, quæ per nostras literas motu proprio emanatas, ac piis, & rationalibus causis adducti, aliàs concessimus, & indulsimus, suum sortiantur effectum, proindeque actus, qui ab earumdem Literarum Exequutoribus pro ipsarum validitate, & observantiâ facti fuisse dicuntur, Apostolico firmitatis munimine roboremus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Capitulum Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientalis in deputatione Procuratoris, qui interesset divisioni Civitatis ad formam Motus proprii, non se inscripsit Capitulum Orientale.

§. 1. Exponi sanè Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Capitulum, & Canonici Patriarchalis Ecclesiæ Ulyxbonen., quod dum à Venerabili Fratre moderno Episcopo Algarbien. exequutioni demandabantur Literæ Apostolicæ in formâ nostri Motus proprii expeditæ super divisione Civitatis, & Diœcesis Ulyxbonen., & erectione novæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulyxbonen. Occidentalis, aliorumque omnium Gratiarum, & Indultorum, quæ in præfatis Literis continentur, comparuit coram præfato Episcopo Algarbien. Procurator d. Patriarchalis Ecclesiæ Ulyxbonen. Occidentalis, eidemque exposuit, quòd Capitulum Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientalis, tunc, & ad præsens Pastoris solatio destitutæ, deputaverat eorum Procuratorem ad effectum interessendi exequutione earumdem Literarum & cognoscendi, an divisio Civitatis, & Diœcesis Ulyxbonen præfatarum, aliaque in præfatis Literis contenta exequutioni demandarentur ad formam præfati Motus proprii, & absque eorum præjudicio, & deputando secundo dictum Procuratorem, non se inscripserunt Capitulum Orientale. Quamobrem Exponentes præfati coram eodem Episcopo Algarbien, institerunt, quatenùs moneret præfatum Capitulum Orientale, ut ab hujusmodi, & aliis similibus perturbationibus se abstineret, ac Mandatum Procuræ supradicto modo exaratum penitùs, & omninò rejiceret; Idem Episcopus Algarbien. animadvertens quòd præfatum Mandatum Procuræ à Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientalis conflatum non fuerat cum declaratione, & denominatione Capituli Ulyxbonen. Orientalis, mandavit dilecto Filio Emanueli Duarte Franco Notario publico, ut mediante publico Monitorio præfatum Capitulum Ulyxbonen. Orientale sub nonnullis pœnis moneret, ut in posterum in nullo penitùs perturbarent jurisdictionem Patriarchalis Ecclesiæ Ulyxbonen. Occidentalis, sed inviolabiliter observarent omnia, & singula in præfato Motu proprio contenta, & expressa, seque Decanum, Dignitates, & Canonicos Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientalis nuncuparent, dictusque Emanuel die secundâ mensis Januarii proximè præteriti in Sacristiâ dictæ Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientalis coram dilectis etiam Filiis Carolo Perim Præsidente, ac pluribus dictæ Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientalis Canonicis, altâ, & intelligibili voce legit, & publicavit Monitorium, in quo præfati Episcopi mandatum continebatur, dictoque Monitorio lecto, & publicato, Præsidens, & Canonici præfati Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientalis præfatæ responderunt, quod se monitos habebant, dictoque Monitorio obediebant, seque jam Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientalis nuncupaverant.

Monetur à Delegato Apostolico, ut se inscribat, & nuncupet Capitulum Orientale, & Monitorio statim paret.

§. 2. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, exponentes præfati pro majori subsistentiâ, firmiorique observantiâ omnium, & singulorum in præfatis Literis contentorum plurimùm cupiant omnia, & singula supradicta, cum omnibus, & quibuscumque in vim dicti Monitorii subsequutis, per Nos confirmari, & approbari; Nos igitur Exponentes præfatos specialis gratiæ favore prosequi volentes, nec non eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab Homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantùm consequen. harum serie absolven., & absolut. fore censentes, porrectis Nobis pro eorumdem Exponentium parte super hoc supplicationibus inclinati, omnia, & singula supradicta per dictum Episcopum sic, ut præfertur, facta pro observatione, & exequutione præfatarum Literarum, Apostolicâ authoritate tenore præsentium confirmamus; & approbamus, illisque perpetuæ Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnibus, & singulis tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus Personis, etiam speciali notâ dignis, qui contra præfatas Literas Apostolicas, & in eis contenta quæcumque aliquid jam forsan attentaverint, seu in posterùm attentare voluerint, perpetuum silentium imponimus, sicque, & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quâvis authoritate fungentes judicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xviii. Februa-

Pontifex omnia ejusmodi Acta confirmat.

rii MDCCXVII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoſeptimo.

J. Card. Prodatarius.

LXXXIX.

AMPLIATIO

Indultorum ad favorem Capituli Patriarchalis Eccleſiæ Ulyſſiponenſis Occidentalis de Jure-patronatus Sereniſſimi Portugalliæ, & Algarbiorum Regis.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à ſollicitudine decorandi majoribus privilegiis Eccleſias exiſtentes in inſignioribus Civitatibus, vel quæ Patriarchali Dignitate fulgent.

INeffabili Divinæ Majeſtatis providentiâ in ſupremo Apoſtolicæ Dignitatis culmine conſtituti tanquam de excelſo monte ad irriguum Militantis Eccleſiæ agrum noſtræ conſiderationis aciem, more vigilis, & operoſi Paſtoris, jugiter convertimus, & circa ea, per quæ Eccleſiæ præſertim Patriarchali Dignitate inſignitæ, & in conſpicuis Civitatibus erectæ, ſublimioribus privilegiis, ac majoribus prærogativis decorari valeant, peculiari ſollicitudine intendimus, prout, earumdem Civitatum qualitatibus, rerumque, & temporum circumſtantiis debitè penſatis, ad Divini cultus incrementum, ipſarumque Eccleſiarum honorificentiam, & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum decorem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cùm itàque Nos nuper ex juſtis, & rationalibus cauſis adducti, & quemadmodum Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis illuſtris conſtantis fidei, & ſinceræ devotionis affectus jure promerebatur, ejuſque pia, & laudabilia vota efflagitabant, Civitatem, & Diœceſim Ulyxbonen. in duas partes diviſerimus, ac unam tam Civitatis, quàm Diœceſis hujuſmodi partem verſus Orientem antiquo Archiepiſcopatui Ulyxbonen. Orientali nuncupando reliquerimus, in altera verò parte verſus Occidentem Patriarchalem Eccleſiam Ulyxbonen. Occidentalem nuncupandam, erexerimus, ipſiuſque Patriarchalis Eccleſiæ Ulyxbonen. Occidentalis Patriarchæ, ac Dignitatibus, & Canonicis pro tempore exiſtentibus pro majori ejuſdem Patriarchalis Eccleſiæ majeſtate, dictorumque Dignitatum, & Canonicorum honorificentiâ plura hucuſque privilegia, & indulta tam quoad habitum, quàm quoad præcedentiam, aliaſque prærogativas conceſſerimus, prout in noſtris Literis in formâ noſtri Motus proprii deſuper expeditis, pleniùs continetur. Cumque, ſicut accepimus, Patriarchalis Eccleſia prædicta, ſic à Nobis, ut præfertur, erecta, & ſingulari ipſius Joannis Regis dilectione, & Regiâ planè munificentiâ pluribus, ac pretioſis ſuppellectilibus ſacris pro Eccleſiaſticis functionibus decenter obeundis, opulenter ornata, & undique ad ſingularem excellentiam ſublimata exiſtat, ipſeque Joannes Rex præcipuis, ac indefeſſis ſtudiis Patriarchalem Eccleſiam præfatam præclari amoris, ac religioſæ pietatis ſignificationibus proſequi in dies non prætermittat, & ad elegantiorem ſtructuræ majeſtatem exornare, piaque opera propediem inibi augere, ſacrarumque cæremoniarum uſum, & divinarum laudum cantum ad perfectiorem ſublimitatem elevare intendat; Nos æternæ Divinæ bonitatis Majeſtati, quòd tam pia, tamque præclara operoſæ Religionis ſtudia ad Chriſtianæ pietatis augmentum, & majorem Divini Nominis gloriam à ſollicitâ dicti Joannis Regis pietate Eccleſiaſticis functionibus jugiter intenti, promanaverint, eaque quàm magnificenter, & ſumptuosè adaucta fuerint, gratias agentes, ac volentes, quantùm in Domino poſſumus, majori dictæ Patriarchalis Eccleſiæ decoris incremento conſulere, nec non Dignitates, & Canonicos, ac Beneficiatos, & Cappellanos ejuſdem Patriarchalis Eccleſiæ amplioris gratiæ favore, & excellentioris honoris titulo ſublimare, eoſque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione, vel cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, firmis, & illæſis remanentibus omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, gratiis, & prærogativis, aliàs à Nobis eidem Patriarchali Eccleſiæ, illiuſque Dignitatibus, & Canonicis prædictis jam, ut præfertur, conceſſis, Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certâ ſcientiâ, ac maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſex Dignitatibus, & octodecim Canonicis prædictæ Patriarchalis Eccleſiæ, nunc, & pro tempore exiſtentibus, quibus nuper, ut ipſi hyemali Cappam magnam rubeam cum pellibus armellinis, æſtivo verò temporibus Mozzettam ſimiliter rubeam geſtare, & deferre valerent, conceſſimus, & indulſimus, ut ipſi in poſterùm perpetuis futuris temporibus, etiam Subtanam, ſeu Veſtem talarem rubeam; Duodecim verò ejuſdem Patriarchalis Eccleſiæ Beneficiatis, ſimiliter nunc, & pro tempore exiſtentibus, quibus aliàs, antequam Eccleſia prædicta in Patriarchalem Eccleſiam ſic à Nobis erecta fuiſſet, ut etiam ipſi hyemali Cappam magnam violaceam cum pellibus cinericiis; æſtivo autem temporibus loco pellium cum fodere ſerico violacei coloris, etiam geſtare, & deferre poſſent, ſimiliter conceſſimus, & indulſimus, ut ipſi quoque etiam perpetuis futuris temporibus hyeme eamdem Cappam magnam violaceam cum pellibus tamen armellinis, æſtate verò, vel eamdem Cappam magnam, vel Mozzettam, etiam violaceam cum fodere ſerico rubei coloris; Cappellanis autem amovibilibus, qui ad præſens numerum trigintaduorum non excedunt, etiamſi numerus hujuſmodi in ſervitio dictæ Patriarchalis Eccleſiæ, arbitrio pro tempore exiſtentis Patriarchæ Ulyxbonen. creverit, vel decreverit, ut etiam ipſi Cappellani amovibiles Cappam magnam violaceam cum pellibus armellinis hyemali, æſtivo verò temporibus vel eadem Cappam magnam, vel Mozzettam, etiam violaceam cum ſimili fodere ſerico ejuſdem coloris rubei, tam in Choro, quàm extra illum, ac etiam in Proceſſionibus, omnibuſque aliis actibus Capitularibus, tam publicis, quàm privatis, ac etiam in præſentiâ quorumcumque Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, ac pro tempore exiſtentis Patriarchæ Ulyxbonen., ac Noſtrorum, & Sedis Apoſtolicæ Nunciorum, nec non Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiam de Latere Legatorum, & aliorum quorumcumque quâvis authoritate, & poteſtate fungentium, ac honore, & præeminentiâ fulgentium, reſpectivè geſtare, & deferre, illiſque uti liberè, & licitè poſſint, & valeant, tenore præſentium perpetuò concedimus & indulgemus; ac Dignitates, & Canonicos, nec non Beneficiatos, & Cappellanos ejuſdem Patriarchalis Eccleſiæ, nunc, & pro tempore exiſtentes ſuper geſtatione, & delatione Veſtium, Capparum, & Mozzettarum hujuſmodi per quæcumque Capitula quarumcumque aliarum Eccleſiarum Epiſcopalium,

Narrat diviſionem Civitatis, & Diœceſis Ulyſſiponen., ac erectionem Eccleſiæ Patriarchalis Occidentalis nuncupatæ cum conceſſione privilegiorum.

Piam Regis Portugalliæ munificentiam refert in augendo ornatu, & majeſtate d. Eccleſiæ.

Declarat proinde velle majoris ejuſdem Eccleſiæ decoris incremento conſulere.

Præſervat firmitatem Indultorum aliàs conceſſorum.

Dignitatibus & Canonicis prædictæ Eccleſiæ Subtanæ, ſeu Feſtis rubeæ delationem indulget.

Beneficiatis, & Cappellanis amovibilibus Cappam magnam violaceam cum pellibus armellinis, nec non ſimilem Mozzettam concedit.

In choro, & extra, aliiſq; actibus Capitularibus, ac etiam in præſentia Archiepiſcoporum, aliorumque Prælatorum, & S. R. E. Cardinalium, etiam de latere Legatorum

Moleſtias ſuper præmiſſis prohibet, quæ eiſdem Dignitatibus, & Canonicis, aliiſque nominatis inferri poſſent.

Præsentium literarum firmitatem decernit cum clausula sublata, & irritante.

Archiepiscopalium, vel Primatialium, & quasvis Personas quâvis authoritate dignitate & præeminentiâ præditas, quovis prætextu, colore, vel ingenio publicè, vel occultè, directè, vel indirectè impediri, molestari, inquietari, vel perturbari nullatenus posse, neque debere; præsentes quoque semper, & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet nunc spectat, & spectabit in futurum, firmiter, inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causâ, quamtumvis legitimâ, & juridicâ, etiam ex eo, quod Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum quarumlibet, earumque Dignitates, & Canonici, vel quilibet alii cujuscumque dignitatis, gradus, conditionis, & præeminentiæ sint, in præmissis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causâ, ratione, actione, vel occasione, jus vel interesse habentes, aut habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, & causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis, vel intentionis nostræ, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili, ac specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirente defectum, sivè etiam ex eo, quòd in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causâ etiam in corpore juris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis justâ, rationabili, legitimâ, juridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda forent; aut quòd de voluntate nostrâ, & aliis superiùs expressis nullibi appareret, seu aliàs probari posset, notari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam Motu simili concesso, aut impetrato, vel emanato, uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam, etiam Motu pari, consistorialiter ex quibuslibet causis, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiamsi de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis, & faciendis, ac concessis, & concedendis, minimè conprehendi, sed tanquam ad majus divini cultus augmentum semper, & omninò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâper nunc, & pro tempore existentes Dignitates, Canonicos, Beneficiatos, & Cappellanos dictæ Patriarchalis Ecclesiæ quandocumque eligenda concessas esse, & fore, sicque, & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, aliosque quoscumque quavis authoritate, potestate, prærogativâ, & privilegio fulgentes, ac honore, & præeminentiâ fulgentes sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate in quocumque judicio, & in quacumque instantiâ judicari, & definiri debere, & si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Quocirca Venerabilibus Fatribus nostris modernis, & pro tempore existentibus Elven., Algarbien., & Miranden. eisque deficientibus, seu impeditis, Angolen., & Lamacen. Episcopis per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Dignitatum, Canonicorum, Beneficiatorum, & Cappellanorum prædictorum, aut alicujus eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostrâ easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, nec non eosdem modernos, ac pro tempore existentes Dignitates, Canonicos, Beneficiatos & Cappellanos prædictos, illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos, aut eorum aliquem desuper quomodolibet indebitè molestari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii Sæcularis auxilio; Nos enim modernis, & pro tempore existentibus Elven., Algarbien., & Miranden., eisque deficientibus, seu impeditis, Angolen., Lamacen. Episcopis prædictis, & eorum cuilibet, quoscumque Molestatores, Perturbatores, Contradictores, & Rebelles, etiam per Edictum publicum, constito summariè de non tuto accessu, citandi, eisque, & quoties inhibendum fuerit, etiam per simile Edictum quoad Primates, Archiepiscopos, & Episcopos sub Interdicti ingressus Ecclesiæ, quo verò ad alios Inferiores, etiam sub censuris Ecclesiasticis, & etiam pecuniariis, eorum arbitrio imponendis, moderandis, applicandis pœnis, inhibendi, nec non eos, quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, eas incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi, ac legitimis super literis habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, plenam, & liberam, motu, scientiâ, auctoritate, & tenore præmissis concedimus facultatem, non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis legibus, statutis, stylis, consuetudinibus, & prohibitionibus, si quæ forsan adsint de gratiis ad instar non concedendis, ac de vestibus rubeis non deferendis, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Patriarchalis, aliarum Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & Personis, ac Locis quibuscumque, etiam speciali, specificâ, expressa, & individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & in solitis clausulis, irritan-

Executores designat Episcopos Elven. Algarbien. & Miranden. cum nonnullis facultatibus.

Derogat contrariis etiamsi specificam, & sub certa forma requirerent derogationem.

tibus-

ANNO 1717

tibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium eorumdem præmissorum concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis, etiamsi in eis caveatur expressè, quòd illis per quascumque Literas Apostolicas, etiam motu simili pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum, quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiamsi in eis caveatur expressè, quòd illis nullatenùs, aut nonnisi sub certis modo, & formâ derogari possit, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro plenè & sufficientèr expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè hac vice dumtaxat specialiter, & expressè, earundem tenore præsentium, motu simili derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri motus proprii, ac absolutionis, concessionis, indulti, decreti, commissionis, mandati, & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo septimo, quarto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno XVII.

Sanctio pœnalis.

Dat. die 12. Martii 1717.

Thomas Sportellus.

XC. CONCESSIO

Indulgentiæ plenariæ pro Christifidelibus Ecclesiasticum Interdictum in Civitatibus, & Diœcesibus Catanien., Agrigentin., & Liparen. Apostolicâ auctoritate appositum inviolatè de præsenti observantibus, ac de cætero, donec illud perduraverit, similiter observaturis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

AD augendam Fidelium religionem, & animarum salutem cæleſtibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus Civitatum, & Diœcesum Catanien. Agrigentin. Liparen. qui Ecclesiasticum interdictum, cui Civitates, & Diœceses præfatæ in præsens jussu nostro suppositæ reperiuntur, eâ, quâ par est, obedientiâ nunc observant, ac etiam in posterùm, quousque illud perduraverit, similiter observare perrexerint, in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes, & confessi, ac sacrâ Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, si minùs corde devotè invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VII. Maii MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno decimoseptimo.

F. Cardinalis Oliverius.

ANNO 1717.

XCI. CONFIRMATIO

Decreti à Delegato Apostolico editi quoad initium, & Distributionem Orationis quadraginta horarum in Civitate Ulyxbonensi.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

REgis pacifici vices, quamquam immeriti, gerentes in Terris, inter cætera cordis nostri desiderabilia, illud sinceris semper exoptamus affectibus, ut Christifideles, præsertim Patriarchali Dignitate insigniti, aliique Dignitates, & Canonicatus in Archiepiscopalibus Ecclesiis pro tempore obtinentes, juxta eorum dignitatem, aut gradum, Divinis obsequiis famulantes, vota sua in pacis amænitate Altissimo reddant, ac unanimes, & uno ore Deum glorificent. Quapropter, si quæ pro litibus, & controversiis inter eos, superseminante humani generis hoste zizania, exortis extirpandis, penitùsque evellendis, simulque pro conservatione Jurium, & Præeminentiarum ad favorem Patriarchalium Ecclesiarum, juxta pia Catholicorum Regum vota per nostras literas concessarum ab Ecclesiarum Prælatis earumdem literarum Exequutoribus facta fuisse comperimus, illa, né in recidivæ contentionis, & controversiæ vitium denuo prolabantur, Apostolicæ nostræ confirmationis munimine roboramus, ac aliàs desuper Pastoralis Officii nostri partes, quantùm Nobis ex alto conceditur, sedulò impendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exordium à Pontificia solicitudine, ac zelo, ut pax inter omnes sed Ecclesiasticas potissimum Personas conservetur.

§. 1. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris moderni Patriarchæ Ulyxbonen. Occidentalis petitio continebat, quòd aliàs Nos omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui in quacumque Ecclesiâ Civitatis Ulyxbonen. ubi Orario quadraginta horarum, ad instar illius, quæ ex institutione felic. record. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri in Almâ Urbe nostrâ Româ assiduè celebratur, indicta fuisset & devotè eo temporis spatio, quod illis commodum visum fuisset, orassent plenariam peccatorum suorum Indulgentiam concessimus, prout in Literis Apostolicis in formâ Brevis sub Annulo Piscatoris die XXIV. mensis Augusti Anni Domini MDCCXVI. Pontificatus nostri Anno decimo sexto expeditis, plenius contineri dicitur: Deinde verò Nos ex justis, & rationalibus causis moti, ac quemadmodum pia Charissimi in Christo Filii nostri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Illustris vota exoptabant, Civitatem, & Diœcesim Ulyxbonen. in duas partes divisimus, & unam Civitatis, & Diœcesis Ulyxbonen. divisarum hujusmodi partem versus Orientem antiquo Archiepiscopatui Ulyxbonen. in posterum Orientali nuncupando reliquimus; In alterâ verò earundem Civitatis, & Diœcesis, ut præmittitur, divisarum parte versus Occidentem Patriarchalem Ecclesiam Ulyxbonen. Occidentalem nuncupan. ereximus, ac Patriarchali Ecclesiæ prædictæ sic erectæ, alteram Civitatis, & Diœcesis divisarum hujusmodi partem versus Oc-

Pontifex plenariam Indulgentiam concessit pro Oratione quadraginta horarum in Civitate Ulyxbonen.

Postquam eamdem Civitatem in duas partes a divisit, & alteram Patriarchali, alteram verò Archiepiscopali Ecclesiæ assignavit.

cidentem assignavimus, illiusque Patriarchæ, Dignitatibus, ac Capitulo, & Canonicis pro tempore existentibus plura privilegia, pluresque prærogativas, ac præeminentias super omnia Capitula, omnesque etiam Primitiales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias Regni Portugalliæ concessimus, prout in aliis etiam nostris literis in formâ nostri Motus proprii sub Datum apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXVI. septimo Idus Novembris Pontificatus nostri Anno sextodecimo sub Bullâ Aureâ expedit, in quibus pro illarum exequutione Venerabiles Fratres Elven., Algarbien., & Miranden. Episcopi deputati fuerunt, etiam pleniùs contineri dicitur.

Dubium oritur, in qua ex duabus Ecclesiis prædictis Oratio quadraginta horarum inchoari debeat.

§. 2. Cumque postmodum, dum ultimo dictæ literæ à prædicto Episcopo Algarbien., cui præsentatæ fuerant, exequutioni demandabantur, attenta divisione Civitatis prædictæ, orta fuerit controversia, in quâ ex duabus Ecclesiis, Patriarchali scilicet Ulyxbonen. Occidentali, & Archiepiscopali Ulyxbonen. Orientali supradicta Oratio quadraginta horarum celebrari, & indici deberet, & in Tabulâ typis demandandâ, in qua omnes Ecclesiæ utriusque partis Civitatis divisæ hujusmodi, in quibus prædicta Oratio celebrari debebat, describendæ erant, an primo loco poni deberet dicta Ecclesia Patriarchalis Ulyxbonen. Occidentalis, vel potius prædicta Ecclesia Archiepiscopalis Ulyxbonen. Orientalis, idem Episcopus Algarbien. tam dicto Patriarchâ Ulyxbonen. Occidentali, quàm Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Archiepiscopalis Ulyxbonen. Orientalis, illius Sede Archiepiscopali vacante legitimè intimatis, eisque, mediantibus eorum legitimis Procutatoribus auditis, & consideratis utriusque Partis rationibus, & fundamentis, decrevit, statuit, & declaravit, ut prædicta Oratio quadraginta horarum incipere deberet à dictâ Patriarchali Ecclesiâ Ulyxbonen. Occidentali, & dum inibi completa fuisset, subsequenter in Archiepiscopali Ecclesiâ Ulyxbonen. Orientali prædictâ celebraretur: In cæteris verò Ecclesiis utriusque Partis Civitatis divisæ hujusmodi Oratio prædicta juxta distributionem earumdem Ecclesiarum ab Officiali Patriarchæ Ulyxbonen. Occidentalis, ac à Vicario Capitulari Ecclesiæ Ulyxbonen. Orientali concorditer faciendam, etiam fieri, & adimpleri deberet, prout in Decreto ab eodem Episcopo Algarbien. desuper facto, tenoris, prout sequitur: *Perpensis rationibus, quæ tam ex parte Patriarchalis, quàm Ulyssiponen. Orientalis Ecclesiarum adductæ fuerunt super dubiis continuationis quadraginta horarum Orationis emanantibus à divisione antiqui hujus Archiepiscopatus, & ex Motu proprio Sanctitatis Suæ super eadem divisione perspecto ad eos spectare illa omnia decidere, & absolvere, expressumque esse in eodem Motu proprio, ut in omni peculiari casu, & ubi se offerat occasio, semper Mitra, seu Ecclesia Patriarchalis sit præferenda Ulyssiponensi Orientali Ecclesiæ, neque posse in mentem Sanctitatis Suæ cadere, quòd pro hujus Civitatis divisione, ejus Catholicos Fideles orbare velit gratiis, & indulgentiis in Indulto memoratarum quadraginta horarum contentis; Illud etenim est impertita indistinctè pro omnium beneficio, à cujus comprehensione illos juxta juris regulas non excludi futuræ separationis, & divisionis Civitatis eventus: Quoniam Personæ, quibus concessa fuit gratia. adhuc insimul omnes commorantur, seu sunt membra illius Corporis, quod Sanctitas Sua prædictam concessionem elargiendo, in mentem habuit, quamvis per accidens subjectum inveniatur alii jurisdictioni. Quamobrem edicimus, ut in catalogo in lucem edi solito primùm recenseatur Sancta Patriarchalis Ecclesia, ut ab illa supramemorata quadraginta horarum Oratio incipere debeat Dominica Paschatis Pentecostes, quæ erit decima sexta currentis Maii dies, in qua dandum est initium catalogo noviter edendo, & elapsis solitis horis, in quibus Sacratissimum Christi Corpus est exponendum in dicta Patriarchali Ecclesia, quæ enumerari debent à meridie Dominicæ Paschatis usque ad eamdem horam subsequentis Feriæ tertiæ, tunc exponetur cum eodem Jubilæo in Cathedrali Ulyssiponensi Orientali; Et ita decernimus, ut adimpleat, & adimplere faciat Reverendum Capitulum ejusdem Orientalis Ecclesiæ, sub pœna, ni ita exequatur, solvendi ex sua Capitulari Mensa quingentos nummos aureos Cameræ Apostolicæ, pro expensis Belli contra Turcas. Item quoad distributionem, seu designationem aliarum Ecclesiarum, ut ex utraque parte conveniant Reverendi Vicarii Generales, ac inter se statuant formam, & modum, qui servari debeat, sub pœna, nisi ita unusquisque illorum perpetret, Nos decreturos, & disposituros esse dictam designationem, sicuti, Nobis expedire videbitur; ne hujusmodi Spirituali bono priventur dicti Catholici Fideles, quibus concessum fuit, & quo sine justissima causa illos privare nequeunt eorum Ordinarii, & huic formæ standum ex utraque parte decernimus. Ulyssipone Occidentali decimaquarta Maii MDCCXVII. Josephus Episcopus Algarbien.* pleniùs continetur.

Delegatus Apostolicus decernit inhoandam esse à Patriarchali, deinde habendam in Archiepiscopali.

§. 3. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Patriarcha Ulyssiponen. Occidentalis pro majori subsistentiâ, firmiorique observantiâ omnium, & singulorum in prædicto Decreto contentorum, nec non conservatione Jurium, & Præeminentiarum dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulyssiponen. Occidentalis plurimùm cupiat Decretum prædictum cum omnibus & singulis in eo contentis, & expressis, omniaque, & singula in vim dicti Decreti subsequuta per Nos, & Sedem Apostolicam confirmari. Nos igitur, qui Privilegia, & indulta, præsertim verò circa Præeminentiam, & superioritatem, aliàs Nobis eidem Patriarchali Ecclesiæ concessa, conservare, & promovere, ac pacem, & tranquillitatem inter quoslibet Christi Fideles, ac præsertim Ecclesiasticas Personas confovere sinceris desideramus affectibus, eundem Patriarcham Ulyssiponen. Occidentalem specialis gratiæ favore prosequi volentes, nec non à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum tantùm præsentium consequen., harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, controversiamque prædictam ad Nos avocantes, illamque penitùs, & omninò extinguentes, omnibus, & singulis Personis cujuscumque dignitatis, & qualitatis, & speciali notâ dignis super eadem controversiâ perpetuum silentium imponimus, ac benè per dictum Episcopum Algarbien. decretum fuisse declaramus, nec non decretum hujusmodi ab eo sic, ut præmittitur, factum, & promulgatum, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac à Capitulo, & Canonicis dictæ Ecclesiæ Archiepiscopalis Ulyssiponen. Orientalis, & aliis quibuscumque, & quâvis auctoritate, & potestate fungentibus observari debere, ipsosque ad ejusdem decreti observantiam teneri, & obligatos esse, & fore, nec contra illud aliquid fieri, innovari, seu attentari sub quovis colore, vel prætextu, nec Capitulum, & Canonicos dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Ulyssiponen. Occidentalis ex prædictâ, aliisque de causis per Capitulum, & Canonicos prædictæ Ecclesiæ Archiepiscopalis Ulyssiponen. Orientalis imposterum indebitè inquietari, molestari, & perturbari posse, præmissaque omnia, & singula, ac easdem præsentes validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque ple-

Decretum Delegati Apostolici.

Pontifex præfatum decretum amplissimè confirmat.

narios

narios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Capitulo, & Canonicis dictæ Archiepiscopalis Ecclesiæ Ulyssiponen. Orientalis, aliisque quibuscumque in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari, & adimpleri.

Cum amplissimis clausulis, & decreto irritante.

§. 4. Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos, quâvis auctoritate fungentes, causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & de Latere Legatos, Vicelegatos, ac Nostrum, etiam Sedis Apostolicæ modernum, pro tempore existentem Nuncium in Regno Portugalliæ commorantem, judicari, & definiri debere. Irritum quoque & inane decernimus, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non stylis, usibus, & consuetudinibus forsan aliàs observatis privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis, & innovatis.

Et consuetis derogationibus.

§. 5. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, etiamsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum validissimum effectum hac vice duntaxat, & harum serie, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Julii MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno decimoseptimo.

I. Card. Prodatarius

XCII.

CONFIRMATIO

Capitulorum, seu Ordinationum Regiminis Civitatis Recineti.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Proæmium

PAterna cura, quam de Nostris, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, etiam quoad temporalia Subditis gerimus, circa Nos urget, atque impellit, ut ea, quæ pro felici Civitatum, & Terrarum Ditionis temporalis ejusdem Sedis Regimine, & Gubernio providè constituta esse noscuntur, quò firma semper, & illibata persistant, Apostolici muniminis Præsidio roboremus, ut in Domino salubriter expedire arbitramur.

Communitas Recineten. abrogatis antiquis Capitulis ad Regimen illius Civitatis spectantibus novaconfici, & stabiliri curavit.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Communitas, & Homines, ac Regimen Civitatis nostræ Recinaten., quòd cum ipsi ob rerum, ac temporum varietatem, antiqua Capitula ad Bussolum ipsius Regiminis spectantia, quæ aliàs, nempe usque ab anno 1603 à Consilio tunc existen. dictæ Civitatis facta fuerunt, providè removere existimassent, per quatuor Deputatos cum facultatibus necessariis, & opportunis ad id electos, *quædam nova Capitula de cætero servanda formari, & stabiliri, illaque subinde in publico ejusdem Civitatis Consilio die 22. Juni proximè præteriti accuratè examinari, ac omnium suffragiis approbari curarunt, prout continetur in Scriptura desuper confecta* tenoris, qui sequitur videlicèt.

§. 2. In Nomine Domini. Amen. Hæc est copia &c. *Novi Capitoli, ed Ordini per lo Regimento della Città di Recanati.*

Già che variato il sistema delle cose insorge la necessità di nuove disposizioni, mente le diverse Età richiedono diversi costumi, e le Leggi, quali fuono una volta necessarie per il buon' ordine, e maneggio de' publici interessi, cangiandosi i tempi, essigono ancor'esse mutazione, si stabilisce, che per benefizio del Publico si osservino inviolabilmente nelle renovazioni del Bussolo li seguenti Capitoli, che dovranno per l'avvenire servire per regola, riservandosi l'approvazione della Sagra Consulta, attesi gl'ordini precedenti della medesima, che l'Anno 1675. e l'Anno 1709. ordinò, che niente s'innovasse, per essere stati in quel' tempo concepiti in forma totalmente innovativa, e pregiudiziale, sì anche per maggior fermezza di essi, *salva però sempre la facoltà, che dallo Statuto si dà al Conseglio nel Lib. 1. Rub. 8., e Lib. 4. delle Rifermanze fol. 209.*

I. Essendo convenevole, che il Gentil'omo possieda tanto, quanto sia sofficiente per mantenere decentemente il suo grado, li Signori di Magistrato non possano, ne debbano proporre per aggregare allo Regimento alcuno de' nostri Citadini, ò Forastieri (gl'Antenati de' quali per linea Paterna non vi sono mai stati aggregati, che siano però nati di legitimo matrimonio, onorati, che siano vissuti, e vivano civilmente, e che supplichino in scriptis di esserci ammessi, sottoscritta la Supplica di proprio carattere in forma autentica) se prima non si provarà, che possieda in Beni Stabili, e fruttiferi, in Censi, ò in simili Capitali, il valore tutto suo libero, almeno di scudi due mila nel nostro Territorio, ò altrove, non compresovi il valore della casa della sua propria abitazione, quando questa sia di sua propria ragione, e detratti i debiti, ed hipoteche; dichiarandosi però, che quando la medesima casa è capace, non solo d'abitarsi dal Padrone, mà che oltre il bisogno di esso potesse anche affittarsene una parte, in tal caso quella porzione, che potrà affittarsi debba computarsi nel capitale delli sudetti scudi due mila à giudizio de' Periti, come anche debba computarsi in simile capitale la Dote, quando questa fusse pingue in maniera tale, che nel caso della restituzione, con il lucro dotale, resti sempre à favore dell'Aggregando il predetto capitale di scudi due mila, ed in'oltre paghi per la sua ammissione scudi duecento di moneta Romana, da erogarsi in publico benefizio, à disposizione, ed arbitrio del generale Conseglio, a cui però rimanga sempre la libertà d'aggraziare quei Soggetti, che per giusti motivi fussero giudicati meritevoli, senza lo sborso predetto.

II. Non passa il Magistrato proporre quelli di qualunque Famiglia, sì aggregata, che d'aggregarsi, quali essercitassero arti vili, e mecaniche, che secondo il Jus commune derogano alla Nobiltà, che porta seco il nostro Reggimento, e se l'essercitassero dopò la loro ammissione, restino ipso Jure, & ipso Facto senz'altra dichiarazione rasi, e cassi dal Reggimento; Preceduta però monizione del generale Conseglio per Atto publico, e Rogito del nostro Segretario, ò vero, che tale unica monizione venga fatta per ordine del Magistrato pro tempore residente, assegnandosi à chi contraveniffe à quest'ordine il termine di giorni quindeci ad'emandarsi; Nel Bussolo però sussequente possino proporre in loro luogo i di loro figli, quando non havessero anch'essi il medesimo ostacolo, nel qual caso militi l'istessa disposizione, per l'inhabilitazione, come sopra; conforme anche si possano proporre i di lui più prossimi Parenti nella Linea Paterna, mà con le medesime circonstanze, e cautele, che si contengono in questo, e nell'antecedente Capitolo. Non siano però compresi in questo divieto quelli che havessero essercitato, ò essercitassero la mercatura nella maniera, e forma permessa della santa memoria di Clemente Papa Decimo.

già che in tal modo non rimane pregiudicata la loro Nobiltà.

III. Che il munero de' Consiglieri non possi essere minore di sessanta, à fine di potere con facilità adunare i Consegli per i publici interessi in numero sufficiente di trenta; resti però in arbitrio, e libertà del medesimo Conseglio d'augumentare il sopradetto numero di sessanta per giusti motivi, che à ciò l'inducessero, senza però pregiudizio delle Famiglie presentemente aggregate.

IV. Se bene i Dottori delle Famiglie, che sono ammesse, non sono stati per ragione del loro Dottorato capaci di godere di questo Magistrato per le prohibizioni antiche, che vi erano, ad'ogni modo, che in avvenire anche loro possino ammetterssi, già che per li maneggi de' publici interessi possono i medesimi considerarsi con fondamento più che idonei.

V. Ed accio che le cose passino con quiete, e quelli, che tentaranno d'essere ammessi di Reggimento, ò che saranno ammessi per altra via, che per la forma sopra espressa, e da esprimersi più a basso ne' presenti Capitoli, siano anche essi tenuti di pagare al Publico scudi duecento, come sopra, e nulla dimeno non s'intenda passare questa dignità ne'Figli, e Successori.

VI. E perche nessuno alleghi ignoranza di quelti ordini, in ogni refezzione del Bussolo si debbano leggere ad alta voce nel Conseglio dal Segretario, avanti di celebrarlo, de' quali i Signori di Magistrato, ed' ogn'uno de' Consiglieri dovrà giurare l'osservanza.

VII. E non essendo l'esperienza in chi non sono gl'anni, nessuno, ò sia della Città, ò Forastiere possa ammetterssi di Reggimento, se non haverà compiti li 18. anni di sua età da provarsi legitimamente.

VIII. Si appartenga al Magistrato dell'ultima Palla la renovazione del Bussolo, il Conseglio di cui sia valido, e sufficiente con numero di trentacinque Consiglieri, compresovi li Signori di Magistrato, quale dovrà intraprenderla prima, che passi il quinto giorno del Bimestre con far esprimere dalli Banditori essere il Conseglio da celebrarsi per rinovare lo stesso Bussolo, e prima non si possa far Conseglio d'altri Negozij, e dandosi il caso, che per mera colpa d'esso Magistrato dell'ultima Palla, ò de' Consiglieri, che non interveniissero, non potesse effettuarsi, si stabilisce, ed ordina che tanto contro il detto Magistrato, che mancasse alle sue diligenze, quanto contro li Consiglieri, che non interveniissero, senza legitimo impedimento, debba essigersi la pena di scudi quattro per ciascheduna volta contro ogn'uno del Magistrato, e contro ogn'uno de' Consiglieri, che havesse mancato, come sopra, da essigersi Manu Regiâ, e senza alcuna citazione dal Camerlengo pro tempore, qual pena incorsa, dovrà subito porsi dal Segretario della Città al Libro di esso Camerlengo, ed applicarsene la metà in scomputo, e diminuzione de' pesi camerali, e l'altra metà in benefizio, e ristoro del publico Pallazzo, con la pena ancora al Segretario di un scudo per ciascuna volta e per ciascun Soggetto, che ommettesse nella detta descrizzione d'applicarsi similmente, come sopra.

IX. In ogni rinovazione di Bussolo si osservi quest'ordine. Si estragghino prima d'a soliti Bussoli quattro Capopriori, quattro Dicitori, e quattro Consiglieri, uno per Quartiere, li quali subito estrati vadino insieme con li Signori di Magistrato nella Camera, dove deve farsi lo Scrutinio secreto senza parlare à nessuno degl'altri rimanenti, e le schedole estratte di quelli, che fossero assenti, siano lacerate.

X. Giunti in detta camera tutti li sopradetti, ed anche il Segretario giurino prima di tener segreto ciò, che è per farsi, e discorrersi, e di osservare quanto si dispone ne' presenti Capitoli; dopò di che i Signori di Magistrato propongano prima i legitimi Successori de' loro Antenati defonti, e non mai i figli di Famiglia, viventi i di loro Pradi, salvo, se non fossero figli legitimi, e naturali di Persone Ecclesiastiche, quali legitimi Successori dovranno passarsi solamente nella Sala del Generale Conseglio per la maggior parte de' voti favorevoli, e successivamente le supliche di quelli d'aggregarsi di Famiglie non più aggregate, con la regola già detta; Indi propongano quei Consiglieri, che giudicano degni d'essere promossi alli gradi del Capopriorato, e Dicitorato, e se li Propossti in uno de' sudetti casi riportaranno due terzi de' voti favorevoli, vadano li sudetti Elettori à riproporli nella Sala del Conseglio, dove bastera, ottenghino per la maggior parte de' voti favorevoli, avvertendosi di non conservarsi alcuna memoria di quelli, che nello Scrutinio segreto fossero perduti, anzi si abbrugi dal Segretario alla presenza di tutti gl'Astanti per togliere ogn'amarezza, ed odiosità, per il quale effetto, ed ad ogn'altro buon fine fu indotto il sudetto giuramento de secreto observando, ed in'oltre seguita ogni Ballotazione, il Segretario debba nel solito bacile mostrare i voti prima a' Signori di Magistrato, e successivamente à tutti gl'Elettori.

XI. Li Signori di Magistrato residenti non possano in quel Bussolo proporre se stessi, nè alcuno degl'Elettori assistenti per Capopriore, ò per Dicitore, e quando si scrutina alcuno nella Camera sì per l'aggregazione, come per li predetti gradi, debbano uscire i suoi prossimi Parenti, cioe Padre, Avo, Suocero, Genero, Fratello, Cognato, Zio, e Nepoti carnali, e riportandosi poi nella Sala, oltre i sopranominati Parenti, debba anche uscire chi si scrutina, e succedendo per qualche straordinario provedimento l'aggregazione d'alcun nostro Cittadino, ò Forastiere fuori di tempo della rinovazione del Bussolo, s'osservino inviolabilmente le solennita, e regole sopra espresse.

XII. Per togliere i dispareri, e le discordie, che potessero nascere per le precedenze nel sedere, e nell'andare, benche tutto il Conseglio formi un sol corpo di una istessa qualità, e natura, e perciò non vi sarebbe bisogno di disporre, si osservi tuttavia per ogni buon fine quest'Ordine, cioè il primo luogo sia del Capo Priore, il secondo del Dicitore, poi gl'altri Priori procedano frà di loro secondo la maggiore età, alla riserva però di quelli novi, che fossero estratti per la prima volta, quali dovranno havere per quel Bimestre l'ultimo luogo senza attendere l'età sudetta.

XIII. Finiti, che saranno li scrutinii, si licenzii il Consiglio Generale, mà restino li Signori di Magistrato, e gl'Elettori sudetti à compire il Bussolo, nè possano partirsi dal Pallazzo, finche non l'haveranno chiuso, restando però la facoltà libera al Magistrato di concedere licenza à qualch'uno de' medesimi, che per giusta causa non potesse trattenersi, e nel formare le schedole, ed ivi nell'unire i nomi de' Consiglieri, si posponga il proprio commodo, ed interesse al publico benefizio.

XIV. Si dovranno perciò formare tante Palle, che siano proporzionate al numero de' Consiglieri alla ragione di quattro per Palla, in ogn'una delle quali si descriva il nome di un Capo Priore, di un Dicitore, e di due altri Priori, avvertendosi di non accoppiare in alcuna di dette Palle quelli, che fussero trà di loro Parenti carnali sopranominati, e perche difficilmente potrà riuscire il numero giusto per fare le Palle à

quattro per ciascuna, si possano anco fare secondo il bisogno di cinque, e di trè. Ed in evento, che d'entro lo scrutinio segreto, ò in Sala del Generale Consiglio respettivamente fussero perduti tutti i Soggetti propositi d'a Signori di Magistrato per Capo Prioi, ò per Dicitori, i medesimi con li Signori Elezzionarii ritornino nello Scrutinio segreto per empire quei luoghi, servate però le Disposizioni, e Legghi stabilite nel Capitolo decimo; Quindi ogni schedola si involga in una Palla di cera dorata, ò inargentata, le quali si rinchiudano per mano del Segretario nel solito Bussolo con il Sigillo publico da riporsi poi nella solita cassa dello Reggimento per estraerne una in ogni Bimestre alli dodici del secondo Mese, il che però non dovrà haver luogo, quando succedesse di farsi il Bussolo doppo il tempo sudetto, mentre in tal caso bisognarà accomodarsi alla necessità per l'Estrazzione della prima Palla.

XV. Accomodate, che siano tutte le Palle del Magistrato, si venga alla refezzione degl' altri Bussoli, cioè del Bussolo de' Spicciolati Capi Priori, de' Spicciolati Dicitori, e de' Spicciolati de' Quartieri da estraersi di Magistrato al suo tempo in luogo degl'impediti, per formare li quali si numerino tutti quelli, che non sono nè Capi Priori, nè Dicitori, e divisi in quattro parti, se ne riponga una parte per ciascun Bussolo, come pure del Bussolo degl'Anziani, che devono assistere in tutti i Consegli Generali, ancorche non fussero consumati. Mà li Bussoli degl'Elettori, ò siano Elezzionarii, de' Sindicatori del Magistrato, e de'Deputati della terza Chiave, non si rinovino, sinche non sono affatto consumati, alla riserva delli due Bussoli degl'Elezzionarii, Capo Priori e Dicitori, se in ogn'uno di essi Bussoli ne fussero rimasti meno di quattro, nel qual caso si estraggano quelli, che si trovano, come si è detto al Paragrafo nono, e poi si rifaccia immediatamente il Bussolo novo di detti Capi Priori, e Dicitori per estrarne subito quanti ne mancassero per compire il numero di quattro.

XVI. Venendo il caso, che qualunque degl' Aggregati non habitasse nella nostra Città, venga ammesso in tutti i Bussoli, come gl'altri, purche però l'assenza non passi il decennio, nel qual caso sia descritto il suo nome in ogni refezzione de Bussolo nel Catalogo de' Consiglieri, e nel Bussolo de' Spicciolati, mà non già nelle Palle sudette, ove verrà rescritto alla prima refezzione del Bussolo, dopò che sarà ritornato ad'habitare.

XVII. E perche ogni grand'affare deve cominciare, e finire col nome di Dio, perciò prima di dar principio al Conseglio già adunato per la renovazione del Bussolo, si dica ad alta voce l'Inno dello Spirito Santo con la sua Orazione, e finito, che sia il Bussolo si dica il *Te Deum laudamus &c.* Terminato il quale al suono delle Trombe, e delle Campane della nostra Torre si riponga la detta cassa del Reggimento, accompagnata d'avanti dalla Famiglia di Palazzo, e dietro da' Signori di Magistrato, Elettori, e Segretario sin al luogo, dove dovrà conservarsi.

XVIII. Quando li Signori di Magistrato, ed' Elettori non osservassero interamente in tutto, ò in parte, quanto si dispone ne'presenti Capitoli, òvero, che da alcuno de' Consiglieri si oprasse, che dette disposizioni non si osservassero, incorra ciascuno di essi Signori di Magistrato, Elettori, e Consiglieri che delinquessero nella pena di scudi cinquanta nella privazione di tutti gl'Offizii onorevoli, anche nel Magistrato per cinque anni d'applicarsi la pena pecuniaria, per la metà per la Fabbrica del Palazzo, e per l'altra in diminuzione de' peci Camerali, come si è disposto al §. 8.

XIX. Non si possa proporre nel Bussolo, nè per Priore, nè per Dicitore quello, che nel Bussolo finito non havesse preso l'Offizio di Magistrato.

XX. Che con i presenti Capitoli s'intenda derogato, non meno à quelli del 1603., che alla Bolla di Alessandro Sesto dell'ano 1493. che comincia: *Etsi*, al quale effetto si dovrà procurare la conferma accennata nel principio della Sagra Consulta, *facto verbo cum Sanctissimo*, ed'anche un Breve confirmatorio della Santità di Nostro Signor con la Deroga espressa alla detta Bolla del Pontefice Alessandro Sesto, ed'à qualsivoglia cosa in contrario.

Giovanni Condulmari uno de'Capo Priori Deputato.

Girolamo Confalonieri uno de'Dicitori Deputato.

Gio: Filippo Angelita uno de' Dicitori Deput.

Marc' Antonio Massucci Deputato.

Capitula prædicta, ut supra reformata per Dominos Deputatos fuerunt *lecta, accuratè examinata, & approbata à Generali Concilio celebrato sub die 22. Junii 1717. quadraginta novem suffragiis favorabilibus, nemine penitùs discrepante.*

Ita est Franciscus Liberatus Notarius publicus de Visso Spoletanæ Diœcesis ad præsens Illustrissimæ Communitatis Civitatis Recineti à Secretis &c. In fidem &c. hac die 25. Jun. 1717. salva &c.

In Causa Recineten. Reformationis Capitulotum *Sacra Consulta habita sub die 14. Julii proximè præteriti, occasione recursus visa Relatione Gubernatoris Marchiæ, rescripsit*, prout infra videlicet: *Pro approbatione Capitulorum juxta resoluti nem Concilii:* In quorum fidem &c. Datum Romæ hac die 11. Augusti 1717.

A. Bancherius Secretarius.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipsi Exponentes, nè de præmissorum validitate ab aliquibus dubitari contingat, illa Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimùm desiderent; Nos ipsos Exponentes specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super Consultationibus Negotiorum Status Ecclesiastici hujusmodi deputatorum consilio, omnia, & singula Capitula noviter condita prædicta, confectamque desuper Scripturam præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salvâ tamen semper in præmissis authoritate Congregationis eorundem Cardinalium Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices. Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

Pontifex confirmat omnia prædicta nova Capitula de Consilio D. D Card. super consultationibus negotiorum status Ecclesiastici deputatorum

Salva authoritate Congregationis eorundem Cardinalium

Cum derogationibus opportunis, signanter Bullæ Alexandri VI.

§. 4. Non obstantibus quibusdam felicis recordat. Alexandri Papæ VI. Prædecessoris nostri Literis desuper tertio decimo Kalendas Junii MCCCCXCIII. Pontificatus sui anno primo sub Plumbo expeditis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Civitatis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Septembris MDCCXVII. Pontificatus Nostri Anno XVII.

F. Card. Oliverius.

XCIII.

DECLARATIO

Nullitatis cujusdam Edicti nomine Sæcularis Potestatis in Ducatu Sabaudiæ; & Pedemontii Principatu ad supplicationem Patrimonialis generalis dictæ Sæcularis Potestatis editi in præjudicium supremi Dominii ad Sedem Apostolicam in quibusdam Locis Mensæ Episcopalis Asten. privativè spectantis, cum ipsius Edicti, necnon indè secutorum, & quandocumque secuturorum damnatione, revocatione, & abolitione.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Præmium à molestiis aliàs illatis Subditis, & feudatariis Sedis Apostolicæ in Ducatu Sabaudiæ & Principatu Pedemontii, & à Monitorio illis intimato, ne aliumsupremum Dominum præter eamdem Sedem, & Romanam Ecclesiam recognoscerent

ALiàs ad retundendas graves, & frequentes molestias, quas Ministri Sæcularis Potestatis in Ducatu Sabaudiæ, & Principatu Pedemontii Subditis, & Feudatariis hujus Sanctæ Sedis loçorum Montasiæ, Cisternæ, & Cortansæ Asten. Diœcesis, non sine manifesto directi, & supremi dominii ad Nos, & eamdem Sedem in prædictis locis unicè, & privativè spectantis præjudicio, jampridem intulerant, novasque quas illis inferre minabantur, instante tunc existente Commissario Generali Cameræ nostræ Apostolicæ per Dilectum Filium nostrum Joannem Baptistam S. R. E. Cardinalem Spinulam nuncupatum ejusdem S. R. E. Camerarium die viii. Augusti MDCCII. expeditum, atque transmissum, & eorumdem Feudorum Syndicis præsentatum, necnon Feudatariis eo, quo licuit, modo intimatum fuit Monitorium, quo districtè prohibebatur, ne alium supremum Dominum præter Sedem Apostolicam, & Romanam Ecclesiam recognoscere auderent.

Camera Computorum Sabaudiæ nullum declaravit dictum Monitorium & præfatos Vassallos compellit ad recognoscendum Ducem Sabaudia tantùm in Supremum Dominum.

§. 1. Cùmque subindè ad Patrimonialis generalis nuncupati dictæ Sæcularis Potestatis requisitionem, mense Septembri ejusdem anni per Cameram, quam vocant, Computorum Ducatus, ac Principatus prædictorum publicatum, & respectivè intimatum fuisset quoddam Edictum, seu Decretum, quo præviâ declaratione nullitatis, & invaliditatis prædicti Monitorii, tam ipsis Feudatariis, qui eatenùs Sedem præfatam tanquam Dominam directam, ejusque supremam auctoritatem constanter recognoverant, ipsâ etiam Sæculari Potestate id approbante, quàm Syndicis Universitatum, atque Vassallis sub gravissimis pœnis præcipiebatur, quode cætero supremam tantùm ejusdem Sæcularis Potestatis auctoritatem recognoscerent, & ad hujus Edicti publicationem præfatarum Universitatum Syndicos vi, metuque præfati Ministri compellere tentassent, omnibusque renuentibus, nonnulli in Civitate Astensi deprehensi carceribus mancipati, alii verò, qui ad illam accedere recusaverant, militaribus copiis à dictis Feudis violenter extracti similiter detenti fuissent, morte etiam sclopo illatâ alteri ex ipsis, qui fugâ sibi consulere studuerat; Nos prædictos, aliosque multiplices, ac detestabiles ejusdem Sæcularis Potestatis abusus diutiùs dissimulare non valentes, præfatum, aliaque plurima Edicta, seu Decreta, Ordinationes, & Mandata, & alia quælibet à Senatibus, Magistratibus, Judicibus, Officialibus, aliisve Ministris dictæ Sæcularis Potestatis in præjudicium libertatis, immunitatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque auctoritatis Apostolicæ respectivè quovis modo emanata, & gesta cum omnibus, & singulis indè secutis, & quandocumque secuturis per quasdam nostras in simili formâ Brevis literas die xvij. Maii MDCCVII. desuper expeditas, nulla, irrita, invalida, damnata, & reprobata, esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore declaravimus, & quatenùs opus esset, ea omnia, & singula damnavimus, reprobavimus, revocavimus, annullavimus, abolevimus, & alias, prout in nostris literis supradictis, quarum tenorum præsentibus pro plenè, & sufficientèr expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur.

Et renuentes graviter vexavit.

Pontifex omnia hujusmodi attentata Sæcularis Potestatis nulla declaravit, damnavit, & reprobavit.

Sæcularis tamen Potestas ab iis non destitit, & ad alias majores exactiones processit quibus sua Sanctitas occurrere non prætermisit.

§. 2. Cæterum cùm post earumdem nostrarum literarum publicationem adhuc præfati Ministri à vexandis Subditis, & Feudatariis memoratorum locorum minimè destitissent, quinimmò prioribus molestiis novas, majoresque in dies adjicientes, non solùm prædictos, sed etiam Subditos, & Feudatarios loci de Cortanzerio eidem Sedi pariter subjectos variis etiam contributionibus, aliisque oneribus, non minus injustè, quàm temerè gravare præsumpsissent, ad hujusmodi intolerabiles ausus reprimendos plura alia successivè Monitoria ad tunc pariter existentis Commissarii Generalis dictæ Cameræ Apostolicæ instantiam ab eodem Joanne Baptissa Cardinale, & Camerario die xxiv. Julii, viii. Augusti, & xvii. Octobris MDCCXI. ac postremo die xxiii. Maii MDCCXVI. etiam de speciali mandato nostro edita, ac respectivè intimata fuerunt, quibus innovatâ Feudatariis, & Subditis præfatorum locorum memoratâ prohibitione de non recognoscendo alium in supremum Dominum, quàm Sedem præfatam, ipsis sub gravium pœnarum comminatione inter alia injungebatur, ne contributiones, aliave onera sibi à dictâ Sæculari Potestate imposita, vel imponenda persolvere; seu persolvi facere, auderent, aut quoquo modo præsumerent, & aliàs prout in præfatis Monitoriis, quorum tenores præsentibus pro plenè itidem, & sufficienter expressis haberi volumus pleniùs continetur.

Novissimè Sæcularis Potestas, ut prædicta attentata tueretur, Edictum promulgavit, quod inseritur.

§. 3. Cùm autem sicut nuper non sine ingenti animi nostri molestiâ, accepimus, ad ejusdem Patrimonialis generalis supplicationem sub nomine prædictæ Sæcularis Potestatis prodierit quoddam Præceptum, sive Edictum typis impressum, quod unâ cum supplicatione hujusmodi non alio quidem, quàm illud penitus, & omninò damnandi, & reprobandi animo præsentibus inserendum duximus, tenoris, qui sequitur, videlicet: *Sacra Real Maestà. Rappresenta il Consigliere, e Patrimoniale generale di V. M. esserſi nel mese scorso pretesi publicare asserti Monitorii sotto nome del Sig. Cardinale Spinola nelli Luoghi d'indubitato dominio di V. M. esistenti nel Contado d'Asti, Cisterna, Cortanze, Montasia, e Cortazone tendenti li medemi à rimovere li Sudditi, ed habitanti, come pure li Vassalli d'esse Terre dall obligo che à medemi corre di non riconoscere altri in loro Signore, e Sovrano che V. M. e suoi Reali Successori in data li predetti Monitorii delli xxiij. Maggio scaduto, sotto pretesto che siano sotto l'immediato*

Edicti tenor

ANNO 1717.

dominio della Santa Sede, e ciò in conformità d'altri Monitorii già preteſi di publicare negl'anni MDCCII. MDCCVII. e MDCCXI. e quantunque l'Eſponente ſia perſuaſo eſſerſi già da V. M. ſufficientemente proviſto in difeſa delle indubitate ragioni, che le competono in detti Luoghi, e Feudi tanto in dipendenza di detto Contado, che d'altri titoli irrefragabili oltre l'antico & indubitato poſſeſſo comprovato da continuati, e ſucceſſivi atti poſſeſſorii, come reſta notorio con haver laſſato li Reſcritti Camerali ſotto li ij. Settembre MDCCII. e ix. Maggio MDCCXI. prohibitivi tanto alli Vaſſalli, che Sudditi, & habitanti in eſſi Luoghi d'ubbidire alli detti Monitorii con ſpecifico Precetto à medemi di non dover riconoſcer, ne ubbidire ad altri in qualità di Sovrano Signore, che ad eſſa V. M. e ſuoi Reali Succeßori ſotto le pene in eſſi Reſcritti cominate, e come meglio dal contenuto in eſſi ſi vede: Tutavia, acciò che ſotto preteſto de ſudetti aſſerti nuovi Monitorii quantunque evidentemente invalidi, nulli, abuſivi, orrepiti, e ſurrepiti niſſuno de ſudetti Vaſſalli, Sudditi, & habitanti habbia l'ardire di declinare dall'obligo loro Vaſſallitio, e ſuddital verſo V. M. e far coſa pregiudiciale al Servitio della medema, hà penſato per ogni maggior precautione haver raccorſo da Voſtrà Sacra Real Maeſtà ſupplicandola humilmente degnarſi di dichiarare, come ne precedenti Reſcritti ſovra riferiti del MDCCII. e MDCCXI. non haver potuto, ne potere li ſuddetti aſſerti Monitorii, e qualunque altra proviſi ne di conſimile natura, come nulli, ſurrepiti, & orrepiti, invalidi, inſuſſiſtenti, & evidentemente abuſivi recar verun pregiudicio alle ſuddette ragioni, & eſercitio dell'alto Dominio, e Sovranità di V. M. meno indurre alcun obligo di non dove riconoſcer in eſſi Feudi, e loro Territorio, ne ubbidire ad altri in qualità di Sovrano Signore, che V. M. e ſuoi Succeſſori ſotto gravi, e graviſſime pene etiandio corporali da incorrerſi irremiſſibilmente da Tranſgreſſori; Dichiarando l'eſecutione da farſi in perſona de reſpettivi Vaſſalli, ò Domeſtici loro e per publicatione, & affiſſione di copia alli Albi Pretorii della Città d'Aſti, e di detti Luoghi valere, e che alla copia ſtampata dal Stampatore di V. M. ſi debba preſtar tanta fede, come al proprio originale, il che &c. Il Patrimoniale generale di V. M. Vittorio Amedeo per grazia di Dio Rè di Sicilia, di Geruſalemme, e di Cipro &c. Duca di Savoja, e Monferrato &c. Prencipe di Piemonte &c Veduta nella Camera noſtra d' Conti l'alligata ſupplica ſottoſcritta dal Patrimoniale noſtro generale con li precedenti Reſcritti ivi riferiti, & deſignati; Et il tenor del tutto ben conſiderato: Per le preſenti col parer, & participazione d eſſa Camera dichiariamo, come in detti precedenti Reſcritti del MDCCII. e MDCCXI. non haver potuto, ne potere li aſſerti Monitorii, di cui ſi tratta, e qualunque altra proviſione di conſimil natura come nulli, ſurrepiti, orrepiti, invalidi, inſuſſiſtenti, & evidentemente abuſivi recar verun pregiudicio alle ragioni, & eſercizio dall'alto Dominio, e Sovranità noſtri, meno indurre alcun obligo alli Vaſſalli, Sudditi de Luoghi narrati d'ubbidire alli precetti portati da ſudetti Monitorii; Anzi facciamo poſitivo precetto à medeſimi di non dover riconoſcere in quei Feudi, e loro Territorio ne ubbidire ad altri in qualità di Sovrano Signore, che à Noi, e noſtri Reali Succeſſori ſotto gravi, e graviſſime pene etiandio corporali da incorrerſi irremiſſibilmente da Tranſgreſſori: Dichiarando l'eſecuzione di queſte da farſi al modo ſupplicato valere, & che alla copia ſtampata dal Stampatore noſtro ſi debba preſtar tanta fede, come al proprio originale. Che tal è noſtra mente. Dato in Torino li trent'uno Agoſto mille ſettecento ſedici: Per Sua Maeſtà à relatione di detta Camera: Il Secretario della medema Camera: In Torino, Stampato dal Stampatore di S. M. MDCCXVI.

Loca in edicto memorata ad Eccleſiam Aſtenſem pertinent adeoque ſupremo Pontificio, & non alterius Principis, dominio ſubſunt.

§. 4. Memorata verò, & plura alia loca variis temporibus à tunc exiſtentibus Epiſcopis Aſten. in feudum conceſſa diverſis perſonis ad eoſdem Epiſcopos Aſten. eorumque Menſam Epiſcopalem ex libera, & irrevocabili donatione Imperatorum, Regum, ac Piorum fidelium, aliiſque legitimis titulis, non autem ad alium quemcumque ſpectaſſe, & ſpectare dignoſcantur, ac proindè ambigi, aut inficiari nequeat, quin illa ſub alto, & ſupremo Dominio, ac Superioriate noſtris & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, non autem dictæ Sæcularis Poteſtatis, aut alterius cujuſcumque fuerint, ac ſint, & cenſeri debeant; Necnon Feudatarii, Vaſſalli, & Homines eorumdem locorum nullius alterius, præterquam noſtræ, & dictæ Sedis Superioritati fuerint, ac ſint verè ſubjecti, & quemadmodum ipſi nullum alium in ſupremum Dominum recognoſcere tenentur, vel debent, ita nemini, niſi Nobis, & eidem Sedi licuerit, vel liceat Jura Superioratis, & Supremi Dominii in loca Vaſſallos, & Homines hujuſmodi exercere. Nec minùs compertum ſit Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros dictæ Eccleſiæ Aſten. juribus, ac Sedis præfatæ Superioritati, & Dominio hujuſmodi tuendis, & conſervandis jugiter intentos, non omiſiſſe ea à quorumcumque auſibus, & attentatis, ſi quandoque impeti, aut violari contigit, peculiari ſtudio, ac ſolicitudine aſſerere, & vindicare.

S. Pius V. Ducem Sabaudiæ compulit ad eximendum prædicta loca ab oneribus quæ illis impoſuerat.

§. 5. Satis namque perſpectum eſſe novimus, quod dudum fel. rec. Pius Papa Quintus Prædeceſſor Noſter bon: mem: Emanuelem Philibertum, dum vixit, Sabaudiæ Ducem, ac Pedemontii Principem, qui quædam onera tunc exiſtentibus Feudatariis, & Subditis eorumdem locorum nulliter, & de facto indixerat, poſt prætenſorum Jurium, ac rationum, ſub quorum obtentu idem Emanuel Philibertus Dux ad ejuſmodi onerum impoſitionem deveniſſe dicebatur, coram Commiſſario ſpecialiter à prædicto Pio Prædeceſſore ad id deputato pro parte ipſius Philiberti Ducis deductorum, maturam diſcuſſionem, ac demum, comperta eorum inſubſiſtentiâ, rejectionem à cœptis Apoſtolici muneris miniſterio deſiſtere compulerit.

Paulus V. reſcidit, & annullavit permutationem aliquorum ex præfatis, & aliorum locorum mensæ Epiſcopalis Aſten. ab illius Epiſcopo cum Duce Sabaudiæ factam ſub reſervatione beneplaciti Apoſtolici.

§. 6. Prout etiam notum eſt, quod rec: mem: Paulus PP. V. etiam Prædeceſſor noſter expetitum ſuum, ac Sedis præfatæ beneplacitum ſuper quadam conceſſione nonnullorum ex præfatis, aliiſque locis dictæ Menſæ Epiſcopalis per bon: mem: Stephanum, dum vixit, Epiſcopum Aſten. bon. etiam mem. Carolo Emanueli dum pariter vixit, ejuſdem Sabaudiæ Duci, & Pedemontii Principi titulo permutationis ſub beneplaciti Apoſtolici hujuſmodi reſervatione factâ tanquàm Eccleſiæ, ac Menſæ Epiſcopali Aſten. damnosâ, & præjudiciali, ac ſuperioritatis Sedi præfatæ in illis locis competenti læſivâ, non modò non conceſſerit, ſed expreſsè, & ſolemniter denegaverit, ipſamque conceſſionem, ac inſtrumentum deſuper confectum, & in eo contenta quæcumque reprobaverit, annullaverit, & caſſaverit.

Alexander VII. nullum declaravit edictum Ducis Sabaudiæ, in quod ipſe ſupremus Dominus aliquot præfatorum locorum enunciabatur.

§. 7. Ac denique ſimilis mem. Alexander PP. VII. itidem Prædeceſſor noſter quoddam Præceptum, ſeu Edictum nomine ejuſdem Caroli Emanuelis Ducis die 2. Junii MDCLVIII. evulgatum, in quo ipſe Carolus Emanuel Dux Supremus Dominus aliquot præfatorum Locorum perperam enunciabatur, nullum, & invalidum cum ejuſmodi enunciativis, & aſſertionibus declaraverit, quemadmodum in eorumdem Pii, Pauli, & Alexandri Prædeceſſorum literis; prioribus quidem die viii. Maii MDLXVIII. & die xix. Aprilis MDLXIX.; alteris die x. Februarii MDCXII. noviſſimis verò die xx. Auguſti MDCLVIII. in ſimili formâ Brevis deſuper expeditis, quarum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter

expreſ-

expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Sua Sanctitas ævia commutatione omnium Monitoriorum à Cardinali Camerario experitorum præinsertum edictum cum omnibus indè secutis, & secuturis annullat, & reprobat.

§. 8. Hinc est quod Nos, qui in supremo Justitiæ solio à Domino constituti universarum Orbis Ecclesiarum gerimus curam, quique tam illarum, quàm Sedis Apostolicæ Jurium assertores sumus, ne in tam apertâ eorum, & Apostolicæ auctoritatis oppugnatione, Pastorali officio nostro quoquo modo deesse videamur, memoratorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, in primis verò prænarrata Monitoria cum omnibus, & singulis in eis contentis aprobantes, ac confirmantes, & quatenus opus sit innovantes; Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Edictum, seu præceptum præinsertum, & in eo enunciata, & contenta quæcumque cum omnibus, & singulis indè secutis, & forsan quandocumque secuturis penitùs, & omninò nulla, irrita, invalida, erronea, damnata, reprobata, inania, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ fuisse, & esse, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imò nec à quoquam observari potuisse, vel debuisse. neque per illâ ullum, vel minimum præjudicium juribus nostris, & dictæ Sedis, ac Ecclesiæ Asten. ejusque Episcopis, ac Romanis Pontificibus illatum fuisse, vel esse, aut inferri potuisse, nec ullo unquam tempore posse earumdem tenore præsentium decernimus, & declaramus. Et nihilominus pro majoris, & abundantiori earumdem Sedis, & Ecclesiæ Asten. cautela, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis nullis, invalidis, & abolitis viribusque & effectu penitus, & omninò vacuis perpetuò haberi volumus, & mandamus, itaut illis minimè obstantibus jura nostra, & Apostolicæ Sedis, dictæque Ecclesiæ Asten. semper omni tempore ramaneant, sint, & serventur, ac censeri debeant sarta, tecta, integra, illæsa, & illibata in omnibus, & per omnia quemadmodum erant ante editionem præfati Edicti, seu præcepti, cæterorumque præmissorum, & perindè ac si illa nunquant emanassent, nec facta fuissent, neque unquam fierent, seu evenirent.

Cum Decreto irritanti clausula sublata, & aliis ampliſſimis.

§. 9. Decernentes sic, & non aliter in præfatis omnibus, & singulis censeri, ac per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac nostram Cameram prædictam, ejusque Officiales quomodocumque nuncupatos, & ejusdem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & quosvis alios quâcumque auctoritate fungentes, & functuros, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri, debere, & irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, nec non legibus Imperialibus, & Municipalibus, & quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de jure quæsito non tollendo, ac piæ mem: Pii PP. IV. etiam Prædecessoris nostri Constitutione de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in eâdem Camerâ præsentandis, & registrandis, itaut præsentes literæ, etiamsi in eâdem Camera nullo unquam tempore præsententur, & registrentur, nihilominus valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant; necnon dictæ Ecclesiæ Asten. etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ecclesiæ, illiusque Præsuli, Capitulo, & quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficaciſſimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Et consuetis derogationibus.

§. 10 Quibus omnibus, & singulis eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat præsentes literas affixas locis solitis Urbis omnes afficere, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent, & fidem adhiberi transumptis.

§. 11. Cùm autem eædem præsentes literæ in locis dictioni prædictæ Sæcularis potestatis subjectis nequeant tutè publicari, ut hactenus experientiâ compertum est, & Nobis notoriè constat, volumus illas seu earum exemplas ad valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personalitèr intimatæ fuissent: Utque ipsarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fidès tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xx. Octobris MDCCXVII. Pontificatus nostri Anno XVII.

Cardinalis F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi milleſimo septingenteſimo decimo septimo, die 23. mensis Octobris, Indictione decima, Pontificatus Sanctiſſimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimo septimo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ, aliisque locis soliti, & consuetis Urbis per me Josephum Batiale Apostolicum Cursorem.

Sebastianus Vaselli Mag. Curs.

CONFIRMATIO XCIV.

Constitutionum Academiæ Theologicæ de Urbe cum deputatione nonnullorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Academiæ Protectorum, & quorumdam Privilegiorum concessione.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à Pontificia solicitudine promovendi sacrarum ac præsertim Theologicæ Facultatis studia.

INscrutabili divinæ bonitatis, atque sapientiæ providentiâ ad Ecclesiæ Catholicæ per universum terrarum Orbem diffusæ, regimen, meritis licet imparibus evecti, inter multiplices pastoralis vigilantiæ nostræ curas Sacrarum Literarum, ac præsertim Theologicæ Facultatis studia, per

quæ

quæ depulsâ ignorantiæ caligine, mortalium mentes luce veritatis illustrantur, ad supernæ Deitatis essentiam veraciter contemplandam iter panditur, sana doctrina asseritur, Catholicæ fidei puritas ab hæresibus, praviſque dogmatibus gladio spiritus vindicata enitescit, illiusque, & divini cultus propagationi, ac aliis Christianæ Reipublicæ commodis consulitur, ubique locorum, ac præcipuè in hac Alma Urbe nostra, ex qua doctrinæ, & bonorum operum exempla in reliquas Christiani Orbis partes assiduè promanant, quantùm Nobis ex alto conceditur promovere, excitare, & confovere studemus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæque decus, & præsidium, ac Christifidelium utilitatem cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Academia Theologica instituta in Urbe fuit sub auspiciis Sanctitatis suæ.

§. 1. Cùm itaque aliàs nempè ab ipsis Pontificatus Nostri primordiis, q ædam Academia Theologica nuncupata, in qua plures in ea facultate versati, ac etiam Magistri, seu Doctores, aut aliàs graduati, ad pleniorem, & sublimiorem sacrarum, divinarumque rerum cognitionem aspirantes Sacræ Theologiæ, nec non historiæ Ecclesiasticæ disciplinis præcipuam, sedulamque operam laudabiliter hactenus navarunt, & adhuc indefessis studiis navare non desistunt, sub auspiciis nostris, ac Nobis annuentibus in Urbe præfata erecta, seu instituta sit, eique usum loci in ædibus publici Gymnasii Sapientiæ nuncupati ejusdem Urbis pro suis conventibus habendis, & functionibus peragendis sub certis modo, & formâ, tunc expressis assignaverimus, & concesserimus; & sicut plurimorum Virorum præstantium testimonio, imò etiam nonnullorum ex Venerabilibus Fatribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui literariis ipsius Academiæ exercitationibus, & disceptationibus sæpius interfuerunt, relatione accepimus, dilecti Filii Academici eidem Academiæ adscripti notabiles in præfatis disciplinis progressus jam fecerint, & in dies facere pergant, unde non obscura spes affulgeat, fore, ut dicta Academia, benedicente Domino, non solum majora in posterum suscipiat incrementa, verùm etiam suaviſſimos, ubereſque fructus in Ecclesia Dei quandoque proferat; in eumque finem prædicti Academici pro recto, ac felici Academiæ hujusmodi gubernio nonnullas Constitutiones, seu Statuta, quæ per bon. mem. Thomam Mariam, dum vixit, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Ferrarium, Sancti Clementis nuncupatum, jussu nostro revisa, & subinde approbata fuerunt, jampridem condiderint; quorum tenor est, qui sequitur, videlicet.

Quæ illi locum in publico Gymnasio Sapientiæ assignavit.

Academici Constitutiones, seu statuta condiderunt, quæ mandante Sanctitate Sua à Card. Ferrario revisa, & approbata fuere.

Tenor earumdem Constitutionum.

§. 2 Constitutiones Academiæ Theologicæ: *Academiam Theologicam solùm illis patere volumus, qui Theologiæ saltem quadriennio sedulam operam navarunt.*

Horum ingeniis exercendis, perfectaque doctrina imbuendis, bis in hebdomada, scilicet feria tertia, & sexta, de sacris, divinisque rebus disputabitur. Alternis Theologica, alternis Historica disputatio erit: identidem verò vel ad nostræ Religionis dogmata pertinentes controversiæ, vel ad Sacras Literas disceptabuntur.

Ab exercitationibus vacatio erit à Dominica Sexagesimæ, ad Dominicam Quadragesimæ: à die Palmarum ad diem Dominicam in Albis, & à XVI. *Kalen. Octobris ad* XV. *Kalen. Decembris.*

Ex universa Theologia, atque Historia Ecclesiastica præcipuæ quæstiones à Censoribus selectæ triennii disputationibus absolventur. Eorumdem judicio, quæ in contrarias partes disputari possunt, quæve in alteram tantùm decernetur. Ordo in Theologicis ad Summam Divi Thomæ: In Historicis ad seriem temporum accommodabitur.

In quocunque Conventu, Academicus cui id fuerit injunctum, primùm ea, quæ in quæstione versantur, breviter, ac luculenter explicabit. Tum duo cum eo solidam horam disceptando decertabunt; ille eorum argumenta, & conquisitas rationes acute refellet, & confutabit.

Quilibet Academicus exacto anno solemnem disputationem habebit: sex horas, tres ante, tres post meridiem disputabit.

Omnes Academicorum munia triennio saltem obibunt, & labores, qua disputando, qua in solemnibus disputationibus accuratè disceptando sustinebunt. Completo triennio, proximum à Censoribus locum, ac sedem honoris ergò habebunt. De omnibus, quæ ab Academicis conscisentur, suffragium ferent.

Quicunque sex annos Academici munia obierit, & labores subierit, inter Censores referendus.

De controversiis disceptandis Censoris judicium erit. Unus minus solemnibus, tres solemnibus disputationibus præsidebunt. Quid de illis sentiat, judicabunt: Suffragia occulta erunt: soli Academico à secretis nota, ut possit, cùm fuerit opportunum, doctrinæ cujusque testimonium perhibere.

Academicus à secretis, qui & Censor erit, cunctis solemnibus disputationibus unà cum duobus aliis Censoribus præerit. Non solemnibus, tunc cum Censorem non adesse contigerit. Diem, solemnibus disputationibus statuet. Eum pro iis habendis designabit, quem integrum annum in Academia exegisse constabit; annum autem non dierum, sed laborum cursu metimur; Certiores faciet Censores de quæstionibus, quarum disceptationibus debebunt præsidere: Eas Academicis omnibus, adjecto die ad disputandum destinato, scriptas tradet: controversias disceptandas quolibet mense in tabella descriptas exponet; Scriptoresque, qui de illis uberius, & luculentiùs disserunt, indicabit. Acta omnium, quæ geruntur, conficiet: Academicorum nomina in albo describet & tempus, quo adscripti fuerint, adnotabit. Academicorum doctrinam, labores, Censorum judicio probatas disputationes publicis literis pro cujusque meritis testabitur.

§. 3. Ac proinde, sicut memorati Academici, exponi Nobis nuper fecerunt, ipsi non minùs ejusdem Academiæ erectionem, seu institutionem, perpetuique usus loci, ei, sicut præmittitur, assignati, concessionem, quàm Constitutiones, & Statuta præinserta, quo firmiùs subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, & aliàs desuper paternæ providentiæ nostræ partes interponi plurimùm desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt; ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Academiæ prædictæ prosperum statum, & directionem, uberioraque incrementa sinceris exoptamus affectibus, eorundem Exponentium votis, hac in re, quantùm cum Domino possumus, benignè annuere, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati erectionem, & institutionem Academiæ supradictæ, perpetuique usus loci ei in ædibus dicti Gymnasii, ut præfertur, assignati, concessionem præfatas, nec non Constitutiones, & Statuta præinserta cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis, authoritate Apostolicâ tenore præsentium, sine tamen Universitatis studii generalis ejusdem

Pontifex Academiæ erectionem, locum ei assignatum in ædibus d. Gymnasii, & Constitutiones præfatas ampliſſimè confirmat sine tamen cujusquam præjudicio.

ANNO 1718.

Pontifex Academiæ, electionem, locum ei assignatum in ædibus d. Gymnasii, & Constitutiones præfatas ampliſſimè confirmat ſine tamen cujuſquam præjudicio.

Urbis, ac cujuſquam alterius præjudicio approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & præſidium adjicimus, ac quoſcunque juris, & facti defectus, ſi qui in præmiſſis quomodolibet intervenerint, ampliſſimè ſupplemus; & nihilominus dictam Academiam Theologicam, quatenus opus ſit, authoritate, & tenore ſimilibus itidem perpetuò erigimus, & inſtituimus, eique perpetuum uſum loci præfati denuò concedimus, & aſſignamus.

§. 4. Porrò, ne unquam in eâdem Academia perpetuis futuris temporibus Cenſores, qui Academicorum diſputationibus præſint, aliaſque eis per Conſtitutiones, & Statuta præinſerta demandatas functiones obire valeant, deſiderari contingat, volumus, & eâdem authoritate decernimus, ut præter & ultra eos in ejuſmodi Statutis & Conſtitutionibus deſignatos, omnes, & ſinguli Sacræ Theologiæ in eodem Gymnaſio Lectores, nunc & pro tempore exiſtentes, qui Collegium Theologorum inibi conſtituunt, officium Cenſorum in dictâ Academiâ pariter obtineant: præterea, ut Academici nunc, & pro tempore ſimiliter exiſtentes mercedis laborum ſuorum aliquando recipiendæ ſpe excitati, memoratis diſciplinis eò impenſiùs ſolertiùſque incumbant, eoſdem Academicos, qui cuncta Academiæ munia ſedulò, ac laudabiliter adimpleverint, in dignitatibus, perſonatibus, canonicatibus, & præbendis, aliiſque beneficiis Eccleſiaſticis, ac iis præſertim, quibus cura imminet animarum, per collationem, vel electionem, in cujuſque ipſorum patriis, reſpectivè providendis, aliis omnibus, cæteris paribus, tam in Romanâ Curiâ quam extra eam præferri volumus, & mandamus; ſeriò idcircò requirentes, & monentes Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, nec non dilectos Filios Noſtros, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, cæteroſque Prælatos, ſeu locorum Ordinarios, ac quoſcunque beneficiorum ejuſmodi Collatores, & Collatrices, ut Academicos præfatos quorum multi Exteri, & ex diverſis nationibus exiſtunt, cum eos in ſuas Regiones reverti contigerit, ſi ſeſe ſupra dictæ Academiæ adſcriptos, in eaque diù cum laude verſatos fuiſſe legitimis probationibus, atque in primis literis teſtimonialibus manu Secretarii ejuſdem Academiæ ſubſcriptis, ejuſque ſigillo munitis docuerint, in collatione eorundem beneficiorum, quatenus ipſi reditibus ad congruam ſui ſuſtentationem ſufficientibus caruerint, aliis omnibus, cæteris paribus, ſimiliter præferant; Quia verò etiam nonnulli Regulares prædictæ Academiæ adſcripti plurimùm ei adjumenti, atque ſplendoris huc uſque attulerunt, & ut in Domino confidimus, deinceps quoque jallaturi ſunt, idcircò eos itidem peculiari favore gratiæ proſequi cupientes, earundem tenore præſentium decernimus, ut poſtquam iidem Regulares Academiæ præfatæ adſcripti, & in futurum abſcribendi de Superiorum ſuorum conſenſu omnes Academicorum partes per ſexennium rectè, ac diligenter expleverint, id eis, & eorum cuilibet ſuffragari debeat in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Sacram Theologiam in ſuis reſpectivè Monaſteriis, Conventibus, ſeu Domibus regularibus per triennium actu legiſſent, ita tamen, ut duo dumtaxat, & non plures Regulares hujuſmodi ex unoquoque Monaſterio, Conventu, ſeu Domo regulari de Urbe præfatâ, ubi ſtudia vigeant, & actu Sacra Theologia legatur, à ſuis reſpectivè Superioribus deputentur, ad hoc, ut Academiæ hujuſmodi adſcribi, & in ea cuncta Academicorum munera exercere valeant; iis autem tranſacto ſexennio, alii duo, & non plures ſubrogentur, ſicque de ſexennio, in ſexennium ſervari debeat.

Lectores Sacræ Theologiæ in Gymnaſio conſtituuntur Cenſores in Academia.

Academicis prælatio conceditur, cæteris paribus in Beneficiis Eccleſiaſticis, præſertim curatis.

§. 5. Demum, ut ejuſdem Academiæ conſervationi, bonoque regimini, nec non Academicorum commodis, & utilitatibus uberiùs conſultum ſit, promptumque, & paratum eis ſuppetat præſidium, dilectos Filios Noſtros Joannem Baptiſtam Sancti Cæſarei Spinulam, Joannem Dominicum Sanctæ Anaſtaſiæ Parraccianum, Carolum Auguſtinum Sancti Auguſtini Fabronum, Joannem Baptiſtam Sancti Stephani in Monte Cœlio Ptolomeum Titulorum Presbyteros, nec non Annibalem Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Albanum nuncupatos, Noſtrum ſecundùm carnem ex germano Fratre Nepotem prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales memoratæ Academiæ Protectores, & Defenſores conſtituimus, & deputamus, quorum conſilio, ope, ac patrocinio tam ſupradicta, quàm quæcumque alia ad Conſtitutionum, & Statutorum præfatorum obſervantiam, Academicorum admiſſionem, & expulſionem, Secretarii, & Cenſorum deputationem, & amotionem ſpectantia ac generaliter omnia, & ſingula, quæ ad ſalubrem Academiæ directionem, illiuſque progreſſum, decus, & ornamentum tendere, & conducere videbuntur, agantur, ſtatuantur, & ordinentur. Mos enim eiſdem, ac pro tempore exiſtentibus Protectoribus per Nos, & Sedem Apoſtolicam pariter deputandis, plenam, liberam, & amplam ad præmiſſa facultatem, & authoritatem harum ſerie tribuimus, & impartimur.

§. 6. Decernentes ipſas præſentes literas, ac omnia, & ſingula præmiſſa firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in eiſdem præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, Urbis, & Gymnaſii præfatorum ac quorumcumque Ordinum Regularium etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxiii. Aprilis MDCCXVIII., Pontificatus Noſtri Anno XVIII.

F. Card. Oliverius.

ANNO 1718.

Quinque S. R. E. Cardinales Protectores, & Defenſores Academiæ deputantur.

Quibus plures facultates conceduntur.

Cum decreto irritanti, & clauſulis conſuetis.

Academici Regulares peculiari privilegio decorantur.

XCV.

DECLARATIO

Nullitatis, & reprobatio omnium geſtorum, & attentatorum per D. principem Guſtavum Leopoldum de Dupont, intruſum in adminiſtrationem Militiæ Aureatæ Conſtantinianæ S. Georgii: cum confirmatione conceſſionis, & aſſignationis Muneris Magni Magiſtri ejuſdem Militiæ factæ à fel rec. Innocentio Papa XII. ad favorem Sereniſſimi Franciſci Farneſii Ducis Parmæ &c. ejuſque Familiæ.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium ab approbatione & confirmatione facta per Innocentium XII. reſignationis Magni Magiſterii Militiæ Conſtantinianæ ad favorem Seren. Ducis Parmæ, ejuſque Deſcendentium.

ALiàs fel. rec. Innocentius Papa XII. Predeceſſor noſter ſupplicationibus dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Franciſci Farneſii Parmæ, & Placentiæ Ducis, ac Joannis Macedoniæ & tunc Magni Magiſtri Militiæ Aureatæ Conſtantinianæ ſub titulo S. Georgii & Regula Sancti Baſilii Magni nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus, ac etiam motu proprio ex certa ſcientia & matura deliberatione ſuis deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine reſignationem Officii, ſeu Muneris Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris dictæ Militiæ dicto Franciſco Duci, ac ejus poſt ipſum Natis, Nepotibus, & Deſcendentibus, aliiſque ejus Familiæ Farneſiæ Succeſſoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore exiſtentibus à prædicto Joanne Andrea Principe, & Magno Magiſtro, qui (ut aſſerebat) Nobilis, & antiquæ Familiæ ſuæ Angelæ Flaviæ Comnenæ ſolus ſuperſtes, ac non tam liberis, quàm ſpe illos procreandi deſtitutus exiſtebat (reſervato deſuper Apoſtolicæ Sedis beneplacito (factam, publicumque deſuper confectum Inſtrumentum, ſeu Scripturam ſub certis modo, & forma tunc expreſſis perpetuò confirmavit, & approbavit, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis vim, robur, efficaciam, & validitatem adjunxit, & adjecit, & nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus eſſet, ac etiam omni alio meliori modo, via, jure, & forma, quibus firmius, & validius facere potuit, eiſdem Franciſco Duci, ac ejus Natis, Nepotibus, & Deſcendentibus, aliiſque ejus Familiæ Farneſiæ Succeſſoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore exiſtentibus, ſuo ordine reſpectivè, ſupradictum Officium, ſeu Munus Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris Militiæ Aureatæ Conſtantinianæ præmiſſo, vel aliàs certo, quem pro expreſſo haberi voluit, modo tunc vacans, cum omnibus & ſingulis illius honoribus, juribus, præeminentiis, & prærogativis ſolitis, & conſuetis, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, perpetuò conceſſit, & aſſignavit, & aliàs prout in ipſius Innocentii Prædeceſſoris literis deſuper in ſimili forma Brevis die xxiv. Octobris MDCXCIX. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur.

Princeps de Dupont electionem de ſui perſona factam in Magnum Magiſtrum d. Militiæ à nonnullis ejus Militibus confirmari petiit ab Innocentio XII. ac interim duos Milites creavit.

§. 1. Poſtmodum verò cum dilectus etiam filius Nobilis Vir Guſtavus Leopoldus Princeps de Dupont à dicto Innocentio Prædeceſſore petiiſſet quandam electionem, quam de ſui perſona in Magnum Magiſtrum, ſeu perpetuum Adminiſtratorem dictæ Militiæ à nonnullis illius Fratribus, ſeu Militibus factam fuiſſe aſſerebat, confirmari; Sed prædictæ Innocentii Prædeceſſoris literæ ad ejuſdem Franciſci Ducis favorem jam expeditæ reperirentur, illarumque exemplum ipſi Guſtavo Leopoldo Principi ut earum dipoſitioni, & ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris voluntati acquieſceret exhibitum fuiſſet, ac nihilominus dictus Guſtavus Leopoldus Princeps die xxv. Martii anni proximè præteriti per quemdam ſuum Procuratorem ad id ſpecialiter conſtitutum prætextu memoratæ Electionis, licèt invalidæ & à paucis dictæ Militiæ Fratribus, ſeu Militibus, abſque ulla legitima auctoritate, ac ſolemnitatibus per Sacros Canones ad Electionis celebrationem requiſitis factæ, Habitum, & Crucem Militiæ prædictæ duobus religioſis Hiſpanis, nempe Franciſco Valentino de Luca Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum profeſſori, & Bartholomæo Penſpont Monacho, ſeu Fratri expreſſè profeſſo Ordinis Sancti Hieronymi in Hiſpania tradere præſumpſiſſet, & aliàs prout in publico Inſtrumento ſuper traditione hujuſmodi per acta cogominati Orſini Notarii Capitolini confecto diffuſius continetur; Idem Innocentius Prædeceſſor ad cujus notitiam id ſubinde pervenerat, hoc negotium ad Congregationem trium S. R. E. Cardinalium, de quorum numero, tunc in minoribus conſtituti eramus, à ſe ſpecialiter deputatam remiſit; Ipſaque Congregatio Cardinalium ſuum quidem deſuper Decretum, & reſolutionem edidit, ſed dicti Innocentii Prædeceſſoris infirmitate, & deinde obitu ſuperveniente, literæ Apoſtolicæ, quas eadem Congregatio Cardinalium ſuper Decreto, & reſolutione prædictis expediri poſſe cenſuerat, minimè expediri potuerunt.

Innocentius XII. his auditis negotium diſcutiendum commiſit Congregationi trium Cardinalium, de quorum numero erat idem Pontifex, ipſaque Congregatio deſuper Decretum edidit, ſed obſecutum obitum prædicti Innocentii Papæ literæ Apoſtolicæ expediri non potuerunt.

§. 2. Nos proinde Decreto, & reſolutioni hujuſmodi inhærentes ipſiuſque Innocentii Prædeceſſoris literas ad dicti Franciſci Ducis favorem, ut præfertur, emanatas perpetuò firmas & inviolatas permanere volentes, ac prædictæ Electionis modum, & formam nec non omnium, quæ illius prætextu à prædicto Guſtavo Leopoldo Principe quovis modo acta, & geſta ſint, ſeriem, cauſas, & circumſtantias univerſas, aliaque quæcumque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & exactè ſpecificatis habentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula per dictum Guſtavum Leopoldum principem, & memoratum ejus Procuratorem dictæ Electionis prætextu quomodolibet acta, geſta, & ordinata, cum omnibus inde ſecutis & forſan quandocunque ſecuturis penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, attentata, ac propterea nullatenus attendenda eſſe, & perpetuò fore; idque in margine dicti Inſtrumenti, ad hoc ut in eo contenta pro irritis, nullis, invalidis, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuis ſemper habeantur, adnotari debere tenore præſentium decernimus, & declaramus; Ac præterea dilecto filio noſtro in dicta Urbe Vicario in ſpiritualibus Generali, & aliis, ad quos ſpectat, harum ſerie committimus, & mandamus, ut Franciſcum Valentinum, & Bartholomæum Religioſos præfatos ad redeundum ad Clauſtra ſuarum Religionum opportunis Juris remediis auctoritate noſtra Apoſtolica cogant.

Pontifex præfato Decreto inhærens, & literas ejuſdem Innocentii Papæ omnino obſervari volens, electionem d. Principis de Dupont, & cum omnibus inde ſecutis & ſecuturis nulla, irrita, & attentata declarat.

Duos Milites regulares à d. Principe nulliter creatos ad clauſtra remitti mandat.

§. 3. Decernentes etiam eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd Guſtavus Leopoldus Princeps, & Religioſi præfati, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni illis non conſenſerint, ſeu ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque propter quas præſentes emanarint, ſufficienter

Cum ampliſſimis clauſulis roborantibus, & præſertim ſublata, & decreto irritanti.

adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adversùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſè obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quacunque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et conſueta derogatione quibuſcumque contrariis.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Militiæ, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & ſtylis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Militiæ, illiuſque Fratribus, & Perſonis etiam primioribus, ſeu primis ſub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, & pluries, & quantiſcunque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xx. Aprilis MDCCI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

F. Oliverius.

ERECTIO

Eccleſiæ Parmenſis Beatæ Mariæ della Steccata nuncupatæ in Eccleſiam, & Sedem Conventualem Sacræ Equeſtris Religionis Conſtantinianæ S. Georgii, cum pluribus conceſſionibus ad favorem tam ejuſdem Religionis, quàm illius Sereniſs. Magni Magiſtri Franciſci Farneſii Parmæ, & Placentiæ Ducis, ejuſque Succeſſorum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

XCVI.

Exordium à Pontificio ſtudio promovendi ea quæ decus, & incrementum Ordinum Militarium, & conſequenter Orthodoxæ fidei & Divini cultus amplificationem reſpiciunt.

Militantis Eccleſiæ regimini, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, præſidentes, ad ea potiſſimum, quæ Militarium Ordinum, maximo Chriſtianæ Reipublicæ bono, anteactis temporibus inſtitutorum decus, & incrementa reſpiciunt, quæque in Orthodoxæ Fidei, Divinique cultus amplificationem ceſſura eſſe noſcuntur, vigilantiæ noſtræ curas libenter convertimus, noſtrique Apoſtolici Officii partes propenſâ benignitate deſuper interponimus, prout pia Catholicorum Principum vota poſtulant, & Nos, prudenti conſultatione adhibitâ, cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire.

Jo. Andreas Angelus Flavius Comnenus Princeps Macedoniæ ultimus Magnus Magiſter Militiæ Aureatæ Conſtantinianæ.

§. 1. Sanè aliàs, poſtquam tunc in humanis agens Joannes Andreas Angelus Flavius Comnenus, dum vixit, Princeps Macedoniæ, ac Magnus Magiſter Militiæ Aureatæ Conſtantinianæ ſub titulo Sancti Georgii, & Regulâ Sancti Baſilii Magni Familiæ ſuæ Angelæ Flaviæ Comnenæ ſolus ſuperſtes, ac tam liberis, quàm ſpe illos procreandi jam deſtitutus, ſummopere cupiens in Officio, ſeu munere Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris Militiæ prædictæ, quod longiſſimo tempore ab ejus Progenitoribus continuâ, ac non interruptâ ſerie obtentum, & poſſeſſum fuerat, dari ſibi Succeſſorem prævalidum, cujus ope, ac virtute Militia præfata revelaretur, ac præſervaretur à noxiis, nec non lætioribus, benedicente Domino, proficeret incrementis, ad Perſonam dilecti Filii Nobilis Viri Franciſci Farneſii Parmæ, & Placentiæ Ducis, egregiis naturæ, gratiæque Divinæ muneribus præfulgentem, mentis ſuæ oculos providè direxerat, juribuſque ſibi in hac re quovis modo competentibus, ſeu quæ ſibi competere exiſtimaverat, utens, eidem Franciſco Duci, ejuſque ſucceſſivè Natis, Nepotibus, & Deſcendentibus, aliiſque ipſius Franciſci Ducis Familiæ Farneſiæ prædictæ Succeſſoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore exiſtentibus Officium, ſeu munus Prædictum, reſervato tamen deſuper Sedis Apoſtolicæ beneplacito, reſignaverat; felicis recordationis Innocentius Papa XII. Prædeceſſor noſter, firmam in Domino ſpem concipiens, dictum Franciſcum Ducem, cui præter generis ſplendorem, ac domeſtica Majorum exempla, Catholicæ Religionis tuendæ zelus, aliæque eximiæ, ac pio, prudentique Principe dignæ virtutes abundè ſuffragabantur, Militiæ prædictæ plurimùm utilitatis allatum eſſe, ac proinde felicibus ejuſdem Militiæ, quæ, ut aſſerebatur, diverſis Privilegiis, Gratiis, & Indultis à quamplurimis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, tunc ſuis, inſignita fuerat, progreſſibus opportunè conſulere volens ſupplicationibus tam Franciſci Ducis, quàm Joannis Andreæ Principis, & Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris prædictorum nomine ſibi ſuper hoc humiliter porrectis inclinatus ac etiam motu proprio, ac

Præfatus Princeps Macedoniæ reſignavit munus Magni Magiſtri dicti Militiæ Conſtantinianæ Sereniſſimo Duci Franciſco Farneſio, ejuſque Deſcendentibus, aliiſque ipſius Sereniſſimi Ducis Succeſſoribus, reſervato beneplacito Apoſtolico.

Innocentius XII. hujuſmodi reſignationem confirmavit.

ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione ſuis, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine reſignationem dicti Officii, ſeu muneris Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris Militiæ Aureatæ Conſtantinianæ prædictæ eidem Franciſco Duci, ejuſque ſucceſſivè Natis, Nepotibus, & Deſcendentibus, aliiſque ipſius Franciſci Ducis Familiæ Farneſiæ prædictæ Succeſſoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus pro tempore exiſtentibus à præfato Joanne Andrea Principe, & Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratore factam, ut præfertur, publicumque deſuper confectum Inſtrumentum, ſeu publicam deſuper confectam Scripturam cum omnibus, & ſingulis in eis contentis ſub certis modo, & formâ tunc expreſſis Apoſtolicâ authoritate perpetuò confirmavit, & approbavit, & ad majorem, & abundantiorem cautelam, quatenus opus eſſet, ac etiam omni meliori modo, viâ, jure, & formâ, quibus firmiùs, & validiùs facere poterat, eidem Franciſco Duci, ac prædictis illius Natis, Nepotibus, & Deſcendentibus, aliiſque Familiæ ſuæ Farneſiæ hujuſmodi Succeſſoribus Parmæ, & Placentiæ Ducibus, pro tempore exiſtentibus, ſucceſſivo ordine reſpectivè, ſupradictum Officium, ſeu munus Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris Militiæ Aureatæ Conſtantinianæ prædictæ, præmiſſo, vel aliàs certo, quem idem Innocentius Prædeceſſor pro expreſſo haberi voluit, modo tunc vacans cum omnibus, & ſingulis illius honoribus, juribus, præeminentiis, & prærogativis ſolitis, & conſuetis, motu, ſcientiâ, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, perpetuò conceſſit, & aſſignavit.

Et ad majorem cautelam eidem Duci, ejuſque Succeſſoribus munus M. Magiſtri perpetuò conceſſit & aſſignavit.

§. 2. Nec non cum illis ſuper receptionis in Fratres Milites Militiæ prædictæ, ac ſuſceptionis habitus per eoſdem Milites geſtari ſoliti, nec non Profeſſionis per ipſos Milites emitti conſuetæ Regularium, nec non ſervitiorum quorumlibet ad ejuſdem Militiæ Statutis, ſeu ſtabilimentis præſcriptorum, ac aliarum quarumvis per eadem Statuta, ſeu ſtabilimenta, ac Privilegia, & Indulta Apoſtolica ad obtinendum Officium, ſeu Munus hujuſmodi, illiuſque juriſdictionem, poteſtatem, præeminentias, & prærogativas exercendum quomodolibet requiſitarum qualitatum defectibus, cæteriſque impedimentis quibuſvis in præmiſſis eidem Franciſco Duci, ejuſque Natis, Nepotibus, & Deſcendentibus, aliiſque ipſius Franciſci Ducis Familiæ Farneſiæ hujuſmodi Succeſſoribus, Parmæ, & Placentiæ Ducibus, pro tempore exiſtentibus, prædictis quomodolibet obſtantibus, & quandocumque obſtituris, ſeu quæ illis obſtare quovis modo prætendi, cenſeri, vel intelligi poſſent ad præmiſſorum effectum, quatenus opus eſſet, ſemper, & omni tempore, quo caſus hujuſmodi eventurus foret, de ſpecialis dono gratiæ diſpenſavit, & alia diſpoſuit, prout in ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris Literis in formâ Brevis die vigeſimâ quartâ Octobris milleſimi ſexenteſimi nonageſimi noni expeditis, quarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus uberiùs continetur.

Et cum eis ſuper quibuſcunque defectibus, & impedimentis obſtantibus, ſeu obſtituris ad præmiſſorum effectum diſpenſavit.

§. 3. Cùm autem, ſicut accepimus, Franciſcus Dux, ac Magnus Magiſter ſeu perpetuus Adminiſtrator præfatus, ut Chriſtianum decebat Principem, ſuſceptique Officii, ſeu Muneris ratio ab ipſo poſtulabat, ad inſtaurandam Militiam hujuſmodi, ob varia præteritorum temporum infortunia ferè collapſam pio, ſtrenuoque animo incumbens, nullis hactenus pepercerit curis, laboribus, & ſumptibus, ut illa ad priſtinum honoris, ac Dignitatis gradum reſtitueretur, & reſtitutâ ad Catholicam Religionem contra Infidelium inſultus pro veteri ſuo inſtituto propugnandam uſui eſſe poſſet; in primis autem antiqua præfatæ Militiæ Statuta, ſeu ſtabilimenta renovari meliori, quam olim, methodo, ac ordine diſponi, præſentique temporis conditioni, ac rerum ſtatui accommodari ſedulò curaverit, quamplures inſuper non tam generis nobilitate, quàm animi robore, virtutumque meritò præſtantes viros, prævio maturo examine, in eandem Militiam adſciverit; ac demùm cùm implacabiles Chriſtiani nominis Hoſtes Turcæ in ſua feritate confidentes Catholicorum Principum, ac præſertim Venetæ Reipublicæ Dominia nefario bello vexare cæperunt, idem Franciſcus Dux, & Magnus Magiſter, ſeu perpetuus Adminiſtrator, avitæ pietatis ſtimulis incitatus, duo peditum millia in ſexdecim Cohortes diſtributa, non ſine gravi ſui Ducalis Ærarii diſpendio, alacri tamen, ptomptoque animo ſuis ſumptibus conſcripſerit, ac eorum regimini antedictos Milites ſub ejuſdem Militiæ vexillo præfecerit, illaque ſic conſcripta, omnibuſque neceſſariis inſtructa in Venetorum opem, atque ſubſidium ad Dalmatiæ partes tranſmiſerit, firmâ ſpe, fiduciâque conceptis, quod iidem Milites, dirigente Domino fideles eorum greſſus, non tam Venetis ipſis, quàm Univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ad propulſandos Barbarorum conatus non modico futuri eſſent adjumento.

Sereniſſimus Dux curavit inſtaurationem Ordinis Statuta renovando, Milites nobiles adſcribendo, & duo millia peditum in ſubſidium Venetorum contra communem hoſtem expediendo.

§. 4. Tametſi verò omnia, & ſingula præmiſſa hucuſque geſta, & laudabiliter conſtituta prædictæ Militiæ decori, & ſtabilitati longè ſuffectura dignoſcantur, nihilominus dictus Franciſcus Dux, & Magnus Magiſter, ſeu perpetuus Adminiſtrator feliciori adhuc ejuſdem Militiæ ſtatui, conſervationi, & incremento, nec non prædictorum Militum utilitati, & ſubventioni conſultum eſſe plurimùm cupiat, proindeque Nobis exponi fecerit, quod Militia præfata certâ Eccleſiâ, certâque Sede Conventualibus, in quibus Milites Divina Officia, aliaſque Eccleſiaſticas functiones juxta eorum Regulare Inſtitutum pro tempore celebranda celebrare, & conventualiter ad inſtar aliarum Militiarum hujuſmodi vivere reſpectivè poſſint, annuiſque reditibus, & Commendis ad id neceſſariis, ob ſuperiorum temporum calamitates, deſtituta reperitur; quodque, ſi ſine curâ Eccleſia Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ Parmen., quæ minimè collativa exiſtit, ac pro tempore exiſtentis Parmæ, & Placentiæ Ducis patrocinio ſubeſt, nec non à quadam Congregatione Clericorum, & Laicorum à præfato Duce eligi, & deputari ſolitorum regitur, & gubernatur ac à viginti quinque Clericis, ſeu Presbyteris in cantu Gregoriano approbatis, & apud eam perſonaliter reſidentibus, ac ad nutum ejuſdem pro tempore exiſtentis Parmæ, & Placentiæ Ducis amovibilibus, cum congruâ menſtruæ mercedis, ſeu menſtrui ſalarii aſſignatione in Divinis deſervitur, & in quâ nonnulla perpetua ſimplicia, perſonalemque reſidentiam non requirentia Beneficia Eccleſiaſtica, quorum duo de Jurepatronatus ejuſdem Congregationis, reliqua verò pro majori parte ſimiliter de Jurepatronatus Laicorum, ex fundatione, vel dotatione exiſtere dicuntur, fundata reperiuntur, in Eccleſiam Conventualem, & certam Sedem prædictæ Militiæ, totiuſque Ordinis Militaris hujuſmodi Caput, ad quod ob illius Ædificii elegantem ſtructuram, amplitudinem, celebrem ornatum, & divitem ſacrarum ſupellectilium copiam ſatis apta eſſe dignoſcitur, perpetuò erigeretur, ac in ea unus Magnus Prioratus pro uno Presbytero Milite ejuſdem Militiæ, qui à nunc, & pro tempore exiſtente ejuſdem Militiæ Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratore eligi, ac eidem Eccleſiæ, dictæque Militiæ Militibus, ac aliis ejuſdem Eccleſiæ Miniſtris, & Cappellanis eidem Eccleſiæ inſer-

Expoſitio facta per Sereniſſimum Ducem SS. D.N. pro obtinenda erectione Eccleſiæ Steccatæ in Eccleſiam, & Sedem Conventualem Ordinis, & conceſſione Domus Piæ Miſericordiæ Curtis Majoris, ac applicatione bonorum, & redituum dictæ Eccleſiæ & Domus Piæ Militiæ prædictæ.

vientibus, cum titulo, ac denominatione Magni Prioris præesse, illorumque Præses, ac Prælatus esse deberet, perpetuò itidem erigeretur, & institueretur; Nec non Pia Domus de *Misericordia* nuncupata in Terra de *Corte Maggiore* Placentinæ Diœcesis Provinciæ Bononien. quæ pariter minimè collativa existit, nullique ad vitam, seu in administrationem concedi consuevit, quæque aliàs à quondam tunc in humanis agente Rolando Marchione Pallavicino, dum vixit, Domino in temporalibus dictæ Terræ fundata, ac deinde à recolendæ memoriæ Alexandro Papa VI. etiam Prædecessore nostro, præviâ ejusmodi fundationis ampliſſima confirmatione, à quacumque Ordinarii Loci jurisdictione perpetuò exempta, illaque sic exempta eidem Rolando, ejusque Successoribus Dominis in temporalibus dictæ Terræ pro tempore existentibus subjecta fuit, & nunc ad Franciscum Ducem, & Magnum Magistrum, seu perpetuum Administratorem prædictum, uti legitimum Successorem præfati Rolandi spectat, & pertinet, ac per nonnullos homines Universitatis dictæ Terræ ab ipsomet Francisco Duce, cui de annuis reditibus ejusdem Piæ Domus, illorumque administratione singulis annis iidem homines, rationem reddere tenentur, pro tempore nominatos, & deputatos regi, & gubernari solet, eidem Militiæ etiam perpetuò concederetur, insuper omnia, & singula respectivè bona, res, proprietates, ac jura quæcumque ad præfatam Ecclesiam sic erigendam, ac præfatam Domum Piam sic concedendam quomodolibet respectivè spectantia, & pertinentia, illorumque omnes, & singuli fructus, reditus, & proventus, qui deductis omnibus, & singulis Ecclesiæ, ac Domus Piæ præfatarum oneribus, ad quingentos septuaginta duos ducatos auri de Camera circiter annuatim, ut asseritur, ascendat, eidem Militiæ in congruam pro tempore existentis Magni Prioris Magni Prioratus, ut præfertur, erigendi hujusmodi, nec non in dotem nonnullarum præceptoriarum, seu commendarum ejusdem Militiæ similiter, ut infra, erigendarum perpetuò applicarentur, & assignarentur, aliaque infrascripta per Nos benignè concederentur, ex his omnibus, & singulis Militia præfata validius suæ stabilitatis firmamentum, ac Divinus cultus in dictâ Ecclesiâ non modicum susciperent incrementum, ac Milites ipsi ad Christianas excolendas virtutes, solidamque sui Ordinis gloriam promovendam, proposito eis præmio, vehementius inflammarentur,

Clemens XI. tempore sui Cardinalatus fuit Protector Ordinis.

§. 5. Nos, qui Militiam hujusmodi, cujus, dum Cardinalatus fungebamur honore, Protectoris munus sustinuimus sincero paternæ charitatis affectu semper prosecuti fuimus, & nunc etiam impensè prosequimur, summoperè gaudentes, quod illa sub Francisci Ducis, ac Magni Magistri, seu perpetui Administratoris prædicti auspiciis ad pristinum honoris, & Dignitatis locum, benedicente Domino, resurgere jam cœperit, ac proinde eundem Franciscum Ducem novis gratiarum muneribus decorare, ejusque pium, ac laudabile propositum, quantum cum Domino possumus, confovere, nec non ipsam Militiam, ut felicioribus in dies lætari possit incrementis, opportunæ subventionis ope juvare, ac fulcire volentes, ipsumque Franciscum Ducem, ac Magnum Magistrum, seu perpetuum Administratorem, ejusdemque Militiæ Milites, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, motu proprio, ex certa scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine ad uberiorem cautelam, ac etiam quatenus opus sit, omni, & quocumque potiori, & meliori modo, ac formâ, quibus firmiùs, & validiùs à Nobis fieri possit, ac valeat, eidem Francisco Duci, & Magno Magistro, seu perpetuo Administratori, ac præfatis ejus Natis, Nepotibus, & Descendentibus aliisque Familiæ suæ Farnesiæ Successoribus, Parmæ, & Placentiæ Ducibus, pro tempore existentibus, successivo respectivè ordine, præfatum Officium, seu Munus Magni Magistri, seu perpetui Administratoris Militiæ præfatæ per eumdem Franciscum Ducem, ut præfertur, obtentum, & hucusque præclarè gestum, ac exercitum cum omnibus, & singulis ilius honoribus, juribus præeminentiis, & prærogativis solitis, & consuetis, aliisque gratiis sibi, ac Familiæ suæ Farnesiæ Descendentibus, & Successoribus prædictis à præfato Innocentio Prædecessore, ob eximiam suorum, & Familiæ suæ Farnesiæ prædictæ meritorum celsitudinem, ut præfertur, concessis, tenore præsentium perpetuò iterum concedimus, & assignamus, omniaque, & singula eidem Francisco Duci, & Magno Magistro, seu perpetuo Administratori, ac Familiæ suæ Farnesiæ Descendentibus, & Successoribus prædictis super libero exercitio Officii, seu muneris hujusmodi ab eodem Innocentio Prædecessore concessa, etiam perpetuò harum serie approbamus, & confirmamus, dictumque Franciscum Ducem, & Magnum Magistrum, seu perpetuum Administratorem, ejusque Familiæ Farnesiæ Descendentes, & Successores præfatos in omnibus, & singulis juribus, quæ dicto Joanni Andreæ, ejusque Familiæ Angelæ Flaviæ Comnenæ, si tempore resignationis ab ipso Joanne Andrea eidem Francisco Duci, ut præfertur, factæ, & per eumdem Innocentium prædecessorem etiam, ut præfertur, confirmatæ, & approbatæ, extitissent, ad dictum Officium, seu Munus Magni Magistri, seu perpetui Administratoris quomodolibet competebant, seu competere poterant, & si dictus Joannes Andreas Officium, seu Munus hujusmodi non resignasset, ipsiusque Familia Angela Flavia Comnena prædicta extincta non fuisset, quomodocumque competerent, & competere possent, gratiosè, ac plenariè subrogamus, & subrogatos esse volumus, & declaramus, nec non Militiam Aureatam Constantinianam prædictam ab eodem Francisco Duce, & Magno Magistro, seu perpetuo Administratore, ut præfertur, instauratam; ac ferè de novo erectam, & institutam dictâ Apostolicâ authoritate approbantes, & confirmantes, eundem Franciscum Ducem, & ab illius Familiâ Farnesiâ Descendentem, qui Parmæ, & Placentiæ Dux pro tempore extiterit, ordine præfato, Magnum Magistrum, seu perpetuum Administratorem ejusdem Militiæ, perinde ac si ab ipsomet Francisco Duce verè de novo erecta, & instituta fuisset, cum honoribus, prærogativis, & facultatibus, quibus alii aliarum Militiarum hujusmodi Apostolicâ authoritate confirmatarum Magni Magistri cum suis Militibus quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, absque ullo prorsus discrimine, & sine aliquo antiquorum jurium præjudicio, sed nova jura antiquis cumulando, eaque conservando perpetuò constituimus, & deputamus.

Pontifex ad cautelam, & quatenus opus sit, Munus Magni Magistri de novo concedit Seteniſſimo Duci, ejusque Successoribus, & confirmat omnia illis concessa ab Innocentio XII.

Eos insuper plenariè subrogat in omnibus Juribus, quæ ad dictum Munus Magni Magistri Familiæ Angelæ Flaviæ Comnenæ olim competebant.

Militiam Constantinianam approbat, & confirmat.

§. 6. Ac Ecclesiam Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ præfatam, præviis in ea omnis cujuscumque status, & essentiæ sæcularis, non tamen quoad Beneficia in ea jam, utpræfertur, fundata,

Sereniſſimum Franciscum Ducem, & ab illius Familia Descendentem qui Dux Parmæ, & Placentiæ pro tempore erit, Magnum Magistrum d. Militiæ constituit.

Erigit Ecclesiam Steccatæ in Ecclesiam, & Sedem Conventualem dictæ Militiæ.

ac de dicto jurepatronatus Laicorum, ut præfertur, exiſtentia, quæ illæſa, & in eorum primæva natura ſeculari, excepto tamen jure in eis inſtituendi Clericos Seculares ad illa pro tempore vacantia, ab illorum pro tempore exiſtentibus Patronis præſentandos, quod Nos Magno Priori præfato pro tempore exiſtenti concedere, ut infra, & aſſignare intendimus, remaneant, extinctione, nec non ejuſdem Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ Regiminis, & Gubernii à Congregatione prædictâ, à qua, ut præfertur, regi, & gubernari uſque nunc conſuevit, abdicatione, ac prædictorum viginti quinque Clericorum, ſeu Presbyterorum Secularium præfatorum, à quibus eadem Eccleſia Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ nunc, ut præfertur, in Divinis deſervitur, amotione, in certam Eccleſiam certamque prædictæ Militiæ Aureatæ Conſtantinianæ Sedem Collegialem, ſeu Conventualem, quæ Caput aliarum Eccleſiarum Militiæ hujuſmodi in poſterum erigendarum exiſtat, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, favoribus, exemptionibus, libertatibus, juriſdictionibus, authoritatibus, facultatibus, & gratiis, quibus aliæ ſimiles Eccleſiæ Militiarum Capita quomodolibet gaudent, utuntur, fruuntur, & potiuntur, ſeu gaudere, uti, frui, & potiri debent, perpetuò gaudeat, utatur, fruatur, ac potiatur, nec non à viginti quinque Clericis, ſeu Presbyteris idoneis à nunc, & pro tempore exiſtente dictæ Militiæ Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratore, eligendis & ad ſui placitum amovendis aliiſque toties, quoties caſus evenerit, ſubrogandis, & ab eo inſigni Crucis ejuſdem Militiæ, juxta illius ſtatuta, ſeu ſtabilimenta donandis, qui apud dictam Eccleſiam Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ perſonaliter reſidere teneantur, cum congruâ illius menſtrui ſalarii, quod viginti quinque Clericis, ſeu Presbyteris Secularibus, ut præfertur, amotis, antea aſſignari conſueverat, aſſignatione in Divinis collegialiter, ſcu conventualiter deſerviri debeat, ubi Milites prædicti nunc, & pro tempore exiſtentes Divina officia, aliaſque Eccleſiaſticas functiones ab eis, juxta laudabilia ejuſdem Militiæ inſtituta, & conſuetudines celebrari ſolita, ac debita, celebrare liberè, & licitè valeant, eadem Apoſtolicâ authoritate perpetuò erigimus, & inſtituimus.

Quæ Caput aliarum Eccleſiarum d. Militiæ in poſterum erigendarum conſtituitur, cum omnibus Privilegiis, quibus aliæ ſimiles Eccleſiæ Militiarum Capita potiuntur.

§. 7. Ac ut in eadem Eccleſiâ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ Divinum ſervitium, & Milites prædicti in ſpiritualibus exactè, pieque dirigantur, in ea unum Magnum prioratum pro uno Presbytero idoneo, Milite ejuſdem Militiæ expreſſè Profeſſo, futuro ejuſdem Magni Prioratus Magno Priore, ac à nunc, & pro tempore exiſtente prædictæ Militiæ Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratore ad dictum Magnum Prioratum, dum illum quandocumque, quomodocumque, ubicumque, & ex cujuſvis perſonâ, ac etiam à primævâ illius erectione per præſentes facienda vacare contigerit, eligendo, & in Magnum Priorem dicti Magni Prioratus præficiendo, qui Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ prædictæ, illiuſque Cappellanorum Inſigni Crucis, ut præfertur, donandorum, aliorumque Miniſtrorum prædictæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ pro tempore inſervientium Caput, Præſes, ac Prælatus exiſtat, eique, ac Militibus prædictis in ſpiritualibus, cum indultis, gratiis, antelationibus, præeminentiis, ac annuis reditibus eidem futuro Magno Priori pro ejus congruâ ſuſtentatione, ut infra, concedendis, & aſſignandis præeſſe, illorumque Præſes, ac Prælatus eſſe, ac eorum ſpirituali directioni incumbere debeat, Apoſtolicâ authoritate præfata ſimiliter perpetuò erigimus, & inſtituimus.

Magnum Prioratum in d. Eccleſia Steccatæ inſtituit.

§. 8. Ac Domum piam de *Miſericordia* nuncupatam prædictam in Terra de *Corte Maggiore* Placentinæ Diœceſis dictæ Provinciæ; quæ, ut præfertur, minimè collativa exiſtit, nullique ad vitam committi, minuſque in adminiſtrationem concedi conſuevit, & ad dictum Franciſcum Ducem, ut præfertur, nunc ſpectat, & pertinet, prævia ſimiliter illius Gubernii, & Adminiſtrationis ab Hominibus Univerſitatis prædictæ Terræ abdicatione, cum omnibus, & ſingulis illius Ædificiis, Membris, Ædibus, aliiſque Pertinentiis, necnon Bonis, Juribus, ac reditibus, ut infrà, applicandis, appropriandis, & erogandis eidem Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem dictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur erectæ, omnimodè ſubjicimus, eamque ſic ſubjectam eidem Militiæ, illiuſque Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratori, ac Militibus nunc, & pro tempore exiſtentibus, cum pleno, & libero illius Ædificiorum, Bonorum, ac Jurium quorumcunque prædictorum reſpectivè uſu, & dominio, motu ſimili, & ex certâ ſcientiâ, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, de conſenſu prædicti Franciſci Ducis, etiam perpetuò concedimus, & aſſignamus.

Domum Piam Miſericordiæ Curtis Majoris ſubjicit Eccleſiæ Steccatæ, & eam aſſignat Militiæ cum omnibus bonis, & Juribus.

§. 9. Eccleſiæ verò Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem Eccleſiam dictæ Militiæ, ut præfertur, erectæ, ac Domus Piæ prædictarum eidem Militiæ, illius Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratori, ac Militibus nunc, & pro tempore exiſtentibus prædictis reſpectivè, ut præfertur, conceſſarum, & aſſignatarum prædia, proprietates, fundos, cenſus, aliaque jura, & bona univerſa in quibuſvis rebus, & ubicumque conſiſtentia, & undecumque provenientia, ac quomodolibet, & quovis nomine nuncupata, prævia illorum, quatenus opus ſit, ab Eccleſiâ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem prædictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectâ, & Domo Piâ prædictis opportunâ diſmembratione; Ita quòd liceat Militiæ prædictæ, illiuſque modernis Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratori, ac Militibus hujuſmodi per ſe ipſos, vel alios eorum, & prædictæ Militiæ nominibus realem, corporalem, & actualem proprietatum, rerum, prædiorum, cenſuum, aliorumque jurium, & bonorum univerſorum reſpectivè prædictorum poſſeſſionem, cujuſvis licentiâ deſuper minimè requiſitâ, propriâ auctoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, nec non omnes, & ſingulos fructus, reditus, proventus, & obventiones, ac emolumenta quæcumque ex eis reſpectivè quomodolibet provenientia, quæ omnia inſimul, deductis omnibus, & ſingulis Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem dictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectæ, ac Domus Piæ prædictarum reſpectivè oneribus, ad prædictam ſummam quingentorum ſeptuaginta duorum ducatorum auri de Camera hujuſmodi circiter annuatim, ut præfertur, aſcendunt, quæ omnia, & ſingula reſpectivè onera prædicta integrè, & abſque ulla prorſus illorum diminutione, quantumvis minimâ, ſemper, & perpetuò ſupportari, & adimpleri, necnon omnia, & ſingula Jurapatronatus Beneficiorum in prædictâ Eccleſiâ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem prædictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectâ, jam fundatorum ſemper, & perpetuò conſervari, ac penitùs illæſa remanere, illaque ad eorum reſpectivè Patronos, nunc & pro tempore exiſtentes ut priùs, ſpectare, & pertinere debere volumus, atque decernimus, per unam ejuſdem Militiæ Militium, ab illius nunc, & pro tempore exiſtente Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratore eligen

Omnia bona, & Jura, ac reditus dictæ Eccleſiæ Steccatæ, & Domus Piæ adminiſtrari, & reſpectivè percipi debent à nova Congregatione Militum deputantia per M. Magiſtrum.

Omnia, & ſingula onera dictarum Eccleſiæ, & Domus Piæ debent integrè adimpleri.

dorum, & deputandorum, ejuſque arbitrio removendorum, Congregationem noviter deputandam, ad quam Juſpatronatus, quod ante hac in duobus ex prædictis Beneficiis in prædictâ Eccleſiâ B. Mariæ *della Steccata* nuncupata in Collegialem, ſeu Conventualem prædictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectæ etiam, ut præfertur, fundatis, ad primò dictam Congregationem quomodolibet ſpectabat, & pertinebat, in poſterum, perinde ac ſi ab illorum reſpectivè primævâ fundatione, vel dotatione ſecundò dictæ Congregationi reſervatum fuiſſet, ſpectet, & pertineat, ſpectare, & pertinere debeat, & cenſeatur, integrè, plenariè, ac liberè adminiſtrari debere; Ita quòd ſecundò dictæ Congregationi de novo, ut præfertur, deputandæ liceat omnia, & ſingula ad Eccleſiam Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem prædictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectam, & Domum Piam præfatas quomodolibet reſpectivè pertinentia prædia, cenſus, bona, & jura univerſa perpetuò regere, & gubernare, eorumque fructus, reditus, & proventus quoſcumque percipere, exigere, levare, dislocare, & arrendare; Cum hoc tamen quòd ex annuis fructibns, reditibus, & proventibus hujuſmodi eadem ſecundò dicta Congregatio omnia, & ſingula Eccleſiæ, & Domus Piæ prædictarum reſpectivè onera juxta illarum Fundationis, aliarumque piarum diſpoſitionum legem annuatim ſupportanda, ac adimplenda ſupportare, & plenariè adimplere, ipſamque Eccleſiam, illiuſque Sacriſtiam de ſupellectilibus, aliiſque rebus ad cultum divinum neceſſariis manutenere, ut priùs, debeat; eos autem, qui ſupererunt, annuos fructus, reditus, & proventus prædictos pro ratâ annuâ centum ſeptuaginta duorum ducatorum auri ſimilium, in congruam dicti Magni Prioris Magnum Prioratum hujuſmodi pro tempore obtinentis ſuſtentationem, reliquos verò quadringentos ducatos auri de Camera hujuſmodi in annuum tot Commendarum dictæ Militiæ, pro tot ejuſdem Militiæ Militibus, juxta providam nunc, & pro tempore exiſtentis Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris prædicti diſpoſitionem, ac ejus arbitrio erigendarum, & aſſignandarum ſtipendium perpetuò convertere, & erogare liberè, & licitè valeat, ſimiliter volumus, decernimus, & declaramus.

Et Sacriſta de Supellectilibus, aliiſque ad Cultum Divinum neceſſariis manutenere.

Reditus, qui ſuperſunt aſcendentes ad ducatos auri 572. erogari debent à nova Congregatione, quoad ſummam duc. 172: in congruam M. Prioris, quoad reſiduum in erectionem tot Commendarum.

§. 10. Ac inſuper eidem Franciſco Duci, & Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratori, ejuſque in hujuſmodi Officio, ſeu Munere Succeſſoribus prædictis, quod prædictas, aliaſque Commendas, Cappellas, aut Eccleſias ejuſdem Militiæ perpetuò erigere, & inſtituere, dictæque Militiæ perpetuò incorporare, applicare, & appropriare, & Commendarum Fundatoribus, ac Dotatoribus Juſpatronatus, & præſentandi Militiæ, ejuſque Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratori pro tempore exiſtenti, vel ejus Deputato Perſonas idoneas ad Commendas hujuſmodi pro tempore vacantes, etiam concedere, & reſervare, & ſic à Patronis præſentatos, juxta ſtabilimenta dictæ Militiæ à Nobis ſuis loco, & tempore approbanda, noſtrâque Apoſtolicâ auctoritate confirmanda, Ordinariorum Locorum, & quorumvis aliorum conſenſu deſuper minimè requiſito, in ipſis Commendis inſtituere, ac aliàs illas conferre, & de eis providere poſſit; Ita tamen, ut quoad Beneficia Eccleſiaſtica in dictâ Eccleſiâ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem prædictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectâ, jam etiam, ut præfertur, fundata, quorum duo de Jurepatronatus ſecundò dictæ Congregationis, reliqua verò pro majori parte ſimiliter de Jurepatronatus Laicorum ex fundatione, vel dotatione, ut præfertur, exiſtunt, ac etiam quoad alia pariter Eccleſiaſtica Beneficia, quæ in eadem, vel aliis prædictæ Militiæ Eccleſiis de cætero erigi, ac fundari contigerit, idem Magnus Magiſter, ſeu perpetuus Adminiſtrator nullo modo ſe ingerere valeat, ſed quotieſcunque Beneficia hujuſmodi pro tempore vacaverint, illorum Patroni Magno Priori nunc, & pro tempore exiſtenti Perſonas idoneas ad Beneficia hujuſmodi nominare, & præſentare, eædemque Perſonæ ſic nominatæ, ac præſentatæ ab eodem Magno Priore canonicam inſtitutionem in eiſdem Beneficiis reportare debeant, & teneantur, motu ſimili, ac ex certa ſcientiâ deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine perpetuò concedimus, & indulgemus.

Concediturfacultas M. Magiſtro erigendi Commendas, eaſque pro libito conferendi Militibus, abſque Ordinariorum conſenſu.

Necnon reſervandi Juſpatronatus Fundatoribus Commendarum, & pro tempore præſentatos inſtituendi.

Inſtituere verò Rectores ad Beneficia Eccleſiaſtica tam erecta, quàm erigenda in dicta Eccleſia Steccatæ, aut aliis dictæ Militiæ ſpectare debet ad M. Priorem ad præſentationem Patronorum.

§. 11. Prætereà Eccleſiam Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem dictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectam, & Domum Piam prædictas, necnon Commendas, Capellas, & Eccleſias quaſcunque prædictæ Militiæ tam hactenus erectas, quàm in poſterum, ut præfertur, erigendas, illarumque omnia, & ſingula reſpectivè bona, reditus, & proventus quoſcunque, ac inſuper omnes, & ſingulos ejuſdem Militiæ Milites etiam Clericali charactere inſignitos, aut in aliquo ex Sacris ordinibus conſtitutos ubicunque nunc exiſtentes, ac de cætero extituros, nec non eos omnes etiam Cruce hujuſmodi Militiæ non inſignitos, qui prædictæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem dictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectæ, actu inſervient, ac intrà ejus ſepta, & domum reſidebunt, & ſub Magni Prioris prædicti obedientiâ vivent, ab omni Juriſdictione, ſuperioritate, viſitatione, dominio, & poteſtate quorumvis Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, aliorumque Locorum Ordinariorum ſimiliter perpetuò penitus, & omninò etiam in habitû ampliſſimè eximimus, & liberamus, illaque, ac illos reſpectivè dicti Franciſci Ducis, & Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris, ejuſque, & qui pro tempore extiterint in munere hujuſmodi Succeſſorum, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni in ſpiritualibus, & temporalibus immediatè pleno Jure, ac in totum ſubjicimus, & ſupponimus. Declarantes tamen, ac decernentes, quòd idem Magnus Magiſter, ſeu perpetuus Adminiſtrator pro tempore exiſtens, in cauſis tam civilibus, quàm criminalibus, vel mixtis Militum quorumcunque, necnon Miniſtrorum, aliorumque prædictæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem dictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectæ, inſervientium, qui Clericali charactere prædicto inſigniti, ut in aliquo ex ſacris ordinibns conſtituti, ut præfertur, reſpectivè fuerint, nullo modo ſe immiſcere poſſit, nec debeat, ſed ejuſmodi cauſas, quotieſcumque, ac ubicunque caſus evenerit, cognoſcendas, fineque debito terminandas committere, ac delegare teneatur Magno Priori prædicto, vel aliis Perſonis præfato tamen Clericali charactere inſignitis, ſeu in aliquo ex ſacris ordinibus prædictis, & in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutis ejuſdem Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris arbitrio eligendis, & non aliàs, ita quòd Locorum Ordinarii, aliique omnes, & ſinguli prædicti nullam in Commendas, Capellas, & Eccleſias prædictas, earumque bona, reditus, & proventus, nec non in Milites, aliaſque perſonas prædictas reſpectivè juriſdictionem, ſuperioritatem, dominium, vel poteſtatem, etiam ratione cujuſcunque contractus, necnon cujuſvis generis delicti, etiam turbatæ Juriſdictionis, vel alterius etiam gravioris ſpeciei, & ſpecialem mentionem requirentis, vel alterius rei, ubicunque

Indulgetur Exemptio ampliſſima bonorum, & Militum Ordinis etiam in Sacris conſtitutorum, & Perſonarum omnium actu inſervientium Eccleſiæ Steccatæ ab omni Juriſdictione, Viſitatione, & Correctione Ordinariorum, ac aliorum quorumcunque Superiorum Eccleſiaſticorum.

Cauſæ civiles, criminales, & mixtæ dictorum Exemptorum Eccleſiaſticorum debent committi per M. Magiſtrum M. Priori, ſeu aliis in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis.

locorum ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat, exercere valeant, sed Milites, ac alii omnes hujusmodi coram solo Magno Magistro, seu perpetuo Administratore nunc, & pro tempore existente prædicto, tamquam proprio eorum Ordinario, aut aliis Clericali charactere prædicto insignitis, seu in aliquo ex sacris ordinibus prædictis, & in Ecclesiastica Dignitate constituris ab eodem Magno Magistro, seu perpetuo Administratore, ut suprà, deputandis Personis respectivè omnino privativè quoad Ordinarios Locorum, aliosque omnes, & singulos prædictos in omni, & quocunque casû respondere debeant: Decernentes, quoscunque processus contra illos, vel eorum aliquem per ipsos Locorum Ordinarios, vel illorum Vicarios, seu quosvis alios prædictos etiam in casû negligentiæ Magni Magistri, seu perpetui Administratoris, vel Magni Prioris prædictorum pro tempore factos, necnon similiter quaslibet etiam excommunicationis, vel suspensionis, aliasque sententias promulgatas, nullas, & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore, non obstante quoad omnia prædicta etiam in alterius, quam Magni Magistri, seu perpetui Administratoris, ejusve Deputati, vel Magni Prioris prædictorum Jurisdictionem quomodolibet per Milites, aliasque Personas hujusmodi præstando consensu, quem non valere, nec attendi debere similiter decernimus, & declaramus,

Magno Priori usum habitus Prælatitii concedit, eumque designat cum nonnullis declarationibus.

§. 12. Ac insuper, ut Divinus cultus in dictâ Ecclesiâ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ in Collegialem, seu Conventualem dictæ Militiæ Ecclesiam, ut præfertur, erectâ, decentiùs, & honorificentiùs peragatur, debitisque futurus Magnus Prior prædictus præfulgeat Insigniis, eidem Magno Priori, ut ipse, illiusque Successores Magnum Prioratum per præsentes erectum hujusmodi pro tempore obtinentes Mozzettam laneam, sive ex camelotto violacei coloris, cum suo Cappuccio, ac Rochettum ad instar aliorum Prælatorum inferiorum, absente tamen Magno Magistro, seu perpetuo Administratore prædicto, unà cum Cruce ejusdem Militiæ super Mozzetta, tam in prædictâ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ Collegiali, seu Conventuali dictæ Militiæ Ecclesiâ, ut præfertur, erectâ, quàm etiam in aliis dictæ Militiæ Ecclesiis; Quotiescunque verò dictus Magnus Magister, seu perpetuus Administrator in eisdem Ecclesiis præsens aderit, nec non extrà eas, ac intrà, & intrà Civitatem Parmen. & ubivis locorum; non tamen in Urbe Mantellettum duntaxat consimile cum Cruce ejusdem Militiæ, & Rochettum coram quibusvis Personis etiam Ordinariis Locorum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dictæque Sedis etiam de Latere Legatis, Vicelegatis, ac Nunciis liberè deferre, & gerere, nec non Missam privatam celebraturi, sive in dictâ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ Collegiali, seu Conventuali, sive in aliis ad eamdem Militiam quomodolibet spectantibus Ecclesiis ante Altare, inter duos Capellanos superpelliceo indutos, cum canone, & instrumento argenteo cum candela, vulgò *bugia* nuncupato, non tamen Paramentis Sacris ab Altari, sed ab aliâ rabulâ à cornu Epistolæ præparatâ, desumptis, ac sine abaco more Episcoporum, & sine Cruce pectorali, ac stolâ à collo liberè pendente, se præparare, & sic præparati cum assistentiâ duorum Capellanorum, unius Clerici, unius Cubiculárii, qui pro manuum lotione aquam porrigat & unius Famuli Missam privatam hujusmodi celebrare, nec non Annulum pretiosum in digito deferre, ac Manipulum ad Versiculum *Indulgentiam, absolutionem* &c. suscipere, non tamen ad Populum se vertendo, *Pax vobis*, nec Missâ absolutâ, *Sit Nomen Domini benedictum*, dicere, nec Populo ter benedicere; post Missam verò privatam, ut præfertur, celebratam, Rochetto induto, absque Mantelletto ante Altare inter eosdem duos Capellanos superpelliceo indutos cum canone, ac instrumento argenteo prædictis gratiarum actionem peragere. Præterea, dum Missam solemnem pro defunctis in Ecclesiis supradictis celebraturi erunt exire è Sacrario cum Cappa inter Assistentes paratos, & in Faldistorio ante Altare posito Sacras Vestes induere, prout etiam quoties Missam solemnem Pontificalem in eisdem Ecclesiis celebrabunt, quinque Assistentes habere, & nobilem Sedem, seu Cathedram coopertam simplici serico panno coloris festivitati congruentis, non tamen auro contexto, aut phrygio, seu basilico opere ornato retinere, eaque, non tamen in præsentiâ Magni Magistri, seu perpetui Administratoris prædicti, uti Cappâ quoque Magnâ, non tamen Ministro, seu Inserviente, qui ejusdem Cappæ, aut Vestis talaris limbum, seu caudam extollat, nec non Baculo, Mitrâ, Annulo Pastoralibus, cæterisque Pontificalibus indumentis etiam uti; Ac insuper in præfatâ B. Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, seu Conventualem d. Militiæ Ecclesiam, ut præfertur, erectâ, Ecclesiâ diebus, & Festivitatibus infrascriptis, videlicet in Paschatis, Resurrectionis, & Pentecostes, ac infra octavam Festi Sanctissimi Corporis Christi, Dominicis, nec non Feriâ quintâ majoris Hebdomadæ, ac Nativitatis, Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, nec non Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ac omnium Sanctorum, & S. Georgii festis diebus: Item in primâ Cappellâ per dictum Magnum Magistrum, seu perpetuum Administratorem inibi habendâ, & in ejusdem Militiæ Comitiis Mitrâ pretiosâ similiter uti, nec non Populo ter post solemnium, non autem privatarum Missarum celebrationem, ac eisdem Pontificalibus indumentis, ut præfertur, induti Ecclesias, Cappellas, aliaque Sacra Ædificia tam hactenùs constructa, quàm de cætero construenda dictæ Militiæ dumtaxat benedicere, eaque polluta reconciliare; Ac insuper pro earumdem Ecclesiarum tantùm usu, & servitio Paramenta, & Suppellectilia Sacra, exceptis tamen iis omnibus, in quibus Sacri Olei, vel Chrismatis unctio adhibetur, etiam benedicere, nec non Literas Officii Pœnitentiariæ Nostræ Apostolicæ, eis pro executione directas, ad supplicationem ejusdem Militiæ Militum, seu aliarum Personarum illius servitio addictarum expeditas, exequi; Nec non prædictis Cappellanis Cruce prædictâ, ut præfertur, decoratis, & decorandis, ut præter consuetum ejusdem Militiæ Habitum, Rochettum, & Mozzettam cum suo Capuccio violacei coloris, & super ea Crucem ejusdem Militiæ, tam in prædictâ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, seu Conventualem ejusdem Militiæ Ecclesiam, ut præfertur, erectâ Ecclesiâ, quàm extra eam, nec non extra Civitatem, & Diœcesim Parmen. & ubique Locorum, etiam in Processionibus, & funeralibus, aliisque actibus, & functionibus Ecclesiasticis publicis, & privatis, ac etiam in Comitiis Provincialibus, & Generalibus ejusdem Militiæ, ac etiam in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinalium, etiam de Latere Legatorum, Nunciorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum quorumcunque præsentiâ, quibusvis anni temporibus, & diebus similiter deferre, & gestare, illisque pariter uti liberè, & licitè respectivè possint, & valeant, motu pari, & ex certâ scientiâ, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine similiter perpetuò concedimus, & indulgemus.

Quomodo Missam solemnem.

In quibus Festis uti possit Mitra pretiosa, & ter Populo benedicere.

Aliæ facultates Magni Prioris.

Habitus Ecclesiasticus Capellanorum.

Magnus Prior quomodo Missam privatam celebrare possit.

Decretum irritans cum clausulis generalissimis, & specialissimis.

§. 13. Nec non omnia, & singula præmissa, ac easdem præsentes nullo unquam tempore de-

ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel argui poſſe, ipſaque omnia, & ſingula præmiſſa, tamquam Magno Magiſtro, ſeu perpetuo Adminiſtratori, ac Militiæ, vel Militibus nunc, & pro tempore exiſtentibus prædictis ex causâ onerosâ conceſsâ, ſub quibuſvis tam earumdem præſentium, quàm ſimilium vel diſſimilium gratiarum in genere, vel in ſpecie, ſuſpenſionibus, derogationibus, revocationibus, limitationibus, alterationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus à Nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, & à Sede prædictà, quâvis de cauſâ, quantumlibet legitimâ, & juſtiſſimâ, pro tempore emanatarum minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtituta, & de novo, etiam ſub quâcumque poſteriori data, per Magnum Magiſtrum, ſeu perpetuum Adminiſtratorem, ac Milites nunc, & pro tempore exiſtentes prædictos quandocumque eligenda conceſſa eſſe, & cenſeri, nec non eiſdem præmiſſis, eiſdemque præſentibus, etiam per quaſcumque Literas Apoſtolicas, etiam per quasvis clauſulas generales, vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & inſolitas, ac etiam irritantia Decreta ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes nullatenùs derogari poſſe, nec quoad illa derogatum eſſe pariter cenſeri, niſi tenor illarum de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, inſertus, & hujuſmodi derogationes conſiſtorialiter factæ, & per trinas diſtinctas literas eumdem tenorem continentes, tribus diſtinctis vicibus, Magno Magiſtro, ſeu Adminiſtratori perpetuo, ac Militibus nunc, & pro tempore exiſtentibus prædictis intimatæ, ac inſinuatæ fuerint, ac Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris, ac Militum nunc, & pro tempore exiſtentium prædictorum expreſſus ad id accedat aſſenſus, & aliter factæ derogationes nemini ſuffragari, ac Magnum Magiſtrum, ſeu perpetuum Adminiſtratorem, ac Milites prædictos ad parendum literis derogatoriis hujuſmodi, & Decretis ſuper illis Proceſſibus ac eorumdem Proceſſuum Exequutoribus, & Subexequutoribus, eorumque mandatis, & monitionibus minimè teneri, ſed illos literarum derogatoriarum hujusmodi executionem omninò impedire, nec ratione reſiſtentiæ, cenſuris Eccleſiaſticis, per eoſdem Exequutores, ſeu Subexequutores latis innodari, ſicque, & non aliàs in omnibus, & ſingulis præmiſſis hujuſmodi per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Extraordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, nec non ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ſublatâ eis & eorum cuilibet aliter judicandi, & definiendi, ac interpretandi facultate, poteſtate & auctoritate, ubique judicari, definiri, & interpretari debere, & quidquid ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Auditor Cameræ Apoſtolicæ, & Archipresbyter Eccleſiæ Parmenſis deputantur Executores præſentium literarum.

§. 14. Quocirca Venerabili Fatri noſtro Epiſcopo Imolen., ac dilectis Filiis Cauſarum Curiæ Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Generali Auditori, & Archipresbytero Eccleſiæ Parmen. per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Franciſci Ducis, & Magni Magiſtri, ſeu perpetui Adminiſtratoris, & Militum nunc, & pro tempore exiſtentium prædictorum fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, ac illis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant, auctoritate noſtrâ, Franciſcum Ducem, & Magnum Magiſtrum, ſeu perpetuum Adminiſtratorem, ac Milites prædictos approbatione, confirmatione, conſtitutione, ſubrogatione, erectione, inſtitutione, conceſſione, aſſignatione, indulto, decreto, declaratione, derogatione, aliiſque præmiſſis pacificè frui, & gaudere, ac ſi opus fuerit, Franciſcum Ducem, & Magnum Magiſtrum, ſeu perpetuum Adminiſtratorem, ac Milites nunc, & pro tempore exiſtentes prædictos, vel eorum Procuratorem, ſeu Procuratores eorum nomine in corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in Collegialem, ſeu Conventualem dictæ Militiæ Eccleſiam, ut præfertur, erectæ, ac Domus Piæ, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum ſuorum præfatorum inducant auctoritate noſtrâ, & defendant inductos, amotis quibuslibet Detentoribus ab eiſdem, facientes eis, vel pro eis Procuratori, vel Procuratoribus prædictis de illorum, ac annexorum eorundem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integrè reſponderi, non permittentes eos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, aut inquietari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, nec non legitimis ſuper his habendis ſervatis Proceſſibus, illos ſententias, cenſuras, & pœnas incurriſſe declarando, nec non eas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam adhoc quatenus opus fuerit, auxilio Brachii Secularis.

Derogatur quibuscumque contrariis, cum clauſulis ampliſſimis.

§. 15. Non obſtantibus recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus ultrà unam dietam à fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede prædictâ deputati extra Civitatem, vel Diœceſim, in quibus Deputati fuerint contra quoſcumque procedere, aut aliis vel alii vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate earumdem præſentium ad judicium non trahatur, ac Lateranen. Concilii noviſſimè celebrati, nec non quatenus opus ſit, noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis de Unionibus committendis ad partes, vocatis quorum intereſt, & exprimendo vero annuo valore tam uniendorum Beneficiorum quàm eorum, quibus fit unio & quibusvis aliis Apoſtolicis in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordininationibus, nec non Eccleſiæ Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupatæ, in ejuſdem Militiæ Collegialem, ſeu Conventualem Eccleſiam, ut præfertur, erectæ, ac Domus Piæ prædictarum reſpectivè fundatione nec non Militiæ, illiuſque Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, ac quibuſvis Privilegiis, Indultis, & Literis Apoſtolicis etiam aliis Militiis, ac Ordinariis Locorum, & quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus & Locis, etiam Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, eorumque Perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, Rerumpublicarum, etiam Venetæ, & aliorum quorumcumque inſtantiam, etiam conſiſtorialiter, & motu ſimili, ac aliàs quomodolibet etiam per Nos pluries conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & individua,

non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs iu suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expresè harum serie motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ eisdem præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Sanctio pœnalis.

S. 16. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, constitutionis, deputationis, subrogationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, exemptionis, declarationis, indulti, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo octavo, sexto Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno decimo octavo. J. Card. Prodatarius.

XCVII.

SUSPENSIO

Diversarum gratiarum ab Apostolicâ Sede Philippo V. Hispaniarum Regi Catholico concessarum, nempe Cruciatæ Sanctæ Subsidii, primæ Decimæ, nec non fructuum Ecclesiasticorum unius mensis respectivè nuncupatarum, ad Sanctitatis Suæ, & ejusdem Sedis beneplacitum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ROmanus Pontifex æqui, bonique supremus Assertor, atque gratiarum dispensator in terris à Domino constitutus, ea interdum, quæ à se, & ab Apostolicâ Sede quibusvis etiam sublimi, ac Regali Dignitate præfulgentibus Personis, tametsi rationalibus ex causis, ac prudenti liberalitate concessa fuerunt, ubi graviores rationes ita suadeant, ac potissimùm eædem causæ, propter quas illa concedi contigit, idipsum exposcant, sapienti consilio abolet, immutat, aut suspendit seu aliàs desuper Pastoralis sollicitudinis suæ partes interponit, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Enumerat gratias à Sede Apostolica Regi Catholico diversis temporibus concessas, & à Sua Sanctitate prorogatas.

S. 1. Aliàs siquidem Nos Indulgentias illas, & gratias tam spirituales, quàm temporales ad certum tunc expressum tempus publicandas, & duraturas clarmem: Philippo II. & Philippo. III. aliisque successivè Hispaniarum Regibus Catholicis, nec non omnibus, & singulis Christifidelibus in Regnis, & Dominiis Hispaniarum, ac illis adjacen. Insulis consisten., & ad illa declinantibus, qui certa munera adimpleviſſent, à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris. sub certis modo, & formâ tunc expressis, concessas, & pluries de sexennio in sexennium prorogatas; ac deinde primò quidem à fel. rec. Urbano Papâ VIII., postea verò etiam ab illis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris quoad licentiam vescendi ovis, & lacticiniis tempore Quadragesimæ pro personis Ecclesiasticis Sæcularibus tunc expressis extensas, & ampliatas, ac de sexennio itidem in sexennium sæpiùs prorogatas, Chariſſimo in Christo Filio nostro Philippo V. earumdem Hispaniarum Regi Catholico, & aliis Christifidelibus supradictis similiter ad sexennium à fine alterius sexennii ultimò prorogati numerandum extendimus, & prorogavimus; Concessiones itidem tam annui Subsidii quadringentorum, & viginti millium ducatorum ex fructibus, & reditibus Ecclesiasticis universarum Hispaniarum, quàm primæ Decimæ in omnibus, & singulis Parochiis in Regnis, & Dominiis dictarum Hispaniarum, ac Insulis eisdem Regnis adjacentibus consisten. eidem Philippo II. Regi ab hac Apostolica Sede ad certum tunc expressum tempus factas, ac subinde pluriès tam ipsi Philippo II., quàm aliis successivè prædictarum Hispaniarum Regibus Catholicis de quinquennio in quinquennium prorogatas, ampliatas, & extensas, memorato Philippo V. Regi ad quinquennium tunc proximum similiter extendimus, & prorogavimus; Et nihilominùs ipsas indulgentias, & gratias tam spirituales, quàm temporales eidem Philippo V. Regi, & aliis Christifidelibus prædictis ad sexennium; Subsidium verò annuum quadringentorum, & viginti millium ducatorum, ac primam Decimam hujusmodi ad quinquennium respectivè per diversas nostras in simili formâ Brevis, nempe die VIII. & die XIII. Octobris MDCCXIV., nec non binas die primâ Januarii MDCCXVI. desuper expeditas literas de novo concessimus, & indulsimus. Præterea ipsi Philippo V. Regi, per alias nostras in eâdem formâ Brevis die xiv. Martii ejusdem anni MDCCXVI. expeditas literas, assignationem omnium fructuum, & redituum, nec non pensionum super iis reservandarum unius integri mensis omnium Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum quorumcumque Ecclesiasticorum de Jurepatronatus, sive ad nominationem ejusdem Philippi V. Regis tantùm, ac in præfatis Regnis, & Insulis adjacentibus existentium à memorato Urbano Prædecessore cla: itidem me: Philippo IV., dum vixit, earumdem Hispaniarum Regi Catholico ad certum tunc expressum tempus factam, & successivè ab aliis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris, imò etiam à Nobis prorogatam, ad quinque annos tunc proximos tantùm, similiter prorogavimus, & extendimus, seu de novo concessimus, & aliàs, prout in singulis literis nostris supradictis quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Causa finalis omnium ejusmodi gratiarum fuit, ut Rex Catholicus iis uteretur in expeditionibus contra infideles

S. 2. Cùm autem inspectâ omnium memoratarum gratiarum, ac concessionum, ut præfertur, factarum, & prorogatarum origine, compertum, exploratumque sit prædictas quidem indulgentias, & gratias tam spirituales, quàm temporales, intuitu, & occasione expeditionis contra Turcas, Mauros, & Saracenos concessas fuisse; Subsidium itidem annuum quadringentorum viginti millium ducatorum præfatorum supradicto Philippo II. Regi pro parandâ, instruendâ, & sustinendâ Classe sexaginta triremium, nonnisi contra Infideles, Hæreticos, vel Schismaticos, & ad Regnorum suorum defensionem educendâ concessum; nec nisi cum eisdem, aliisve legibus, seu

conditionibus Orthodoxæ Fidei incrementa pari modo respicientibus, tam ipsi Philippo II., quàm aliis earundem Hispaniarum Regibus Catholicis respectivè prorogatum fuisse; Similiter primam Decimam occasione etiam, & contemplatione expeditionis adversùs eosdem Hæreticos, & expensarum pro Christianæ Religionis contra Turcas tuitione concessam, & indultam fuisse; Ac demum prædictam assignationem fructuum unius integri mensis à memorato Urbano factam, & subinde ab aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, imò etiam à Nobis prorogatam fuisse cum expressâ prohibitione, quod pecuniæ, quæ exinde perciperentur, in alios usus, quàm Catholicæ Religionis defensionis, & propagationis, nec non obedientiæ erga Romanam Ecclesiam conservationis, pro quibus dumtaxat concessio ipsa facta fuerat, nullatenus converterentur.

Rex Catholicus hoc anno iis usus non fuit contra Infideles, sed suas militares Copias in alium finem ipsis potius utilem, & Christianis damnosum direxit.

§. 3. Verùm, sicut Nobis non sine intimo animi nostri dolore innotuit, prævalentibus apud eumdem Philippum V. Regem eorum consiliis, qui præterito anno pium, ac generosum illius animum à præliandis bellis Domini, quæ ipse antea valido complurium bellicarum navium, ac triremium subsidio cum immortali nominis sui laude juraverat, nequiter averterunt, frustra Nobis reclamantibus, factum sit, ut etiam hoc anno, quo Turcicum bellum adhuc durat, plurimæ tam terrestres, quàm maritimæ militum copiæ, quas idem Philippus V. Rex ingentibus sumptibus paravit, non quidem adversùs Infideles, ut par fuisset, & Nos majori, qua potuimus animi contentione faciendum esse pluries ediximus, sed in alium finem Christianæ Reipublicæ potius infensum, & damnosum, illiusque teterriminis hostibus indirectè utilem, & proficuum, ut omnibus notum est, dirigantur. Hinc est, quod Nos, ne proventus, & pecuniæ ex prænarratis gratiis, & concessionibus provenientes in ejusmodi causam adeò ab iis, quarum intuitu illæ factæ fuerunt, diversam, nec non à nostrâ, nostrorumque Prædecessorum mente, & intentione prorsus alienam converti, & erogari unquam valeant, curam omnem, ac studium Pontificiæ providentiæ nostræ impendere volentes, Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & matutâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas gratias supradictas à Nobis memorato Philippo V. Regi ad sexennium, & quinquennium respectivè prorogatas, ampliatas, & extensas, seu de novo concessas, & indultas, ut præfertur, tametsi sexennium, & quinquennium hujusmodi adhuc durent, expeditasque desuper omnes, & singulas literas nostras præfatas, nec non omnia, & singula in eis contenta, & expressa tenore præsentium ad nostrum, & Apostolicæ Sedis beneplacitum suspendimus, ac suspensa esse, & fore decernimus, & declaramus.

Idcirco Sua Sanctitas omnes præfatas gratias suspendit ad Suum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum.

§. 4. Decernentes pariter easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut præfati Philippi V. Regis, aliorumve quorumlibet interesse in præmissis habentium, seu habere quomodolibet prætendentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, functuros, & sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans, & clausula sublata.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ, regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Regnorum, Insularum, & Dominiorum præfatorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis legibus, statutis, & consuetudinibus, quantumvis longissimis, & immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Regnis, Insulis, & Dominiis præfatis, ac personis etiam Imperiali, Regiâ, aliave qualibet mundanâ, seu etiam Ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione dignis à Sede prædicta ex quacumque causâ, & sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu aliàs quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium præmissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis.

Derogatio quibuscumque contrariis.

§. 6. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1 v. Junii MDCCXVIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

F. Card. Oliverius.

MONITA PASTORALIA

Universis Christifidelibus data adversùs eos, qui Constitutioni Pontificiæ, quæ incipit: *Unigenitus* anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris editæ debitam obedientiam præstare hactenus recusarunt, aut in posterum recusaverint.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Proœmium

PAstoralis officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura Nos admonet, ut Animarum saluti ubique terrarum procurandæ, ac præsertim Orthodoxæ Fidei, sine qua impossibile est placere Deo, puritati servandæ omni studio advigilemus.

Scandala narrat ex libro hinc indicato exorta & curam maximam ad ea extirpanda à Sua Sanctitate adhibitam.

§. 1. Eapropter cum in quibusdam ultra Montes Provinciis, & præcipuè in ampliſſimo Galliæ Regno, varia pravarum Doctrinarum, imò & hæresum semina, occasione damnati cujusdam Libri Gallico idiomate jam pridem editi sub titulo: *le nouveau Testament en François, avec des reflexions Morales sur chaque verset &c.* Aliter verò: *Abbregé de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des Epitres de Saint Paul, des Epitres Canoniques, & de l'Apocalypse*, vel *Pensées Chrêtiennes sur le Texte de ces livres sacrez &c.* germinare cognovissemus; iisdem eradicandis, Nostri non minùs muneris debito admoniti, quàm crebris multorum Catholici Orbis, ac præsertim Galliæ Episcoporum, precibus excitati: quin etiam piis, ac sæpius repetitis clar. mem. Ludovici XIV., dum vixit, Francorum Regis Christianissimi votis, & officiis adducti, quascumque potuimus Apostolicæ nostræ solicitudinis partes, adjuvante Domino, interponere non prætermisimus. Quæ autem, & quanta in hoc arduo, gravissimoque negocio per plures annos egerimus, & passi simus, quæve inobedientium hominum, & paucorum (quod valdè dolentes dicimus) illustrium etiam Ecclesiarum Antistitum veritati non acquiescentium operâ in idem inclytum Regnum mala provenerint, Vobis ferè omnibus minimè ignota esse existimamus.

Novatorum Constitutioni *Unigenitus* adversantium calumnias, ac

§. 2. Postquam siquidem, Divino in primis implorato præsidio, curâque omni, studio, ac labore, prout rei gravitas exposcebat, diutissimè collatis, adversùs prædictum librum Constitutionem nostram, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*: anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris editam promulgavimus; in qua plures noxios articulos ex eodem libro excerptos censuris variis, quas respectivè, ut aiunt, hoc est, singuli aliquam saltem earum merebantur, notatos pro hujus Sanctæ Sedis more proscripsimus; cujusmodi remedii necessitatem tum memoratus Ludovicus Rex, tum plerique ex Gallià Episcopi supradicti iteratis obtestationibus inculcaverant, non aliter suborta dissidia sedari posse constanter affimantes; tota quidem Christi Ecclesia Petrum per Nos, tametsi indignos, loquentem secuta, Apostolicam ejusdem Constitutionis doctrinam debito obsequio, atque obedientiâ suscepit; At Novatores, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, ex inconsultâ eorumdem paucorum Antistitum hæsitatione ita animos extulerunt, ut incredibili audaciâ Constitutionem ipsam pervesse interpretari, & incessere, pravæque etiam doctrinæ per imprudentes calumnias insimulare non erubuerint. Itaque, ut reluctantes illos Episcopos ad sectanda Fratrum suorum vestigia excitaremus, ac turbarum, malorumque omnium fomitem, quem improvida illa cunctatio ministraverat, extingueremus, canonicas animadversiones post diuturna trium annorum longanimitatis experimenta adhibere constitueramus. Verùm Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales, quibuscum rationem consilii nostri communicare æquum esse censuimus, Nos enixè obsecraverunt, ut paulisper à severioribus remediis supersedere vellemus dum interim communibus literis Collegam suum Constitutioni nostræ sese subjicere detrectantem, atque iisdem propterea animadversionibus obnoxium ad unitatis, & pacis consilia revocare conarentur. Eorum igitur precibus annuentes, ne quam lenitatis viam intentatam relinqueremus, per illas ipsis inducias Nos quoque ad universos Archiepiscopos, & Episcopos Regni Galliarum literas in formâ Brevis die xx. Novembris MDCCXVI. expeditas dedimus, quibus rerum gestarum serie, & Ecclesiarum perturbatione uberiùs expositâ, illos hortati sumus, ut dissentientes Coepiscopos suos, nostro etiam nomine, convenirent, eosque officii sui fraternâ charitate admonerent, nec non omnibus Sacerdotalis solicitudinis argumentis, imploratoque, nostris etiam verbis, dilectissimi in Christo Filii nostri Philippi Ducis Aurelianensis, ejusdem Regni Rectoris, patrocinio, ad reparanda Ecclesiasticæ unitatis, & disciplinæ detrimenta, atque ad avertenda Catholicæ Religionis pericula flectere satagerent. Speravimus quidem uberem ex ejusmodi nostris literis fructum, junctoque nobiscum præclarissimorum Galliæ Præsulum zelo, qui maximo sanè numero pro veritate certabant, factum iri credidimus, ut dissidentes Fratres, quod Nobis adeo in votis erat, lucrari possemus. Atqui spe nostrâ frustratos confestim Nos vidimus, dolentesque clamare coacti sumus: sustinuimus pacem, & non venit, quæsivimus bona, & ecce turbatio; Et sanè tam gravis, ut qui ex adverso erant, illas ipsas nostras, & hujus Sanctæ Sedis voces variis artibus penè intercludere tentaverint. Neque profectò feliciùs cesserunt officia illa, quæ Cardinales prædicti per impetratas à Nobis, ut diximus, inducias præstiterunt. Quamquam enim communi totius Sacri Collegii epistolâ, suasiones, consilia, obsecrationes, atque omnem ministerii sui fraternæque benevolentiæ fidem, sedulitatem, ac solicitudinem adhibuissent, frustra se tamen laborasse intellexerunt, neque alium, præter inanes scandalorum, ac dissidiorum expostulationes, sed sine voluntate veram amovendi causam, unde illa emerserant, operæ suæ fructum reportarunt. Non tamen propterea concidimus animo, imò necdum à mitioribus consiliis recessimus: nihil interim curantes, quomodo homines modum hunc agendi nostrum interpretarentur, quippè qui sciremus Deo æquè per infamiam, & bonam famam serviendum esse. Itaque, ut Aberrantes in viam justitiæ suaviter revocaremus, iteratis sæpius hortationibus nostris, etiam preces addidimus, eumdemque in scopum, privatis literis manu nostrâ conscriptis, ea omnia paternæ mansuetudinis officia implevimus, quæ suggerere nobis potuit Christiana charitas, quæ patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet. Plures interea Gallicani Antistites non minus sapientiâ, & doctrinâ, quàm pietate, ac studio tuendæ Religionis illustres, ex iis scilicet, qui debitâ submissione Constitutionem nostram amplexi fuerant, dignitatis, &

S. R. E. Cardinales scriptis ad Collegam literis ipsum ad pacis consilia, & ad præstandam dictæ Constitutioni debitam obedientiam adducere studuerunt.

Sed irrito conatu.

Alia à Pontifice adhibita officia, & monita, ut Contumaces aberrantes ad veritatis, & justitiæ semitam revocaret

ANNO 1718.

muneris sui probè memores, votisque, & officiis nostris obsecundantes, favente etiam eorum conatibus memorato Philippo Duce, ac Rectore, curas, omnes suas, assiduosque labores ad discordantium Fratrum animos permovendos enixè conferre non omiserunt. Sed hæc omnia prosperum illum, quem summoperè præstolabamur, exitum minimè habuerunt. Obscurati siquidem sunt Renitentium oculi, ne viderent, ac obturatæ sunt aures, ne audirent, adeò ut nonnulli eorum, non sine bonorum omnium luctu, hostiumque Ecclesiæ plausu, ad ea insuper publicè devenire ausi fuerint, quæ omnes ex vobis, quibus illa innotuerunt, improbasse non dubitamus, quæque ipsimet, qui ea perpetrarunt, à Nobis, & à Sanctâ Romanâ Ecclesiâ palam, atque perpetuò damnanda, atque execranda esse non ignorabant.

Constitutioni obtemperantes hortatur ut pro Contumacium resipiscentia Deum precentur.

§. 3. Quare Nos, qui supremo Divini Pastoris mandato deesse nec possumus, nec debemus, quo & illius Oves pascere, & Fratres nostros confirmare præcipimur, animo nobiscum reputantes, quod Verbum Dei non est alligatum, postquam diù tentatis inutiliter consiliis pacis hucusque siluimus, adhuc ulteriùs tacere Nobis non tutum, Christiano autem Populo pernicioſum fore censemus. Ad vos proinde omnes ex unaquâque Natione, quæ sub Cœlo est, Christifideles, paternas voces nostras dirigimus, quo primùm quidem doloris nostri participes, vestras nobiscum ad Deum preces deferatis, ut supernâ adspirante gratiâ, qui hactenus contumaces fuerunt, non jam ulteriùs alta sapientes, sed humilibus consentientes ad debitam cum cæteris Christifidelibus in sanâ, Catholicâque Doctrinâ profitendâ veniant unitatem. Hoc nempè ex animo unicè quærimus, hoc dies, nocteſque, nec sine lacrymis à Domino imploramus; Neque enim oblivisci potest mulier infantem suum, nec Sancta Romana Ecclesia filios suos. Deinde ne quis Christianum Populum seducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut necesse est, monitos volumus, & certos facimus, quod frustra, & quidem non sine fermento malitiæ, & nequitiæ, istiusmodi homines nobiscum in Doctrinâ Religionis consentire se jactant, dum interim, Heterodoxorum exemplo præeunte, editam à Nobis Constitutionem, quàm universa Ecclesia veneratione debitâ complectitur, non modò alienis ab ipso verborum tenore interpretationibus, sed & apertis calumniis superinductis, malignè carpere audent, & immanium errorum accusatione perstringere; perinde ac si ipsi soli, aliis Chistifidelibus ubique gentium desipientibus, saperent, ipsi soli, reliquis cæcutientibus, lumen veritatis aspicerent. Nec profectò minor est illorum culpa, qui ut faciliùs incautis illudant, cum hæc ipsa moliuntur, eidem Constitutioni nostræ nequaquam adversari, sed solas declarationes, in rebus tamen apud cæteros omnes planè perspicuis, postulare se simulant, non quidem discere, sed tentare cupientes, ut Ecclesiam, si possint, quæstionibus inutilibus, & interminatis immisceant, & luci Catholicæ veritatis tenebras quoquo modo obscuritatis offundant. Ita sanè patientiâ nostrâ abutentes, Apostolicæ authoritati obsequium, ac reverentiam se exhibere gloriantur illo ipso tempore, quo ei gravissimam inferunt injuriam; Iisdem siquidem explicationum petitionibus satis apertè ostendunt ideò se Constitutioni nostræ debitam obedientiam nondum præstitisse, quia verentur, ne per illam Catholica Dogmata convellantur: ne laudabilis, & ab hac Sanctâ Sede probata Ecclesiastica disciplina infringatur: neve demùm salubriores Christianorum morum regulæ subvertantur; quod planè idem est ac vereri, ne defecerit Fides Petri, rotaque Christi Ecclesia magisterio Apostolicæ vocis imbuta à viâ veritatis, & salutis erraverit. Prætereà, ut pessimæ causæ splendidum patrocinium concilient, præfatæque Constitutioni majorem undecumque invidiam faciant, se ab eâ suscipiendâ retardari affirmant, eò quod suspicentur per illam damnari sententias, atque Doctrinas, quas Insignes Catholicorum Scholæ absque ullâ censurâ hactenus tenuerunt, ac tradiderunt; Cùm tamen, nisi ab antiquis semitis, Sanctorumque Patrum vestigiis, imò & ad earumdem Scholarum instituto, quod verbis profitentur, reipsâ recessissent, probè reminisci deberent, quod illarum Principes quorum nomina pertinaciæ suæ temerè prætendunt, quemadmodum & cæteri illustriores Ecclesiæ Scriptores, suum semper esse duxerunt, ut ab Apostolicâ Sede discerent quid credere, quid tenere, quid docere deberent: ut ad illam scripta sua examinanda, & emendanda dirigerent: ut inde lumen Catholicæ Fidei reciperent, ubi non posset Fides ipsa sentire defectum: ut nemo eorum denique sententiam suam adversùs Petri authoritatem defenderet. Cæterum in hoc ipso præpostero judicio consuetum calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim excæcaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per Nos damnatis confundunt, palàm, & liberè in Catholicis Scholis, etiam post editam à Nobis memoratam Constitutionem, sub oculis nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minimè per eam fuisse proscriptas. Verùm supercecidit ignis contentionis, & emulationis, & non viderunt Solem lucidissimæ veritatis. Hinc justo Dei judicio ambulantes in tenebris nesciunt planè, quo vadant: Scandalum siquidem de Constitutione Nostrâ comminiscuntur; sed se ipsos potiùs de pervicaci suâ inobedientiâ scandalum facere non agnoscunt. Sacrosanctam Episcopatus Dignitatem exaltare se velle declarant: sed re ipsâ deprimunt, dum interim fraternitatem ipsi contemnunt, audaciſſimæ inferioris Cleri rebellioni fomentum tribuunt, universumque Ecclesiasticum Ordinem Laicis Tribunalibus, vel in ipsâ Religionis causâ, indecorè, ac perperam subjici non attendunt. De veteris, ac novæ Legis discrimine, tanquam de re ipsis solis perspectâ, multa, & plerumque inutiliter disputant, novæque præstantiam, quàm omnes agnoscunt, & profitentur, inculcare non desinunt; Utriusque tamen Legis plenitudinem, quæ est dilectio, minimè observant. Charitatem nulli impensiùs laudant: nulli impudentiùs violant. Divinæ Gratiæ virtutem prædicant, quàm Catholicus nullus negat: sed damnatis erroribus faventes Spiritui Gratiæ contumeliam faciunt. Quod verò Nos de Pusillorum scandalo solicitos plurimùm excruciat illud est, quòd dum plerique eorum hæc faciunt, vel consentiunt facientibus, adhuc specioso quodam ementitæ severitatis amictu se contegentes, rigidioris doctrinæ gloriam captare non cessant, instituendæque in meliùs Christianorum vitæ, & ad normam Evangelii componendæ zelum magnificè ostentant.

Calumnias, dolos, & artes Refractariorum detegit, ac ad oculos ponit, ut ab omnibus accuratè vitentur.

Contumaces paternè admonet ut resipiscant.

§. 4. Quarè Nos pernicioſam hanc larvam, quæ animabus pretioſiſſimo Christi sanguine redemptis certum parare posset exitium, palàm detrahere, urgente Nos Apostolici Ministerii debito, volentes; ipsos primùm aberrantes Fratres, ut aliàs sæpè privatim fecimus, publicè modò, & coram universâ Ecclesiâ monitos facimus, nè sibi ulteriùs de falsâ exactioris disciplinæ famâ blandiantur; Neque enim vera virtus absque humilitate, pietas absque obedientiâ, Christiana

de-

demùm perfectio absque charitate potest consistere. Porrò quæ humilitas? sensum proprium communi Fratrum sententiæ, quin, & Supremæ Beati Petri Cathedræ judicio obstinatè præferre? Quæ obedientia Apostolicis definitionibus reluctari? Quæ tandem charitas, injuriis, & contumeliis agere, iras, rixas, & contentiones ubique disseminare? Agnoscant igitur, Divini luminis irradiante fulgore, quàm gravibus coram Deo, & Ecclesiâ reatibus, & periculis involvantur. Meminerint scriptum esse, quod quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus Idololatriæ nolle acquiescere. Omnipotentis Dei, qui superbis resistit, tremendum, & eminens sibi judicium timeant, Ecclesiæque pacem simul, & Reipublicæ tranquillitatem perturbare tandem aliquandò desistant. Reliquos deindè Vos omnes per Universum Terrarum Orbem Apostolicæ Fidei Cultores paternè admonemus, requirimus, & obtestamur, ut ad eos, qui veniunt ad Vos in vestimentis ovium, probè dignoscendos, certissimam illam, quam Dominus, ac Salvator Noster Nobis reliquit, regulam adhibeatis, videlicet: A fructibus eorum cognoscetis eos. Qui autem fructus, isti sint, ex eorum, qui Constitutionis Nostræ sese submittere renuerunt, contumaciâ provenientes, toti jam penè Christiano Orbi nimiùm perspecti sunt, & manifesti; De illis propterea, nè acerbissimi doloris nostri vulnera refricemus, prolixiùs eloqui libenter absistimus. Nolite ergò, Filii dilectissimi, Vosque potissimùm, qui ut loco, ita, & periculo propinquiores estis, nolite effici participes eorum, nolite omni spiritui credere, doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci, sed sanam, & Orthodoxam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Doctrinam, quæ sacrum Fidei depositum intemeratè servat, tutò sequimini, & firmiter custodite. Nos verò, quos cæteris zelo Domus Dei non minùs, quàm Dignitates præire oportet, ut ingruentium tot malorum gravitati, quantùm rerum, & temporum præsens conditio patitur, opportunè occurramus, præsertim ne Pastores errantes, & in errorem mittentes, disperdere, & dilacerare gregem Domini, nemine cohibente, prosequantur: Neve oves Christi, Nobis tacentibus, rapi in præcipitia se sinant, Universis Christifidelibus, quid interim gravissimâ hac in re Nos agere duxerimus, palàm edicere, ac declarare statuimus.

Et Constitutioni obtemperantes, ut ab eorum fraude diligenter caveant.

Denunciat se, ut Ecclesiæ filios non agnoscere, & pro segrega is à Sede Apostolica habere universos Constitutioni non obtemperantes.

§. 5. Noverint ergò omnes, qui ibicumque terrarum Catholico nomine gloriantur, Nostri, qui Unigeniti Filii Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi vices, nullo licèt meritorum nostrorum suffragio, in terris gerimus, eos omnes, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis illi sint, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, aut aliâ quâlibet, etiam Cardinalatus Dignitate præfulgeant, qui memoratæ Constitutioni Nostræ debitam, & omnimodam obedientiam præstare hactenùs recusarunt, aut in posterum recusare ausi fuerint, ut veros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios non agnoscere: neque ut Nobis, & Beati Petri Cathedræ, quod falsò autumant, adhærentes, & consentientes, sed contrà potiùs, uti apertè inobedientes, ac notoriè contumaces, & refractarios habere, tenere, ac reputare. Et quoniam primò ipsi à Nobis, & Sanctâ Romanâ Ecclesiâ, si minùs expressis verbis, factis certè, pertinacisque, & obduratæ mentis multiplici significatione recesserunt, illos similitèr à Nobis, tanquam à Nostrâ, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ charitate prorsùs segregatos haberi: nullamque proinde Nobis, & ipsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deinceps cum illis communionem Ecclesiasticam extituram, donec (quod faxit Deus) integrè resipiscant rejectâque penitùs audaciâ refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ, quam complures, eorum Romano Pontifici Beati Petri Successori, ac Jesu Christi Vicario in ipsâmet solemni professione Catholicæ Fidei, interpositâ Juris jurandi religione, ad Sancta Dei Evangelia sæpius sponderunt, pristinæ charitati, & unitati ab eâdem Apostolicâ Sede restituit mereantur.

Nullamque cum ipsis Ecclesiasticam communionem se deinceps habituram, donec resipiscant.

§. 6. Ad vos postremò, Venerabiles Fratres, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, cæterique omnes Ecclesiarum Præsules, gaudium nostrum, & corona nostra, Apostolicæ dilectionis nostræ sermonem convertimus, hortantes Vos, & obsecrantes in Domino, ut pro eo, quo polletis, Pastorali zelo, commissas Vobis Christi Oves à venenatis pascuis, id est profanarum Vocum, & Doctrinarum novitatibus sedulò arceatis, simulque paternam sollicitudinem nostram in revocandis ad saniora consilia quibuscumque dissidentibus efficaciùs adjuvetis, ita ut vobis individuam cum Sanctâ Romanâ Ecclesiâ in Doctrina Fidei unitatem quod jam plerique Vestrum egregiè præstitistis, firmissimè profitentibus, Christiani omnes agnoscant Vos longè ab iis esse, qui elongaverunt se à Nobis, ac illorum damnabilem inobedientiam unà Nobiscum aversari, & improbare, eosque, nisi resipuerint, à communis, societatis charitate prorsùs alienos habere. Utinam qui Paternis hactenùs humilitatis nostræ vocibus reluctati sunt, Vobis omnibus non modò arguentibus, obsecrantibus, & increpantibus, sed & ab eorum consortio penitùs abstinentibus, erubescant, confundantur, & convertantur, detque illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, ut secundùm Apostolicam Doctrinam, id ipsum tandem dicamus omnes, & non sint in Nobis schismata: simus autem perfecti in eodem sensu, & in eâdem sententiâ, auxiliante Nobis per omnia gratiâ Domini Nostri Jesu Christi, cui est honor, & gloria in sæcula. Amen.

Præsules obedientes hortatur, ut greges suos à venenatis pascuis arceant, ab omni consortio cum refractariis abstineant, eosque ad obedientiam revocare omni studio contendant.

§. 7. Ut autem præsentes literæ ad omnium Fidelium quibuscumque Locis existentium notitiam faciliùs perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsùs fidem haberi, quæ ipsis originalibus literis haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides adhibenda transumptis.

§. 8. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ admonitionis, edicti, declarationis, hortationis, obsecrationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo octavo, quinto Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri anno XVIII.

Sanctio penalis.

I. Card. Pro-Datarius. F. Card. Oliverius. Visa de Curia L. Sergardus Pro-Abbreviator.

L. Martinettus.

Loco † plumbi

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo octavo, Indictione undecima, die verò 8. mensis Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno ejus xviii., supradictæ Literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Magnæ Curiæ

ANNO 1719.

Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Placentinum Apostolicum Cursorem.

Ludovicus Cappellus Mag. Curs.

XCIX.

DECLARATIO

Nullitatis cujusdam Edicti sub nomine Senatus in Civitate Taurinen. residentis in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, & Pontificiæ auctoritatis nuper promulgati, cum illius damnatione, revocatione, cassatione, & abolitione.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proæmium ab edicto Senatus Taurinen.

AD Apostolatus nostri notitiam, non sine ingenti animi Nostri mœrore, pervenit sub nomine Senatus in Civitate Taurinen. residentis, ultra tot, tantasque alias Ecclesiæ, ac Sedi Apostolicæ in illis partibus à Sæculari potestate illatis injurias, novissimè prodiisse quoddam Edictum Typis impressum, ac nomine Secretarii Ordinarii ejusdem Senatus subscriptum tenoris, qui sequitur, videlicet,

Tenor Edicti.

Il senato di S. M. in Torino sedente. Il desiderio, che hà sempre avuto S. M. di mantenere la tranquillità nè suoi Stati, e di prevenire tutto ciò, che potesse turbala, vien'ad eccitar nuovamente la nostra particolare attenzione, perche in vista d'un fine sì salutare, & in conformità anche delli usi già pratticati non si lasci eseguire alcuna provisione procedente da fuori Stato, sia Bolla, Breve, ò altrà, senza che prima ci sii presentata, per accertarsi, se vi si contenga cosa alcuna contraria, ò pregiudiciale agl' Indulti, Prerogative, e Diritti, sì suoi, che della Corona, e de' Sudditi, ad effetto, che quelle di dette provisioni, che non saranno ritrovate contrarie, ò pregiudiziali, come sopra, abbino le loro prontaze spedita essecuzione: E per le altre all'opposto si possa provedere à quanto si conviene, e particolarmente per le procedenti da Roma avvisarne la M. S. per rappresentare à Sua Santità, & quanto all'altre adoperare i mezzi opportuni; A qual fine per suo Regio viglietto delli 13. Guigno corrente, ci hà espressamente incaricati di far publicare il nostro Manifesto, acciò sappia ogn'uno l'obbligo suo, com'anco di servirci de' mezzi della Podestà Economica, e Politica in odio de Contraventori secondo l'esigenza de' casi. In essecuzione di che si notifica ad ogni persona di qualsivoglia grado, e condizione, niuna esclusa, nè riservata, che chiunque averà ottenuto, ò verrà ad ottenere Bolle, Brevi, Rescritti, ò altre provisioni procedenti da fuori stato, non possa, nè debba farle esseguire, senza che prima siino state presentate per le cause sovra espresse à questo Senato, & dichiaratosi dal medemo non aver cosa in contrario; Il che si farà dal Senato con ogni prontezza per tutte quelle di dette provisioni, che non saranno contrarie agl' Indulti, Prerogative, e Diritti della Corona, e de' Sudetti, ò che non si ritroveranno essere state surrettiziamente ottenute, e che in caso contrario ne darà immediamente avviso alla M. S. affine di rappresentare come sopra à Sua Santità per le provisioni di Roma, & adoperare quanto alle altre, i rimedii opportuni. Ammoniamo à tal effetto, & esortiamo tutti, e chiascheduno degl' Ecclesiastici, ed espressamente inibiamo à Secolari, Prefetti, Giudici, Podestà, Nodari, Segretarii, Sindici, e Consiglieri de' Luoghi, e Communità, ed à chi sia altro di non dare, nè permettere l'esecuzione di dette provisioni, meno esseguirle, autenticarle, ò altrimente prevalersene, salvo che vedino la dischiarubione sudetta di questo Senato, quale s'accorderà senza difficoltà, ritardo, nè spesa alcuna sù la presentazione, che sarà fatta di dette provisioni, da chi le averà impetrate, ò per parte d'esso; Dichiarando, che in caso contrario si procederà in odio di tutti, e ciascheduni i Contraventori con li mezzi della Podestà Economica, e Politica, ò altrimente, sì, e come li casi esigeranno, e chè sarà spediente per là tranquillità publica, & per l'esatta osservanza degl'usi predetti. Mandiamo perciò, ed espressamente commandiamo à detti Giudici, Podestà, Sindici, Consiglieri, e Segretarii delle Communità di dar avviso di dette contravenzioni, cioe quanto alla Provincia di Torino al Segretario Ordinario di questo Magistrato, & quanto altre à respettivi Prefetti, quali Prefetti incarrichiamo d'esseguire gl' ordini Nostri sotto pena della privazione de' loro impieghi, incapacità d'averne altri, & di scudi cento d'oro al Fisco di S. M. applicandi, quali pene incorreranno anche li Giudici, Podestà, Segretarii, e Nodari, e rispetto à Sindici, e Conseglieri, quella di scudi cinquanta d'oro, e del carcere per mesi trè, ed eziamdio altra maggiore arbitraria secondo i casi rispetto à tutti. Dichiarando la publicazione, ed affissione di questo da farsi all' Albo Pretorio di caduna Città, Terre, e Luoghi valer, come se fosse à cadauno personalmente eseguita, & che alla copia stampata dallo Stampatore Regio se gli debba prestare tanta fede, come al proprio Originale. Dat. in Torino li venti Giugno mille settecento diecinove: Per detto Eccellentissimo Reale Senato: Il Segretario Ordinario del Medemo: In Torino, stampato nella Stamparia Regia 1719.

§. 1. Cum autem nimiùm evidens sit nec quisquam inficiari valeat ex præfato Edicto, & in eo contentis gravissimum Ecclesiasticæ libertati, ac Pontificiæ nostræ auctoritati vulnus infligi; adeoque illa à Nobis æquo animo ferri, aut dissimulari minimè posse; Hinc est; quod Nos ex commissi Nobis divinitus Pastoralis muneris debito, Ecclesiæ, atque hujus Sanctæ Sedis jura ab ejusmodi scandalosis ausibus, quantùm Nobis ex alto conceditur, sarta, tectaque, atque illibata tueri, & conservare, cupientes, omniumque, & singulorum, quæ ejusdem Edicti, quod non alio, quàm illud penitus, & omninò damnandi, & reprobandi animo præsentibus inferendum duximus, seu in eo contentorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, ac expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & singillatim specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Edictum præinsertum, ac quæcumque in eo contenta, cum omnibus, & singulis indè secutis, & forsan quandocumque secuturis penitùs, & omninò nulla, irrita, invalida, injusta, reprobata, damnata, inania, temeraria, & à non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque omninò roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, ac perpetuò fore, neque illa à quoquam observari posse, vel potuisse, adeòque nec ullum statum facere, vel fecisse, sed perindè, ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere, tenore præsentium declaramus: & nihilominùs ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenùs opus sit, illa omnia, & singula, prout etiam quæcumque alia præmissorum occasione in præjudicium libertatis, & immunitatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, seu

Idem Edictum, ut Ecclesiasticæ libertatis, & Pontificiæ authoritatis læsivum, annullatur, reprobatur, & damnatur cum omnibus inde secutis, & secuturis.

Apol-

Apoſtolicæ auctoritatis quovis modo emanata, edita, acta, geſta & perpetrata, cum omnibus pariter indè ſecutis, & quandocumque ſecuturis, harum ſerie damnamus, reprobamus, revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, abolemus, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, caſſatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacuis ſemper haberi volumus, & mandamus.

Cum decreto irritanti, & clauſulis conſuetis.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpecificâ, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adversùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; Sed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuncios, alioſve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac Apoſtolicis, & in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus ſit, Noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulâ de jure quæſito non tollendo; Legibus quoque etiam Imperialibus, & Municipalibus, nec non quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis præfatis, & aliis quibuſvis perſonis etiam ſpeciali mentione dignis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & Poteſtatis plenitudine paribus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiſcunque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis.

§. 3. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſervatâ exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Et derogatione omnibus contrariis.

§. 4. Cùm autem eædem præſentes literæ in ſupradictâ Civitate Taurinen., aliiſque locis Sæculari poteſtati earundem partium ſubjectis nequeant tutè publicari, ut hactenùs experientiâ compertum eſt, & Nobis notoriè conſtat, prout harum ſerie declaramus; volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt affigi, & publicari; Sicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde tractare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; utque ipſarum literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in Judicio, quàm extrà illud, ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xviii. Auguſti MDCCXIX. Pontificatus Noſtri Anno decimo nono.

Mandat affixionem præſentium literarum in Urbe omnes afficere debere, & fidem adhiberi tranſumptis.

F. Card. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimonono, Indictione duodecima, die verò xxi. menſis Auguſti, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno ejus xix. ſupradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romolatium Apoſtolicum Curſorem.

Franciſcus Bartolotius Curſ. Magiſter.

C.

REVOCATIO

Suſpenſionis Cruciatæ Sanctæ in Regnis Hiſpaniarum pro Anno 1720.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium à Breve ſuſpenſionis, quod inſertum eſt ſupra numero 96.

ALiàs à Nobis emanarunt literæ in ſimili formâ Brevis tenoris, qui ſequitur, videlicet: Clemens Papa XI. Ad futuram rei memoriam. Romanus Pontifex æqui, bonique Supremus Aſſertor &c. Cùm autem, ſicut accepimus, Hiſpanicæ Nationis Populis longâ annorum ſerie aſſuetis gaudere Indulgentiis illis, aliiſque tam ſpiritualibus, quàm temporalibus gratiis, quæ olim ab hac Sancta, Sede ad certum tunc expreſſum tempus cla. mem.

Philippo II., aliisque successivè Hispaniarum Regibus Catholicis, nec non omnibus, & singulis Christifidelibus in Regnis, & Dominiis ipsarum Hispaniarum, ac illis adjacen. Insulis consistentibus, & ad ea declinantibus, qui certa munera adimpleviſſent, ac signanter ex bonis sibi à Deo tributis eam pecuniæ summam, quæ per Commissarium, seu Executorem gratiarum hujusmodi ab eadem Sede deputatum taxata fuisset, in causam expeditionis adversùs Turcas, Mauros, & Saracenos faciendæ liberaliter contulissent, concessæ, & pluries de sexennio in sexennium prorogatæ, deinde verò à fel rec. Urbano VIII., ac postea etiam ab aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris quoad licentiam vescendi ovis, & lacticiniis tempore Quadragesimæ pro personis Ecclesiasticis Sæcularibus tunc expressis extensæ, & ampliatæ, de sexennio itidem in sexennium sæpius prorogatæ fuerant; quasque Nos ipsi Charissimo in Christo filio nostro Philippo V. eorumdem Hispaniarum Regi Catholico, & aliis Christifidelibus supradictis similiter ad sexennium à fine alterius sexennii ultimò prorogati numerandum extenderamus, & prorogaveramus; Summopere grave, ac molestum accidat ratione suspensionis, à Nobis in præinsertis nostris literis demandatæ, indulgentiis, ac gratiis hujusmodi de præsenti carere, adeout maximè etiam verendum sit, ne hujus rei causa non levia scandala, ac perturbationes in illis partibus oriti possint; Verùm nondum Nobis fas sit, præfatam suspensionem ita è medio tollere, ut indulgentiarum, & gratiarum prædictarum intuitu ea nunc exigi emolumenta permittere possimus, quæ priùs exigi consueverant, cum verè minimè adhuc cessaverint rationes illæ, quæ Nos ad earundem indulgentiarum, & gratiarum suspensionem decernendam impulerunt, ne emolumenta prædicta in causam longè ab ea alienam, in quam juxta Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, atque etiam nostram superiùs expressam intentionem erogari debuissent, reipsâ erogari, atque converti contingeret.

Grave est Hispanis carere gratia Cruciatæ.

§. 1. Hinc est quòd Nos supradictæ Hispanicæ Nationi, quæ præcipuum suum Catholicæ Religionis zelum, devotumque, ac sincerum erga Apostolicam Sedem studium præclaris argumentis toties testatum fecit, quantùm cum Domino possumus, gratificari cupientes, simulque eidem Philippo Regi, cujus erga populos sibi Subditos amorem satis perspectum habemus, rem minimè ingratam facturos Nos esse confidentes, sed nihilominus hoc ipsum eâ adhibitâ circumspectione, quam in præsenti rerum statu adhibendam esse censemus, exequi volentes, Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ, deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine memoratis Philippo V. Regi, aliisque Christifidelibus in Regnis, & Dominiis Hispaniarum, ac illis adjacentibus Insulis consistentibus, & ad ea, sicut præmittitur, declinantibus, ut præfatâ suspensione minimè obstante per totum præsentem inchoatum annum MDCCXX. dumtaxat omnibus, & singulis indulgentiis illis, & gratiis spiritualibus, quæ à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris intuitu, & occasione expeditionis contra Turcas, Mauros, & Saracenos gratiosè, & independenter à quovis ministerio, vel opera Executoris, seu Commissarii pro aliquarum ex gratiis hujusmodi executione in Apostolicis literis super earum concessione, seu prorogatione expeditis deputati concessæ, & extensæ, ac etiam à Nobis prorogatæ fuerunt: Nec non insuper indulto vescendi prohibitis in eisdem literis, & juxta earum tenorem concesso, ac respectivè extenso, & ampliato, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licitè possint, & valeant, dummodò tamen à quavis etiam minima solutione pecuniarum in prædictis literis, ut præfertur, demandatâ, seu alio quovis quæsito colore, titulo, seu prætextu faciendâ penitus abstineant, ac illius loco eapietatis opera adimpleant, quæ ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, præscribentur, ac in reliquis, præfatarum literarum formam, & dispositionem omnio observent, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Revocat suspensionem Cruciatæ pro anno 1720. tantum.

Mandat tamen ejus gratiam concedi

absque ulla pecuniarum solutione.

§. 2. Præterea earumdem tenore præsentium decernimus, ut supradicto indulto vescendi prohibitis excepto, quoad reliquas gratias omnes temporales, nec non quoad alias tam spirituales, quàm temporales, quarum executio Commissario, seu Executori præfato in literis super earum concessione, seu prorogatione emanatis committitur, supensio ad nostrum, & Sedis prædictæ beneplacitum in præinsertis nostris literis præcripta firma, & illæsa remaneat, quam etiam firmam, & illæsam remanere volumus quoad cætera Apostolica indulta in iisdem præinsertis literis comprehensa.

Firma remanente suspensione quoad alia Indulta.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, neque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum; aliudve quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffrari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Cardinales, & Legatos, nec non Nuncios, & alios prædictos nunc, & pro tempore existentes, sublatâ similiter eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari,

Decretum irritans, & clausula sublata.

§. 4. Non obstantibns præmissis, ac quatenus opus sit; nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis nostris literis concessimus non obstante, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xiii. Januarii 1720 Pontificatus Nostri Anno 20.

Deregatis quibuscumque contrariis.

Fides adhibenda transumptis.

F. Card. Oliverius.

CON-

C I.

CONCESSIO

Indulgentiæ plenariæ perpetuæ omnibus utriusque sexus Christifidelibus visitantibus Ecclesiam Conventualem Militiæ Aureatæ Constantinianæ, B. Mariæ della Steccata nuncupatam Parmen. in Conceptionis, & Annunciationis ejusdem B. Mariæ Virginis, nec non Sanctorum Georgii, & Basilii festis diebus, ad supplicationem Serenissimi Francisci Farnesii Parmæ, & Placentiæ Ducis, ac præfatæ Militiæ Magni Magistri.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD augendam Fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti ac supplicationibus dilecti filii Nobilis Viri Francisci Parmæ, ac Placentiæ Ducis, & Magni Magistri, seu perpetui Administratoris Militiæ Aureatæ Constantinianæ sub titulo Sancti Georgii, & Regulâ Sancti Basilii Magni nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui Ecclesiam Conventualem Beatæ Mariæ *della Steccata* nuncupat. Parmen. prædictæ Militiæ, in Conceptionis, & Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ac eorumdem Sanctorum Georgii, & Basilii festis diebus à primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi annis singulis devorè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quâ die ex prædictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & largimur; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris: Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Junii MDCCXX. Pontificatus nostri Anno vigesimo.

F. Card. Oliverius.

C II.

PROHIBITIO

Extrahendi libros, & scripturas ex publicâ Bibliothecâ nuper à Sanctitate Sua in Conventu Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Civitatis Urbinantensis institutâ, cum licentiâ in ea retinendi, & asservandi quoscumque libros prohibitos.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à Pontificia charitate erga Urbinum Patriam suam.

CUm Nos Civitatem nostram Urbinaten., in qua nati, educati, & à primis ætatis nostræ annis instituti fuimus, quamque propterea singulari paternæ charitatis affectu in Domino complectimur, amplioribus in dies beneficiis, & gratiis ornare cupientes, ac ad illa potissimùm, quæ majorem ei utilitatem, & fructum afferre possunt, Pontificiæ nostræ largitatis intuitum dirigentes, publicam Bibliothecam in Conventu Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum dictæ Civitatis ad usum, & commoditatem eorumdem Fratrum, ac Civium, & Incolarum quorumcumque ipsius Civitatis, nec non Studiosorum ad universitatem Studii generalis in eâdem Civitate erectam confluentium instituerimus: non modicâ pecuniarum summâ per Nos in id opus erogatâ, præsertim in constructionem fabricæ ejusdem Bibliothecæ; Eamque non modò scriniis, seu forulis nuceo ligno decenter elaboratis, ac filo æreo reticulato munitis, verum etiam plurimis Codicibus ad omnes propè scientias, & artes tum liberales, tum mechanicas spectantibus, sive per Nos emptis, sive è domesticâ nostrâ Bibliothecâ extractis, qui ultra nonnullos in antiqua dicti Conventus Bibliotheca existentes, ac alios plures, quos bo. mem. Alexander Fidelis, dum viveret, Episcopus Æsinus ejusmodi nostræ in suam æquè, ac nostram Patriam beneficæ voluntatis probè conscius, in supremis tabulis dispositioni nostræ hoc consilio reliquerat, in scriniis hujusmodi jam collocati, & congruè dispositi reperiuntur, instrui fecerimus; illisque nuper etiam alios Codices præsertim ad artem medicam pertinentes quos quondam Joannes Maria Lancisius, dum vixit, Cubicularius, & Medicus noster secretus, propenso in eamdem Patriam nostram animo, dictæ Bibliothecæ legaverat, addi jusserimus; quinimò etiam in posterùm eamdem Biliothecam aliis Codicibus, seu Voluminibus, dum benedicente Domino vita suppetet, augere intendamus, ad hoc, ut exinde memorati Fratres, Cives, Incolæ, & Studiosi bonarum, ac præsertim Sacrarum literarum, laudabiliumque disciplinarum studiis commodiùs, ac impensiùs vacare, uberioresque in eis progressus facere valeant: Sicque ad sectandam vestigia tot Illustrium Virorum, qui in prædictâ Civitate omni doctrinæ genere ante hâc eximiè flouerunt, ac permultis in lucem editis operibus plurimum ei decus, ac ornamentum attulerunt, vehementiùs excitentur,

Ex libris côllatis partim à sua Sanctitate, partim verò à R. P. D. Fideli Episcopo Æsino, & Lancisio Medico Pontificio.

Vetat sub pœna excommunicationis ne quæcumque volumina ex ea extrahantur.

§. 1. Nunc verò conservationi, manutentioni, & incremento dictæ Bibliothecæ, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere velimus; idcirco Motu proprio. ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne quisquam cujusvis gradus, status, ordinis, præeminentiæ vel dignitatis existat, aut quocumque officio, auctoritate, vel superioritate fungatur, libros, codices, quinterna, folia, chartas, scripturas, & volumina quæcumque, tam typis impressa, quam manuscripta, hactenus à Nobis, vel aliis, ut præfertur, donata, & assignata, seu in posterùm per Nos, & alios quoslibet quandocumque donanda, & assignanda, ex ipsa Bibliothecâ sub quovis quæsito colore, prætextu, capite, vel occasione extrahere, vel asportare, seu, ut extrahantur, vel asportentur, permittere, aut consentire audeat quovis modo, seu præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi à Nobis, & pro tempore est existente Romano Pontifice absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus, impetrare possit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ, eo ipso absque aliâ declaratione per Contrafacientes incurrendis pœnis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò prohibemus, & interdicimus.

Publicam ibi Bibliothecam instituit in Conventu S. Francisci.

§. 2. Præterea, ut in Bibliothecâ præfatâ quorumvis etiam Hæreticorum, & Hæresiarcharum, aliorumque reprobatorum Authorum cujuscumque Sectæ, & Classis, etiam primæ, & ex quacumque causâ, etiam ob falsi dogmatis suspicionem, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac etiam in quibusvis Conciliis generalibus, nec non etiam à Nobis, & Sede Apostolicâ quomodolibet prohibiti, & damnati, ac à Nobis, Succes-

Ibidem retineri indulget quoscumque libros damnatos: ita tamen ut qui de fide tractant, sub clavi custodiantur.

cessoribusque nostris Romanis Pontificibus, & dictâ Sede in futurum forsan prohibendi, & damnandi libri, manuscripta, & opera tam hactenus in lucem edita, quàm in posterùm edenda, seu scribenda quæcumque, etiamsi ex professo, & in capite de Religione, & Fide Catholicâ, seu contra Religionem, & Fidem easdem tractent, in ipsâ Bibliothecâ hactenus collocati, & collocata, ac in posterùm quandocumque collocandi, & collocanda retineri, haberi, & asservari, liberè, licitè, & impunè, ac absque ullo conscientiæ scrupulo, & quarumcumque Ecclesiasticarum sententiarum, & censurarum, vel aliarum pœnarum, etiam irregularitatis, infamiæ, aut inhabilitatis incursu possint, & valeant, ita tamen, ut libri, scripta, & opera præfata omnia, ac illa præsertim, quæ de Religione, & Fide, vel contra Religionem, & Fidem Orthodoxam tractant, seu tractabunt, in aliquo separato ejusdem Bibliothecæ loco clausi, & clausa, ac secretò, & sine cujusquam scandalo, vel periculo sub clavi retineantur, nec à quoquam accipi possint nisi de manibus Bibliothecarii, vel Custodum nunc, & pro tempore existentium, qui illos, seu illa legendos, seu legenda nemini præbere audeant quovis modo, seu præsumant, nisi priùs sibi constiterit, quod illos, seu illa petentes opportunam super eorum lectione à Sede præfatâ licentiam sibi concedi obtinuerint, motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, harum serie, concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans cum clausula sublata.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab iis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam Generales Inquisitores, & de Latere Legatos, alioswe quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio quibuscumque contrariis.

§. 4. Non obstantibus quibuslibet Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non prohibitionibus desuper factis, & in posterùm quomodolibet faciendis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, ac latissimè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat exemplum harum literarum perpetuò affixum remanere valvis d. Bibliothecæ.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium literarum exemplum in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio conspicuo illius loco, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assiduè remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xii. Julii MDCCXX. Pontificatus nostri anno vigesimo.

F. Card. Oliverius

RELAXATIO

Et Revocatio suspensionis Cruciatæ Sanctæ, & aliarum Gratiarum pro Hispaniarum Rege Catholico.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium ab enumeratione gratiarum ac Indultorum à Sede Apostolica Regi Catholico concessorum, & prorogatorum.

ALiàs Nos Indulgentias illas, & gratias, tam spirituales, quàm temporales, quæ olim ad certum tunc expressum tempus cla. me. Philippo II., aliisque successivè Hispaniarum Regibus Catholicis, nec non omnibus, & singulis Christifidelibus in Regnis, & Dominiis Hispaniarum, ac illis adjacentibus Insulis consistentibus & ad illa declinantibus, qui certa munera adimpleviſſent, à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris sub certis modo, & forma tunc expressis concessæ, & pluries de sexennio in sexennium prorogatæ, ac deinde primò quidem à fel. rec. Urbano VIII. postea verò etiam ab aliis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris quad licentiam vescendi ovis, & lacticiniis tempore quadragesimæ pro personis Ecclesiasticis Sæcularibus tunc expressis extensæ, & ampliatæ; ac de sexennio in sexennium sæpiùs prorogatæ fuerant, Charissimo in Christo filio nostro Philippo V. earumdem Hispaniarum Regi Catholico, & aliis Christifidelibus supradictis similiter ad sexennium à fine alterius sexennii ultimò prorogati numerandum extendimus, & prorogavimus; Concessiones itidem tam annui Subsidii quadringentorum, & viginti millium ducatorum ex Fructibus, & redditibus Ecclesiasticis universarum Hispaniarum, quàm Primæ Decimæ in omnibus, & singulis Parochiis in prædictis Regnis, & Dominiis, ac Insulis eisdem Regnis adjacentibus consisten. eidem Philippo II. Regi ab hac Apostolicâ Sede ad certum itidem tunc expressum tempus factas, ac subinde pluries tam ipsi Philippo II. quàm aliis successivè prædictarum Hispaniarum Regibus Catholicis de quinquennio in quinquennium similiter Prorogatas, ampliatas & extensas memorato Philippo V. Regi ad quinquennium tunc proximum similiter extendimus, & prorogavimus; Et nihilominus ipsas Indulgentias, & gratias tam spirituales, quàm temporales eidem Philippo V. Regi, & aliis Christifidelibus prædictis ad sexennium; Subsidium verò annuum quadringentorum, & viginti millium ducatorum, ac Primam Decimam hujusmodi ad quinquennium respectivè per diversas nostras in simili forma Brevis, nempe die viii. & die xiii. Octobris 1714. nec non binas die prima Januarii MDCCXVI. desuper expeditas literas de novo concessimus, & indulsimus; Præterea ipsi Philippo V. Regi per alias nostras in eadem forma Brevis die xiv. Martii ejusdem anni MDCCXVI. expeditas literas, assignationem omnium fructuum, & reddituum, nec non pensionum super iis reservandarum unius integri mensis omnium Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum quorumcumque Ecclesiasticorum de Jurepatronatus, sive ad nominationem ejusdem Philippi V. Regis tantùm, ac in prædictis Regnis, & Insulis adjacen. existentium à memorato Urbano Prædecessore claræ itidem mem. Philippi IV. dum viveret earundem Hispaniarum Regi Catholico ad certum etiam tempus factam, & successivè ab aliis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris, imò etiam à Nobis prorogatam ad quinque annos tunc proximos tantùm similiter prorogavimus, & extendimus, seu de novo concessimus:

Cruciatæ sanctæ.

Subsidii quadringentorumviginti millium ducatorum.

Primæ decimæ.

Assignationis unius integri mensis fructuum omnium Ecclesiarum, & Beneficiorum de Jurepatronatus Regio.

ANNO 1720.

Noviſſimè verò certis ex cauſis tunc expreſſis adducti omnes, & ſingulas gratias ſupradictas à Nobis eidem Philippo V. Regi ad ſexennium, & quinquennium reſpectivè prorogatas, ampliatas, & extenſas, ſeu de novo conceſſas, & indultas, ut præfertur, tametſi ſexennium, & quinquennium hujuſmodi adhuc durarent, expeditaſque deſuper literas noſtras prædictas, nec non omnia, & ſingula in eis contenta ad noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendimus, ac ſuſpenſas eſſe, & fore declaravimus, & aliàs prout in aliis noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die iv. Junii MDCCXVIII. expeditis literis, quarum, & cæterarum noſtrarum literarum omnium prædictarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Quæ omnia indulta Sua Sanctitas ſuſpenderat ad ſuum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum.

§. 1. Cùm autem rationes illæ, quæ Nos ad ejuſmodi ſuſpenſionem decernendam impulerunt, jam ceſſaverint; Sexennium verò, ac quinquennium prædicta, ad quæ eædem gratiæ per Nos antea extenſæ, & prorogatæ, ſeu de novo conceſſæ fuerant, adhuc de præſenti durent, cupiatque propterea idem Philippus V. Rex eandem ſuſpenſionem à Nobis è medio tolli, ac aliàs in præmiſſis opportunè provideri, & ut infra, indulgeri; Nos ipſius Philippi Regis deſiderio hac in re, quantùm cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, ſupplicationibus ejuſdem Philippi Regis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ſuſpenſionem omnium memoratarum gratiarum, expeditarumque deſuper literarum, ac in eis contentorum hujuſmodi, ad Noſtrum, & dictæ Sedis beneplacitum, ſicut præmittitur, factam auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium relaxamus, & revocamus, ac ex nunc relaxatam, & revocatam fore, & eſſe decernimus, & declaramus. Quodque eædem gratiæ de cætero, durante, ſcilicet reliquo tempore ſexennii, ac quinquennii reſpectivè, ad quod illæ à Nobis poſtremò prorogatæ, ſeu de novo conceſſæ fuerant, ſuum plenum, & integrum effectum ſortiri poſſint, ac debeant, eâdem auctoritate harum ſerie ſtatuimus, & ordinamus.

Obſervationum ceſſatio propter quas ſuſpenſa fuere.

Ejuſmodi ſuſpenſionem relaxat, & revocat.

§. 2. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque itidem plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, neque de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam formali, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam revocari, aut adversùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas præſentes literas illis, ad quos ſpectabit in futurum in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Cum decreto irritanti, & clauſulis conſuetis.

Et derogatione quibuſcumque contrariis.

§. 3. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus, & ſingulis illis, quæ in poſterioribus literis noſtris prædictis conceſſimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 20. Septembris MDCCXX. Pontificatus noſtri anno vigeſimo.

Fides adhibeatur tranſumptis.

CONSTITUTIO CIV.

Sanctiſſimi D. N. Innocentii Papæ XIII. quâ aſſignatio loci fixi perpetui inter Auditores Rotæ Maceratenſis à ſa. mem. Clemente Papâ XI. factâ uni ex Civibus Civitatis Urbini, qui in illius Univerſitate lauream doctoralem ſuſceperit, & Collegio Doctorum ejuſdem Civitatis adſcriptus ſit, ampliſſimè confirmatur.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

ÆQuum arbitramur, & congruum, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratiâ proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literæ deſuper confectæ minimè fuerint, ſuum debitum ſortiantur effectum. Aliàs ſiquidem fel. rec. Clemens Papa XI. Prædeceſſor noſter, quantâ olim ſtudiorum, & liberalium artium laude, & quibus inſignium Mirorum ingeniis, & gloria Civitas noſtra, tunc ſua Urbinaten., Patria ejus dilectiſſima floruerit, ſummâ cum animi ſui jucunditate recolens, eâ recordatione, ac ſinceræ fidei, & devotionis affectu, quem dilecti Filii Communitas, & homines dictæ Civitatis erga eundem Clementem Prædeceſſorem, & Sedem Apoſtolicam gerere comprobabantur, meritò inductus fuit, ut quemadmodum Agricola ei ſolo, cujus ubertatem agnoſcit, culturam, & ſemen impendit, ita idem Clemens Prædeceſſor in eandem Civitatem Apoſtolicæ beneficentiæ ſuæ munera, quibus liberalium artium hujuſmodi, ac præſertim legum, quas non ſolùm ornamenta Civitatum, ſed etiam præſidia eſſe conſtat, ſtudia foverentur, & reviviſcerent, quàm libentiſſimè conferret.

Civitas Urbini inſignium Virorum gloria ſemper floruit.

Patria Clementis XI.

§. 1. Accepto igitur per eundem Clementem Prædeceſſorem, quod dudum rec. mem. Sixtus Papa V. pariter Prædeceſſor noſter, tunc ſuus, in Civitate noſtra, tunc ſua Maceraten. unum Tribunal Audientiæ cauſarum Rotam nuncupatum, quod conſtare deberet quinque Judicibus Auditoribus nuncupatis, ad cauſarum, & litium Provincialium Provinciæ Marchiæ expeditionem, perpetuò erexerit, & inſtituerit, quatuor verò ex quinque Auditoribus hujuſmodi, dum illorum officia pro tempore vacare contingit, à Romano Pontifice pro tempore exiſtente deputandi ſint; dictus Clemens Prædeceſſor in prædicta Civitate Urbinaten, priſtinum ingeniorum, & animorum ad literarum, & præſertim Legum ſtudia vigorem, & alacritatem propoſitis honorum præmiis excitare, ſimulque perpetuum aliquod Patriæ ſuæ erga eam benevolentiæ monumentum extare cupiens, & literarum dicti Sixti Prædeſſoris ſuper erectione dicti Tribunalis emanatarum tenorem, & datam etiam veriorem, & alia quæcumque etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia pro plenè, & ſufficienter

Sixtus V. Tribunal Rotæ Maceratenſis inſtituit, quam quinque Auditoribus conſtare voluit.

Electionem quatuor ex ipſis Romano Pontifici pro tempore exiſtenti reſervavit.

ex-

expreſſis, & inſertis habens, motu proprio, non ad Communitatis, & hominum præſcriptorum, aut cujuſvis alterius ſibi ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione ſuis, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſub data videlicet die xviii Auguſti MDCCV. Pontificatus ſui anno quinto, deinceps unum ex Officiis hujuſmodi cum omnibus, & ſingulis illius facultatibus, auctoritatibus, honoribus, præeminentiis, antelationibus, obventionibus, & emolumentis uni ex Civibus originariis Civitatis Urbinaten., qui in illius ſtudii generalis Univerſitate, ad doctoratus lauream in utroque jure promoti, nec non Collegio etiam generali, ut vocant, Doctorum ipſius Civitatis adſcripti fuiſſent, ac cæteroqui qualitatibus juxta formam dictarum Sixti Prædeceſſoris literarum prædiți reperirentur à dicto Collegio Generali pro tempore nominandis, perpetuò conceſſit, & aſſignavit, ita ſcilicet, ut idem Collegium tres Cives originarios Urbinatenſes, ſicut præmittitur, promotos, adſcriptos, & qualificatos, quos non favore, gratiâ, precibus, aut quâvis aliâ ambitione, ſeu corruptelâ, ſed uniuſcuſque merito maturè conſiderato, magis idoneos, & aptiores in Domino judicaſſet, ad dictum Auditoratus officium, quod ad quinquennium concedi conſuevit, ex tunc, & perpetuis futuris temporibus de quinquennio in quinquennium recurrente, ſeu aliàs quomolibet, & quandocumque contingente illius vacatione nominare, unus verò ex tribus ſic nominatis per eundem Clementem Prædeceſſorem, & Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem ad officium hujuſmodi aſſumi reſpectivè deberet, nec unquam idem officium à prædicto Clemente Prædeceſſore, ut præfertur, conceſſum, & aſſignatum aliis, quàm Civibus originariis Urbitanenſibus, ſicut præmittitur, nominandis concedi, aut aſſignari, vel de eo in aliorum, quàm Civium originariorum hujuſmodi ſic nominandorum favorem diſponi ulla tenùs poſſet, aut deberet; Decernens quaſcumque collationes, conceſſiones, aſſignationes, aut alias diſpoſitiones de eodem Auditoratus officio in aliorum, quàm Civium originariorum prædictorum favorem, ut præfertur, quomodocumque, & qualitercumque pro tempore faciendas nullas, irritas, & inanes, nulliuſque roboris, vel momenti fore, & eſſe, ac nulli prorſus ſuffragari, ſed literas deſuper conficiendas, & in eis contenta, ac inde cæteroqui legitimè ſecutura quæcumque, etiam ex eo, quòd quilibet etiam ſpecificâ, & individuâ mentione digni in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas eædem literæ emanaſſent, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuiſſent, aut ex alia, etiam quantumvis legitimâ, juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis ſuæ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac ſubſtantiali, ac incogitato, & incogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, vel modificari, ad viam, ſeu terminos juris reduci, aut adversùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe, ſed ipſas literas conficiendas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectaſſet in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, cæteroſque quoſlibet quâcumque præeminentiâ, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari: Non obſtantibus prædictis Sixti prædeceſſoris literis, ac piæ mem. Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri tunc ſui de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate earumdem literarum in judicium non traheretur, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Civitatis Maceraten. & Tribunalis prædictorum, ac quibuſvis aliis etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Civitati, & Tribunali, & quibuſvis aliis perſonis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus etiam conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, ac pluries, & quantiſcumque vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur literis conficiendis hujuſmodi pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habens, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ea vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogavit, ac pleniſſimè, & ampliſſimè derogatum eſſe voluit cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 2. Ne autem de conceſſione, & aſſignatione perpetuâ Auditoratus Rotæ Maceraten. uni ex Civibus originariis dictæ Civitatis Urbinaten. à prædicto Clemente Prædeceſſore facta, ac decreto, derogatione, cæteriſque prædictis pro eo quod ſuper illis ipſius Clementis prædeceſſoris literæ confectæ minimè fuerint, valeat, quomodolibet hæſitari, ac Cives Originarii prædicti illarum fruſtrentur effectu, volumus, & Apoſtolicâ auctoritate decernimus, quod conceſſio, aſſignatio, decretum, derogatio, aliaque prædicta memorati Clementis Prædeceſſoris à dicta die xviii. Auguſti MDCCV. ſuum ſortiantur effectum, perinde ac ſi ſuper illis ipſius Clementis Prædeceſſoris literæ ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperiùs enarratur, quodque præſentes noſtræ literæ ad probandum plenè conceſſionem, aſſignationem, decretum, derogationem, cæteraque prædicta ejuſdem Clementis Prædeceſſoris ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, & nihilominus, quatenus opus ſit, omnia, & ſingula præmiſſa motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus iterum, & ex integro tenore præſentium concedimus.

Clemens XI. die 12. Auguſti 1705. unum ex hujuſmodi officiis in dicta Rota perpetuò aſſignavit uni ex Civibus originariis Urbini, qui in illius Univerſitate ad lauream doctoralem promotus, & Collegio Doctorum adſcriptus ſit.

Ita tamen ut occurrente vacatione præfatum Collegium tres Cives, ut præfertur, qualificatos nominare debeat.

Et unus ex tribus ſic nominatis à Romano Pontifice eligatur.

Decernens irritum, ac inane quidquid ſecus fieri contingat.

Cum clauſula ſublata, & aliis conſuetis.

Cum ampliſſimis derogationibus quibuſcumque contrariis.

Literæ tamen Apoſtolicæ ſuper hujuſmodi gratia à Clemente XI. facta expeditæ non fuerunt.

Quapropter Sanctiſſ. Innocentius XIII. eandem gratiam benigne confirmat.

Et quatenus opus ſit, illam ex integro concedit, ſuumque effectum ſortiri debere decernit, & mandat.

Et præsentium literarum Executores deputat Episcopos Ostien. & Portuen. & A. C. cum facultatibus necessariis, & consuetis.

§. 3. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Ostien. & Portuen. Episcopis, ac dilecto filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Collegii Generalis fuerint requisiti solemniter publicantes, eique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra illud earumdem præsentium literarum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illud desuper à quoquam quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstan. omnibus & singulis illis, quæ d. Clemens Prædecessor voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 27. Novembris 1721. Pontificatus nostri anno primo.

F. Card. Oliverius.

CV.

CONSTITUTIO

Sanctissimi D. N. Innocentii Papæ XIII. qua literæ Apostolicæ san. mem. Clementis Papæ XI. confirmatoriæ diversorum Privilegiorum, ac Indultorum à Romanis Pontificibus Universitati Studii generalis, & Collegio Doctorum Urbini concessorum, nec non aliquorum Edictorum, & Decretorum in utriusque favorem, à Ducibus, & pro tempore Legatis, & V. Legatis ejusdem Civitatis editorum, amplissimè confirmantur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

RAtioni congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia, ac benignitate processerunt, licèt ejus superveniente obitu literæ Apostolicæ desuper expeditæ non fuerint, debitum consequantur effectum.

Civitas Urbini Patria Clementis XI.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, fel. rec. Clemens P. P. XI. Prædecessor noster cupiens Givitati nostræ, tunc suæ, Urbini, ubi natus, & educatus fuerat, quamque nedum ortu suo, sed suis etiam eximiis virtutibus plurimum illustravit, præcipuum aliquod Pontificiæ suæ charitatis, & beneficentiæ argumentum tribuere, ac potissimùm erga Universitatem studii generalis ibidem Apostolicâ auctoritate dudum erectum, in quâ olim doctorali laurea decoratus; nec non erga Collegium I. V. Doctorum inibi pari auctoritate institutum, cui ille itidem, dum in minoribus esset gradibus, adscriptus fuerat, grati, memorisque animi sui propensionem palam ostendere, & declarare, nonnulla privilegia, & indulta à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus etiam nostris, tunc suis, Universitati Studii generalis, & Collegio Doctorum prædictis olim concessa, ac insuper nonnulla Edicta, & Decreta in utriusque favorem à Ducibus, & pro tempore Legatis, & V. Legatis ejusdem Civitatis Urbini edita, ut in posterum observarentur exactiùs, paulò antequàm viam universæ carnis ingrederetur, nempe Mense Martio proximè præterito, Apostolicâ auctoritate approbaverit, & confirmaverit, pluraque alia ad eorumdem Universitatis, & Collegii decus, ac utilitatem dispposuerit per suas literas, quæ tamen ob ejus subsecutum obitum ab illo subsignari, & consueto Romanæ Curiæ more expediri minimè potuerunt, tenoris sequentis, videlicet.

Qui ibidem doctorali laurea decoratus & Collegio Doctorum adscriptus fuit confirmavit privilegia eidem Collegio, ac Universitati concessa.

§. 2. CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inter multiplices, atque gravissimas solicitudines, quas pro communi universi Christiani Gregis vigilantiæ nostræ divinâ dispositione commissi regimine, ac utilitate dies, nocteque suscipimus, illa potissimum cor nostrum vehementer, pulsat, & angit, ut Populorum S. R. E. etiam in temporalibus subditorum commodis, & prospero, felicique statui paternâ charitate consulamus, ac ea præsertim, per quæ literarum studia foventur, Juventus liberalibus disciplinis, & doctrinis eruditur, Juris in primis utriusque prudentia, sine qua Respublica rite gubernari nequiret, addiscitur, & recta causarum forensium cognoscendarum, justitiæque administrandæ ratio custoditur, omni adhibita ope, sedulitate, & cura promoveamus, Quo quidem paterni amoris sensu si cæteras omnes Pontificiæ Ditionis Civitates meritò respicimus, dignum profectò, justumque est, ut Civitatem nostram Urbinatensem, ubi vitæ limen attigimus, ac primis literarum rudimentis imbuti fuimus, quæque omni tempore totius Urbinatensis Ducatus Princeps, & Caput extitit, & plurimos tulit non tam bonarum artium, & mathematicarum præsertim disciplinarum laude, imò etiam militari gloriâ insignes, quàm Ecclesiasticarum dignitatum splendore conspicuos Viros; apud quos itidem, & solidæ pietatis, orthodoxæque Religionis cultus, ac summa in Romanos Pontifices, & Apostolicam Sedem observantia, & studium semper enituit, propensiori quodam affectu, naturâ ipsâ dictante, respiciamus, ac unicè in Christo diligamus. Nec minùs æquum arbitramur, & congruum, ut Universitatem quoque studii generalis illic Apostolicâ auctoritate erectam, in qua Nos olim lauream doctoralem accepimus, ac insuper Collegium I. V. Doctorum ibidem pari auctoritate institutum, unde Viri sæpenumero prodierunt doctrinæ famâ celebres illustriumque munerum ab ipsis rectè gestorum meritò commendati, cui Nos etiam adscriptos aliquando fuisse non sine voluptate meminimus, paternâ dilectione complectamur, gratæque voluntatis nostræ, ac simul Pontificiæ largitatis significationibus prosequamur.

Urbini Civitas Princeps, & Caput Ducatus Urbinatensis.

Insignium Virorum gloria omni ævo præluxit.

Clemens XI. ingens Patriæ æs alienum dissolvit.

§. 3. Quocirca plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui Patrias suas insignibus, maximisque beneficiis ornarunt, morem, exemplumque secut, inter ipsa Pontificatus nostri primordia considerantes prædictam Patriam nostram dilectissimam ingenti quadraginta millium aureorum ære alieno, cui infelix superiorum temporum conditio, & publicæ necessitates causam præbuerunt, gravari, ac ferè opprimi, & ob publicorum proventuum tenuitate nedum omni prorsus carere spe illud unquam dissolvendi, sed etiam oneri annuorum ejus fructuum ferendo longè imparem esse; æquum proinde, munerique nostro consentaneum duximus rationem inire, qua gravissimo huic malo occurreretur, institutóque ex pecuniis à Nobis ante aliquos annos collatis Multiplo, cujus administratio à Viris ad id à Nobis delectis summâ fide, ac industriâ hactenùs gesta fuit, eam jam pecuniarum summam conflavimus, quæ memorato æri alieno penitus extinguendo satis erit, huncque in usum quamprimùm jussu nostro, benedicente Domino, erogabitur.

Sed eo morte sublato literæ Apostolicæ expediri non potuerunt.

Tenor literarum Clementis XI.

Metropolitanam Ecclesiam præcebili Altari, sacraque supellectili sumptuosa ditavit.

§. 4. Præterea Metropolitanam ejusdem Civitatis Urbinatensis Ecclesiam, in qua sacris Baptismi aquis abluti fuimus, magnifico, atque prænobili Altari æneis ornamentis, antiquis marmoribus, & lapidibus versicoloribus selectissimis exculto, sub quo sacrum Corpus S. Crescentini Martyris, ipsius Civitatis Protectoris, reconditum est: sex ibidem prægrandibus candelabris cum Cruce, aliisque vasis argenteis elegantissimè elaboratis: multâ, & sumptuosâ omnis generis suppellectile in usum sacri ministerii: geminis attalicis stragulis magni pretii, totidemque à celebrioribus ævi nostri Pictoribus delineatis, atque confectis tabulis decorari nostra pariter, & quidem maximâ impensâ curavimus.

Ejusdem Ecclesiæ Canonicales proventus auxit. Ædes Archiepiscopales ampliavit, Collegium exstruxit.

§. 5. Exiguum insuper, nec præfatæ Metropolitanæ Ecclesiæ dignitati parem Beneficiatorum illi inservientium numerum auximus, congruâque dote instruximus: Canonicales proventus, anteà admodum tenues, certâ annuâ quingentorum aureorum super fructibus, & redditibus quibuscumque Monasterii Sanctæ Mariæ de Claravalle nullius, seu Senogallien. Diœcesis in perpetuum assignatâ pensione, amplificavimus: Sacrarium in usum Canonicorum à fundamentis ereximus, & congruis armariis pro sacrorum suppellectilium decenti custodiâ exornavimus: Archiepiscopales ædes, angustas, & collabentes refecimus, ac ampliavimus, Collegium itidem, in quo Nobiles Adolescentes tum indigenæ, tum etiam exteri, bonis artibus, honestisque moribus à doctis, piisque Magistris sedulò instituuntur, ferè in meditullio Civitatis à fundamentis excitavimus.

Bibliothecam in Conventu S. Francisci ad publicum usum erexit.

§. 6. Publicam quoque Bioliothecam in Conventu Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ad usum, & commoditatem eorumdem Fratrum, ac Civium, & Incolarum quorumcumque ipsius Civitatis, nec non Studiosorum ad præfatam Universitatem studii generalis confluentium instituimus, non modicâ pecuniarum summâ in id opus erogatâ, præsertim in constructionem Fabricæ ejusdem Bibliothecæ, eamque non modò scriniis, seu forulis nuceo ligno decenter elaboratis, ac filo æreo reticulato munitis, verùm etiam pluribus codicibus ad omnes prope scientias, & artes tum liberales, tum mechanicas spectantibus, sive per Nos emptis, sive è domesticâ nostrâ Bibliothecâ extractis, qui ultra nonnullos in antiquâ dicti Conventus Bibliothecâ existentes, ac alios plures, quos bo. me. Alexander Fidelis, dum viveret, Episcopus Æsinus, ejusmodi nostræ in suam æquè, ac nostram Patriam beneficæ voluntatis probè conscius, in suis supremis tabulis dispositioni nostræ hoc consilio reliquerat, in scriniis hujusmodi jam collocati, & congruè dispositi reperiuntur, instrui fecimus; Illisque nuper alios etiam codices, præsertim ad artem medicam pertinentes; quos quon. Joannes Maria Lancisius, dum vixit, Cubicularius, & Medicus noster secretus propenso in eamdem Patriam nostram animo dictæ Bibliothecæ legaverat, addi jussimus, quinimò etiam in posterum eamdem Bibliothecam aliis codicibus, seu voluminibus, dum, benedicente Domino, vita suppetet, augere intendimus, ut exindè memorati Fratres, Cives, incolæ, & studiosi bonarum, ac præsertim sacrarum literarum, laudabiliumque disciplinarum studiis commodiùs, ac impensiùs vacare, uberioresque in eis progressus facere valeant.

Mœnia Civitatis reparavit. Duo fixa loca in Rotis Perusiæ, & Maceratæ Civibus assigna.

§. 7. Ad hæc præfatæ Patriæ nostræ mœnia pluribus in locis collapsa, aut collabentia instauravimus, ejus insuper Civibus J. V. Doctoribus certum, fixumque locum inter Auditores Tribunalium, quæ Rotæ nuncupantur, Civitatum nostrarum Perusiæ, & Maceratæ in perpetuum assignavimus, ac non ita pridem pium Montem frumentarium cum dote septingentorum modiorum frumenti, qui quotannis mutuo pauperibus dari debeant, ad hoc, ut ejusmodi subsidio propriis necessitatibus consulere possint, & agri præsertim culturam deserere non cogantur, certis pro rectâ illius administratione sancitis legibus, ereximus, atque fundavimus, pluribusque aliis, nec vulgaribus beneficiis tum eandem Patriam nostram, tum etiam peculiares illius Cives hactenùs prosecuti sumus, & ad extremum usque vitæ nostræ spiritum, adjuvante Domino, prosequi non desinemus.

vit. Montem frumentarium auxit.

Privilegia Universitati, & Collegio Doctorum concessa confirmare æquum ducit.

§. 8. Nunc verò ad Universitatem Studii generalis, & ad Collegium J. V. Doctorum in eadem Urbinatensi Civitate dudum, ut præfertur, erectâ Apostolicæ nostræ considerationis intuitum convertentes, & gratum nostrum erga ipsa animum profiteri, testatumque facere cupientes, æquum in primis ducimus iis, quæ à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad illorum decus, ornamentum, ac utilitatem providè, atque sapienter constituta fuerunt, Apostolicæ nostræ confirmationis robur adjicere, aliaque desuper statuere, atque disponere, quemadmodum in Domino conspicimus salubriter expedire.

Memorat in primis Bullam Julii II. confirmatoriam erectionis Collegii.

§. 9. Cùm itaque, sicut accepimus, fel. rec. Julius secundus Romanus Pontifex Prædecessor noster institutionem præfati Collegii à q. Guido Ubaldo Urbini Duce factum pro cognitione causarum tam Ecclesiasticarum, quàm prophanarum totius Urbinatensis ditionis in secundâ, & tertiâ instantiis (causis merè Ecclesiasticis dumtaxat exceptis) benignè approbaverit, & confirmaverit, ac regulam in ejusmodi Causarum decisione servandam præscripserit, pluraque alia in favorem ejusdem Collegii disposuerit per suas anno millesimo quingentesimo septimo xii. Kal. Martii sub plumbo expeditas literas, quarum tenor est, qui sequitur, videlicet.

Ten. Bullæ Julii II.

§. 10. Julius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ad sacram Beati Petri Sedem Divina dispositione sublimati, singulis, quæ pro personarum Nobis, & Apostolicæ Sedi devotarum pace, commodo, & tranquillitate profutura fore conspicimus, Apostolicæ providentiæ solicitudinem libenter intendimus, & ad felicem eorum prosecutionem, & confirmationem, cùm à Nobis petitur, opem & operam impendimus efficaces. Sanè exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Nobilis Viri Guidobaldi Ducis Urbitanen. & universorum subditorum ejus petitio continebat, quod licèt olim fel. rec. Alexander Papa VI. Prædecessor noster, cupiens indemnitati universorum subditorum Ducatus Urbinaten. consulere, ipsum Ducatum Urbinaten. & Civitatem Senogallien. illiusque districtum ab omni jurisdictione Rectoris Provinciæ Marchiæ Anconitanæ segregaverit, & separaverit, ac certum Collegium Doctorum, Rotam nuncupatam, in Romandiola instituerit; Ad quos omnes Causæ appellationum in quibuscumque causis Ecclesiasticis, & prophanis devolverentur, ordinaverit, & quod propter temporum conditiones hujusmodi Institutio effectum sortita non fuerit; Nihilominus idem Dux etiam cupiens indemnitatibus, & commoditatibus dictorum Subditorum suorum providere, in Civitate Urbitanen. unum Collegium tredecim Doctorum instituit, & quod coram eis omnes, & singulæ Causæ Ecclesiasticæ, & prophanæ tractarentur, & definirentur, etiam ordinavit. Quare pro parte Ducis, & Subditorum hujusmodi, nec non etiam dilecti filii Nobilis Viri Francisci Mariæ Urbis Præfecti Nobis fuit humiliter supplicatum, ut institutioni, & ordinationi Collegii

Dux Guidobaldus Collegium Doctorum Urbini instituit.

ANNO 1721.

ANNO 1721.

treſdecim in legibus, & decretis Doctorum hujuſmodi Apoſtolicæ confimationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui noſtrorum, & S. R. E. Subditorum commoditatibus intendimus, & quantum cum Domino poſſumus, ipſos ab expenſis, & oneribus relevamus, nec non præfati Ducis propoſitum plurimùm in Domino commendantes, inſtitutionem, & ordinationem prædictas auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium confirmamus, & approbamus ac quod in ſecundâ, & tertiâ inſtantiis omnes Cauſæ tam Eccleſiaſticæ, quàm prophanæ, & mixtæ, ac Beneficiales (meris Eccleſiaſticis dumtaxat exceptis) Ducatus, & Dominii temporalis præfati nunc, & pro tempore exiſtentis, tam ratione Ducatus præfati, quàm aliorum ejus dominiorum quorumcumque coram dicto Collegio treſdecim Doctorum, eiſdem modo, & formâ, quibus coram Rectore Provinciæ Marchiæ hujuſmodi tractantur, tractentur, & finiantur. Ita tamen, quod Cauſæ præfatæ non poſſint expediri, nec terminari, niſi de voto, & conſenſu majoris partis Doctorum dicti Collegii, & aliàs ſententiæ latæ non teneant, quæ vota ſecretè, & ſigillatim præſtari debeant, quodque etiamſi contingeret aliquem, ſeu aliquos ex Doctoribus dicti Collegii exinde ſe abſentare, quod per tunc præſentes factum, & terminatum fuerit, perinde valeat, ac ſi omnes interfuiſſent, dummodò abſentes ultra dimidiam partem non exiſtant, ac etiam quod cauſæ appellationum quarumcumque per ſubditos præfati Ducis à quibuſcumque ſententiis pro tempore interpoſitarum ad ipſum Collegium interpoſitæ ſint, & eſſe cenſeantur, niſi forſan à ſententiis ipſius Collegii appellatum fuerit, quo caſu tunc ad Sedem Apoſtolicam appellari valeat, eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinamus, ipſoſque ſubditos, nec non Ducatum, & Statum Urbinaten., ac etiam Statum, & Civitatem Senogallien. ab omni juriſdictione, & ſuperioritate Rectoris dictæ Provinciæ Marchiæ, nec non Bononienſi, & Peruſinâ Legationibus prorſus eximimus, & ſegregamus, ac liberamus. Et inſuper eidem Collegio, ut in Cauſis hujuſmodi decidendis, & finiendis eiſdem prærogativis, indultis, & ordinationibus utatur, potiatur, & gaudeat, quibus dictus Rector præfatæ provinciæ utitur, & uti conſuevit, præfatâ auctoritate concedimus; Statuta quoque, & ordinationes per dictum Collegium in cauſis decidendis, & terminandis edita, dummodò ſint licita, & honeſta, & ſacris Canonibus non obviantia, dictâ auctoritate confirmamus, & approbamus, ipſique Collegio nova ſtatuta, quatenus ſint licita, & honeſta, condendi, eâdem auctoritate licentiam elargimur, & facultatem, non obſtantibus Apoſtolicis, nec non dictæ Provinciæ ſpecialibus & generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus pro illorum ſufficienti derogatione ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, ſed de verbo ad verbum mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, quodque Collegium hujuſmodi nondum ad numerum treſdecim Doctorum deventum eſt, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confimationis, approbationis, ſtatuti, ordinationis, exemptionis, ſegregationis, liberationis, conceſſionis, elargitionis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptimo, xii. Kal. Martii Pontificatus Noſtri Anno v.

Julius II. ejuſmodi erectionem confirmavit.

Regulam præſcribit à Doctoribus Collegii in deciſione Cauſarum ſervandam.

DD. Collegii facultatem tribuit condendi Statuta.

§. 11. Ac ſubinde rec. me. Pius Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter, poſtquam Urbinaten. Eccleſiam in Metropolitanam erexerat cum Archiepiſcopali Dignitate, & omnimoda juriſdictione, ac ſuperioritate, nec non illi Callien., Senogallien., Piſauren., Foroſempronien., Feretran., & Eugubin., Civitates, & Diœceſes (quibus poſtmodum fel. itidem rec. Urbanus VIII. etiam Prædeceſſor noſter Urbanin., & S. Angeli in Vado Civitates, & Diœceſes adjecit) cum earum diſtrictibus, & Territoriis, ac Præſules pro tempore exiſtentes pro Suffraganeis Epiſcopis, nec non Capitula, Clerum, & Populum Civitatum, & Diœceſum earumdem perpetuò conceſſerat, & aſſignaverat, cum orta fuiſſet contentio inter bo: me: Felicem tunc Archiepiſcopum Urbinaten., & bo: pariter me: Julium S. Petri ad Vincula, dum viveret, S. R. E. Cardinalem de Urbino nuncupatum, cui regreſſus ad dictam Eccleſiam Urbinaten. per ipſius Felicis Archiepiſcopi deceſſum, ac in certis aliis tunc expreſſis eventibus auctoritate Apoſtolicâ conceſſus fuerat, ex una; nec non Collegium Doctorum ejuſdem Civitatis ex alterâ partibus, ſuper juriſdictione, ſeu adminiſtratione juſtitiæ in omnes Præſules, Clerum, & Populum Civitatum prædictarum, quam Felix Archiepiſcopus, & Julius Cardinalis memorati prætextu erectionis hujuſmodi ad ſe ſpectare, Collegium verò vigore literarum Julii Prædeceſſoris ſibi conceſſam fuiſſe, & quia in dictâ erectione de Privilegiis, ac Indultis ipſi Collegio, ut præmittitur, conceſſis nulla mentio facta extiterat, nullatenus Archiepiſcopo Urbinaten, competere, nec illius juriſdictionem ad Cauſas appellationum interponendarum à ſententiis latis per Ordinarios in Foro Eccleſiaſtico, cum juriſdictio ipſa eidem Collegio priùs conceſſa fuiſſet, ſe extendere poſſe aſſerebant, ac ad tollenda plurima ſcandala, quæ ex ejuſmodi contentione facilè oriri poterant, Julius Cardinalis, & Felix Archiepiſcopus præfati, nec non dictum Collegium medio, ac opera dicti Guidobaldi tunc Ducis Urbini deveniſſent ad quamdam concordiam, ſeu tranſactionem, cujus vigore conventum, ſtabilitumque fuit, quòd Collegium, & illius Doctores cederent Archiepiſcopo Urbinaten pro tempore exiſtenti in cognoſcendis, & decidendis primis appellationibus ſuorum Suffraganeorum venientibus à foro Eccleſiaſtico, ut ſupra, & ſecundas appellationes, ſeu tertias illarum inſtantias ſibi reſervarent, quodque omnes, qui appellarent à ſententiis præfati Archiepiſcopi, ſeu ejus Vicarii inter illius Diœceſanos videlicet in primâ, vel inter Suffraganeos, aut cum Fiſco ſuæ Eccleſiæ, vel aliorum Suffraganeorum in ſecundâ inſtantia latis, ut ſupra, intelligerentur appellaſſe ad ipſum Collegium Privilegiis, & indultis Apoſtolicis tam Archiepiſcopo, quàm Collegio hujuſmodi, ut præfertur, conceſſis quoad reliqua omnia ſalvis prorsùs, ac illæſis; memoratus Pius Prædeceſſor hujuſmodi concordiam, ſeu tranſactionem ampliſſimè approbaverit, & confirmaverit per ſuas anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, xiii. Kal. Martii ſub plumbo expeditas literas tenoris ſequentis, videlicet:

Pius IV. Eccleſiam Urbinaten. in Metropolitanam erexit, cui Callien., Senogallien. Piſauren. Foroſempronien. Feretran. & Eugubin. ſubjicit.

Urbanus VIII. Urbanien. & S. Angeli Civitatis, addidit.

Controverſia memoratur exorta inter Archiepiſcopum, & Collegium.

Sopita per amicabilem concordiam quam idem Pius IV. confirmavit.

§. 12. Pius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex ſolitâ Apoſtolicæ Sedis providentiâ ea, quæ pro bono pacis, & concordiæ inter Perſonas quaslibet, ac præſertim Cardinalatus, & Pontificali Dignitate

Tenor Bullæ Pii IV.

prædictas concordiâ terminata fuisse dicuntur, ne in recidivæ contentionis scrupulum dilabantur, quæque in justitiæ præsidentium favorem, commoda, & decus per Prædecessores nostros Romanos Pontifices concessa fuisse dicuntur, ut majoris roboris firmitatem obtineant, & perpetuò illibata persistant, libenter, cum à Nobis petitur, Apostolico munimine roboramus, ac desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Collegii tresdecim Doctorum nuncupati Urbinat. exhibita petitio continebat, ac Dilectus Filius Julius S. Petri ad Vincula Diaconus Cardinalis de Urbino nuncupatus, ac venerabilis Frater Felix modernus Archiepiscopus Urbinat., & Magister Domus, nec non Prælatus Domesticus noster exposuerunt, quod aliàs fel. rec. Julio Papæ II. Prædecessori Nostro pro parte Guidobaldi tunc Urbini Ducis, ac universorum ejus Subditorum exposito, quod licet antea piæ me. Alexander Papa VI. etiam Prædecessor noster, tunc suus, cupiens indemnitati universorum Subditorum Ducatus Urbinat. consulere, ipsum Ducatum Urbinat., ac Civitatem Senogallien., illiusque districtum ab omni jurisdictione Rectoris Provinciæ Marchiæ Anconitanæ segregavisset, ac certum Collegium Doctorum, Rotam nuncupatum, in Romandiolâ instituisset, quodque omnes Causæ appellationum in quibuscumque causis Ecclesiasticis, & profanis devolverentur ad illud, ordinasset, & quod propter temporum conditionem institutio hujusmodi suum sortita effectum non fuisset; nihilominus idem Dux etiam cupiens indemnitatibus, & commoditatibus dictorum suorum Subditorum providere, in Civitate Urbini unum Collegium tresdecim Doctorum instituerat & quod coram eis omnes, & singulæ Causæ Ecclesiasticæ, & prophanæ tractarentur, ac definirentur, etiam ordinaverat, præfatus Julius Prædecessor, Ducis, ac Subditorum hujusmodi, nec non etiam bon. mem. Franciſci Mariæ tunc Almæ Urbis præfecti supplicationibus inclinatus, institutionem ac ordinationem hujusmodi authoritate Apostolica per suas literas confirmavit, & approbavit, quodque in secundâ, & tertiâ instantiis omnes Causæ tam Ecclesiasticæ, quàm prophanæ, & mixtæ, & Beneficiales (merè Ecclesiasticis dumtaxat exceptis) Ducatus, & Dominii præfatorum tunc, & pro tempore existentis Ducis, & subditorum suorum hujusmodi, tunc, & pro tempore existentium tam ratione dicti Ducatus, quàm aliorum ejusdem Dominiorum quorumcumque, coram dicto Collegio tresdecim Doctorum, ac eisdem modo, & formâ, quibus coram Rectore dictæ Provinciæ tractabantur, tractarentur, & finirentur, ita tamen, quod causæ ipsæ non possent expediri, nec terminari, nisi de voto, & consensu majoris partis Doctorum Collegii hujusmodi, aliàs sententiæ latæ non tenerent, quæ vota figillatim, & secretè præstari deberent, quodque, etiamsi contingeret aliquem, seu aliquos ex Doctoribus præfati Collegii ab eo se absentare, id quod per tunc præsentes factum, ac determinatum foret perindè valeret, ac si omnes interfuissent, dummodo absentes ultra dimidiam partem non existerent; ac etiam quod Causæ appellationum per Subditos præfati Ducis à quibuscumque sententiis pro tempore interpositarum ad ipsum Collegium interpositæ essent, & cenſerentur, nisi forsan à sententiis ipsius Collegii appellatum foret, quo casu tunc ad Sedem Apostolicam appellari posset, dictâ authoritate statuit, & ordinavit, ipsosque, Subditos, nec non Ducatum, & Statum Urbinat., ac dictam Civitatem, & etiam Statum Senogallien. ab omni jurisdictione, & superioritate Rectoris dictæ Provinciæ Marchiæ, nec non Bononien., & Perusin. Legationibus prorsus exemit, & segregavit, ac liberavit. Et insuper eidem Collegio, quod in Causis hujusmodi decidendis, & finiendis eisdem Prærogativis, Indultis, ac ordinationibus uteretur, potiretur, & gauderet, quibus præfatus Rector Provinciæ hujusmodi utebatur, ac uti consueverat, præfatâ authoritate concessit; Statuta quoque, & Ordinationes per dictum Collegium in causis hujusmodi decidendis, & terminandis edita, eadem authoritate approbavit, & confirmavit; nec non ipsi Collegio nova statuta condendi licentiam, & facultatem elargitus fuit, prout in ipsis Julii Prædecessoris literis desuper confectis pleniùs dicitur contineri; Et deinde, sicut eadem expositio Nobis facta subjungebat, postquam Nos dudum ex certis rationalibus causis Ecclesiam Urbinat., cui etiam tunc præfatus Felix tunc Episcopus Urbinat præerat, in Metropolitanam Ecclesiam cum Archiepiscopali Dignitate, ac omnimodâ jurisdictione, & superioriate per alias nostras literas perpetuò erexeramus, nec non illi Callien., Senogallien., Pisauren, Forosempronien., Feretran., & Eugubin. Civitates, & Diœceses in Ducatu, & Dominio præfatis consistentes cum illarum districtibus, Territoriis, ac Præsules pro tempore existentes pro suffraganeis Episcopis, nec non Capitula, Clerum, & Populum Civitatum, & Diœcesum earumdem etiam perpetuò concesseramus, & assignaveramus, ipsosque Præsules, Clerum, & Populum, quoad omnia Metropolitica, & Archiepiscopalia superioritatem, jurisdictionem, ac jura pro tempore existenti Archiepiscopo Urbinat. subjectos fore, & tamquam membra Capiti obsequentes, per eos de Archiepiscopalibus juribus responderi volueramus, prout in eisdem literis nostris etiam latiùs continetur: Orta contentione, & controversiâ inter Felicem Archiepiscopum, & Collegium Urbinat., nec non etiam Julium Cardinalem præfatos, cui regressus ad dictam Ecclesiam Urbinat. per ipsius Felicis Archiepiscopi decessum, ac forsan in certos alios tunc expressos eventus, authoritate prædictâ concessus extitit, super jurisdictione, seu administratione justitiæ in omnes Præsules, Clerum, & populum Civitatum hujusmodi, quàm Archiepiscopus, & Julius Cardinalis prætextu erectionis ad se spectare; Collegium verò vigore literarum Julii Prædecessoris hujusmodi sibi concessam fuisse; Et quia in dictâ erectione de Privilegiis, & indultis ipsi Collegio, ut præmittitur, concessis nulla mentio facta extiterat, nullatenus Archiepiscopo Urbinat. præfato competere, nec jurisdictionem præfati Archiepiscopi ad causas appellationum interponen. per Suffraganeos illius à sententiis latis per Ordinarios in Foro Ecclesiastico, cum jurisdictio ipsa eidem Collegio concessa prius extitisset, se extendere ostendi posse asserebant. Cumque ex hac contentione scandala plurima oriri posse dubitarent, Julius Cardinalis, & Felix Archiepiscopus præfati volentes, ut bonos decet Præsules, fomenta dissensionum, & scandalorum, quæ inter ipsos, & Collegium hujusmodi occasione Jurisdictionis præfatæ de facili suscitari possent, propter concursum, & studium præveniendi, in totum tollere, & extirpare tam eorum propriis, quàm Successorum suorum Archiepiscoporum Urbinat. nominibus infrascriptam cum dicto Collegio inierunt concordiam, & conventionem, medio, & opera Dilecti Filii Nobilis Viri Guidobaldi moderni Ducis Urbini, videlicet: Quod Collegium, & illius Doctores cederent Archiepiscopo Urbinat. pro tempore existenti in cognoscendis, & decidendis primis appellationibus suorum Suffraganeorum

Refert Bullam Julii II.

Et erectionem à Sua Sanctitate factam Ecclesiæ Urbinat. in Metropolitanam.

Memorat controversiam inter Archiepiscopum, & Collegium exortam, quoad cognitionem causarum.

Et concordiam inter eos stabilitam.

ANNO 1721.

venientibus à Foro Eccleſiaſtico, ut, ſupra, & ſecundas appellationes, ſeu tertias illarum inſtantias ſibi reſervarent; quodque omnes, qui appellarent à ſententiis præfati Archiepiſcopi, ſeu ejus Vicarii inter ejus Diœceſanos, videlicet in primâ, vel inter Suffraganeos, aut cum Fiſco ſuæ Eccleſiæ, vel aliorum Suffraganeorum in ſecundâ inſtantiis latis, ut ſupra intelligerentur appellaſſe ad ipſum Collegium, privilegiis, indultis, & conceſſionibus Apoſtolicis, tam Archiepiſcopo, quàm Collegio hujuſmodi, ut præmittitur, conceſſis, & factis, quoad reliqua omnia ſalvis, & illæſis, ac in ſuo pleno robore permanentibus, nec non forſan alias Partes ipſæ verbo, vel in ſcriptis convenerunt, pepigerunt, & concordarunt, ut conventio, & concordia, nec non pactio hujuſmodi eorum ſucceſſores præfatos adſtringerent, & obligarent, illa omnia ſupraſcripta approbari, & confirmari voluerunt. Quare Julius Cardinalis, & Felix Archiepiſcopus, ac Collegium, necnon Guidobaldus Dux præfati Nobis humiliter ſupplicarunt, ut conventioni, & concordiæ, ac ſine illarum præjudicio, & læſione, ſtatutis, ordinationibus, exemptioni, ſegregationi, liberationi, conceſſioni, confirmationi Prædeceſſoris hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentiâ firmiori robur Apoſtolicæ firmitatis adjicere, aliaque in præmiſſis opportuna providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum, ac præſertim Venerab. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum Domeſticorum Urbis, prout poſſumus, libenter annuimus, veriores dictæ concordiæ, & conventionis, nec non Statutorum, Ordinationum, exemptionis, ſegregationis, liberationis, conceſſionis, & confirmationis prædictarum, tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conventionem, & concordiam præfatas, etiamſi in ſcriptis non extent, ſed verbis dumtaxat initæ ſint, ac ſine earum præjudicio, & læſione, ſtatuta, ordinationes, exemptionem, ſegregationem, liberationem, conceſſionem, & confirmationem, nec non literas Julii Prædeceſſoris hujuſmodi, & prout illas concernunt, omnia, & ſingula in eiſdem concordiâ, & literis Julii Prædeceſſoris contenta, ac exinde ſecuta quæcumque Apoſtolicâ authoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, nec non eis plenum robur firmitatis adjicimus omneſque, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eiſdem ſupplemus, nec non illa valida, & efficacia fore, & eſſe, ac per eoſdem præmiſſos, & alios, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, obſervari debere, nec ab illis ullo umquam tempore reſilire poſſe, ſed modernum Archiepiſcopum, & Succeſſores ſuos, ac Collegium præfatos ad illorum totalem obſervationem teneri, & obligatos fore, nec non quibuſvis juris, & facti opportunis remediis ad id cogi, & conſtringi poſſe. Et ita per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quâvis authoritate fungentes, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere; nec non ex nunc, ſi ſecus ſuper iis à quoquam quâvis authoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, & declaramus; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ Urbinat. Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, ac Literis Apoſtolicis eiſdem Archiepiſcopo, & Collegio, ac quibuſvis aliis quomodolibet, etiam motu ſimili conceſſis, approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, adjectionis, ſuppletionis, decreti, declarationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, tertiodecimo Kal. Martii Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Quam idem Pontifex approbat & confirmat.

Cum clauſula ſublata, & derogationibus opportunis.

§. 13. Poſtmodum verò idem Pius Papa IV. antedictum Collegium Doctorum amplioribus privilegiis, & gratiis ornare volens, duos ſingulis annis in Poeſi doctos poeticâ laureâ decorandi: nec non eos, quos prævio diligenti examine idoneos, ac ſufficientes comperiſſet, ad Doctoratus in Jure tam Canonico, quàm Civili, & Bachalaureatus, Licentiaturæ, ac Magiſterii in Medicinâ, vel alia licitâ facultate gradus promovendi; Notarios itidem publicos, ſeu Tabelliones, & Judices Ordinarios, prævio ſimili examine idoneos repertos creandi: Nothos etiam, ſpurios, inceſtuoſos, manſeres, & ex quocumque illicito coitu pro creatos legitimandi, & ad primæva naturæ jura, perindè ac ſi de legitimo matrimonio nati eſſent, reſtituendi: Nobiles inſuper, ſeu etiam Milites, & Equites deauratos faciendi, & conſtituendi, amplam præfato Collegio licentiam, facultatem, & authoritatem conceſſerit; ac indulſerit ſuis anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, nono Kal. Martii in ſimili forma expeditis literis, quarum tenor eſt, qui ſequitur, videlicet.

Idem Pius IV. eidem Collegio facultatem laureandi Poetas, & Doctores Magiſtros, ac Notarios creandi, & Spurios legitimandi &c. conceſſit.

Tenor ſecundæ Bullæ Pii IV.

§. 14. Pius Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sedes Apoſtolica gratiarum abundantiſſima mater, ac illarum ſolertiſſima diſpenſatrix; Doctorum hominum Collegiis amplas facultates interdum tribuere conſuevit, ad hoc, ut ejus munera per multorum peritorum maturam deliberationem, & prudens judicium, nonniſi Perſonis benemeritis conferantur, ac diſtribuantur. Hinc eſt, quod Nos, qui accepimus olim cla. mem. Guidobaldum Urbini Ducem commoditatibus, & indemnitatibus univerſorum Subditorum ſuorum providere cupientem, in Civitate Urbini unum Collegium treſdecim Doctorum forſan nuncupatum, coram quibus omnes, & ſingulæ totius Ducatus, ac Dominii pro tempore exiſtentis Urbinaten, Ducis, & Subditorum præfatorum Cauſæ Eccleſiaſticæ, & prophanæ, nec non etiam mixtæ tractarentur, & definirentur, inſtituiſſe, illudque per fel. rec. Julium PP. II. Prædeceſſorem noſtrum, ac etiam per Nos, & forſan alios Romanos Pontifices etiam prædeceſſores Noſtros approbatum, & confirmatum extitiſſe, ac illi nonnulla privilegia, conceſſiones, & indulta, quibus ipſi Doctores circa deciſiones, & expeditiones Cauſarum uti deberent, authoritate Apoſtolicâ conceſſa fuiſſe, idem Collegium, ejuſque Doctores amplioribus favoribus, & gratiis proſequi, ac decorare volentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis pro eis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtrâ merâ liberalitate Collegio, & Doctoribus hujuſmodi nunc, & pro tempore exiſtentibus ad inſtar nonullorum

Refert erectionem Collegii à Guidobaldo Duce factam, & Apoſtolica authoritate probatam.

Eidem Collegio facultatem tribuit duos quotannis poetica laurea decorandi.

rum aliorum Italiæ Collegiorum, in perpetuum duos singulis annis in poesi doctos poeticâ laureâ decorandi & insigniendi, nec non eos, quos in jure Canonico, & Civili, seu altero eorum studuisse, in eisque, seu eorum altero per diligentem examinationem scientia, & moribus idoneos, ac sufficientes esse invenerint, in utroque, seu altero jurium hujusmodi, aut medicinâ, vel aliâ licitâ facultate studuisse, & similiter per diligentem examinationem duorum, vel trium per eos eligendorum, Doctorum, seu Magistrorum, vel Licentiatorum facultatis, in quâ studuerint, coram eis habendam, ac fidelem Magistrorum, seu Doctorum eorumdem attestationem, medio juramento eis faciendam peritos, ac scientiâ, & moribus ad hoc idoneos sufficientesque esse repererint, de eorumdem Doctorum, seu Magistrorum, vel Licentiatorum consilio, & assensu, ac eorum votis juratis in artibus, aut medicina, vel alia licita facultate hujusmodi ad Baccalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magisterii gradus promovendi, ac in eis legendi, disputandi, & interpretandi, nec non alios actus ad personas in hujusmodi gradibus constitutas quomodolibet pertinentes faciendi authoritatem concedendi, & ipsorum graduum solitâ insignia eis exhibendi, nec non eos quos ad hoc idoneos, & fideles, ac in literatura sufficientes esse repererint, in Notarios publicos, seu Tabelliones, & Judices Ordinarios, recepto prius ab eis, juxta formam præsentibus annotatam, solito juramento, creandi, ac de Notariatus, & Tabellionatus, ac Judicatus officii hujusmodi per pennam, & calamare, ut moris est, investiendi; Nec non Nothos, Bastardos, naturales, spurios, incestuosos, & manseres copulativè, vel disjunctivè ex quocumque illicito coitu procreatos, tam præsentes, quàm absentes, viventibus, seu etiam mortuis eorum Parentibus; ita ut ad paternam, & alias successiones bonorum quorumcumque suorum Agnatorum, Cognatorum, & Attinentium, sine præjudicio tamen venientium ab intestato admitti, & in illis succedere; Necnon ad honores, dignitates, status, gradus, & officia secularia publica & privata quæcumque recipi, & admitti, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè possint, & valeant, ac si de legitimo matrimonio procreati essent, servatâ tamen formâ literarum nostrarum desuper editarum legitimandi, ac ad primæva, ac legitima naturæ jura, & quoslibet actus legitimos restituendi, & reducendi; Nec non Nobiles, seu etiam Milites, vel etiam Equites deauratos, ut pro fide, justitiâ & Religione pugnent, hortando, faciendi, creandi, & constituendi, eisque insignia, & arma in similibus dari solita, dandi, & concedendi, nec non ipsos nobilitatis equestribus insigniis decorandi, dictâ authoritate tenore præsentium licentiam, facultatem, & authoritatem concedimus, & indulgemus, non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non legibus Imperialibus, ac statutis, & consuetudinibus, etiam municipalibus Civitatum, & locorum, in quibus ipsi legitimandi fuerint, juramento confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, illis præsertim, quibus caveri dicitur expresse, quòd Naturales, & Bastardi legitimari non possint, nisi de consensu legitimorum, & naturalium, nec non quibusvis Cancellariæ Apostolicæ regulis per Nos, & Sedem eamdem in contrarium hactenùs editis, & in posterum edendis; ac privilegiis, indultis, & Literis Apostolicis, etiam quibusvis Universitatibus, studiorum generalium Collegiis; & quibusvis aliis locis, etiam motu simili, & ex certâ scientiâ, ac

Nec non promovendi prævio examine viros idoneo ad gradus Doctorarus, Magisterii, Baccalaureatus, & licentiaturæ.

Creandi insuper Notarios publicos.

Spurios legitimandi.

Nobiles, Milites, & Equites deauratos constituendi.

de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam de consilio ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium concessis, & confirmatis, ac in posterum concedendis, & confirmandis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Forma autem juramenti, quod Notarii, Tabelliones, & Judices per ipsos Collegium, & Doctores, ut præfertur, creandi hujusmodi præstabunt, talis est. Ego N. de N. Clericus N. ab hac horâ in antea fidelis ero Beato Petro, & S. R. E. ac Domino meo Pio Papæ IV. & Successoribus suis canonicè intrantibus, non ero in consilio, auxilio, consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium, quod mihi per se, vel literas, aut Nuncium manifestabunt, ad eorum damnum scienter nemini pandam, si verò ad meam notitiam aliquid devenire contingat, quod in periculum Romani Pontificis, aut Ecclesiæ Romanæ vergeret, seu grave damnum, illud posse impediam, & si hoc impedire non possem, procurabo bona fide id ad notitiam Domini Papæ perferri, Papatum, Romanum, & Regalia S. Petri, ac jura ipsius Ecclesiæ specialiter, si qua eadem Ecclesia in Civitate, vel terra, de qua sum oriundus, habeat, adjutor eis ero ad defendendum, & detinendum, seu recuperandum contra omnes homines; Tabellionatus officium fideliter exercebo, contractus in quibus exigitur consensus Partium, fideliter faciam nil addendo, vel minuendo sine voluntate Partium, quod substantiam contractus immutet; si verò in conficiendo aliquod Instrumentum unius solius Partis sit requirend. voluntas, hoc ipsum faciam, ut scilicet nil addam, vel minuam, quod immutet facti substantiam contra voluntatem ipsius; Instrumentum non conficiam de aliquo contractu, in quo sciam intervenire, seu intercedere vim, vel fraudem; contractus in Protocollum redigam, & postquam in Protocollum redegero malitiosè non differam contra voluntatem illorum, vel illius, quorum, seu cujus est contractus, super eo publicum conficere Instrumentum, salvo meo debito, & consueto salario. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, Indulti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, nono Kal. Martii Pontificatus nostri anno V.

Derogat ampliſſimè quibuſcumque contrariis.

Formula juramenti à Notariis præſtandi.

§. 15. Deindè memoratus Urbanus VIII. Prædecessor noster, ne dubitari contingeret, an ejusmodi Privilegia à Julio II. & Pio IV. concessa præfato Collegio per obitum q. Francisci Mariæ ultimi Ducis Urbini, & devolutionem illius Ducatus ad Sedem Apostolicam adhuc durarent, vel expirassent, ipsi Collegio facultatem, ac authoritatem cognoscendi, & judicandi causas appellationum tam Ecclesiasticas, quàm Laicales omnium, & quorumcumque Judicum Ducatus, & Legationis Urbinaten. (exceptis tamen Bene-

Urbanus VIII. privilegia à Prædecessoribus eidem Collegio concessa confirmavit.

ficialibus, ac iis, quæ juxta disposítionem Concilii Tridentini, vel aliàs de jure essent inappellabiles) in secundis seu tertiis instantiis, ac in omnibus illis, in quibus daretur appellatio, postquam judicatæ fuissent à Judicibus ordinariis appellationum, ubi existerent, & nonnullis adjectis declarationibus, & dispositionibus tam circa electionem, & numerum Doctorum votantium, & supranumerariorum ejusdem Collegii, quàm circa modum ab ipsis in ejusmodi Causarum decisione servandum, concesserit, ac impertitus fuerit; prætereà expressè decreverit, ac dispouerit, ut in præmissis causis appellationum tam Ecclesiasticis, quàm laicalibus ad Collegium spectantibus appellari non posset *omisso medio*, & si appellari contingeret, nullus Judex se ingerere deberet, nisi in vim specialis commissionis Romani Pontificis pro tempore existentis manu signatæ; aliàs licitum esset eidem Collegio ad ulteriora procedere, non obstante quacumque inhibitione, & absque alicujus pœnæ incursu, ipsumque Collegium reassumere, inhibere, & exequi posset, prout de jure, ac ubi Collegium judicasset in casu, quo dari deberet appellatio, tunc ejus cognitio, seu commissio ad existentem pro tempore in eisdem partibus Apostolicæ Sedis Legatum, pertineret; ac insuper eidem Collegio statuta super modo cognoscendi causas, & pro felici ipsius gubernio necessaria, & opportuna condendi, & quoties sibi videretur, immutandi, ac innovandi, salvâ tamen semper approbatione d. Legati, sive ejus V. Legati facultatem pariter concesserit, ac indulserit; nec non doctorandi, & alia privilegia eidem Collegio competentia, dummodò essent in usu, & non essent revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, & sacris Canonibus, Concilii Tridentini decretis, Constitutionibusque Apostolicis non adversarentur, approbaverit, & confirmaverit per suas in formâ Brevis die octava Julii anno millesimo sexcentesimo trigesimo sexto expeditas literas tenoris sequentis, videlicet:

Dispositit insuper, ut in causis ad Collegium spectantibus appellari non posset omisso medio.

Eidem Collegio facultatem indulsit condendi statuta, approbanda tamen à Legato, seu Vice-Legato.

Tenor Brevis Urbani VIII.

S. 16. Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut pro parte dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum Civitatis nostræ Urbinaten. nec non Collegialium Collegii Doctorum ejusdem Civitatis Nobis nuper expositum fuit, Collegium præfatum, in quo admittuntur omnes ii, qui ex Patre Cive nati ad Doctoratus gradum Urbini promoventur prætextu literarum fel. rec. Julii II. super erectione dicti Collegii, & Pii IV. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum super confirmatione certæ concordiæ inter eosdem Doctores, & tunc existentem Archiepiscopum Urbinaten. super causarum cognitione in primâ, secundâ, & tertiâ instantiis initæ emanatæ facultatem judicandi in causis appellationum tam in foro sæculari, quàm Ecclesiastico Status, ac Ducatus Urbini, aliarumque Civitatum, Terrarum, & Locorum per obitum q. Francisci Mariæ ultimi Ducis Urbini ad Sedem Apostolicam devolutorum, & nostro incorporationis Decreto comprehensorum sibi competere prætendant, Nos ejusdem Civitatis Communitatem, & homines, nec non Doctores præfatos ob præcipuum, quo illos complectimur, paternæ charitatis affectum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quæ quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne dubitari contingat, an dicta privilegia Julii II. & Pii IV. adhuc durent, vel expiraverint per mortem dicti ultimi Ducis, tresdecim ejusdem Collegii Doctoribus, ut infrà, eligendis, & pro tempore existentibus facultatem de cætero judicandi in causis appellationum status præfati, aliarumque Civitatum, Terrarum, & Locorum supranarratorum tam in foro Sæculari, quàm Ecclesiastico auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus, & impertimur; ita tamen, quòd ex dicto Collegio DD. tresdecim Votantes, & quatuor, vel quinque Supranumerarii, si opus fuerit, eligantur, qui eorumdem Votantium, si abfuerint, vel si suspecti allegati fuerint, vices in judicando supplere valeant, sed existente necessario Votantium numero, ut infra dicetur, à dando, vel ferendo voto se abstinere debeant, nec judicare possint. Porrò tam Votantium, quàm Supranumerariorum electio pro prima vice dilecto Filio nostro Francisco S. Laurentii in Damaso Diacono Cardinali Barberino nuncupato S.R.E. Vicecancellario, nostro secundùm carnem ex Fratre germano nepoti, & in Statu, ac Ducatu Urbini, & præfatis aliis Terris, & Locis hujusmodi nostro, & Apostolicæ Sedis de Latere Legato reservata sit, & censeatur; de cætero autem deficiente aliquo ex supradictis, tres à præfato Collegio Doctores nominabuntur, quorum unus ab ipso Francisco Cardinali moderno, seu pro tempore existente Legato, vel ab hac Sede eligetur. Inter hos tresdecim Doctores Votantes, quinque ad minus erunt Ecclesiastici non uxorati, sed incedentes in habitu, & tonsura Clericalibus, ad quos solos dumtaxat causarum Ecclesiasticarum cognitio pertinebit, in quibus Laici se aliàs ingerere non valeant, nec possint, quàm in dando eorum voto consultivo. In causis verò laicalibus ipsi votum dabunt, & ferent promiscuè cum Laicis, & eas, prout juris erit, terminabunt, non tamen votis secretis, sicut in præfatis Julii II. Prædecessoris nostri literis concessum fuit, sed votis apertis, & in jure fundatis, & sententiæ ad minus in causis Ecclesiasticis à Judice, seu Ponente subscribentur, non obstante stylo in contrarium faciente. Habebit Collegium mediante distinctione præfatâ, auctoritatem cognoscendi causas appellationum tam Ecclesiasticas, quàm Laicales omnium, & quorumcumque Judicum Legationis supradictæ, exceptis tamen beneficialibus, & iis, quæ juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini, vel aliàs de jure sunt inappellabiles, in secundis, seu tertiis instantiis, & in omnibus illis, in quibus dabitur appellatio, postquam judicatæ fuerint à Judicibus ordinariis appellationum, ubi dicti Judices appellationum existunt, quibus nullum censeatur illarum præjudicium; Verùm in causis Ecclesiasticis pro earum definitione ad minus tres Judices, & in Laicis ad minus quinque interveniant, & in illorum defectu, ut præfertur, supplebunt Supranumerarii, & etiam in eorum defectu poterunt subrogari alii Judices ad electionem, & de consensu Partium, dummodò in causis Ecclesiasticis pro earum definitione semper sint Judices Ecclesiastici. In causis appellationum spectantibus, ut supra dictum est, ad Collegium, tam Ecclesiasticis, quàm Laicalibus appellari non possit, *omisso medio*, & si appellari contigerit, in iis nullus Judex se ingerere debeat, nisi in vim commissionis expressæ, manu nostra signatæ; aliàs licitum sit eidem Collegio ad ulteriora procedere, non obstante quâcumque inhibitione, & absque alicujus pœnæ incursu, ipsumque Collegium reassumere, inhibere, & exequi possit, prout juris erit. Ubi verò Collegium judicaverit, in casu quo dari debeat appellatio, ejus cognitio, seu commissio ad dictum Legatum spectabit. Præterea eidem Collegio statuta

Facultatem Collegio tribuit judicandi in causis appellationum Status Urbini.

Novam præscribit regulam quoad numerum Doctorum Collegii.

Et eorum qualitatem ac votum in causarum decisione ferendum.

Collegium judicare debet omnes causas exceptis beneficialibus.

In causis Ecclesiasticis tres ad minus sint Judices Clerici non uxorati.

In Laicalibus sint saltem quinque Laici, vel Clerici.

In causis appellationum ad Collegium spectantium appellari non possit omisso medio.

Urbanus VIII. confirmat præcedentia Indulta Collegio conceſſa condendi ſtatuta, doctorandi, & alia omnia, dummodo ſint in uſu.

ſuper modo cognoſcendi cauſas, & pro felici ipſius gubernio neceſſaria, & opportuna condendi, illaque toties, & quoties ſibi videbitur, & placuerit, alterandi, immutandi, & innovandi, ſalvâ tamen ſemper approbatione dicti Legati, ſive ejus Vicelegati, facultatem concedimus, & impertimur; nec non doctorandi, & alia privilegia eidem Collegio competentia, dummodò ſint in uſu, nec ſint revocata, neque ſub aliquibus revocationibus comprehenſa, ſacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, conſtitutionibuſque Apoſtolicis non adverſentur, auctoritate, & tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, dictoque Collegio in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, & irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper iis à quoquam quâvis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus, omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die octavâ Julii 1636. Pontificatus noſtri Anno XIII.

Cum decreto irritanti & aliis clauſulis conſuetis.

Clemens X. in ſtudio publico, & collegio DD. inter ſe Civium opera conjunctis Univerſitatem Studii generalis inſtituit, ac erexit.

§. 17. Poſtremò ſimilis memoriæ Clemens X. etiam Prædeceſſor noſter ex publico Studio pro lectionibus Sacrorum Canonum, & Legum Civilium, ac aliarum ſcientiarum, ſeu facultatum, & præſertim mathematicarum diſciplinarum in prædictâ Urbinatenſi Civitate olim inſtituto, nec non ex præfato Doctorum Collegio, recenter Civium opera inter ſe unitis, & conjunctis, unam Univerſitatem Studii generalis, in qua Sacra Theologia, Jus Canonicum, & Leges Civiles, Philoſophia, Mathematicæ, aliæque ingenuæ diſciplinæ, ſcientiæ, & artes publicè docerentur, ac perlegerentur, & qui peracto ſtudiorum curriculo idonei reperti fuiſſent, ad Baccalaureatus, Magiſterii, Doctoratus, alioſque gradus ſcholaſticos, ſervata in omnibus Viennen. & Tridentini Conciliorum diſpoſitione, promoveri liberè, & licitè poſſent, in omnibus, & per omnia, prout in aliis Studiorum generalium Univerſitatibus per Sedem Apoſtolicam erectis fieri ſolet, Apoſtolicâ auctoritate perpetuò erexerit, & inſtituerit, ac ipſi Univerſitati Studii generalis ſic erectæ, & inſtitutæ, ejuſque Rectoribus, Magiſtris Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Officialibus, & Miniſtris, aliiſque perſonis quibuſcumque pro tempore exiſtentibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, prærogativis, honoribus, præeminentiis, & gratiis, quæ tam per ſa.me. Clementem VIII. quàm alios quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, tunc ſuos, Univerſitati Studii generalis Civitatis noſtræ, tunc pariter ſuæ, Ferrarien. ejuſque Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Officialibus, & Miniſtris, aliiſque perſonis reſpectivè, etiam per viam communicationis, & aliàs quomodolibet, & qualitercumque conceſſa, & attributa fuerunt, pari modo, abſque ulla prorsùs differentiâ uti, frui, & gaudere liberè pariter, & licitè valerent, ſimili auctoritate perpetuò conceſſerit, ac indulſerit, per ſuas in ſimili forma Brevis die vi. Aprilis anno 1671. datas literas tenoris ſequentis, videlicet:

Eidemque Univerſitati omnia contulit privilegia quæ Univerſitati Ferrarienſi conceſſa ſunt.

Tenor Brevis Clementis X.

§. 18. Clemens Papa X. Ad perpetuam rei memoriam. Æternæ ſapientiæ conſilio Speculatores domus Iſrael, quæ eſt Sancta Dei Eccleſia, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio, conſtituti excitandis, promovendiſque bonarum literarum, & laudabilium diſciplinarum ſtudiis, quæ Catholicæ Fidei, divinique cultus propagationi, & incremento, ac juſtitiæ adminiſtrationi, aliiſque in publicum commodis, magnoperè conducibilia ſunt, & depulsâ ignorantiæ caligine mentes luce veritatis illuſtrant, peculiarem Paſtoralis muneris noſtri ſolicitudinem propensâ charitate adhibemus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis ad Omnipotentis Dei gloriam, ac ad hujus Sanctæ Sedis Dignitatem, noſtrorumque, & ejuſdem Sedis etiam in temporalibus Subditorum decorem, commodum, & utilitatem ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Communitas, & homines Civitatis noſtræ Urbinaten. quod cùm Collegium Doctorum ejuſdem Civitatis ex antiquâ conſuetudine publicam in ea Inſtitutionum Juris civilis lectionem haberet, ibique Philoſophia, & Sacra Theologia à Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum publicè quoque perlegerentur in utilitatem Studioſorum, ut peractis Studiorum curriculis ad Doctoratus lauream provehi valerent: Dilectus Filius noſter Alderanus S.R.E. Preſbyter Cardinalis Cybo nuncupatus tunc temporis in illis partibus Sedis Apoſtolicæ Legatus probè cognitum, perſpectumque habens, quantum eidem Civitatis decoris, atque utilitatis accedere poterat, ſi inſtituto ibidem Studio hujuſmodi, quo Parentes eorum liberos Studiorum cauſa alibi ſubſtentandi onere, atque impensâ liberabantur, incrementum, atque norma traderentur, lecturas præfatas in aliquot manſiones remotas, nec ulli alii uſui applicatas Palatii Pontificii dictæ Civitatis inſimul redegit, aliaſque ordinarias Sacrorum Canonum, & Legum Civilium, ac aliarum ſcientiarum, ſeu facultatum, & præſertim mathematicarum diſciplinarum, quæ in eadem Civitate ante hac eximiè floruerunt, lectiones, ſeu Cathedras inſtituit, ut ibidem tam indigenæ, quàm Exteri, tradita ſibi à Domino talenta docendo exercere valerent, & Juventus ad ingenuas artes, atque ſcientias addiſcendas, atque excolendas ardentiori ſtimulo incitaretur, huicque Studio nonnullos paucos redditus ſub Vexilliferi pro tempore exiſtentis, & ſex Nobilium præfatæ Civitatis ſuperintendentia aſſignavit, ac fel.rec. Innocentius Papa Decimus Prædeceſſor noſter, cognitâ grandi utilitate, quæ inde reſultabat in favorem ejuſdem Studii, quædam bona ſtabilia duorum Conventuum ſuppreſſorum Congregationis Monacorum Cœleſtinorum, & Ordinis Fratrum Servatæ Beatæ Mariæ Virginis reſpectivè conceſſit; Et ſubinde recol. me. Alexander Papa Septimus etiam Prædeceſſor noſter publici pariter commodi conſideratione adductus, proventum annuum Spheriſterii, qui prius ad exiſtentem pro tempore in eiſdem partibus Sedis præfatæ Legatum ſpectabat; eidem Studia applicavit. Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, emolumenta quidem ex præmiſſis provenientia ſtipendiis, quæ Lectoribus dicti Studii annuatim præſtantur, ſufficiant; ſi verò Studium hujuſmodi in Univerſitatem Studii generalis cum privilegiis, & indultis ad inſtar illorum, quæ à piæ mem: Clemente Papa Octavo Prædeceſſore pariter noſtro Univerſitati Studii generalis Civitatis noſtræ, tunc ſuæ, Ferrarienſis conceſſa fuerunt, erigeretur, &

Card. Cybo Legatus Lectoribus Univerſitatis manſiones in Palatio Pontificio Urbini conſtituit.

Illis inſuper nonnullos proventus aſſignavit.

Quos Innocentius X. auxit ex redditibus duorum Conventuum ſuppreſſorum.

Et Alexander VII. ſimiliter amplificavit aſſignatione proventus Sphæriſterii.

instituereturr, inde numerus studiosorum tam Provincialium, quàm Exterorum ibidem excresceret, & non solùm dictæ Civitatis Urbinatensis, quæ à mari remota commercio non admodum floret, sed victualibus abundat, & quieti, quam literarum studia desiderant, colendæ peropportuna existit decori, & ornamento, sed etiam illius civium & incolarum compendio utilitati & levamento magnoperè consuleretur. Cumque dicti Exponentes hujusmodi erectionis, & institutionis gratiâ procuraverint, ut idem Studium, ac memoratum Doctorum Collegium, quod ante hac à dicto Studio divisum fuit, &, (ut asseritur) vigore quarumdam similis rec. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri literarum per similis memoriæ Urbanum Papam Octavum Prædecessorem pariter nostrum confirmatarum facultate conferendi lauream doctoralem in quibuscumque facultatibus, ac creandi Equites, & legitimandi Spurios fruitur; nec non ex privilegio per piæ pariter memoriæ Julium Papam Secundum, & dictum Pium Prædecessores concesso de causis appellationum in secundâ, & tertiâ instanti tam civilibus, quàm criminalibus, Ecclesiasticis, & prophanis in illo Statu, & Provincia cognoscit, firmâ, stabilique unione inter se conjungerentur; Nobis propterea ipsi Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ad constantis fidei, & sinceræ devotionis affectum, quem dicti Exponentes erga Nos, & Sedem præfatam gerere comprobantur, paternæ dirigentes considerationis intuitum, eorumque votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de nonnullorum dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc negotio à similis rec. Clemente Papa IX. Prædecessore pariter nostro deputatorum consilio, in præfatâ Civitate Urbinaten. ex Collegio Doctorum, & Studio hujusmodi, sicut præmittitur, inter se unitis, & conjunctis, unam Universitatem Studii generalis, in qua Sacra Theologia, Jus Canonicum, & Leges Civiles philosophia, mathematicæ aliæque ingenuæ disciplinæ, scientiæ, & artes publicè doceantur, & prælegantur, & qui peracto studiorum curriculo habiles, & idonei reperti fuerint, ad Baccalaureatus etiam formati, ac Magisterii, & Doctoratus, aliosque gradus scholasticos, servatâ tamen in omnibus formâ, & dispositione Viennen. & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, promoveri liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, prout in aliis Studiorum generalium Universitatibus per Sedem Apostolicam præfatam erectis fieri solet, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, sine alicujus præjudicio, perpetuò erigimus, & instituimus, ac ipsi Universitati Studii generalis sic erectæ, & institutæ, ejusque Rectoribus, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, & Scholaribus, Officialibus & Ministris, aliisque Personis quibuscumque pro tempore existen. ut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, favoribus, honoribus, prærogativis, præeminentiis, & gratiis quibuscumque, quæ tam per præfatum Clementem VIII. quàm alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros præfatæ Universitati Studii generalis Ferrarien. ejusque Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Officialibus, & Ministris, aliisque personis respectivè etiam per viam communicationis, & aliàs quomodolibet, & qualitercumque concessa, & attributa fuerunt pari modo, & absque ulla prorsus differentiâ uti, frui, & gaudere liberè pariter, & licitè valeant, sine ullo tamen præjudicio exactionum Cameralium, circa quas nihil innovatum sit, auctoritate, & tenore præfatis itidem perpetuò concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium erectionum, & gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos & Successores nostros Romanos Pontifices, ac Sedem præfatam quandocumque faciendis unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanaverint, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenariæ reintegratas, ac etiam sub posteriore datâ per eos, ad quos pro tempore spectabit, eligenda de novo concessa intelligi, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, & illis respectivè in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. præfatæ Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosque quoslibet, quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super iis à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non, quatenus opus sit, dictæ Civitatis Urbinaten. aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibuscumque Personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inserrentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die sexta Aprilis 1671. Pontificatus nostri anno primo.

§. 19. Nos igitur attendentes firmiora esse ea, quibus Sedis prædictæ sæpius intercedit auctoritas, ac Universitatem Studii generalis, & Collegium Doctorum præmemorata specialibus favoribus, & gratiis prosequi, ornare volentes, motu pro-

Clemens X. ex Collegio DD. & Studio publico simul unitis Universitatem generalem erigit, ac instituit.

Cui omnia privilegia, & indulta concedit, quæ Universitati Ferrarienſi competunt.

Cum decreto irritanti, sublata, & aliis ampliſſimis clauſulis, & derogationibus conſuetis.

Clemens XI. prædictas Bullas, & Brevia Julii II. Pii IV. Urbani VIII. & Clementis X. ampliſſimè confirmat.

proprio, non ad cujuſquam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex merâ liberalitate, certâ ſcientiâ, ac maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, præinſertas Julii II., Pii IV. Urbani VIII., & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum literas, omniaque, & ſingula in eis contenta tenore præſentium auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, ac irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & munimen adjicimus; quinimo motu, ſcientiâ, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus omnia, & ſingula in eiſdem literis contenta denuò ſtatuimus, ſancimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuſcumque etiam ſpeciali, ac individuâ notâ dignis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, exactè, inconcuſſè, ac inviolabiliter perpetuò obſervari volumus, decernimus, & mandamus.

Decernit in cauſis ad Collegium ſpectantibus appellari non poſſe omiſſo medio, ac diſtrictè inhibet quibuſcumque Judicibus, nè in ejuſmodi cauſarum cognitione ſe immiſceant

§. 20. Præterea ad tollendas controverſias pluries obortas, & in Romanâ Curiâ agitatas circa interpretationem prædictarum literarum Urbini VIII. Prædeceſſoris, in quibus decernitur, quod in cauſis appellationum tam Eccleſiaſticis, quàm Laicalibus, ad memoratum Collegium ſpectantibus appellari non poſſit *omiſſo medio*, & ſi appellari contigerit, nullus Judex ſe ingerere debeat, niſi in vim ſpecialis commiſſionis Romani Pontificis pro tempore exiſtentis manu ſignatæ; declaramus, & Apoſtolicâ auctoritate, quatenùs opus ſit, denuò ſancimus, decernimus ac ordinamus, omnes, & quaſcumque cauſas appellationum interpoſitarum à ſententiis, ſeu decretis latis à quibuſcumque Judicibus tam Eccleſiaſticis, quàm Laicalibus omnium, & quarumcumque Civitatum, Terrarum, & locorum Ducatus, & Legationis Urbinaten. (exceptis tamen beneficialibus, ac iis, quæ juxta Tridentini Concilii diſpoſitionem, vel alias de jure ſunt inappellabiles, ac iis inſuper exceptis, quæ prius in Curiâ Archiepiſcopali Urbinaten., vel ab aliis Judicibus ordinariis appellationum in locis, ubi exiſtunt, ut præfertur, judicandæ erunt) in ſecundis, ſeu tertiis inſtantiis omninò devolvi debere ad prædictum Collegium Doctorum; inhibentes, ac ſtrictè interdicentes, ne *hoc miſſo medio* appellari poſſit ad pro tempore exiſtentem Urbini Legatum, ſeu Vicelegatum, nec etiam ad Auditoris Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, vel quodcumque aliud quantumlibet privilegiatum, ac ſpeciali mentione dignum Romanæ Curiæ Tribunal, aut Judicem, & ſi appellari contigerit, nullus Judex in ejuſmodi cauſis ſe ingerere poſſit, niſi vigore ſpecialis commiſſionis, quæ noſtrâ, vel Romani Pontificis pro tempore exiſtentis manu ſignata fuerit: Quod ſi abſque hujuſmodi commiſſione ſe ingerere præſumpſerit, omnia ab eo geſta, & decreta, attentata, nulla, ac irrita ſint eo ipſo; quin etiam eidem Collegio, ut quacumque inhibitione non obſtante, & abſque alicujus pœnæ incurſu, ad ulteriora in ſimilibus cauſis procedere, ac ubi opus fuerit, inhibere, eaſque, à quocumque Judice, & Tribunali reaſſumere, cognoſcere & prout juris eſſe cenſuerit, fine debito terminare liberè, ac licitè poſſit, & valeat, ſimili auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, ac indulgemus.

Statuit inſuper loca quæ Ducatui Urbini ſubjecta erant, dum Sixtus V. Rotam Maceraten. erexit, ſub ejuſdem Pontificis diſpoſitione nou comprehendi.

§. 21. Ad hæc aliam ſimiliter controverſiam non ſemel excitatam, an oppida, & loca, quæ dum fel. pariter rec. Sixtus V. Prædeceſſor noſter Tribunal Audientiæ Cauſarum Provinciæ Marchiæ, Rotam nuncupatam, in Civitate noſtrâ, tunc ſuâ, Maceratenſi per literas anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo, Idibus Martii ſub plumbo expeditas, inſtituit, ac erexit, Ducatui Urbini ſubjecta erant, ſub earumdem literarum diſpoſitione comprehenderentur, è medio tollere, ac penitus dirimere cupientes, & declarationibus aliàs, nuper, nempè diebus 23. Septembris, & 7. Octobris anno milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo per Dilectum Filium noſtrum Petrum Marcellinum Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyterum S. R. E. Cardinalem Corradinum nuncupatum, tunc Pro-Auditorem noſtrum, factis inhærentes, Civitates, Oppida, & Loca omnia, quæ Ducatui Urbini tempore, quo præfatæ Sixti Prædeceſſoris literæ emanarunt, ſubjecta erant, ſub earumdem literarum diſpoſitione non comprehendi, nec ullo modo comprehenſa cenſeri; ac ita à quibuſcumque Judicibus perpetuò judicari, ac definiri debere, ſtatuimus, decernimus, & declaramus.

Memorat Edicta Ducum, & Legatorum quibus cavetur, ut omnes Subditi Ducatus Urbini non alibi, quàm in Urbinaten. Univerſitate Doctoralem Lauream accipiant.

§. 22. Demum, cum ſicut accepimus, tametſi pluribus Edictis, quorum primum à præfato Guidobaldo ſecundo Urbini Duce die 17. menſis Auguſti anno 1565. alia verò recentiora à diverſis ejuſdem Civitatis pro tempore Legatis, & V. Legatis promulgata fuerunt, ſalubriter cautum, ac expreſſè vetitum fuerit, ne Subditi ejuſdem Ducatus & Legationis alibi, quàm in memorato Urbinatenſi Doctorum Collegio Lauream, & Gradum Doctoratus accipiant, & qui ſecus fecerint, ab omnibus, & quibuſcumque publicis in ea Provinciâ muneribus, ac officiis excludantur, nec ibidem Doctoris profeſſionem exercere unquam poſſint; Nihilominus ejuſmodi Edictorum diſpoſitione poſthabita, quamplures Subditi ad publica munera, & Doctoratus exercitium ibidem paſſim admittantur, licèt Doctoratus inſignia in prædicto Collegio minimè ſuſceperint; Nos proindè eorumdem Edictorum executioni, ac ipſius Collegii decori, utilitati, & incremento, quantum cum Domino poſſumus, opportunè conſulere cupientes, quemadmodum illuſtre cæteris omnibus exemplum præbere curavimus, dum anteactis annis duos ex germano Fratre ſecundum carnem Nepotes noſtros nimirum Dilectum Filium noſtrum Annibalem, modò S. Mariæ in Coſmedin Diaconum S. R. E. Cardinalem, & Camerarium Albanum nuncupatum, & Dilectum pariter Filium Magiſtrum Alexandrum Albanum in utrâque Signatura noſtra nunc Referendarium, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericum, quamvis literarum ſtudiis in hac Almâ Urbe noſtra operam navaſſent, non alibi tamen quàm Urbini in præfato Collegio eos Doctoratus laurea inſigniri voluimus; ita nunc tenore præſentium Apoſtolicâ authoritate decernimus, præcipimus, & mandamus, ut in poſterum, atque perpetuis futuris temporibus Subditi prædictæ Legationis, qui peracto ſtudiorum curriculo, Doctorali Laurea ornari voluerint, eam in memorato Collegio omninò recipere teneantur, & qui alibi ipſam receperint, ad exercenda publica munera, & Officia, atque etiam ad gerendum quarumvis cauſarum in quocumque foro patrocinium in omnibus ejuſdem Legationis locis prorſus inhabiles, & incapaces ſint, ac eſſe intelligantur, nec illos à quoquam ad id, præterquam à Nobis, & à Romano Pontifice pro tempore exiſtente habilitari, neque cum ipſis ſuper hujuſmodi defectu diſpenſari unquam poſſe motu, ſcientiâ, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus ſtatuimus, decernimus, & declaramus.

Et qui ſecus fecerint, inhabiles ad quævis officia in eodem Ducatu habeantur.

Card. Annibal Albanus, & R. P. D. Alexander Albanus, Clementis XI. Nepotes, ad exemplum cæterorum, in d. Univerſitate Doctoralem gradum ſuſceperunt.

Confirmat præfata Edicta, & ab omnibus obſervari diſtrictè mandat, reſervata Summo Pontifici tantum diſpenſandi facultate.

§. 23. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quòd intereſſe in præmiſſis habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, & dignitatis exiſtant, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non

Decretum irritans cum ſublata, & aliis prægnantiſſimis clauſulis.

fue-

fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridicâ, privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab iis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque & non aliter in præmiſſis, per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque authoritate, præeminentiâ, aut poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio ampliſſima quibuſcumque contrariis.

§. 24. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulâ de jure quæſito non tollendo, & quibuslibet Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis, & edendis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, quibus omnibus, & ſingulis quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſè, ac latiſſimè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides habenda tranſumtis

§. 25. Cæterum volumus, quòd earumdem præſentium literarum tranſumtis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

§. 26. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtrarum Confirmationis, approbationis, declarationis, mandati, ordinationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo, 14 Kal. Aprilis Pontificatus noſtri Anno 21.

§. 27. Nè autem de approbatione, confirmatione, innovatione, decretis, declarationibus, novis conceſſionibus, ſtatutis, mandato, & voluntate Clementis Prædeceſſoris circa præmiſſa ex eo, quod ipſius Clementis Prædeceſſoris ob ſubſecutum ejus obitum, ut præfertur, literæ Apoſtolicæ præinſertæ ab ipſo ſubſignatæ, ac in forma ſolita expeditæ non fuerint, valeat quomodolibet hæſitari, & ii, quorum intereſt, aut intereſſe poterit, quomodolibet in futurum, illorum fruſtrentur effectu, volumus, & Apoſtolica authoritate decernimus, præcipimus, & mandamus, quòd approbatio, confirmatio, innovatio, decreta, declarationes, novæ conceſſiones, ſtatuta, mandatum, & voluntas ejuſdem Clementis Prædeceſſoris, quoad omnia, & ſingula, quæ in præfatis literis continentur, integrum ſortiantur effectum, perindè ac ſi ſuper illis ipſius Prædeceſſoris literæ confectæ, & ſub plumbo juxta conſuetum Romanæ Curiæ morem expeditæ, fuiſſent, quodque præſentes literæ ad probandum, ac plenè juſtificandum approbationem, confirmationem, innovationem, Decreta, declarationes, novas conceſſiones, ſtatuta, mandatum, & voluntatem Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Sanctiſſimus D. N. Innocentius XIII. decernit, & mandat præinſertas literas Clementis XI. omninò obſervari ſuumque effectum ſortiri, perindè ac ſi more Romanæ Curiæ expeditæ fuiſſent.

Eaſque ſpecialiter approbat, & confirmat, & ad majorem cautelam omnia in ipſis contenta approbat, diſponit concedit, & ſtatuit ampliſſimis verbis.

§. 28. Prætereà ne præinſertæ Clementis Prædeceſſoris literæ ullo unquam tempore à quoquam ex quovis capite impugnari, invalidari, aut in controverſiam adduci, & vocari poſſint, ſed perpetuis futuris temporibus firmæ, validæ, efficaces, ac illibatæ perſiſtant, eas Nos tenore præſentium ſpecialiter, & expreſſè approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & munimen adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan deſuper intervenerint, ſupplemus, ac illas perpetuò valere, & obſervari debere volumus, & ordinamus. Inſuper ad majorem, & abundantiorem præmiſſorum cautelam, & executionem, ea omnia, & ſingula, quæ in antedictis præinſertis literis ab eodem Clemente Prædeceſſore in commodum, favorem, ac utilitatem Univerſitatis Studii generalis, & Collegii Doctorum prædictorum approbata, confirmata, conceſſa, diſpoſitâ, ac ſtatuta fuerunt, Nos ſimiliter tenore præſentium ampliſſimè approbamus, confirmamus, concedimus, diſponimus, atque ſtatuimus, eaque omnia, & ſingula ab omnibus, ad quos ſpectat, vel ſpectabit in futurum, inconcuſſè, ac inviolabiliter perpetuò obſervari ex certâ noſtrâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine volumus, decernimus, præcipimus, & mandamus.

Executores deputat præſentis Bullæ cum amplis facultatibus.

§. 29. Quocirca univerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Canonicis, & aliis Perſonis in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, non non modernis, & pro tempore exiſtentibus Urbini Legato, & V. Legato, ſeu ejuſdem Legationis Præſidi, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Auditori, ac eorumdem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Vicariis ſeu Officialibus in ſpiritualibus generalibus per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac pro parte illorum, aut alicujus eorum, quos ipſæ literæ concernunt, & concernent, fuerint requiſiti ſolemniter publicantes, eiſque, & eorum cuilibet in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtrâ omnes, & ſingulos, quos eædem literæ quomodolibet concernunt, & concernent, ut præfertur, illis, & in eis contentis quibuſcumque

pacificè frui, potiri, & gaudere: Non permittentes eorum aliquem desuper per locorum Ordinarios, seu alios quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, & inquietari, Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecunarias illorum arbitrio imponendas, & applicandas pœnas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras, & pœnas prædictas, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, & reagravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat quibuscumque contrariis.

§. 30. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfatus Clemens Prædecessor in prædictis suis literis decrevit non obstare, quæ Nos pariter, ac iterum non obstare decernimus, & mandamus, quibus omnibus, quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, expressè, ac amplissimè, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat fidem adhiberi transumptis.

§. 31. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique ab omnibus habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur si forent, exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 32. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, statuti, Decretorum, Ordinationis, voluntatis, sanctionis, Decreti, Mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo primo, VII. Idus Maii Pontificatus nostri Anno Primo.

P. Card. Prodatarius. F. Card. Oliverius.

Visa de Curia I. C. Archiep. Amasenus.

L. Martinettus.

Quæ sequuntur, sex Brevia, & unica Bulla extra temporis ordinem posita sunt, quoniam ad Collectoris manus serò nimis pervenerunt, postquam scilicet nedum reliqua omnia Brevia, & Bullæ, verùm etiam plura secundæ Partis Operis folia typis impressa jam fuerant, adeòque congruus illis, justusque inter alia locus assignari non potuit. Satiùs porrò visum est eadem septem Diplomata hic utcumque inserere, ut Posteris nota fiant, quàm ea cum Eruditorum querela à præsenti Collectione prorsus excludere, atque silentio præterire.

CVI.

INDULTUM

Fratribus Missionariis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum concessum, ut post servitum, seu ministerium in Missione Æthiopiæ per duodecim annos Sacræ Congregationi Propagandæ Fidei laudabiliter præstitum, si ad suas proprias dicti Ordinis Provincias redire velint, reversi omnibus privilegiis, & prærogativis, quibus Fratres ejusdem Ordinis, qui Ministri Provinciales fuerunt, fruuntur, & gaudent, frui, & gaudere possint, ita ut inter ipsos, & alios Exprovinciales servetur æqualitas, & quoad præcedentiam sola Paternitatis prioritas, seu anterioritas attendatur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

JUstitiæ, & æquitatis ratio postulat, ut Operarii in Vineâ Domini strenuè, utiliterque laborantes præmiis, & honoribus decorentur, quibus, & ipsi ad constanter in suis laboribus persistendum, & alii ad ejusmodi labores alacriter subeundos stimulentur. Cùm itaque (sicut accepimus) Fratres Missionarii Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum in Æthiopiam pro tempore deputati, sive illuc ex Europâ se conferendo propter itinerum per aspera, & deserta loca, montesque agendorum difficultates, & pericula, sivè ibi commorando, propter immodicos illarum Regionum calores, & diversi climatis, ciborumque insalubrium qualitates eorum naturæ contrarias maximos labores sustineant: Quo verò eorum animi ponderi non succumbant, & in susceptis pro Catholicæ Fidei, Christianæque Religionis propagatione laboribus hujusmodi confirmentur, & defessis, seù mercedem emeritis novi semper, & alacres strenuique Operarii succedant, spe alicujus honoris & præmii sublevandi, & excitandi sint. Hinc est quod Nos ex commissæ Nobis cœlitus dispensationis munere illorum honorificentiæ consulere volentes de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis negotiis Propagandæ Fidei præpositæ super rebus Æthiopiæ specialiter deputatorum consilio, ac Motu proprio, & ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dictis Patribus Missionariis, ut post servitium, seù ministerium in Missione Æthiopiæ per duodecim annos dictæ Congregationi Cardinalium perseveranter, & laudabiliter præstitum, si ad suas proprias dicti Ordinis Provincias redire voluerint, reversi omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, præeminentiis, & præcedentiis, quibus Fratres dicti Ordinis, qui Ministri Provinciales fuerunt, tam de jure, usu, & consuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perindè ac si Provincialatus munere perfuncti fuissent, ita ut inter ipsos Fratres Missionarios, ac Exprovinciales servetur æqualitas, & quoad ordinem præcedentiæ sola prioritas, sivè antiquitas Paternitatis attendatur, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit,

in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari: Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, ejuſque Provinciarum etiam Juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & Conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hâc vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die 11. Januarii MDCCIV. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

F. Oliverius.

CVII.

CONCESSIO

Vineæ in loco Parioli Sacræ Congregationi de propaganda Fide, & fundatio Alumnatus pro Juvene Nationis Epiri, ſeù Albaniæ ab eadem Congregatione nominando.

CLEMENS PAPA XI.

Urbis motu proprio.

Exordium ſumit à bona valetudine Juvenum in Collegio commorantium procuranda.

CUm in iis, quæ ad Divinum Cultum, Sanctamque Catholicam Religionem ampliandam, conſervandamque pertinent, non tam operis initium, quam illius firmitas, perpetuitaſque ſpectanda ſit; Nos præcipuas muneris noſtri partes eſſe intelligimus, nedum ſpiritualibus Piorum inſtitutorum ad id tendentium incrementis peculiari ſtudio adniti, verùm etiam temporalibus illorum commodis, & tranquillitati proſpicere, quos Divina Bonitas ad Sacrum Evangelicæ Prædicationis, Fideique propagandæ Miniſterium adlegit, ut tamquam digni Operarii in Agro Domini, cum tempus Meſſis advenerit, ſtrenuè, utiliterque laborent, & uberiorem in ſinu Eccleſiæ fructum, Deo benedicente, deponant.

Narrat Collegii fundationem.

§. 1. Sanè licet felicis recordationis Urbanus Papa Octavus Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas literas Apoſtolicas optimo quidem conſilio Collegium, ſeu Seminarium Apoſtolicum Pontificium Paſtorale Urbanum nuncupatum pro excipiendis, & alendis Sacerdotibus ſæcularibus, & etiam Clericis, ad Majores tamen Ordines infrà certum tempus promovendis, bonis Moribus Pietate, & ſana Doctrina præditis, ex omni gente, & Natione deſumendis, ad effectum Fidem Catholicam, & Apoſtolicam in Partibus Infidelium, totoque Terrarum Orbe, etiam cum eorum Vitæ diſcrimine, ſi opus foret, propagandi, & dilatandi, eamque tuendi, & conſervandi in iis locis, ubi jam ſata reperitur, erexerit, & inſtituerit, aliaſque ſtatuerit, decreverit, & ordinaverit pro felici gubernio Collegii, ſeù Seminarii, & Alumnorum hujuſmodi, ut in prædictis literis ſuper hoc editis pleniùs, & uberiùs continetur: Experientia tamen compertum eſt Juvenes iſtos ex longinquis, ac etiam extremis Mundi partibus ad idem Collegium, ſeu Seminarium accedentes, Cœlique qualitate, ac Vitæ etiam ratione inter ſe maximè diverſos, ex aſſidua in ſtudiis, ac piis exercitiis occupatione, quibus eorum natura aſſueta non erat, graviter affici, & paulatim exinde contractarum ægritudinum cauſa, aut præmaturè decedere, aut inhabiles ad labores in miſſionibus ſuſtinendos evadere, quod non accidit Germanici Pontificii, cæterorum ſimilium Collegiorum à claræ mem: Gregorii XIII. aliiſque noſtris Prædeceſſoribus Romanis Pontificibus erectorum Alumnis, quorum levamini, quieti, & tranquillitati providè conſultum eſt de aliquo ad amænitatem facto loco, ubi vacationum tempore, vel ſtatutis horis intermiſſo ſtudio honeſtæ recreationis cauſa conveniunt.

Exponit neceſſitatem emendi aliquem locum Suburbanum pro honeſta d. d. Juvenum recreatione, ducto exemplo ab aliis Urbis Collegiis.

§. 2. Hinc propterea Congregatio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum, quæ cogitare, & agere nunquam deſinit ea, quæ primo dictorum Collegii, & Alumnorum bono profutura cognoſcit, emptioni alicujus ſimilis loci, ſeù Vineæ propè, & extra Mœnia Urbis, ubi Juvenes prædicti ſanitatis, vel oblectamenti cauſa, quandoque recreari, & vires recipere valerent, pluribus ab hinc Annis ſtudioſè incumbit, & Nos poſtremò ad hunc effectum ſcuta quatuor mille monetæ Romanæ obtulimus, ut ipſa Congregatio tot expenſis Miſſionum prægravata ab hujuſmodi incommodo ſublevaretur, ſed re ob enaſcentes paſsim difficultates hucuſque protracta, nam ubi inventa eſt oportunitas loci, & ſalubritas aeris, defuit voluntas Dominorum proprias Vineas alienare renuentium, & ubi promta erat occaſio, deficiebant qualitates ad indigentiam exoptatæ. Dilectus tandem Filius Noſter Petrus Sancti Laurentii in Damaſo nuncupati Sanctæ Romanæ Eccieſiæ Diaconus Cardinalis Ottobonus nuncupatus ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarius, atque unus ex Cardinalibus præfatæ Congregationis, adeo utilis, & ſalutaris deliberationis effectum ulterius differri nonpatiens, menti, ac intentioni noſtræ, & dictæ Congregationis adhærens, nec non Zelo propagationis Sanctæ Fidei, & conſervandæ bonæ valetudinis Alumnorum ad munus Apoſtolicum Divina favente gratia vocatorum ductus, Vineam in Contrada Parioli in eminentiori ſitu extra muros, prædictæ Urbis poſitam aeris ſaluberrimi cum Palatio, & aliis Manſionibus de pertinentiis Monaſterii Abbatiæ nuncupatæ Sancti Laurentii extra Muros prædictæ Urbis Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium, ſeu alterius Ordinis, cujus ipſe Petrus Cardinalis Abbas, ſeu perpetuus Commendatarius ex Commenda ad ſui vitam de prædicto Monaſterio eidem Petro Cardinali aliàs Apoſtolica auctoritate facta exiſtit, ſpontè, obtulit, & re ipſa Vineam prædictam in Manibus Noſtris ſpontè, & liberè oretenus dimiſit, cum reſervatione tamen favore Abbatis, ſeu Commendatarii pro tempore exiſtentis dicti Monaſterii, ne eidem Monaſterio ex dimiſſione prædicta magnum inferatur præjudicium, alicujus perpetui Canonis, ſeu annuæ reſponſionis, & cum aliis conditionibus Nobis beneviſis, & dicto Monaſterio utilibus.

Oblatio ſcutorum 4000. ad hunc finem à Sanctitate Sua facta.

Cardinalis Ottobonus obtulit Vineam, eamque in manibus Sanctiſſimi dimiſit.

§. 3. Nos itaque, qui primodicti Collegii, & Alumnorum ejus, quorum de præſenti numerus, comprehenſis aliquibus Juvenibus Sueciæ Regni, ad quadraginta ſeptem, ut accepimus, aſcendit, ſtatum proſperum, & tranquillum intenſis deſideramus affectibus, ob laborioſum, quem ipſi in Vinea Domini præſtituri ſunt, famulatum, & propter uberes fructus, quos in Agro militantis Eccleſiæ hactenus produxerunt utiliter, ac producunt, & in futurum producturos firma ſpe tenemus ut iidem promptiores ſemper, alacrioreſque ad ſua officia iu dies perſolvenda, reddantur, dignum

ar-

arbitramur, & congruum ſollicitudinis noſtræ partes in id etiam adjicere, per quod alicui honeſto eorum ſublevamini, & ſervandæ corporum ſaluti conſulatur; ea quippè eſt humanæ naturæ conditio, ut niſi Animus remiſſione quadam rigorem intentionis ſuæ interdum relevet, & relaxat, irremiſſo vigore lenteſcens ſpiritus, cum neceſſitas poſcit, virtuti obſecundare non valeat. Spontaneam igitur æquè, ac piam dicti Petri Cardinales oblationem, ac dimiſſionem prædictæ Vineæ, ut ſupra, in manibus noſtris factam, & per Nos motu proprio, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine nuper acceptatam, denuo per præſentes acceptantes, & confirmantes accedente tamen, quatenus opus ſit novo ipſius Petri Cardinalis conſenſu, eamdem Vineam, unà cum Palatio, Tinello, cæteriſque manſionibus, & Ædificiis in quacumque illius parte poſitis, ac eandem Vineam totam, quanta eſt, intra ſuos notiſſimos fines quos eiſdem præſentibus, unà cum præmiſſorum valore in proprietate, ac annuis fructibus, & redditibus, omnibuſque, & ſingulis àliis membris Juribus, & pertinentiis haberi volumus pro ſingillatim expreſſis, ita ut ſpecialitas illorum generalitati non deroget, in perpetuum motu proprio concedimus præfatæ Congregationi de propaganda Fide, illiuſque fructus, redditus, & proventus, detracto infradicendo Canone, cum aliis illius fructibus dictæ Congregationi unimus, & ad commodum ejuſdem Congregationis annectimus, & incorporamus, deque præfata Vinea, accedente, ut ſupra, dicti Petri Cardinalis, uti ejuſdem Monaſterii Abbatis, ſeu perpetui Commendatarii novo conſenſu, in perpetuum Congregationem prædictam, etiam pro ſublevamine, augumento, & conſervatione Alumnorum in prædicto ejus Collegio degentium, inveſtimus; Canonem verò perpetuum ſeu annuam, & perpetuam reſponſionem eidem Petro Cardinali, quoad vixerit, & Monaſterium hujuſmodi obtinuerit & cuicumque alteri ejuſdem Monaſterii Abbati, ſeu perpetuo Commendatario pro tempore exiſtenti ratione conceſſionis, unionis, annexionis, & incorporationis præfatarum annuatim duabus æqualibus ſolutionis, pro una videlicet in Domini Noſtri Jeſu Chriſti à proximè ventura incipiendo, & altere medietatibus Canonis, ſeu reſponſionis hujuſmodi in Sancti Joannis Baptiſtæ immediatè ſequenti Nativitatum feſtivitatibus, & ſic deinceps perpetuis futuris temporibus de anno in annum, ac de termino in terminum per Congregationem præfatam perſolvendum, ſeù perſolvendam in annuis ſcutis centum monetæ Romanæ de Juliis decem pro quolibet ſcuto, hujuſmodi motu pari Apoſtolica auctoritate taxamus, & reſervamus, ac taxatum, & reſervatum, ſeù taxatam, & reſervatam, eſſe volumus, & decernimus, abſque tamen ullo prorſus onere ſolutionis laudemii, ſeù, ut dicitur, Entraturæ, ſeù Capiſoldi, nec non quindennii, tam dicti Monaſterii, Abbati, ſeù Commendatario pro tempore exiſtenti, quàm aliis quibuſvis Perſonis, ſeù Collegiis Romanæ Curiæ etiamſi ſpeciali nota dignæ ſint, etiamſi Officialibus Cancellariæ Noſtræ Apoſtolicæ quomodolibet debiti, à qua ſolutione, quatenus de jure deberetur, dictam Congregationem perpetuò motu ſimili eximimus, abſolvimus, & plenariè liberamus, adjecta quoque reciproca conditione reſpectu Congregationis prædictæ, nec non Abbatis, ſeu perpetui Commendatarii dicti Monaſterii pro tempore exiſtentis, quod ſi ipſa Congregatio non perciperet ex dicta Vinea fructus annuæ reſponſioni, ſeù annuo Canoni huſmodi correſpondentes, ac etiam detractis expenſis, ſi nulli prorſus fructus ex grandine, ſiccitate, aut alio quocumque infortunio, etiam non cogitato, colligerentur, nihilominus ipſa Congregatio, ejuſque Bona ad integram annuam reſponſionem, ſeù integrum annuum Canonem, ut ſupra, taxatam, ſeù taxatum in perpetuum obligata ſint, & ad Canonis, ſeù reſponſionis hujuſmodi annuam ſolutionem teneantur, prohibita quacumque ſpe reſtauri, remiſſionis, ſeù reductionis Canonis, ſeu reſponſionis hujuſmodi. Et è converſo, quod ſi fructus ex dicta Vinea colligendi in quacumque ſumma, etiam ultra dimidiam, ſeu beſſem, annuam reſponſionem, ſeù annuum Canonem hujuſmodi excenderent, dicti Monaſterii Abbates, ſeù Commendatarii pro tempore exiſtentes nihil ultra prætendere poſſint, attento quod dimiſſionis à dicto Petro Cardinali, ut ſupra factæ, totum commodum, ac beneficium ad Propagationis Fidei, & conſervationis primo dicti Collegii Alumnorum finem dirigitur, & hac lege, ac hiſce conditionibus ad conceſſionem, & inveſtituram hujuſmodi devenire Motu ſimili profitemur.

Papa acceptat, & concedit Congregationi de Propaganda Fide.

Reſervat novum conſenſum Cardinalis.

Taxat canonem in ſcutis centum monetæ cum conditionibus hic expreſſis.

§. 4. Quibus ſalvis liceat eidem Congregationi, ejuſque Miniſtris quocumque nomine nuncupatis corporalem dictæ Vineæ poſſeſſionem per ſe, vel alium, ſeu alios eorum nominibus propria auctoritate, abſque ſpolii, & attentorum vitio liberè apprehendere, & apprehenſam retinere, ejuſque fructus, & emolumenta quæcumque colligere, exigere, levare, ac in ſuos, primo dictique Collegii, & Alumnorum in eo degentium uſus convertere, cujuſvis licentia deſuper minimè requiſita.

§. 5. Ac inſuper, ut Congregatio prædicta gaudere poſſit commodo, & utilitate ſcutorum quatuor mille monetæ prædictæ per Nos, ut ſupra, oblatorum volumus eandem ſummam quatuor mille ſcutorum monetæ hujuſmodi per Dilectum filium Noſtrum Joſephum Tituli Sanctæ Mariæ de Tranſpontina nuncupatæ ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyterum Cardinalem Scripantem nuncupatum, & Noſtrum Prodatarium, ejuſdemque Congregationis Præfectum, deponi in Banco dilecti filii Franciſci Monthioni, ſeu Sancti Spiritu in Saxia nuncupati de Urbe, ad creditum & diſpoſitionem ipſius Congregationis, ad effectum tamen inveſtiendi præfatam ſummam in tot locis Montium Cameralium non vacabilium quorum fructus erogari debeant pro manutentione in primodicto Collegio, ſeù præfato Seminario unius Adoleſcentis ex Provincia Epiri, vulgò Albania nuncupata, ſub regulis, & conſtitutionibus ejuſdem primodicti Collegii, ſeù præfati Seminarii recipiendi, & alendi, prout recipiuntur, & aluntur cæteri Alumni, qui ibidem de præſenti degunt, & educantur, ſublata inter ipſum Alumnum Albanenſem, & alios, quacumque prorſus differentia, novumque hujuſmodi Alumnatum cæteris uſque modò erectis, & inſtitutis motu pari adjungimus, & annectimus, dictique Alumni Albanenſis nominationem pro tempore, quoties nominandi caſus evenerit, poſtquam tamen ſua ſtudia compleverit dilectus filius Petrus Rozovick in dicto Collegio de præſenti degens, & Noſtris ſumtibus huc uſque ibidem retentus, & educatus, ad ipſam Sacram Congregationem in perpetuum ſpectare motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus itidem volumus, & mandamus.

Papa ſcuta quatuor millia ut ſuprà oblata donat pro fundatione Alumnatus Provinciæ Albaniæ.

Reſervatur nominatio Alumni eidem Sac. Congregationi.

§. 6. Decernentes præſentes literas nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, vel intentionis Noſtræ, aut alio quopiam defectu notari, argui, aut in controverſiam ad quorumvis inſtantiam adduci, ſeu via reſtitutionis in integrum, vel reductionis ad terminos Juris, aut aliàs quomodolibet revocari, impugnarive poſſe, nec ex eo, quod præmiſſa verificata non ſint, aut quod ii, quorum intereſt, ad id vocati, & auditi non fuerint, eaſdem

Decreta roborantia.

lite-

literas per ſubreptionem obtentas cenſeri, & propterea viribus carere, neque Congregationem prædictam, illiuſque Miniſtros ad verificandum præmiſſa compelli, & teneri, neque ob id nullas, & irritas, ac nullius momenti eſſe, & fore cenſeri, ſicque per quoſcumque Judices &c. etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales &c. ſublata &c. judicari debere &c. irritumque &c. attentari &c. non obſtantibus noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, nec non Lateranenſis Concilii conceſſiones perpetuas, niſi in caſibus à Jure permiſſis fieri prohibentis, ac prædicti Urbani Prædeceſſoris, nec non recolendæ memoriæ Symmachi, Pauli Secundi, Pauli Quarti, & aliorum Romanorum Prædeceſſorum Noſtrorum de Rebus Eccleſiæ non alienandis, ac Pii Quarti de gratiis Cameræ Apoſtolicæ intereſſe quomodolibet concernen. in dicta Camera intra certum inibi præſcriptum tempus præſentandis, & regiſtrandis; ita ut præſentes in ea præſentari, & regiſtrari nullo unquam tempore, vel modo neceſſe ſit, ac Beati Pii Quinti, felici ſque recordationis Sixti Quinti, & dicti Urbani Octavi, nec non Clementis Decimi, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædeceſſorum Noſtrorum ſuper ſolutione Annatarum, & quindenniorum quomodolibet editis; nec non aliis quibuſcumque Apoſtolicis etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Monaſterii, & Ordinis prædicti, etiam Juramento &c. roboratis ſtatutis, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis Monaſterio prædicto, illiuſque Abbati, & Monachis, ſeu Canonicis Regularibus, eidemque Congregationi, ac primodicto Collegio, ſeu præfato Seminario, illius Superioribus, & Perſonis, & aliis quibuſcumque in genere, vel in ſpecie, aut alias in contrarium, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis quomodolibet per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, & etiam Nos etiam motu proprio &c. conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus &c. etiamſi de illis &c. eorum tenores &c. illis aliàs &c. permanſuris ad præmiſſorum validiſſimum effectum motu, & ſcientia paribus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis opportunis. *Fiat motu proprio I. F.* Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum &c. & quod dictæ Congregationis, ſeu primodicti Collegii, vel Seminarii aliæ conceſſiones, applicationes & gratiæ ei, illiuſque Alumnis quomodolibet conceſſæ habeantur pro expreſſis, ſeu in toto, vel parte exprimi poſſint in literis, & de Vineæ prædictæ conceſſione Congregationi hujuſmodi, ſeu primodicto Collegio, vel Seminario prædicto; nec non de aſſignatione, & donatione quatuor mille ſcutorum monetæ hujuſmodi, ad effectum reinveſtiendi, ut ſupra, ſub lege tamen, & conditione fructus ex inveſtimento hujuſmodi proventuros integraliter erogandi ut ſupra; nec non de perpetua reſervatione Juris nominandi, & eligendi Alumnum ex Provincia Epiri modo, & forma ſuperiùs expreſſis, cum Decreto, Derogationibus, aliiſque præmiſſis, ut ſupra, in literis latiſſimè extendendis, & quod præmiſſorum omnium, & ſingulorum etiam denominatorum, qualitercumque nuncupatorum ſituatio, aliorumque neceſſariorum major, & verior, ſpecificatio, & expreſſio fieri poſſit in literis in forma gratioſa, & cum clauſula perpetuò, & ad perpetuam rei memoriam, etiam per viam de Curia, ut vocant, ſeu per viam Secretam ab quolibet ſigno, vel contraſigno, ſi videbitur, expediendis, ſeu ſi etiam videbitur, Volumus, quod ſola præſentis Noſtri Motus proprii ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra, Regula quacumque contraria non obſtante quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & manu Datarii, ſeu Prodatarii pro tempore exiſtentis ſubſcriptis, eadem prorſus fides adhibeatur in Judicio, & extra illud, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ: *Fiat I. F.* Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem undecimo Kalendas Julii Anno Octavo cum decreto ſolius Signaturæ, ſeu etiam expeditionis literarum per viam ſecretam, aut de Curia, & quod tranſumptis manu Datarii, ſeu Prodatarii ſubſcriptis fides habeatur. A. *Subdatarius.* Regiſtrat. lib. xv. Secretorum fol. 216. A. de Laurentiis. P. Antonettus 25. Junii Piazzinus. Boncompagnus gratis.

Derogationes.

Fides tranſumptorum.

Die 27. Junii 1708. Eminentiſs., & Reverendiſs. Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vice Cancellarius novum præſtitit conſenſum ad formam dicti Motus proprii, ac omnia, & ſingula in eo contenta ratificavit, & approbavit, ut latius ex Inſtrumento ſtipulato per acta D. Petrucci Cameræ Apoſtolicæ Secretarii.

Ex ſcutis quatuor mille per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Clementem XI. Pro fundatione Alumnatus Albanenſis elargitis fuerunt empta loca 34. Montium nempè 30. ex Monte Sancti Petri v. Erect. ut ex literis patentibus expeditis die 21. Julii, & loca quatuor Montis Reſtaurati Primæ, & Secundæ Erectionum ex aliis literis expeditis die 16. ejuſdem menſis Julii MDCCVIII.

CVIII.

EXEMPTIO

Alumnorum, & Miniſtrorum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide in ejus Collegio, & Palatio commorantium à quibuſcumque Juribus Parochialibus Eccleſiæ S. Andreæ de Fractis, ejuſque pro tempore Rectoris, ſeu Curati, exceptâ tantùm adminiſtratione Sacramenti Matrimonii.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à diſpoſitione Urb. VIII. ad favorem Collegii de Propaganda Fide, ejuſque Alumnorum, & Miniſtrorum.

CUm, ſicut accepimus, licet fel. recor. Urbanus PP. VIII. Prædeceſſor Noſter per quaſdam ſuas ſuper Erectione Collegii, ſeu Seminarii Apoſtolici de Propaganda Fide Urbani nuncupati de Urbe Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXVII. Kal. Auguſti Pontificatus ſui Anno quarto Literas, inter alia dictum Collegium, ſeu Seminarium, illiuſque Oeconomos, Rectorem, Miniſtros, Præceptores, & Alumnos pro tempore exiſtentes, illorumque Domeſticos, Officiales, & Miniſtros ab omni juriſdictione tunc, & pro tempore etiam exiſtentis ſui, & Romanorum Pontificum Succeſſorum ſuorum in dicta Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis authoritate Apoſtolica, exemerit, ipſiſque Collegio, ſeu Seminario, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magiſtris, Oeconomis, Officialibus, Miniſtris, & Perſonis à quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis, & indultis, quibus alia Germanicæ, Anglicæ, & Græcæ Nationum Collegia in Urbe prædicta inſtituta, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magiſtri, Oeconomi, Officiales, Miniſtri, & Perſonæ quovis modo utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant, & poſſent quomodolibet in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar ſed æquè principaliter, & pariformiter

in omnibus, & per omnia uti, & gaudere valerent, dicta authoritate indulserit, adeòque eidem Collegio vigore Indulti hujusmodi, ac insuper nonnullorum Decretorum die 29. Aprilis, ac die 12. Augusti MDCXLVII. à Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præposita editorum, & à rec. mem. Innocentio Papa X. Prædecessore pariter Nostro approbatorum, exemtionem à Parocho, ac Jus Sepulturæ pro Alumnis, & Ministris ipsius Collegii intra illius septa degentibus, ac administrandi illis Sanctissimæ Eucharistiæ etiam pro Viatico, ac Extremæ Unctionis Sacramenta, juxta aliorum Collegiorum prædictorum pacifica possessione exemtionis, & Juris hujusmodi gaudentium, consuetudinem, competere dignoscatur; Nihilominùs modernus Parochus, seu Rector Parochialis Ecclesiæ Sancti Andreæ de Fractis nuncupatæ de eadem Urbe Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minimorum etiam nuncupatorum, nuper sequuto obitu quondam Joannis Pastritii præfatæ Congregationis Cardinalium Ministri, litem dicto Collegio coram dilecto Filio nostro in Urbe prædicta Vicario in spiritualibus Generali super consignatione cadaveris dicti Joannis, & emolumentorum Parochialium, moverit, emanato desuper quodam Decreto provisionali, ac sequuto Pariter quondam Josephi Zambecchini alterius ejusdem Congregationis Ministri, qui in sæculari, & Collegiata Ecclesia Sancti Eustachii de dicta Urbe, in qua Canonicatum, & præbendam, dum viveret, obtinebat, sepulturam sibi elegerat, obitu, quartam Funeralium, & alia Jura Parochialia prætenderit, ipsos Joannem, & Josephum, licet uti Ministri hujusmodi, ac intra Collegii prædicti septa defuncti nullatenus ei subessent, inter cæteros Parochianos suos absque ulla distinctione recensendo.

Pàrochus S. Andreæ de Fractis controvertit exemptionem Ministrorum d. Collegii à Juribus Parochialibus, & litem instruit in Tribunali Vicarii Urbis

§. 1. Hinc est, quod Nos litem, & causam hujusmodi dirimere, ac nè ullæ aliæ similes controversiæ dicto Collegio in posterum inferantur, providere, eidemque Collegio specialem gratiam facere volentes, nec non litis, & causæ earumdem statum, & merita, ad dictum Decretum provisionale, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & collitigantium, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, de Congregationis nonullorum ex dilectis Filiis Romanæ Curiæ Prælatis super hoc negotio specialitet deputatæ consilio, ac etiam motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine litem, & causam hujusmodi in statu, & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, à prædicto Vicario Nostro, aliisque Judicibus quibuscumque ad Nos harum serie avocamus, illasque perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac perpetuum desuper tam moderno, quàm pro tempore futuris dictæ Parochialis Ecclesiæ Rectoribus, seu Parochis, aliisque quibuscumque silentium imponimus, osque occludimus,

Pontifex ejusmodi litem ad se avocat, supprimit, ac extinguit.

§. 2, Prætereà Collegium seu Seminarium prædictum, ejusque Ministros intrà illius septa degentes, à quibuivis Juribus Parochialibus exemptos esse tenore præsentium decernimus, & declaramus, & nihilominus ad majorem cautelam idem Collegium seu Seminarium, ac omnes, & quoscumque illius Ministros, & Officiales, Rectorem, Magistros, seu Lectores, Alumnos, & Convictores, nec non Famulos, & alios præfatæ Cardinalium Congregationi ac ipsi Collegio quomodolibet inservientes, intra tamen ejusdem Collegii, ac illius Palatii septa degentes, à Parochia, seu Parochiali Ecclesia prædicta dictoque moderno, ac pro tempore existente illius Rectore, seu Parocho, vel Vicario Curato, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus earumdem tenore præsentium perpetuò eximimus, & plenariè liberamus, eoque sic exemptos, & liberatos moderno pariter, & pro tempore existenti dicti Collegii Rectori, alteri ab eo, vel à dicta Congregatione Cardinalium deputando, in iis, quæ ad administrationem Sanctissimæ Eucharistiæ, etiam pro Viatico, ac Extremæ Unctionis Sacramentorum prædictorum, aliisque omnibus, quæ ad Animarum curam spectant, penitus, & omninò subjicimus, itaut cura Personarum sic exemptarum ad Rectorem Collegii, seu deputandum hujusmodi privativè quoad prædictum Parochum excepta dumtaxat administratione Sacramenti Matrimonii quoad Officiales, & alios inservientes, qui hac tantùm ratione Parocho, & Parochiæ prædictis subsint) tam super administratione omnium aliorum Sacramentorum, quàm Jure sepeliendi in Ecclesia dictæ Congregationis Cardinalium, absque ulla quartæ, vel aliorum Jurium Parochialium, etiamsi in alia Ecclesia Sepultura electa fuerit, solutione, spectet, & pertineat, ac spectare, & pertinere debeant, non secus ac si Palatium, & Collegium prædicta extra limites dictæ Parochiæ sita, & ab ea prorsus dismembrata essent, ipseque Collegii Rector unicus, ac verus & proprius earumdem Personarum intra ambitum Palatii, & septa Collegii commorantium, & ut præfertur, inservientium Parochus existeret. Quàpropter dicto moderno, & pro tempore existenti Parocho districtiùs inhibemus, nè in posterum se in præmissis ingerere, ac desuper Collegium, seu Seminarium, ac Personas, & Rectorem prædictos, seu eorum aliquem molestare audeat, quovis modo, seu præsumat.

Et ad cautelam eos omnes à d. Parochiali Ecclesia, ejusque Rectore perpetuò eximit ac subjicit Rectori Collegii, seu alteri à Sac. Congreg. deputando in iis omnibus, quæ ad Sacramentorum administrationem, & animarum curam pertinent, excepta tantum administratione Sacramenti Matrimonii, quæ d. Curato S. Andreæ reservatur.

Declarat Collegium ejusque Alumnis, & Ministros intra illius septa degentes exemptos à d. Parochia.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod dictus Parochus, seu alii in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis, seu aliàs speciali, & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes literæ emanarint, adductæ, specificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam, seu terminos Juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud uti posse, sed ipsas præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari, & ab illis respectivè, inviolabiliter, & inconcusè observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros,

Decreta roborantia, & salutaria.

ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Ampliſſima derogatio quibuſcumque contrariis

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, & in Conciliis etiam univerſalibus editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non Parochialis Eccleſiæ prædictæ, aliiſque quibuſvis ſub quibuſcumque etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eidem Parochiali Eccleſiæ, dictoque illius Rectori, ſeu Parocho, aliiſve quibuſvis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quiſbuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ſeu aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis ac pluriès innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſsa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio; ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xviii. Auguſti MDCCVIII. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

F. Oliverius.

CIX.

APPROBATIO

Et Confirmatio Regularum Collegii, ſeu Seminarii Miſſionariorum in Conventu Aſſiſien. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum, donec aliter provideatur, deſtinati.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

CRediti Nobis cælitus Sacroſancti Apoſtolatus officii ratio exigit, ut illis, quæ pro Collegiorum, ſeu Seminariorum Chriſtianæ Religionis propagandæ, Catholicæque Fidei tuendæ conſilio ſapienter inſtitutorum directione, felicique progreſſu, providè conſtituta eſſe noſcuntur quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolici muniminis adjungamus firmitatem.

§. 1. Expoſuerunt ſiquidem Nobis nuper Venerabiles Fratres Noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, negotiis Propagandæ Fidei præpoſiti, quod cum Nos aliàs juxta Decretum, quod prius, nempè in Congregatione eorumdem Cardinalium die 3. Octobris 1707. coram Nobis habita edideramus, Dilectis Filiis quorumdam Religioſorum Ordinum Superioribus præcepiſſemus, ut omninò, & quamprimum ſuo quique in Ordine Conventum aliquem, veluti pro Seminario Miſſionariorum ad inſtar Seminariorum, ſeu Collegiorum in Sancti Pancratii propè, & extrà muros Urbis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Diſcalceatorum nuncupatorum, & Sancti Petri in Monte Aureo de eadem Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Reformatorum etiam nuncupatorum Conventibus reſpectivè inſtitutorum deputarent, in quo diù, ac diligenter vocatio, & ſpiritus eorum, qui Miſſionibus deſtinarentur, probaretur, illique etiam ibidem de omnibus, quæ ad hoc Apoſtolicum miniſterium cum laude, & fructu exercendum utilia, & neceſſaria forent, plenè inſtruerentur; quatenus verò in aliquo ordine Conventus hujuſmodi deſtinatio ad hunc effectum tantùm, non tàm citò fieri poſſet, donec ea fieret, ea omnia in aliquo Conventu, vel domo ejuſdem Ordinis, ubi Regularis obſervantia magis vigeret, executioni mandarentur; noviſſimè, nempè die 23. Septembris 1709. memorati Cardinales Collegium, ſeu Seminarium hujuſmodi pro Miſſionariis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum, re maturè diſcuſſâ, in Conventu Aſſiſien. ejuſdem Ordinis juxta oblationem dilecti Filii moderni Miniſtri Generalis ipſius Ordinis, donec aliter provideatur, deſtinandum eſſe decreverunt, ac proinde Dilecto Filio Noſtro Joſepho ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Vallemano nuncupato, Ordinis prædicti apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectori, nec non Dilecto Filio Magiſtro Sylvio de Cavaleriis in utraque Signatura Noſtra Referendario, dictæ Congregationis Cardinalium Secretario commiſerunt, ut Regulas pro ejuſdem Collegii, ſeu Seminarii ſalubri directione ad inſtar duorum præfatorum Collegiorum S. Pancratii, & S. Petri in Monte Aureo conficerent, prout ab eis reipſa confectæ fuerunt tenoris, qui ſequitur, videlicet,

Cauſa erectionis Studii, ſeu Seminarii.

Erectio Seminarii decernitur pro nunc in Conventu Aſſiſi ad inſtar illorum S. Pancratii, & S. Petri in Monte Aureo.

Regulæ pro Seminario Præſcriptæ.

I. Pater Generalis deſtinet, & aſſignet locum, ſeu Dormitorium in dicto Conventu Aſſiſien. cum ſuis Cellis pro decem ſaltem Religioſis, quæ ſint diſtinctæ, & ſeparatæ ab aliis Dormitoriis, necnon alias Cellas in eodem loco, ſivè alio huic viciniori pro Lectoribus juxta numerum inferius præfigendum, cum inſcriptione apponenda in principio, vel in parte aptiori dicti Dormitorii aſſignandi.

Dormitorium aſſignandum à P. Generali in Conventu Aſſiſii cum Cellis pro decem ſtudentibus, & aliis pro Lectoribus.

Collegium, ſeu Seminarium Miſſionum.

Titulus Collegii.

II. Cum munus Miſſionum verè ſit Apoſtolicum, incumbat idem Pater Miniſter Generalis eligere Religioſos Regulari diſciplina, probitate morum, ac zelo gloriæ Dei præditos & ad animarum ſalutem, eximia charitate accenſos, qui velut Candelabra ſupra Montium jugis ſita, tenebras tam infidelitatis, quam Hæreſeos pro viribus diſſolvant, quique nec minores ſint annis viginti quinque, nec trigeſimum quintum excedant, ac robuſta corporis valetudine polleant, aptique ſint ad laborandum in Vinea Domini; Theologiæ quoquè curſum expleverint, ac Lectores, ſeu Concionatores fuerint, aut ſaltem in Morali Theologia verſati, & non ex ſola Italia, ſed ex omnibus Provinciis advocari curet, & plures etiam ex una Provincia, ſi tamen poſſibile ſit, major pars colligatur ex Provinciis ſtatus Eccleſiaſtici, dummodò prædictas qualitates habeant, moneatque inſuper Provinciales, Guardianos, alioſque, ſi opus fuerit Religioſos, ne accedere volentes ullo modo retrahant, & contra tales diſſuadentes, & malè conſulentes pœnas comminetur privationis activæ, & paſſivæ vocis, aliaſque arbitrio Sacræ Congregationis.

Qualitates eligendorum.

Non minores 25. annorum nec majores 35.

Ex omnibus Provinciis colligendi, & ſtatus Eccleſiaſtici.

Pœna contra Diſſuadentes accedere ad Collegium.

Exercitia spiritualia in ingressu à singulis peragenda.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem, aut saltem octo dies, cum omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum sit descendens à Patre Luminum; & deinde immediatè in manibus Patris Generalis, aut eo absente, ipsius Vicarii, vel alterius ab eo deputandi juramentum; juxta infrascriptam formulam præstent, illudque ad Sacram Congregationem transmittatur Formula Juramenti talis est.

Formula juramenti præstandi à studentibus.

Ego Frater N. professus in Conventu N. Provinciæ N. Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci juro, & promitto in manibus Paternitatis Vestræ Reverendiss. N. sivè Patris Vicarii, aut Superioris Conventus S. Francisci Assisien. ab hoc Seminario non discessurum, neque discedere procuraturum mediatè, vel immediatè per me, vel per interpositam personam, nisi ex legitima causa admittenda à Paternitate Vestra Reverendissima, vel à vestris Successoribus canonicè intrantibus, & non alias &c. Insuper pro Fidei Catholicæ propagandæ causa, ac salute Infidelium procuranda, ad eum locum, Provinciam, seu Regnum sine aliqua repugnantia, aut exceptione quandocumque iturum, ad quam, seu quod à Paternitate Vestra Reverendissima ero destinatus, & missus; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Ego NN. affirmo, ut supra manu propria.

Quandiù ibi debeant morari.

IV. In dicto Seminario permaneant spatio duorum annorum, & non ultra, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem profectus, vel alia legitima causa censuerint Lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis Patris Generalis, & Sacræ Congregationis.

Collegiales, & Lectores subsint in omnibus Guardiano.

V. In omnibus Collegiales subsint, prout etiam Lectores obedientiæ Guardiani, sicuti cæteri Fratres de familia, ac cæteri Lectores, ac de his habeatur, dum in Seminario permanserint, eadem ratio, ac si hujus Provinciæ Fratres essent, tum circa præcedentiam juxtà susceptionem habitus, tum circa reliqua eorum Religiosis necessitatibus convenientia, de quibus Pater Guardianus non secùs, ac reliquos sui Conventus Fratres, eos providebit sub iisdem pœnis, quæ contra Guardianos, id ipsum suis Fratribus præstare negligentes à Statutis decretæ sunt; Vestiarium verò Pater Generalis, vel à propriis Provincialibus eis debito tempore, vel à Guardiano Assisii, pro cujus intentione Studentes, ac Lectores Missas celebrare debeant, subministrari curet.

Habeantur tanquam de familia.

Vestiarium à Provincialibus, vel Guardiano Assisii subministrandum.

VI. Concedat Guardianus hujusmodi Collegialibus parvum Hortum cum sua sera, si commodè fieri poterit, ubi sejunctim ab aliis honestè refici, ac invicem in linguis cum suis Lectoribus sese exercere valeant.

Numerus Lectorum.

VII. Duo semper in hoc Seminario ad minus adsint Lectores, Controversiarum alter & alter seu plures, qui calleant linguam, qua utuntur Peloponesenses, Constantinopolitani, Transilvani, Moldavi, Valachi, in quorum Regionibus dicta Religio Missiones habet; ita tamen, ut nonnisi prævio examine coram Superiori Generali faciendo, sivè per eum delegando, & confirmatione Sacræ Congregationis admittantur, iisdemque injungatur seriò sedulitas, & assiduitas in Lectionibus, repetitionibus, & exercitiis.

Privilegia eorumdem.

VIII. Fruantur Lectores sic electi, & confirmati, præcedentia, & præeminentia, ac privilegiis, quibus Lectores actuales Theologiæ potiuntur.

Onus Lectoris Controversiarum.

IX. Lector Controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis tradat in scriptis lectiones controversiarum utiles pro dictis locis, ad quæ Alumni hujus Seminarii sunt destinandi, & post vesperas earumdem habeat conferentias, frequentibusque exercitiis studentes instituat; Singulis verò mensibus traditæ doctrinæ disputationes habeantur, intervenientibus etiam aliis Lectoribus, & Religiosis ejusdem Conventus. Alii verò Lectores linguarum ter in hebdomada legant, & rerum, quas studentes docuerint, repetitionem ab eis exigant singulis diebus, quibus legere tenentur, per horam post vesperas auditores suos exercendo.

Onus Lectorum linguarum. Quo tempore lectiones faciendæ.

Quando facultas iis concedenda, aut neganda exeundi à Conventu.

X. Prohibetur æque Lectoribus, ac Studentibus diebus Lectionum à Conventu egredi quacumque de causa, nisi expletis integrè lectionibus, ac exercitiis ea die, qua fieri debebunt, & in hoc Guardianus diligenter incumbat, & si Theses eadem die habeantur, Guardianus, si ita expedire videbitur, absolutè licentiam deneget.

Lectoribus prohibetur susceptio aliorum munerum & Concionum Quadragesimalium, ut & Studentibus.

XI. Interdicitur pariter Lectoribus æquè, ac Alumnis Quadragesimalium Concionum cursus aggredi, & solummodò permittatur Studentibus sermonem aliquem, aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem, aut quadraginta horarum, ac similiter in mensa, vel in Conventu, ad hoc ut promti sint ad hujusmodi exercitium subeundum tempore Missionum; dummodò per id à studiis prædictis nulla penitus distractio sequatur.

Superiores corrigant negligentes.

XII. A lectionibus, repetitionibus, ac exercitiis utriusque studii, nemo prorsus ex Studentibus, quocumque titulo, aut colore, eximatur, aut unquam permittatur abesse; & si quis neglexerit, à Guardiano corrigatur, idemque fiat, si aliquem negligentem in exscribendis lectionibus, aut in dictis studiis desidiosum reperiat, & tam Lectores, quam Guardianus de omnibus Superiorem Generalem, ac etiam Sacram Congregationem certiorent.

Quibus Mensibus, & qua lingua Theses faciendæ.

XIII. Senis quibuscumque mensibus Theses Theologicæ Illyrica, seu altera lingua, & Latino idiomate habeantur, quibus Guardianus interesse teneatur ad dignoscendos eos qui proficiunt, & monere debeat Patrem Generalem de iis, qui forsan studio hujusmodi minùs vacaverint, ut valeat, iis submotis, alios subrogare.

Singulis Mensibus Concio facienda de Missionariorum muneris præstantia.

XIV. Curet Pater Generalis aliquem Religiosum deputare, qui ad ipsos Studentes singulis mensibus magno zelo, ac pietate Concionem habeat de Missionariorum muneris præstantia, deque peculiaribus ejusdem functionibus, quo spiritus Apostolicus in eis succendatur, ac maneat; erudianturque in iis omnibus, quæ ad illud congruè, & cum Dei gloria peragendum pertinent.

Visitatio facienda per Generalem, vel ejus Vicarium vel per alium delegatum.

XV. Generalis Ordinis, vel ejus Vicarius, aut alter delegatus, singulis quatuor mensibus saltem Studium illud visitet, & si Studentem aliquem minimè proficientem invenerit, aliqua pœnitentia injuncta, eum ad propriam Provinciam redire jubeat, & eamdem Congregationem de remotione moneat, aliumque quamprimum subroget.

Ultra dictam visitationem, liceat Sac. Congreg. ejus arbitrio aliquem deputare in Visitatorem.

XVI. Ultrà verò prædictam Generalis visitationem, liceat Sacræ Congregationi ejus arbitrio aliquem deputare, qui Collegium prædictum visitet, & de statu, ac necessitate ipsius Collegii, & Alumnorum, deque eorum progressu certioret.

Collegiales tenentur turnatim, & per Mensem explicare Catechismum.

XVII. Singulis diebus Dominicis, & aliis festivis de præcepto præfati Collegiales in Ecclesiâ, vel in alio opportuno loco à Patre Generali destinando, explicent Catechismum Romanum, & unusquisque turnariè continuet per mensem.

XVIII. Completo biennio abeant Studentes, quò à Sacra Congregatione destinati fuerint, quod si nullus tunc temporis sit in promtu Missionis locus, illis à Patre Generali aliquis Conventus deputetur, in eoque permaneant quousque

ANNO 1710.

Pœna inobedientium.

advenerit occasio Missionis, & Sacram Congregationem certioret: Quod si aliquis illorum ad destinatas Missiones renueret, aut negligeret accedere, arbitrio Sacræ Congregationis plectatur.

XIX. Ut autem dicti Ordinis Religiosi aliquo etiam temporali, congruoque alliciantur præmio, animosque fortiùs intendant ad libentiùs semetipsos dicandos Sacro Missionum ministerio, ac consequenter studiis præfatis, veluti ad Missiones ipsas directis, tam Studentes, quàm Missionarii respectivè his privilegiis, quæ sequuntur gaudeant.

Privilegia post reditum ab aliqua Missione.

XX. Ii, qui in Missione aliqua per integrum sexennium Præfecti munere laudabiliter perfuncti fuerint, ad Lauream Magisterii promoveantur: Si verò in Religione dictam Lauream jam assecuti fuerint, Patres Provinciæ declarentur. Alii verò Missionarii, si per novennium in Missione permanserint, eadem Magisterii laurea decorentur, & si fuerint in Sacra Theologiâ Magistri, Patres quoque Provinciæ instituantur, ordine tamen Sacræ Congregationis præcedente.

Superioribus demandatur singulorum executio.

XXI. Studeant Superiores Ordinis singula debitæ executioni demandare, in quibus eorum conscientias Sacra Congregatio onerat, relicta eorum arbitrio facultate alia tam disciplinam, quàm studiorum profectum respicientia, supradictis tamen firmis remanentibus, statuendi, & cum approbatione Sacræ Congregationis decernendi.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Cardinales præfati, facta sibi per eumdem Secretarium omnium, & singularum Regularum hujusmodi distincta relatione unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censuerint; Hinc est; quod Nos inviolabili earumdem Regularum robori, & efficaciæ providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium Nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, easdem præinsertas Regulas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, & omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Summus Pontifex præinsertas Regulas approbat & confirmat.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas, ac Regulas hujusmodi semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſsimé suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit, præfati Conventus Assisien., & illius Ordinis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Januar. MDCCX. Pontificatus nostri Anno decimo.

Et amplissimis clausulis derogatoriis

F. Oliverius.

ANNO 1710.

Transumptis eadem fides adhibenda, ac præsentibus

APPROBATIO

CX.

Et confirmatio Regularum Collegii, seu Seminarii Missionariorum in Conventu S. Bartholomæi in Insula de Urbe Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum destinati.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

COmmissi Nobis divinitus Sacrosancti Apostolatus Officii ratio postulat, ut illis, quæ provido consilio pro Collegiorum, seu seminariorum, in quibus Religiosi Viri ad Christianam fidem, Catholicam Religionem propagandam mittendi opportunè instituantur, salubri directione, felicique progressu constituta esse noscuntur, quò firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolici muniminis adjungamus firmitatem.

§. 1. Aliàs siquidem Nos juxtà Decretum, quod priùs, nempè in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum die tertia Octobris MDCCVII. coram Nobis habita edideramus, dilectis Filiis quorumdam Religiosorum Ordinum Superioribus præcepimus, ut omninò, ac quamprimùm suo quique in ordine Conventum aliquem, veluti pro Seminario Missionariorum, ad instar Seminariorum, seu Collegiorum in Sancti Pancratii propè, & extra muros Urbis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, ac Sancti Petri in Monte Aureo de eadem Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum etiam nuncupatorum Conventibus respectivè institutorum deputarent, in quo diu, ac diligenter vocatio, & spiritus eorum, qui Missionibus destinarentur, probaretur, ipsique etiam ibidem de omnibus, quæ ad hoc Apostolicum ministerium cum laude, & fructu exercendum utilia, ac necessaria forent, plenè instruerentur; quatenùs verò in aliquo ordine Conventus hujusmodi destinatio ad hunc effectum tantùm non tam cito fieri posset, donec ea fieret, ea omnia in aliquo Conventu, vel Domo ejusdem Ordinis, ubi Regularis observantia magis vigeret, executioni mandarentur.

Causa erectionis Collegii, seu Seminarii.

§. 2. Porrò in præmissorum implementum, sicut præfati Cardinales Nobis nuper exposuerunt, noviſsimè in Conventu Sancti Bartholomæi in Insula de Urbe præfata Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum novum Collegium, seu Seminarium pro Missionariis hujusmodi erectum, seu destinatum, nec non Dormitorium pro duodecim Religiosis ad loca Terræ Sanctæ, & aliàs Missiones expediendis assignatum fuit, ac insimul nonnullæ Regulæ pro novo Collegio, seu Seminario hujusmodi confectæ, illæque ipsis Cardinalibus, ut ab iis confirmarentur, exhibitæ fuerunt tenoris, qui sequitur, videlicet: *Regulæ, & provisiones pro novo Collegio, seu Seminario Minorum Observantium*

Erectio Collegii in Conventu S. Bartholomæi in Insula.

Regulæ, & provisiones pro novo Collegio, seu Seminario

ANNO 1710.

erecto in Conventu Sancti Bartholomæi in Insula ejusdem Ordinis à Sacra Congregatione Generali de Propaganda Fide confirmandæ.

Assignatio Dormitorii cum duodecim Cellis pro Collegialibus & aliis pro Lectoribus.

I. Cum à Congregatione particulari habita die 12. Septembris MDCCIX. resolutum fuerit esse destinandum locum, seu Dormitorium in dicto Conventu pro duocecim Religiosis expediendis ad loca sancta, & respectivè ad alias Missiones, & P. Cælestinus à Mediolano Vice-Commissarius Generalis assignaverit Dormitorium è conspectu Palatii Dominorum de Sabellis continens duodecim Cellas, & alias contiguas pro Lectoribus juxta numerum inferiùs præfigendum, confirmanda videtur dicta assignatio, & ponenda in principio Dormitorii, vel in loco aptiori inscriptio.

Titulus Collegii, seu Seminarii.

COLLEGIUM, SEU SEMINARIUM PRO MISSIONIBUS SANCTORUM, ET ALIORUM LOCORUM.

Qualitates eligendorum.

Non sint minores 25. annorum, nec majores 35.

II. Ut Missionum munus, quod verè Apostolicum est, per Viros undequaque idoneos omni cura, & fervore, ac cum fructu exerceatur, incumbat Superior Generalis eligere Religiosos Regulari disciplina, probitate morum, ac zelo gloriæ Dei præditos, & ad animarum salutem eximia charitate accensos, qui veluti Candelabra super Montium jugis sita, ad tenebras tam Infidelitatis, quàm Hæreseos pro viribus dissolvendas sint apti, quique nec minores sint annis viginti quinque, nec trigesimo quinto majores, exceptis tamen Lectoribus Jubilatis, & Sexennalibus Sacræ Theologiæ ad has Missiones divinitùs vocatis, dummodò tamen quadragesimum annum non excedant, robusta quoque corporis valetudine polleant ad jugiter laborandum in vinea Domini, & quidem indistinctè, tam pro locis Terræ Sanctæ, quàm pro aliis Missionibus: Theologiæ pariter cursum expleverint, ac Lectores, seu Concionatores fuerint, aut saltem in Morali Theologiâ benè versati, illosque non ex sola Italia, sed ex omnibus Provinciis advocare curet, & plures etiam ex unâ Provinciâ, dummodò sic electi prædictas habeant qualitates, moneatque insuper Provinciales, Guardianos, alioque, si opus fuerit, Religiosos, ne accedere volentes ullo modo retrahant, & contra tales dissuadentes, ac malè consulentes, pœnas comminetur privationis vocis activæ, & passivæ, aliasque arbitrio Sacræ Congregationis.

Ex omnibus Provinciis delegantur

Pœna contra dissuadentes accedere ad Collegium.

Exercitia spiritualia in ingressu à singulis peragenda.

III. In ipso ingressu singuli exercitia spiritualia peragant per decem, aut saltem octo dies, cùm omne donum perfectum desursum sit, descendens à Patre luminum, & deinde immediatè in manibus dicti Patris Superioris Generalis Cismontani, aut eo absente, alterius ab eo deputandi juramentum juxta infrascriptam formulam præstent, illudque ad Sacram Congregationem transmittatur. Formula juramenti talis est:

Formula juramenti præstandi à Collegialibus.

Ego Frater N. professus in Conventu N. Provinciæ N. Ordinis Sancti Francisci de Observantiâ, juro & promitto in manibus Paternitatis Vestræ Reverendissimæ N., sive Superioris delegati me ab hoc Seminario non discessurum, neque discedere procuraturum mediatè, vel immediatè per me, vel per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittenda à Paternitate Vestra Reverendissima, vel à vestris Successoribus canonicè intrantibus, & non aliàs. Insuper pro Fidei Catholicæ propagandæ causa, ac salute Infidelium procuranda, ad loca Terræ Sanctæ, aut aliam quamcumque Provinciam, vel Regnum sine aliquâ repugnantiâ, & exceptione quandocumque iturum, & ad illam partem ex dictis locis, aut Provinciis, ad quam à Patrnitate Vestrâ Reverendissimâ ero destinatus, & missus; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia: Ego N. N. affirmo ut supra manu propria.

Quandiu ibi debeant morari.

IV. In dicto Seminario permaneant spatio duorum annorum, & non ultra, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem profectus, vel ex alia legitimâ causâ censuerint Lectores protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis Patris Superioris Generalis Cismontani, & Sacræ Congregationis.

Collegiales, & Lectores subsint in omnibus Guardiano.

V. In omnibus Collegiales subsint, prout etiam Lectores obedientiæ Guardiani, & Superiorum Ordinis respectivè, sicut cæteri Fratres, & Lectores de Familia, ac de iis habeatur, dum in Seminario permanserint, eadem ratio, ac si hujus Provinciæ Fratres essent, tum circa præcedentiam juxta susceptionem habitus, cum hac tamen declaratione respectu Lectorum Jubilatorum, & Sexennialium, ut dum actu sunt Collegiales, præcedentia, & præeminentiis ipsis competentibus secundùm statuta Ordinis fruantur, & si Sexennales in propriâ Provinciâ lorum non haberent, sint immediatè post ultimum aggregatum de numero. Tum etiam circa reliqua eorum Religiosis necessitatibus convenientia, exceptis his, quæ sequuntur hoc modo; nempe Vestiarium cuique ex dictis Studentibus submini-stretur à singulis respectivè eorum Provinciis juxta morem in Religione observatum ac practicatum erga alios Studentes. Quo verò ad Lectores actu legentes Vestiarium submini-stretur ex pecuniis Terræ Sanctæ mediante Syndico Apostolico, eisdemque Lectoribus prout etiam sex Studentibus ex eisdem pecuniis submini-strentur cæteræ, quæ in Religione vocantur necessitates. Quo verò ad alios sex submini-strentur à Guardiano dicti Conventus, & Dominus Secretarius Sacræ Congregat.onis supplicabit Sanctissimo pro elemosinâ Missarum in dictâ Ecclesiâ Sancti Bartholomæi celebrandarum pro sex ad minus dictorum Religiosorum, ne pro habenda dicta eleemosynâ ad alias Ecclesias divagentur.

Gaudeant præcedentia uti Fratres de familia.

Vestiarium Studentibus à propriis Provinciis submini-strandum.

Lectoribus verò ex pecuniis Terræ Sanctæ.

Indigentiæ sex Studentibus ex dictis pecuniis.

Item sex aliis à Guardiano Conventus.

Eleemosyna Missarum apud Sanctissimum curanda.

VI. Duo semper in hoc Seminario ad minus pro nunc adsint Lectores, alter Controversiarum, & alter pro linguâ Arabicâ, & si possibile sit, addatur tertius pro linguâ Illyricâ, & remittitur prudentiæ Patris Superioris Generalis Cismontani invenire Lectorem, qui utramque ex dictis linguis calleat, & non admittantur, nisi prævio examine, & confirmatione Sacræ Congregationis, iisdemque seriò injungatur sedulitas, & assiduitas in lectionibus, repetitionibus, & exercitiis, ac dicti Lectores, dum actu legunt, habeant præcedentiam modo, quo sequitur, nempe: Lector Controversiarum, si fuerit Lector Jubilatus de non numero, inter Lectores Jubilatos de numero, ultimo tamen loco, si fuerit solùm Sexennalis, omnes Exdefinitores. Lectores Linguarum, si fuerunt Jubilati, vel Sexennales eo modo, quo Lector Controversiarum; si tantùm instituti Lectores Theologi, inter Exdefinitores juxta antiquitatem habitus, si non sint Lectores Theologi, & trigesimum annum compleverint, immediatè post Vicarium, si non compleverint trigesimum annum inter Lectores Artium cum prærogativis secundùm morem, & Statuta Ordinis respectivè competentibus, præcedant, incedant, & potiantur.

Numerus Lectorum.

Non admittendi nisi prævio examine, & confirmatione S. Congregationis. Injungitur assiduitas.

Præcedentia inter Lectores.

VII. Præfatus Lector Controversiarum binas ad minus singulis hebdomadis tradat in scriptis lectiones utiles pro locis Terræ Sanctæ, ac aliis respectivè locis, ubi Religio Missiones habeat, & post vesperas earumdem agat conferentiam, frequentibusque exercitiis Studentes instituat, singulis verò mensibus traditæ doctrinæ disputationes habeantur, intervenientibus etiam aliis Lectoribus, & Religiosis ejusdem Conventus. Alii autem Lectores linguarum ter in hebdomada legant,

Onus Lectoris Controversiarum.

Onus Lectorum linguarum.

& rerum, quas docuerint, repetitionem à Studentibus exigant singulis diebus, quibus legere tenentur, per horam post vesperas auditores suos exercendo.

Quando facultas concedenda, aut neganda exeundi è Conventu.

VIII. Prohibetur æquè Lectoribus, ac Studentibus diebus lectionum à Conventu egredi quâcumque de causâ, nisi expletis integrè lectionibus, ac exercitiis ea die, qua fieri debebunt, & in hoc Guardianus diligenter incumbat, & si Theses eadem die habeantur, si ita expediens videbitur, absolutè licentiam deneget.

Prohibentur Conciones Quadragesimales ne distrahantur.

IX. Interdicitur pariter æquè Lectoribus, ac Collegialibus Quadragesimalium Concionum cursus aggredi, & solummodò permittatur Studentibus sermonem aliquem, aut Concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem, aut quadraginta horarum, & similiter in Mensa, aut in Conventu, ad hoc ut prompti sint ad hujusmodi exercitium subeundum tempore Missionum, dummodò per id à studiis prædictis nulla penitus distractio sequatur.

Superiores corrigant negligentes.

X. A lectionibus, repetitionibus, ac exercitiis utriusque studii, nemo prorsus ex Studentibus quocumque titulo, aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, & si quis neglexerit, à Guardiano corrigatur, idemque fiat, si aliquem negligentem in exscribendis lectionibus, aut in dictis studiis desidiosum reperiat, & tam Lectores, quàm Guardianus de omnibus Superiorem Generalem, ac etiam Sacram Congregationem certiorent.

Quibus Mensibus: & qua lingua Theses faciendæ.

XI. Senis quibuscumque mensis Theses Theologiæ, seu Controversiarum Arabico, Latino, & quatenùs fieri possit, Illyrico idiomate habeantur, quibus Guardianus interesse teneatur ad dignoscendum eos, qui proficiunt, & monere debeat Patrem Superiorem Generalem de iis, qui forsan studio hujusmodi minùs vacaverint, ut valeant, illis submotis, alios subrogare.

Singulis Mensibus Concio de Missionariorum muneris præstantia.

XII. Curet Superior Generalis aliquem Religiosum deputare, qui ad ipsos Studentes singulis mensibus magno zelo, ac fervore Concionem habeat de Missionariorum muneris præstantia, deque peculiaribus ejusdem functionibus, quo spiritus Apostolicus in eis succendatur, ac perseveret, erudianturque in iis omnibus, quæ ad illud congruè, & cum Dei gloria peragendum pertinent.

Visitatio facienda per Generalem, vel per alium ab eo delegatum.

XIII. Superior Generalis Familiæ Cismontanæ, vel alter ab eo delegatus, singulis saltem quatuor mensibus studium istud visitet, & si Studentem aliquem minimè proficientem invenerit, aliqua pœnitentia injuncta, qua alii ab assumpto munere negligendo deterreantur, eum ad propriam Provinciam redire jubeat, & eamdem Sacram Congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum quamprimùm subroget. Ultra verò præfatam Patris Superioris Generalis visitationem, Secretarius itidem Sacræ Congregationis idem Collegium bis visitet in anno absque Superiorum interventu, ut liberiùs queat statum, & necessitates Collegii exponere, adhibito secum dum taxat aliquo Arabicæ linguæ perito, per quem possit Alumnos examinare, & de eorum progressu certiorare.

Item per Secretarium S. Congregationis.

XIV. Singulis diebus Dominicis, & aliis festivis de præcepto præfati Collegiales in loco per Superiorem Cismontanum in Conventu destinando post vesperas feriò, & cum opportunis observationibus explicent Religiosis Sacerdotibus, Clericis, & Laicis Catechismum Romanum, & unusquisque turnariè continuet per mensem, quousque compleatur, & deinde de novo per ordinem incipiatur, ad hoc, ut aptiores evadant tempore, quo in Missionibus permansuri erunt.

Collegiales turatim, & per mensem explicent Catechismum.

XV. Completo biennio singuli Collegiales juxtà Decretum die tertia Octob. MDCCVII. emanatum in Congregatione coram Sanctitate Sua, examinentur, præsente quoque Eminentissimo Protectore Ordinis, qui cum Superiore Generali eligat illos ad Sancta loca mittendos, & alios pro cæteris Missionibus eidem Eminentissimo benè visis, & referre dignabitur Sacræ Congregationi, & si nullus tunc temporis in promptu sit Terræ Sanctæ, vel Missionis locus, aut saltem non pro omnibus Collegialibus, à Patre Superiore Generali destinentur, ut inferius, in aliquibus Conventibus, quousque advenerit occasio juxtà indigentiam, & opportunitatem transmittendi, & Sacram Congregationem certioret, & si aliquis ad locum destinatum renueret, aut accedere negligeret, arbitrio Sacræ Congregationis plectetur, & advenientibus novis Collegialibus, præmissis exercitiis spiritualibus, factoque juramento, illud ad Sacram Congregationem transmittat.

Examinetur præsente quoque Eminentissimo Protectore, & destinentur ad loca sancta, vel ad alias Missiones.

Pœna inobedientium.

XVI. Ut autem dicti Ordinis Collegiales, aliquo etiam temporali præmio alliciantur, animosque libentiùs intendant ad Sacrum Missionum ministerium, ac consequenter studiis præfatis, veluti ad Missiones ipsas directis, infra dicendis privilegiis gaudeant, & potiantur.

Privilegia Collegialium

XVII. Donec completo studio sese obtulerit occasio ad loca Sancta, vel alias Missiones accedendi, Pater Superior Generalis illos ad proprias Provincias revocet, collocetque in aliquo principali Provinciæ Conventu iisdem grato, ex quo, ipso Generali Superiore Cismontano inconsulto, dimoveri nequeant.

Privilegia post reditum à Missionibus propræfectis.

XVIII. Iis verò, qui in Missione aliqua Præfecti munere per sexennium laudabiliter perfuncti fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus, propriæ Provinciæ Conventibus sibi deligere, ac inter Lectores Jubilatos de numero præcedentiam habere juxtà antiquitatem institutionis cum omnibus præeminentiis per Constitutionem san. mem. Urbani Octavi concessis, & si jam iidem Præfecti fuerint Lectores Jubilati instituti, sive de numero, sive de non numero, potiantur præcedentia, & loco immediato ad ultimum Ex-Ministrum Provincialem in propria Provincia, nec non præeminentiis eorumdem Ex-Ministrorum Provincialium in propria Provincia, ac si Officio Ministeriatus hujusmodi functi fuissent.

Privilegia pro Missionariis.

XIX. Liceat pariter iis, qui laudabiliter duodecim annorum spatio Sacræ Congregaioni in Missionibus, vel in locis Sanctis inservierint, post reditum unum ex principalibus propriæ Provinciæ Conventibus sibi deligere eorumque locus sit (si jam non fuerint instituti Lectores Jubilati, vel Lectores sexennales) immediatè post actuales Definitores supra quoscumque alios; si verò jam fuerint instituti Lectores Jubilati, vel sexennales, & inservierint, ut supra, per octo annos post reditum ad propriam Provinciam, potiantur præcedentia, & præeminentiis Lectoribus Jubilatis de numero concessis, servando inter se anterioritatem institutionis; Et si discedentes ex Missionibus pro negociis earumdem Missionum ad Urbem se conferant de licentia Sacræ Congregationis, maneant in dicto Conventu Sancti Bartholomæi, si commodè recipi possint, vel in alio Conventu Beatæ Mariæ de Aracæli, & interim habeantur, ac si essent de familia quousque per Sacram Congregationem expediantur.

Privilegia pro Lectoribus Controversiarum, & Linguarum.

XX. Utque similiter tam Lectores Controversiarum, quàm Lectores, seu Magistri Linguarum, qui laudabiliter, & cum approbatione Patris Superioris Generalis Cismontani in prædictis se gesserint, aliquod præmium pro eorum laboribus consequantur, conceditur, ut si Lectores Jubilati de non numero per quadriennium, sexennales per octennium, & Lectores Theologi tantùm instituti per

decen-

decennium legerint; non instituti verò Theologi, linguas per quindennium docuerint, redeuntes ad propriam Provinciam, potiantur eadem præcedentia, & præeminentiis, quibus gaudent Lectores Jubilati de numero, servata pariter inter eos anterioritate Institutionis.

De Procuratore Missionum deputando per Generalem.

XXI. Studeat Superior Generalis Cismontanus deputare Procuratorem pro Missionibus, qui vel in Sancti Bartholomæi, vel in Aracælitano Conventibus commoretur, & unum socium gratum habeat, qui in gerendis negociis Missionum eum coadjuvet, & petita solita benedictione à Superiore locali, è Conventu exeat, qui quidem Procurator, vel per sexennium completum fuerit Præfectus, aut Officialis locorum Terræ Sanctæ, vel per decennium Missionarius, aut in servitio Terræ Sanctæ per idem tempus permanserit. In his omnibus Sacra Congregatio conscientiam Superiorum Ordinis familiæ Cismontanæ oneratam esse voluit, eorumque arbitrio reliquit Regulas (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam regularem disciplinam, tum studiorum profectum respicientes, & per eamdem Sacram Congregationem approbandas.

Quantum tempus requiratur, ut quis Procurator Missionum eligatur.

§. 3. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, memorati Cardinales, facta sibi per Dilectum Filium Secretarium prædictæ Congregationis omnium, & singularum Regularum hujusmodi distincta relatione, unanimi consensu illas approbantes, confirmandas esse censerint: Hinc est, quod Nos inviolabili earumdem Regularum robori, & efficaciæ providere volentes, supplicationibus eorumdem Cardinalium Nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, easdem præinsertas Regulas cum omnibus, & singulis in eis contentis authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: Salva tamen semper in præmissis authoritate præfatæ Congregationis Cardinalium.

Approbatio, & confirmatio.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, ac Regulas hujusmodi semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniss imè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit præfati Conventus Sancti Bartholomæi, & illius Ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ

Decreta roborantia, & salutaria.

Clausula derogatoria.

Transumptis eadem fides adhibenda, ac præsentibus.

adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Januarii 1710. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

F. Oliverius.

DECLARATIO CXI.

Nullitatis, damnatio, ac reprobatio quarumdam Pactionum a Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis cum Acatholico Principe initarum, ejusdem Cathedralis, aliarumque Ecclesiarum, & locorum piorum Juribus præjudicialium, nec non orthodoxæ Fidei rationibus, divino cultui, animarumque saluti adversantium.

Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium à Pontificio mœrore ob ingentia detrimenta, quæ per Pactiones à Capitulo initas cum Acatholico Principe, Religioni, Ecclesiæ, ipsique Capitulo inferebantur.

UBi primùm, vel ipso rumore publico nunciante, Nobis innotuerunt Pactiones illæ, seu, ut vocant, Recessus, quibus Vos diebus XI. Julii, ac XVI. Novembris Anni præteriti, tametsi invitos, ut credimus, & reluctantes, ac nonnisi angustiarum, quæ tunc Vobis illatæ fuerant, sensu, majorumque, quas timebatis, metu compulsos subscripsisse accepimus, acerbo sanè, ac penè inexplicabili dolore correpti fuimus: animo recolentes gravissima damna, quæ per ejusmodi Pactiones, non tam istius Ecclesiæ, quàm Catholicæ Religionis rationibus irrogata fuisse perpendimus. Cumulum deinde addiderunt mœrori nostro, quæ novissimè ad manus nostras pervenerunt, ipsarum Pactionum, seu Recessuum exempla, quibus non modò plura capita Vvestphalicæ Pacis dudum ab hac Sanctâ Sede damnata, perperàm instaurari, & approbari vidimus, sed & alia multa non minus Orthodoxæ Fidei, Divino cultui, atque animarum saluti adversantia, quàm Canonicis sanctionibus, nec non Ecclesiæ vestræ Hildesiensis, ac illius Episcopi, Capituli, & Canonicorum, aliarumve Ecclesiarum, & Locorum piorum, eorumque personarum juribus prorsùs repugnantia statui, ac firmari cognovimus, quæ, ut pudori vestro consulamus, singillatim referre prætermittimus.

Capitulum acriter, sed paternis vocibus increpat, quod ad ejusmodi Pactiones firmandas descenderit, cum potius extrema quæque constanter pati debuisset.

§. 1. Et sanè unquam adduci potuissemus, ut crederemus pietatem vestram eatenus labefactandam fuisse, ut ad tam asperas, vestroque nomini injuriosas conditiones accipiendas descenderetis: cùm præsertim Nos iteratis in simili formâ Brevis ad Vos opportunè datis Literis ad æquissimam causam alacri, strenuoque animo tuendam pro muneris nostri debito majorem in modum Vos adhortati essemus, ac diligenter in primis admonuissemus, ut probè nostis, ne cujuscumque denunciatione periculi, aut privati commodi ratione Vos abripi sineretis ad ullas ineundas pactiones, quæ Catholicæ rei forent detrimento; conscriptisque insuper, statim ac audivimus ab Acatholico Principe militares copias ad occupandam Civitatem Hildesiensem, atque Arcem Peinensem immissas fuisse, non tam ad clar: me: Josephum, dum viveret, Romanorum Regem in Imperatorem Electum, eoque subindè defuncto, ad Chariss imam in Christo Filiam nostram Magdalenam Theresiam Hungariæ, & Bohemiæ Reginam Illustrem, in Romanorum Imperatricem

Elec-

Electam Viduam, quàm ad omnes ferè Germaniæ Antistites, & Catholicos Principes aliis Literis nostris, eos quàm efficacissimè excitavissemus, ac obtestati essemus, quemadmodum Vobis itidem satis perspectum est, ut conjunctis studiis periclitanti Hildesiensi Ecclesiæ celerem opem ferrent, ejusque indemnitati, & tranquillitati consultum vellent. Quocircà sperare posse videbamur ab ejusmodi officiis haud leve rebus vestris adjumentum, atque præsidium comparandum fuisse, ubi Vos longiori patientiâ, solidiorique animi fortitudine illatis Vobis vexationibus, ac molestiis restitissetis. Desideravimus proinde hac in re eam Sacerdotali pectore planè dignam constantiam, quam vestrarum ærumnarum initio tam egregiè profitebamini. Et quamvis facilè persuasum habeamus durâ, ac extremâ necessitate, graviorumque malorum formidine, quemadmodum scripsistis, & aliunde quoque rescivimus Vos ad ejusmodi Pactiones firmandas inductos fuisse, id nihilominùs ea, quæ gessistis, non excusat: tum quia plenior omninò fiducia in eo reponenda Vobis erat, in quo qui sperant, non confunduntur ab expectatione suâ, & cujus dextera invenitur super omnes, qui illum oderunt: tum etiam quia ubi Deus propter inscrutabilia Judicia ejus Vos calamitatibus, ac ærumnis, in quibus positi eratis, diutiùs conflictari permisisset, Ecclesiasticæ tamen professionis, & Divini ministerii, cui addicti estis, ratio flagitabat, ut quæcumque subiretis pericula, ac omnia etiam extrema mala perferretis potiùs, quàm Religionis, & Ecclesiæ causam desereretis; Id unum scilicet timendum Vobis erat, nè apud Deum, hominesque redargui jure possetis loco atque honori vestro defuisse.

§. 2. Cæterum etsi Pactiones præfatas ipso jure inanes, ac irritas existere palam constet: notoriique insuper juris sit, quascumque conventiones de rebus Ecclesiasticis absque Apostolicæ Sedis auctoritate initas nullius prorsùs esse roboris, & momenti; adeòque minimè vereamur, quin probè agnituri sitis Vos ad illarum observantiam nequaquam obstringi, quin etiam eas observare, reclamante conscientiâ, nullo tempore posse, nec debere; nihilominùs æquum non modò, & congruum, sed & necessarium esse ducimus, ut præmissi Apostolici quoque Judicii pondus accedat, tum ut nunquam dubitari contingat ipsas Pactiones Orthodoxæ Religioni, & Ecclesiæ juribus tam infensas, simulque Orbi universo tam notas, dissimulari à Nobis, atque silentio præteriri potuisse; tum etiam ut Vos alacriùs, atque solidiùs de iis ità deinceps censere valeatis, tanquam si nullatenùs initæ fuissent. Hinc est, quod Nos Catholicæ Fidei conservationi, & propagationi, nec non præfatæ Ecclesiæ Hildesiensis, ac illius Præsulis, Capituli, & Canonicorum, aliarumve Ecclesiarum, & Locorum piorum, ac illarum personarum quarumcumque indemnitati, ex commisso Nobis divinitùs Pastoralis officii debito, providere cupientes, ac Instrumentorum, seu scripturarum super Pactionibus, seu Recessibus hujusmodi confectorum, seu confectarum, omniumque, & singulorum inibi contentorum, & aliorum quorumcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem de necessitate requirentium tenores, & datas etiam veriores, cæteraque quælibet etiam speciali mentione digna, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissimè specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prænarratas Pactiones, & alia quælibet in Instrumentis, seu scripturis hujusmodi contenta, quæ Catholicæ Fidei, Divino cultui, animarum saluti, Cathedrali Hildesiensi, illiusque Mensis Episcopali, & Capitulari, aliisve Ecclesiis, & Locis piis, illarumque respectivè Episcopo, Capitulo, & Canonicis, Rectoribus, & aliis personis, membris, rebus, bonis, redditibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & Juribus quibuscumque quomodolibet officiunt, sive præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, vel aliàs nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, censeri, prætendi, vel intelligi possent, cum omnibus, & singulis inde secutis, & quandocumque secuturis, ipso Jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuò fore, nec Vos sive alium quempiam ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi pluriès ratificata, ac Juramento vallata sint, observantiam teneri; imò nec illa ullatenùs observare posse, aut debere; neque ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, ac præscribendi causam, acquisitum fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perindè ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere tenore præsentium decernimus, & declaramus. Et nihilominùs ad uberiorem cautelam, & quatenùs opus sit, Pactiones prædictas, aliaque præmissa, ut præfertur, præjudicialia, Motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus: Ac quatenus itidem opus sit, Cathedralem Hildesiensem, ac illius Mensas, aliasque Ecclesias, & Loca pia præfata, ac illorum respectivè personas quascumque adversus illa in integrum, & pristinum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiam specificâ, & individuâ mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridicâ, & privilegiatâ causâ, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve

Præfatas Pactiones, ut Catholicæ Religioni, Ecclesiæ, & Capitulo Hildesiensi, & aliis præjudiciales irritat, damnat, ac reprobat cum omnibus indè secutis, & quandocumque secuturis.

Cum decreto irritanti, & aliis opportunis.

quos-

quoslibet, quacumque præeminentiâ, & Potestate fungentes,& functuros, sublatâ, eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari,& definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nec non cum clausulis derogatoriis. & aliis amplissimis.

§. 4. Non obstan. præmissis, ac quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque,& Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus; legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, nec non quibusvis etiam Juramento, Confirmatione Apostolicâ,vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis locis, & personis etiam quacumque Ecclesiasticâ, vel mundanâ dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam Motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxàt specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Capitulum seriò hortatur ut ab observandis iisdem Pactionibus omnino abstineat, ac eas inter Acta publica cujusvis Tribunalis referri minimè patiatur.

§. 5. Agite igitur, dilecti filii, Ecclesiæ Religionis, ac Dei causam strenuo, constantique, ut par est, animo, & foras misso timore, defendite; ac in primis satagite, ut, quæ de cætero peragetis, ea omnibus certo, exploratoque argumento esse possint, Vos ad iniquas illas Pactiones, nonnisi vi, ac metu cogentibus devenisse, mentemque vestram ab iis approbandis, ac observandis verè semper alienam fuisse, & esse. Illas propterea pro abolitis, ac prorsus pro non extantibus habere; abstinentes sub pœnis per Sacros Canones adversus talia perpetrantes inflictis, non modò ab iis præsentandis, seu inserendis inter Acta publica cujusvis Tribunalis, Cancellariæ, seu Cameræ; sed etiam ab alio quovis actu, ex quo tacitè, vel expresè illarum approbatio, seu confirmatio ullatenus inferri possit. His porrò studiis cœleste, rebus vestris præsidium magis, magisque conciliabitis, cujus in auspicium Apostolicam vobis benedictionem peramanter impartimur.

Fidem adhiberi mandat præsentium literarum tranſumptis.

§. 6. Cœterum volumus, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xii. Martii M D CCXII. Pontificatus nostri anno duodecimo.

F. Oliverius.

RESPONSUM

Capituli Cathedralis Ecclesiæ Hildensiensis.

FORIS

Sanctissimo Patri, & Domino Clementissimo CLEMENTI XI. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici Maximo.

INTUS verò.

Sanctissime Pater Domine Clementissime.

COram Supremo Sanctitatis Vestræ Throno adgeniculabundis peplitibus prostrati gratias humillimas referimus, in æternum Nos pro eo obligatos, devinctosque profitentes, quod binas transactiones Nobis tempore Interregni, aliasve omninò derelictis, ac omnem ubique, & undequaque opem incassum implorantibus ex parte Serenissimæ Domus Hannoveranæ 11. Julii, & 17. Novembris 1711. per vim, & metum in viros constantissimos cadentem nulliter, & indebitè adversus Sacri Romani Imperii Sanctiones, omniaque mundi Jura extortas motu proprio, & de plenitudine potestatis authoritate Apostolicâ, seu nullas, & irritas declarare, seu cassare, ac annullare, & in omnem eventum contra istiusmodi recessus Nos in integrum mediante benignissimo Brevi Apostolico reponere dignata fuerit. Quemadmodum nunc ad majorem Dei honorem, & Sanctitatis Vestræ ulteriorem nominis Gloriam Ecclesiæ, & Diœceseos hujus decorem, splendoremque Breve istiusmodi Apostolicum tam insignibus, iisque Apostolicis clausulis munitum, ac singulari prorsus ædificatione, & zelo Domus Domini refertum vergit, ita salutari effectu, ac fructu præmemorati Brevis coram Sacrâ Cæsareâ Majestate, & Catholici Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus,aliisve Statibus Nos confestim, ac propediem gavisuros sperantes, in id unicè intenti erimus, ut Paternæ Sanctitatis Vestræ sollicitudini, ac zelo planè incomparabili, quo præter innumeras, quibus premitur curas, Juribus Ecclesiæ Nostræ restaurandis mirificè incumbit, verbis, & opere humiliter respondeamus, ac Apostolicam Benedictionem, quam cum Sacratissimorum Pedum basio submississimè expetimus, consequi mereamur; dum Sanctitatem Vestram Divinæ Protectioni, & Nos suæ clementissimæ gratiæ humillima cum devotione recommendantes indesinenter perseveramus.

Sanctitatis Vestræ.

Hildesii 9. Julii 1712.

Humillimi, & obedientiss. Servitores

Decanus, Scholasticus Senior, totumque Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Hildesiensis.

ANNO 1716. CXII.

DECLARATIO

Nullitatis, damnatio, & reprobatio Poſtulationis à Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Oſnabrugenſis factæ de perſona Principis Erneſti Auguſti è Brunſvicenſi, ac Luneburgenſi Domo notorii Acatholici in Epiſcopum ejuſdem Eccleſiæ, cum aliis Ordinationibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à Pontificio horrore, quod Canonici Oſnabrugenſis Eccleſiæ Acatholicum notorium in ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum concordibus ſuffragiis poſtulaverint.

NOn ſine gravi animi noſtri moleſtiâ, vel potiùs horrore noviſſimè nobis innotuit, quòd aliàs, videlicet poſtquam bonæ memoriæ Carolus à Lotharingia, dum vixit, Electus Trevirenſis S. R. I. Princeps Elector, nec non Eccleſiæ Oſnabrugenſis Adminiſtrator debitum naturæ perſolverat, Capitulum, & Canonici ejuſdem Oſnabrugenſis Eccleſiæ, ad quos occurrente ejus vacatione electio perſonæ idoneæ illi ad electionem hujuſmodi per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem præficiendæ, juxta Concordata dudum inter Sedem Apoſtolicam, & inclytam Nationem Germanicam inita, ſpectare dignoſcitur, pro futuri Epiſcopi electione die ad id præfixâ convenientes in unum, non modò Sacrarum legum, ſed ſui etiam officii, imò & ipſius, quam profitentur, Orthodoxæ Religionis prorſus immemores, novo, & hactenùs inter Catholicos inaudito, deteſtandoque exemplo, principem Erneſtum Auguſtum è Brunſvicenſi, ac Luneburgenſi Domo notorium Acatholicum, cæleſti ad id Sancti Spiritûs ope ſacrilegè invocatâ, in Epiſcopum memoratæ Oſnabrugenſis Eccleſiæ concordibus ſuffragiis poſtulare non erubuerunt, & mox illius Poſtulationem ſolemni ritu, & majori, qua fieri potuit, celebritate, in Sacroſanctæ, & individuæ Trinitatis nomine, temerè promulgarunt. Deindè verò, juxtà illud Prophetæ: multiplicarunt altaria ad peccandum, factæque ſunt eis aræ ipſæ in delictum, cum propemodum ſervire facientes Dominum in peccatis ſuis, de hujuſmodi execrando ſcelere, quod patrarunt, Omnipotenti Deo publicas in Eccleſiâ gratias agere, hymnumque cantare de Canticis Sion veriti nequaquam fuerunt.

Rejicit metus obtentum, quo Canonici ad ejuſmodi Poſtulationem deveniſſe cauſabantur, ac ipſos acriter increpat.

§. 1. Quæ omnia quanto cum Catholicorum mœrore, ac offenſione, quantâque ex oppoſito cum Eterodoxorum exultatione, ac triumpho contigerint, nemo eſt qui ignoret. Neque enim Capitulum, & Canonici prædicti ad tanti facinoris iniquitatem, ac turpitudinem obtegendam cauſari poterant malorum metum ſibi, & Eccleſiæ cæteroqui impendentium; Illorum quippe in cordibus fervere debebat charitas Chriſti, quæ foras mittit timorem; Aut ſi quid illis timendum erat, id unum timere debebant, ne apud Deum, & homines redargui jure poſſent Eccleſiæ dignitati, loco, & honori, ſuo, ac debitæ Sacris legibus reverentiæ turpitèr defuiſſe.

§. 2. Porrò quamvis explorati juris ſit hac occaſſione geſta, ſeu verius attentata ab eiſdem Capitulo, & Canonicis, tanquam Sacris Sanctionibus, Oecumenicis Conciliis, Apoſtolicis Conſtitutionibus, imò & ipſius Catholicæ Religionis principiis apertè refragantia, fuiſſe, ac eſſe per ſe manifeſtò irrita, inania, invalida, nulliuſque prorſus roboris, ac momenti, adeoque ſpeciali improbatione, & caſſatione noſtrâ nequaquam indigere; Nihilominus Nos, qui æqui, bonique, ac quorumcumque Eccleſiaſticorum Jurium ſupremi Aſſertores in terris à Domino conſtituti ſumus, ſimulque omnium Eccleſiarum, ac Chriſtifidelium curam, & ſolicitudinem ſupernâ diſpoſitione gerimus, Catholicæ Fidei, Divino cultui, Animarum ſaluti, præfatæque potiſſimum Eccleſiæ Oſnabrugenſis Jurium indemnita, quantùm Nobis ex alto conceditur, proſpicere cupientes, nec non omnium, & ſingulorum, quæ in præmiſſis ſeu illorum occaſione quovis modo acta, & geſta fuerunt, ſeriem, cauſas, & circumſtantias etiam aggravantes, aliave quæcumque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, ac expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac exactè ſpecificatis habentes: Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ ac maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prænarratam antedicti Principis Erneſti Auguſti Poſtulationem ad Eccleſiam Oſnabrugenſem à Capitulo, & Canonicis ſupradictis factam, & publicatam, ut præfertur, aliaque omnia, & ſingula, tam ab ipſis Capitulo, & Canonicis, quàm à memorato Principe Erneſto Auguſto poſtulationis hujuſmodi vigore ſeu prætextu per ſe, vel alios quoſcumque, etiam ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione dignos in præmiſſis, vel circa ea quomodocumque, & qualitercumque facta, geſta, mandata, decreta, ordinata, vel diſpoſita, ac forſan in futurum (quod Deus avertat) agenda, gerenda, facienda, mandanda, decernenda, & ordinanda, cum omnibus, & ſingulis inde quovis modo ſecutis, & quandocumque ſecuturis, ipſo jure nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, iniqua, injuſta, damnata, reprobata, viribuſque, ac effectu penitùs, & omninò vacua ab ipſo initio fuiſſe, & eſſe, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum obſervantiam teneri; imò nec illa ullatenus à quoquam obſervari potuiſſe, ac debuiſſe, aut poſſe, & debere: neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, aut poſſidendi, ſeu quaſi poſſidendi, vel præſcribendi cauſam acquiſitam vel acquiſitum fuiſſe, vel eſſe, aut quandocumque acquiri, vel competere poſſe, neque illa ullum ſtatum facere, vel feciſſe, ſed perinde ac ſi nunquam emanaſſent, nec facta fuiſſent, pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere, tenore præſentium decernimus, & declaramus.

Declarat poſtulationem d. Acatholici Epiſcopi fuiſſe, ac eſſe ipſo Jure nullam cum omnibus inde ſecutis, & ſecuturis.

§. 3. Et nihilominus ad abundatiorem cautelam, & quatenus opus ſit, illa omnia, & ſingula motu, ſcientiâ, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus, tanquam Catholicæ Fidei, divino, cultui, animarum ſaluti, Eccleſiæque Oſnabrugenſis Juribus præjudicialia, & Sacris Sanctionibus, ac Apoſtolicis Conſtitutionibus adverſantia, harum ſerie improbamus, recindimus, damnamus, revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo proteſtamur; Nec non prædictam Oſnabrugenſem Eccleſiam, ut priùs, vacantem declaramus, pariter, ac pronunciamus, & pro vacanti ab omnibus haberi volumus, & mandamus.

Et ad cautelam, ipſam poſtulationem irritat, damnat, ac reprobat, nec non Oſnabrugenſem Eccleſiam, ut prius, vacantem declarat.

§. 4. Præterea Venerabili Fratri Hieronymo Archiepiſcopo Tarſenſi noſtro, & hujus Sanctæ Sedis ad Tractum Rheni, & partes inferioris Germaniæ Nuncio, earumdem tenore præſentium injungimus, ut prædictis Capitulo, & Canonicis Oſnabrugenſis Eccleſiæ incunctanter denunciet, eos propter præmiſſa incidiſſe in cenſuras, & pœnas à Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus contra talia perpetrantes inflictas, illoſque propterea ſeriò moneat, ut propriæ conſcientiæ ſecuritati quàmprimum conſulant. Quod quidem ſi fecerint, ſuoque agnito exceſſu veræ pœnitentiæ ſigna oſtenderint, Nos juxta ejuſdem Sedis morem, quæ tanquam pia Mater recurren-

Nuncio Apoſtolico Colonienſi injungit, ut Capitulo, & Canonicis Oſnabrugen. denunciet eos ob præmiſſa incidiſſe in cenſuras, ac ipſos moneat, ut propriæ conſcientiæ conſulant.

tibus

tibus poſt lapſum cum humilitate filiis ſe propitiam exhibere ſolet, & benignam, eidem Hieronymo Archiepiſcopo, & Nuncio per ipſas præſentes committimus, & mandamus, ut quoſcumque ex illis, qui eadem præmiſſa peregerunt, ſeu aliàs in eis quovis modo culpabiles fuerunt, ad ſe recurrentes, ac de præmiſſis hujuſmodi dolentes, ſi hoc ab illo humiliter petierint, & factâ priùs per eos declaratione, quod ipſi præſentibus literis, ac omnibus, & ſingulis, quæ in illis continentur, plenâ, ſincerâ, ac debitâ obedientiâ in omnibus, & per omnia ſe ſubmittunt, nec non factâ itidem promiſſione, quod in futurum à ſimilibus abſtinebunt, & quidquid eis ulteriùs præſcriptum, aut injunctum fuerit priuſquam infraſcriptæ abſolutionis beneficium obtineant, obſervabunt, & adimplebunt, à cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis quibuslibet, quas propter eadem præmiſſa quovis modo incurrerunt, ſeu incurriſſe dici, cenſeri, vel prætendi poſſent, injunctâ cuique pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, ſimiliter injunctis, in utroque foro authoritate noſtrâ Apoſtolicâ in formâ Eccleſiæ conſuetâ abſolvat, & totaliter liberet, dictaſque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiosè remittat, & condonet; Ac cum illis ſuper irregularitate per eos, qui à cenſuris hujuſmodi propter præmiſſa innodati Miſſas, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) forſan celebrarunt, ſeu aliàs in ſuis Ordinibus miniſtrarunt quomodolibet contractâ, ad quemcumque effectum in utroque pariter foro diſpenſet; Ipſoſque, & eorum quemlibet ad famam, gradus, dignitates, nec non Beneficia, & Officia Eccleſiaſtica quæcumque, cæteroqui tamen canonicè per eos obtenta, ac aliàs in priſtinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, ſtatum adversùs eadem præmiſſa rehabilitet, reſtituat, reponat, & plenariè reintegret. Nos enim quamcumque neceſſariam, & opportunam ad hæc facultatem, quam etiam aliis, prout ſibi opportunum videbitur, communicare, & ſubdelegare valeat, eidem Hieronymo Archiepiſcopo, & Nuncio harum ſerie authoritate prædicta tribuimus, & impertimur.

Eidem Colomenſi Nuncio facultatem tribuit abſolvendi ad ſe recurrentes ac de præmiſſis dolentes &c. injuncta pœnitentia ſalutari, nec non diſpenſandi cum ipſis ſuper irregularitate, ac eos ad Beneficia, ac officia reſtituendi &c.

§. 3. Quo circa de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. vivæ vocis oraculo Nobis deſuper facto, & authoritate noſtri Camerariatus Officii, inhærentes etiam ſupra narratis literis Apoſtolicis Sanctitatis ſuæ ſuper dd. nullitate Actorum, ac cenſuris dicta die 17. Maii 1707. publicatis, tenore præſentium, & in virtute Sanctæ obedientiæ Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, ac cui, ſeu quibus præſentes noſtræ oſtenſæ, ſeu præſentatæ fuerint, committimus, & ſtrictè præcipiendo mandamus, ut ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ex parte noſtra, ſeu verius Apoſtolicâ authoritate ſub excommunicationis, & Interdicti, & aliis arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis ipſo facto, & jure incurrendis debeant, & ipſorum quilibet debeat dictum Dominum Marchionem Cortanzæ, ſeu Cortanzerii perſonaliter, ſi ejus Perſonam commodè habere poteritis, ſin minùs per dimiſſionem præſentium noſtrarum literarum in Palatio ſolitæ habitationis cito intra Feudum, ac per affixionem etiam ad valvas majoris Eccleſiæ dicti Feudi, denuo, & prout etiam aliàs factum fuit, monuiſſe, & præceptaſſe, prout nos etiam in virtute Sanctæ obedientiæ, & de Sanctitatis Suæ ordine, & mandato eumdem D. Feudatarium Cortanzæ, ejuſque Miniſtros, & alios in executione præſentium nominandos, & cognominandos præceptamus, monemus, & interpellamus, ac præceptari, moneri, & interpellari mandamus, ne ſub dicti Feudi, ac illius membrorum, jurium, & pertinentiarum quarumcumque, devolutionis, & aliis pœnis in corpore juris, & uſibus Feudorum, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis, & comminatis audeant, ſeu præſumant, aut eorum aliquis audeat, ſeu præſumat prædictum Sereniſſimum Dominum Ducem Sabaudiæ ac Principem Pedemontis, illiuſque Cameram Ducalem in præfati Feudi Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis agere, ac contributiones, ſeu alia onera ipſis imponenda perſolvere, ſeu perſolvi facere, immo eiſdem D. Feudatario, ejuſque Miniſtri, aliiſque in executione præſentium nominandis ſub jam dictis pœnis modo prædicto præcipimus, & mandamus, ut dictum Feudum, illiuſque Vaſſallos, & Habitatores, ac Bona omnia inibi exiſtentia, immunes, & immunia, liberos, & libera, & in omnibus exemptos, & exempta pro Sanctâ Sede conſervare, & conſervari facere, & à gravaminibus forſan per Dictum Sereniſſimum Dominum Ducem, illiuſque DD. Miniſtros ſuper dicto Feudo, habitatoribus, & Bonis quomodolibet inferendis appellare & reclamare, ac eiſdem, & quibus opus fuerit, cenſuras contra Turbantes dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, & notificare, ac denique de nullitate, & de omnibus præjudiciis S. Sedis Apoſtolicæ proteſtari, & ſuper præmiſſis omnia, quæ neceſſaria forent, gerere, & executioni demandare, ut Jura Sanctæ Sedis illæſa, intacta, & immunia penitus, & omninò remaneant non ſolum &c., ſed & omni &c. in quorum &c. Dat. Romæ in Camera Apoſtolica hac die 28. Januarii, 1711.

Renovatur Præceptum, alias injunctum Marchioni Cortanzæ, ſeu Cortanzerii, & ejuſdem loci Communitati, ac hominibus, ne Ducem Sabaudiæ in ſupremum Dominum recognoſcere, vel ei onera, & taxas perſolvere audeant ſub pœnis.

Joannes Baptiſta Card. Camerarius.

Aliud conſimile Præceptum ab Eminentiſſimo D. Cardinali Camerario expeditum fuit contra D. Principem Ciſternæ, ejuſque Vaſſallos die 24. Julii 1711.

Aliud inſuper conſimile Præceptum ab eodem D. Cardinali Camerario deindè expeditum fuit contra D. Principem Montaphiæ die 7. Auguſti 1711.

Dominicus Antonius Galloſius R. C. A. Secretarius, & Cancellarius.

VI.

PRÆCEPTUM

Injunctum, seu renovatum Communitati, & Hominibus Castri Curtansoni in Comitatu Astensi, ne Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ, & Pedemontis Principem recognoſcere in Supremum Dominum ejuſdem Caſtri, nec illi ullum ſubjectionis actum præſtare, aut contributiones perſolvere audeant in præjudicium alti, Supremi, ac directi Dominii ſuper eodem Caſtro ad Sedem Apoſtolicam, & Summum Romanum Pontificem pertinentis.

Joannes Baptiſta Tituli S. Cæſarei Presbyter Cardinalis Spinula, S. R. E. Camerarius.

UNiverſis, & Singulis Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, illorumque Dominis Vicariis, nec non Dominis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, ac quibuſvis aliis in Dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, ac quibuſvis Curiarum Eccleſiaſticarum Officialibus, Miniſtris, & Executoribus, illique, vel illis, ac cui, ſeu quibus præſentes noſtræ oſtenſæ, ſeu aliàs præſentatæ fuerint, ſalutem in Domino ſempiternam.

§. 1. Noveritis nuper, & infraſcriptâ die fuiſſe coram nobis, & in Tribunali noſtro pro parte, & ad inſtantiam Illuſtriſſimi Domini Gaſparis Turchi Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis perſonaliter comparitum, & primo loco expoſitum aliàs, & ſub die 8. Auguſti 1702. ſeu &c. Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Sylvium de Cavaleriis, tunc Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ præfatæ Commiſſarium Generalem nobis narraſſe, & expoſuiſſe, quod licet Principatus Ciſternæ, & Montaphiæ, ac Marchionatus Cortanſæ, & Cortanſerii, illorumque Domini Feudatarii, Vaſſalli & Habitatores, ac omnia bona in Caſtris, & Territoriis dictorum Feudorum poſita, & exiſtentia ſpectarent, & pertinerent ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, & ſuper illis, non niſi Sancta Sedes, & Summi Pontifices directum, altum, & Supremum Dominium unicè haberent, ac ob id Domini dictorum Caſtrorum Feudatarii, ac illorum Subditi, & Habitatores, ac reſpectivè bona, ut ſupra, ſituata, & exiſtentia à nullo alio Principe moleſtari poſſint, cum totaliter Juriſdictioni Sanctæ Sedis, & Summorum Pontificum ſubjacerent; attamen uſque tunc ad notitiam Cameræ Apoſtolicæ deveniſſe Sereniſſimum Dominum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis, ac illius Celſitudinis Locum tenentes, Miniſtros, & Officiales quovis nomine nuncupatos prætendiſſe, & prætendere Dominam Enrichettam de Trousà Principiſſam, & Poſſeditricem dicti Principatus, Ciſternæ, ac Dominum Carolum de Simiana Principem Montaphiæ, ac D. Herculem Thomam Roverium Marchionem Cortanſæ, ſeù Cortanſerii Feudatarios Sanctæ Sedis, ac dd. Feudorum habitatores, & Incolas contra omne Juris debitum, & in Sanctæ Sedis præjudicium vexare, perturbare & ad contribuendum taxas cogere, ac bona in eiſdem Feudis poſita, & exiſtentia gravamine contributionum, & taxarum realium, & perſonalium gravare, & generaliter ità agere, ut Domini Feudatarii Sanctæ Sedis, & dd. Feudorum Habitatores, & Incolæ ſeſe erga dictum Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis, tamquam Celſitudinis ſuæ ſubditi, & Vaſſalli ſeſe gererent, & omnibus oneribus, & contributionibus, quibus dicti Sereniſſimi Ducis Subditi ſubjacent, ipſi Domini Sanctæ Sedis Feudatarii ſubjaceant, & iſtâ de causâ Illuſtriſſimum Dominum de Cavaleriis tunc dictæ Cameræ Commiſſarium Generalem, ad effectum Juribus Sanctæ Sedis conſulendi, & conſervandi libera, immunia, & exempta ab omni onere, & gravamine ipſius Sanctæ Sedis, ac ipſorum Feudatariorum, & Vaſſallorum bona, cum hoc eſſet præjudiciale ſupremo & alto Dominio dictæ Sanctæ Sedis, apud nos petiiſſe, & inſtetiſſe, ut aliquod Præceptum à nobis concederetur contra eoſdem Dominos Feudatarios, ac illorum Vaſſallos, ſubditos, & dd. Caſtrorum habitatores, ne ſub dictorum Feudorum, ac illorum Jurium, & pertinentiarum devolutionis, aliiſque pœnis in corpore Juris, uſibus Feudorum, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis, & comminatis auderent, ſeu præſumerent, aut eorum aliquis auderet, ſeu præſumeret prædictum Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis, illiuſque Cameram Ducalem in præfatorum Feudorum Dominum directum, & Supremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis agere, & contribuere, ſeu alia onera ipſis imponenda perſolvere, ſeu perſolvi facere, ac bona omnia inibi exiſtentia immunia, libera, & exempta pro Sancta Sede conſervare, & conſervari facere & à gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum Ducem, illiuſque Dominos Miniſtros, ſuper dictis Feudis, habitatoribus, & Bonis quomodolibet inferen. appellare, & reclamare, ac eidem, & quibus opus fuerit, cenſuras contra turbantes Dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, ac notificare, & denique de nullitate, & de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ proteſtari, & ſuper præmiſſis omnia, quæ neceſſaria forent, gerere, concedere, & relaxare, prout à nobis ſub dictâ die 8. Auguſti 1702. per acta infraſcripti Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Secretarii petitum Præceptum modo, quo ſupra conceſſum fuit.

§. 2. Secundo verò etiam narratum extitiſſe, quod licet poſt præſentationem prænarrati Præcepti, à Nobis, ut ſupra, relaxati non ſolùm Dominus Princeps Montaphiæ, ac ejuſdem Loci, & Principatus Communitas, Habitatores, & Incolæ omnia in eodem prænarrato Præcepto ipſis injuncta, & demandata ſervare deberent, verùm etiam Magiſtratus, Locumtenentes, Collectores, & Exactores taxarum, & alii Officiales quocumque nomine nuncupati dicti Sereniſſimi Domini Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontis à moleſtiis, vexationibus, perturbationibus, & aliis in præjudicium Juriſdictionis Sanctæ Sedis, ac illius Feudatariorum, Subditorum, & Vaſſallorum, inferendis abſtinere pariter debuiſſent, & deberent attamen non ſolum à die, qua dictum noſtrum Præceptum præſentatum fuit, verum etiam à die 17. menſis Maii 1707. in qua publicatæ fuerunt literæ Apoſtolicæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Papæ XI. ſuper declaratione nullitatis Decretorum, ordinationum, & aliorum geſtorum in Ditione Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, tam ultra, quam citra Montes, Libertati, Immunitati, & Juriſdictioni Eccleſiaſticæ, atque auctoritati Apoſtolicæ præjudicialium, & ut meliùs narratum fuit in dd. litteris §. *Præterea cum ad retundendas graves &c.* Nec non etiam poſt earundem literarum Apoſtolicarum publicationem, quamvis per violentiam, & præviis proteſtationibus ab ipſis factis ſolutionem taxarum, aliaque onera involuntariè, & metu ſubierint, non ſolùm contenta in Præcepto non ſervarunt, imò illis expreſsè contravenerunt, incurrendo pœnas inibi comminatas, ideoque novum Præceptum à nobis expeditum fuit tam contra d. D. Principem Ciſternæ, quàm etiam contra dictum Principem Montaphiæ, dictoſque Principum Vaſſallos, ne ſub gravioribus pœnis auderent aſſentiri impoſitionibus,

Ciſternæ, Montaphiæ, & Cortanzæ, ſeu Cortanzerii, ſupremum, & directum dominium ſpectat ad Sedem Apoſtolicam.

Referuntur vexationes ab Officialibus Ducis Sabaudiæ illatæ Feudatariis, ac hominibus dictorum Locorum.

Referetur Præceptum injunctum Feudatariis, ac hominibus eorumdem locorum, ne Ducem Sabaudiæ in Supremum Dominum recognoſcerent nec illi prætenſa onera, & contributiones perſolverent.

Referuntur vexationes ab Adminiſtris Ducis Sabaudiæ illatæ Feudatario, & Hominibus Montaphiæ.

Novum Præceptum injunctum Principibus Ciſternæ, & Montaphiæ.

nibus, noviſque gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum Dominum Ducem Sabaudiæ, illiuſque Miniſtros imponendis, prout latius conſtat ex iiſdem Præceptis à nobis ſub diebus 24. Julii, & ſeptimâ Auguſti currentis anni per Acta infraſcripti Secretarii Cameræ, ad quæ &c.

Vexationes ab Officialibus Ducis Sabaudiæ illatæ Communitati & hominibus Cortanſoni in Comitatu Aſtenſi ad Supremum Dominium Sedis Apoſtolicæ pertinentis.

§. 3. Noviſſimè verò pariter ad notitiam Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Commiſſari Cameræ deveniſſe etiam Communitatem, Homines, & Habitatores Caſtri Curtanſoni in Comitatu Aſtenſi exiſten. ſub eodem alto, & Supremo Domino Sanctæ Sedis fuiſſe de mandato ejuſdem Sereniſſimi Domini Ducis Sabaudiæ, illiuſque Miniſtrorum, eamdem Communitatem, Homines, & Vaſſallos variis modis gravatos, & coactos fuiſſe ad ſolutionem taxarum Hoſpitationis militum, menſurationis eorum Territorii, aliorumque gravaminum in præjudicium Juriſdictionis, & Supremi Dominii ejuſdem Sanctæ Sedis, & propterea fuimus ex parte Illuſtriſſimi Domini Commiſſarii Cameræ requiſiti, quatenus renovationem antedicti Præcepti, etiam contra prædictos Communitatem; Homines, & Habitatores Caſtri Curtanſoni renovare velle dignaremur. Nos itaque attendentes petitionem à dicto Illuſtriſſimo Domino Commiſſario Generali Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ factam ad effectum prædictum eſſe juſtam, & omni rationi conſonam, renovationem prædicti Præcepti faciendam, & ut infra, concedendam duximus, prout de præſenti concedimus, renovamus, & omninò ſervari mandamus per præſentes. Quo circa de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. vivæ vocis oraculo nobis deſuper facto, & auctoritate noſtri Cameriariatus Officii, inhærentes etiam ſupranarratis literis Apoſtolicis Sanctitatis Suæ ſuper dd. nullitate actorum, ac cenſuris dictâ die 17. Maii 1707. publicatis, tenore præſentium, & in virtute Santæ Obedientiæ vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, ac cui, ſeù quibus præſentes noſtræ oſtenſæ, ſeu præſentatæ fuerint, committimus, & ſtrictè præcipiendo mandamus, ut ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ex parte noſtrâ, ſeu verius Apoſtolicâ auctoritate, ſub excommunicationis, & interdicti, & aliis arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis ipſo facto, & jure incurrendis, debeant, & ipſorum quilibet debeat prædictos Communitatem, Homines, & Incolas, & Habitatores dicti Caſtri Curtanſoni, ac ejus &c. Communitatis publicos Repræſentantes, Miniſtros, & Officiales perſonaliter, ſi eorum perſonas commodè habere poteritis, ſin minùs per affixionem præſentium noſtrarum litterarum ad valvas majoris Eccleſiæ dicti Caſtri denuò, & prout etiam aliàs factum fuit, monuiſſe, & præceptaſſe, prout nos etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ, & de Sanctitatis ſuæ ordine, & mandato, Communitatem prædictam, ejuſque Miniſtros, ac dicti Caſtri Incolas, & alios in executione præſenti m nominandos, & cognominandos præceptamus, monemus, & interpellamus, ac præceptari, moneri, & interpellari mandamus, ne ſub dicti Caſtri, ac illius membrorum, jurium, & pertinentiarum quarumcumque devolutionis, & aliis pœnis in corpore Juris, & uſibus Feudorum ac Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis, & comminatis audeant, ſeu præſumant, aut eorum aliquis audeat, ſeu præſumat prædictum Sereniſſimum Dominum Ducem Sabaudiæ, ac Principem Pedemontis, illiuſque Cameram Ducalem in præfati Caſtri Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis agere, ac contributiones, ſeù alia onera ipſis imponenda perſolvere ſeu perſolvi facere, imò eandem Communitatem, ejuſque Miniſtros, aliosque in executione præſentium nominandos monemus, ac eiſdem ſub jam dictis pœnis modo prædicto præcipimus, & mandamus, ut dictum Caſtrum, illiuſque Incolas, & Habitatores, & bona omnia inibi exiſtentia immunes, & immunia, liberos, & libera, & in omnibus exemptos, & exempta pro Sancta Sede conſervare, & conſervari facere, & à gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum Dominum Ducem, illiuſque Dominos Miniſtros ſuper dicto Feudo, Habitatoribus, & bonis quomodolibet inferendis appellare, & reclamare, ac eiſdem, & quibus opus fuerit, cenſuras contra turbantes Dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, & notificare, ac denique de nullitate, & de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ proteſtare, & ſuper præmiſſis omnia, quæ neceſſaria forent, gerere, & executioni dmandare, ut jura Sanctæ Sedis illæſa, intacta, & immunia penitus, omninò remaneant non ſolum &c. ſed & omni &c. Datum Romæ in Camera Apoſtolicâ hac die 17. Octobris 1711.

Jo. B. Card. Camerarius.

Dominicus Antonius Galloſius R. C. A. Secr. & Cancellarius.

RENOVATIO PRÆCEPTI

VII.

Præceptum injunctum, ſeu renovatum Communitati, & hominibus Cortanzoni in Comitatu Aſtenſi, ne Ducem Sabaudiæ in Supremum Dominum recognoſcant nec illi Taxas perſolvant ſub pœnis &c.

Injuncti Communitati, & hominibus Ciſternæ, ne Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis recognoſcere audeant in ſupremum Dominum D. Caſtri, nec illi ullum ſubjectionis actum præſtare, vel aliquam contributionem perſolvere in præjudicium alti, directi, & Supremi Dominii ſuper eodem Caſtro ad Sedem Apoſtolicam, & Summum Romanum Pontificem pertinentis.

Joannes Baptiſta Spinula Presbyter Cardinalis S. Cæſarei S. R. E. Camerarius.

UNiverſis, & ſingulis Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis, illorumque DD. Vicariis, nec non RR. DD. Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, aliiſque in Dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, ac quibuſvis aliis Curiarum Eccleſiaſticarum Officialibus, Miniſtris, & Executoribus, illique, vel illis, ac cui, ſeu quibus præſentes noſtræ oſtenſæ, ſeu aliàs quomodolibet præſentatæ fuerint, ſalutem in Domino ſempiternam.

§. 1. Noveritis nuper, & infraſcriptâ die fuiſſe coram nobis, & in Tribunali noſtro pro parte, & ad inſtantiam Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Gaſparis Turchi Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis perſonaliter comparitum, & expoſitum primo loco aliàs, & ſub die 8. Auguſti 1702. ſeu &c. Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Sylvium de Cavaleriis, tunc R. C. A. prædictæ Commiſſarium Generalem, nobis narraſſe, & expoſuiſſe, quod licèt Principatus Ciſternæ, & Montaphiæ, ac Marchionatus Cortanzæ, & Cortanzerii, illorumque DD. Vaſſalli, & Habitatores, ac omnia bona in Caſtris, & Territoriis dd. feudorum poſita, & exiſten. ſpectarent ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, & ſuper illis, niſi Sancta Sedes, & Summi Pontifices directum, altum, & ſupremum dominium unicè haberent, & ob id DD. dictorum Caſtrorum Feudatarii, & illorum Subditi, & Habitatores, &

Principatus Ciſternæ, & Montaphiæ, & Marchionatus Cortanzæ, & Cortanzerii; illorumq; Vaſſalli, & incolæ ſubſunt ſupremo Dominio Sedis Apoſtolicæ.

Vexantur ab Officialibus Ducis Sabaudiæ pro solutione prætensarum Taxarum & contributionum.

respectivè bona, ut supra, situata, & existen. à nullo alio Principe molestari possint, cum totaliter Jurisdictioni Sanctæ Sedis, & Summorum Pontificum subjacerent, attamen usque tunc ad notitiam ejusdem Cameræ Apostolicæ deveniſſe Sereniſſimum Dominum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis, ac illius Celsitudinis Locumtenentes, Miniſtros, & Officiales, quovis nomine nuncupatos, prætendiſſe, & prætendere D. Henrichettam de Trousa Principiſſam, & poſſeditricem d. Principatus Ciſternæ, ac D. Carolum de Simiana Principem Montaphiæ, ac D. Thomam Roverium Marchionem Cortanzæ, & Cortanzerii Feudatarios Sanctæ Sedis, ac dd. Feudorum habitatores, & Incolas contra omne Juris debitum, & in Sanctæ Sedis præjudicium vexaſſe, perturbaſſe, & ad contribuendum taxas coegiſſe, ac bona in eiſdem Feudis poſita, & exiſtentia gravamine contributionum, & taxarum realium, & perſonalium gravaſſe, & generaliter ita egiſſe, ut dicti Feudatarii Sanctæ Sedis, & dictorum Feudorum Habitatores, & Incolæ ſeſe erga dictum Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ. & Principem Pedemontis, tanquam Celſitudinis ſuæ Subditi, & Vaſſalli ſeſe gererent, ut omnibus oneribus, contributionibus, quibus d. Sereniſſimi Ducis ſubditi ſubjacent, ipſi DD. Sanctæ Sedis Feudatarii ſubjaceant, & iſta de cauſa dictum Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. de Cavaleriis tunc dictæ Cameræ Commiſſarium Generalem, ad effectum juribus Sanctæ Sedis conſulendi, & conſervandi libera, & immunia, & exempta ab omni onere, & gravamine ipſius Sanctæ Sedis, ac propriorum Feudatariorum, & Vaſſallorum bona, cùm hoc eſſet præjudiciale ſupremo, & alto dominio d. Sanctæ Sedis, apud Nos petiiſſe, inſtetiſſe, ut aliquod Præceptum à Nobis concederetur contra eoſdem Dominos Feudatarios, ac illorum Vaſſallos, ſubditos, & dictorum Caſtrorum Habitatores, ne ſub dictorum Feudorum, ac illorum jurium, & pertinentiarum devolutionis, aliiſque pœnis in corpore juris, uſibus Feudorum, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis, & comminatis auderent, ſeu præſumerent prædictum Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis, illiuſque Cameram Ducalem in prædictorum Feudorum Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis agere, & contribuere, ſeu alia onera ipſis imponen. perſolvere, ac bona omnia inibi exiſten. immunia, & exempta pro Sanctâ Sede conſervare, & à gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum Ducem, illiuſque Miniſtros ſuper dd. Feudis, Habitatoribus, & bonis quomodolibet inferen. appellare, & reclamare, ac eiſdem, & quibus opus fuerit, cenſuras contra turbantes dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, ac notificare, & denique de nullitate, & de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ proteſtari, & ſuper præmiſſis omnia, quæ neceſſaria forent, gerere, concedere, & relaxare, prout à Nobis ſub dicta die 8. Auguſti 1702. per acta quondam Aſtulphi Galloppi tunc ejuſdem Cameræ Apoſtolicæ Secretarii petitum Præceptum modo, quo ſupra, conceſſum fuit.

Præceptum præfatis Feudatariis, ac hominibus dictorum locorum injunctum ne Ducem Sabaudiæ in ſupremum Dominum recognoſcant, nec quidquam agant præjudicium Cameræ Apoſtolicæ.

§. 2. Secundariè etiam narratum extitiſſe, quod licet poſt præſentationem prænarrati Præcepti à Nobis, ut ſupra, relaxati, non ſolùm D. Princeps Montaphiæ, ac ejuſdem loci, & Principatus Communitas, Habitatores, & Incolæ omnia in eodem prænarrato Præcepto ipſis injuncta, & demandata ſervare debebant, verùm etiam Magiſtratus, Locumtenentes, Collectores, & Exactores Taxarum, & alii Officiales quocumque nomine nuncupati d. Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontis à moleſtiis, vexationibus, perturbationibus, & aliis in præjudicium juriſdictionis Sanctæ Sedis, ac illius Feudatariorum, Subditorum, & Vaſſallorum inferendis pariter ſeſe abſtinere debuiſſent, & deberent, attamen non ſolùm à die, quâ dictum noſtrum Præceptum præſentatum fuit, verùm etiam à die 17. menſis Maii 1707., in quâ publicatæ fuerunt literæ Apoſtolicæ Sanctiſſimi D. Noſtri Domini Clementis Papæ XI. ſuper declaratione nullitatis decretorum, ordinationum, & aliorum geſtorum in ditione d. Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, tam ultra, quàm citra montes libertati, immunitati, juriſdictioni Eccleſiaſticæ, atque authoritati Apoſtolicæ præjudicialium, & ut meliùs narratum fuit in eiſdem literis §. *Præterea cum ad retundendas graves &c.* nec non etiam poſt earundem literarum Apoſtolicarum publicationem, quamvis per violentiam, ac præviis proteſtationibus ab ipſis factis, ſolutionem Taxarum, aliaque onera involuntariè ſubierint, & propterea non ſolùm contenta in Præcepto non ſervarunt, immò illis expreſſè contravenerunt, incurrendo pœnas inibi comminatas tam contra d. D. Principem Ciſternæ, quàm etiam contra d. D. Principem Montaphiæ, & dd. Vaſſallos, ne ſub gravioribus pœnis auderent aſſentiri impoſitionibus, noviſque gravaminibus forſan per d. Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ, illiuſque Miniſtros imponen., prout latius conſtat ex eiſdem præceptis à Nobis ſub diebus 24. Julii, & 7. Auguſti 1711. par acta d. quondam Aſtulphi Galloppi expeditis, ad quæ &c.

Principes Ciſternæ, & Montaphiæ, eorumque Vaſſalli ab Officialibus Ducis Sabaudiæ per vim. prætenſa onera ſolvere compelluntur.

§. 3. Expoſitum quoque tertio loco per prædictum Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Gaſparem Turchum poſt hæc ad ejus notitiam deveniſſe, etiam Communitatem, Homines, & Habitatores Caſtri Curtanzoni in Comitatu Aſtenſi exiſten. ſub eodem alto, & ſupremo Dominio Sanctæ Sedis fuiſſe de mandato ejuſdem Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, illiuſque Miniſtrorum, eandem Communitatem, Homines, & Vaſſallos variis modis gravatos, & coactos fuiſſe ad ſolutionem Taxarum, Hoſpitationem militum, menſurationes eorum Territorii, aliorumque gravaminum in præjudicium juriſdictionis, & ſupremi Dominii ejuſdem Sanctæ Sedis, & propterea renovationem ejuſdem Præcepti etiam contra prædictas Communitates, Homines, & Habitatores Caſtri Curtanzoni à Nobis petiiſſe, illamque jure ſic ſuadente obtinuiſſe, prout ex hujuſmodi renovatione expedita per eadem acta Galloppi ſub die 17. Octobris 1711. ad quæ &c.

Communitas pariter, & homines Curtanzoni Comitatu Aſtenſi prætenſa onera ſolvere de facto, & vi coacti fuerunt.

§. 4. Noviſſimè verò ad notitiam ejuſdem Illuſtriſſimi D. Commiſſarii Cameræ deveniſſe etiam prædictam Communitatem Ciſternæ ſub eodem alto, & ſupremo dominio Sanctæ Sedis, ut ſupra exiſten., ejuſque Homines, & Habitatores non ſolùm variis modis gravatos, & coactos fuiſſe ad ſolutionem Taxæ nuncupatæ del Taſſo del Sale per dictum Sereniſſimum Dominum Ducem Sabaudiæ, ejuſque Miniſtros, & Officiales annuatim prætenſæ in ſcutis centum duobus auri, demandando ſub prætextu ſolutionis annuæ recognitionis per dictam Communitatem Ciſternæ uſque, & ſub die 9. Octobris 1681. in dupplis viginti octo monetæ Hiſpaniarum ex causâ libertatis commercii, & tranſitus victualium in vim Inſtrumenti concordiæ cum Civitate Taurinen., ſive ejus Advocato Patrimoniali Fiſcali generali carcerationem Michaelis Angeli Barocchi, & Philippi Mò habitatorum Ciſternæ ſequutam in dicta Civitate Taurinen. ſub diebus 16., & 20. Martii proximè præteriti, pro quorum excarceratione coactam fuiſſe d. Communitatem Ciſternæ perſolvere in manibus Domini Aymi Ferrerii Conſiliarii, & Theſaurarii

Referuntur aliæ vexationes illatæ Communitati, & hominibus Ciſternæ ab Officialibus Ducis Sabaudiæ.

Generalis d. Sereniſſimi Domini Ducis Sabaudiæ libras biſmille, & quingentas argenti, quæ licèt per eandem Communitatem ſolutæ fuerint ex causâ ſupradictæ annuæ recognitionis, & causâ libertatis commercii ejus Graſciarum, & in vim enunciati Inſtrumenti Concordiæ, ut ſupra, ſtipulati d. die 9. Octobris 1681. nihilominus prædictus D. Aymus Ferrerius Theſaurarius Generalis quietantiam in computum ſupradicti prætenſi Datii del Taſſo facere voluit, reluctantibus licèt, & diſſentientibus prædictâ Communitate, & Hominibus: verùm etiam Deputatis, & Officialibus ejuſdem Communitatis Ciſternæ fuiſſe per dictum Theſaurarium Generalem, alioſque Miniſtros d. Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ injunctum Præceptum, quatenus infra quadraginta dies ex tunc proximos ſupplicem libellum pro obtinendâ compoſitione à d. Sereniſſimo Duce ſuper ſolutione annua d. Datii del Taſſo exhibere debeant. Et licèt Communitas, & Homines, & habitatores dicti loci Ciſternæ in eorum publico Concilio ad hoc ſpecialiter celebrato ſub die 8. Aprilis proximè præteriti proteſtati fuerint de nullitate geſtorum per dd. Miniſtros d. Sereniſſ. D. Ducis Sabaudiæ tam circa carcerationem dd. Michaelis Angeli Barocchi, & Philippi Mò, quàm circa prætenſam ſolutionem coactè factam, & per dictum Theſaurarium Generalem receptam in computum ſupradicti prætenſi Datii del Taſſo, & non in cauſam d. tranſactionis, & concordiæ, ut ſupra, initæ, cùm Communitas prædicta, ejuſque Habitatores, & Incolæ exiſtant ſub alto, & ſupremo dominio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & propterea à nullo alio Principe moleſtari poſſint, minuſque taxas, pedagia, & gabellas ab eis exigere, prout ex dd. proteſtationibus ut ſupra emiſſis, & per dictum Illuſtriſſimum Dominum Commiſſarium Cameræ in actis infraſcripti Secretarii ſub infraſcriptâ die productis, ad quæ &c. nihilominus fuimus ex parte ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Gaſparis Turchi d. Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis requiſiti, quatenus renovationem antedicti Præcepti etiam contra prædictos Communitatem, Homines, & Habitatores Ciſternæ concedere, ac renovare vel dignaremur. Nos itaque attendentes petitionem à d. Illuſtriſſimo D. Commiſſario Cameræ factam ad effectum tuendi juriſdictionem, ac ſupremum dominium Sanctæ Sedis, eſſe juſtam, & omni rationi conſonam, renovationem prædicti Præcepti facien. & ut infra, concedendam fore, & eſſe duximus, prout de præſenti concedimus, renovamus, & omninò ſervari mandamus per præſentes.

§. 4. Quo circa de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ providentia Papæ XI. vivæ vocis oraculo nobis deſuper facto, & authoritate noſtri Camerariatus Officii, inhærentes, ut ſupra, narratis literis Apoſtolicis Sanctitatis Suæ ſuper dd. nullitate actorum, & cenſuris d. die 17. Maii 1707. publicatis, tenore præſentium, & in virtute ſanctæ obedientiæ Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, ac cui, ſeu quibus præſentes noſtræ oſtenſæ, ſeu præſentatæ fuerint, committimus, & ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ex parte noſtrâ, immo veriùs Apoſtolicâ authoritate, ſub excommunicationis, & Interdicti, ac aliis arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis ipſo facto, & ipſo jure incurren. debeatis, & quilibet veſtrum debeat prædictos Communitatem, Homines, Incolas, & Habitatores d. loci Ciſternæ, ac ejuſdem Communitatis publicos Repræſentantes, Miniſtros, & Officiales perſonaliter, ſi eorum perſonas commodè habere poteritis, ſin minùs per affixionem præſentium noſtrarum literarum ad valvas majoris Eccleſiæ dicti loci, denuò, & prout etiam aliàs factum fuit, monuiſſe, & præceptaſſe, prout nos etiam in virtute Sanctæ obedientiæ, & de Sanctitatis Suæ ordine, & mandato Communitatem prædictam, ejusque Miniſtros d. loci Ciſternæ Incolas, & alios in exequutione præſentium nominan. & cognominan. præceptamus, monemus, & interpellamus, ac præceptari, moneri, & interpellari mandamus, ne ſub d. loci, illiuſque membrorum, & pertinentiarum quarumcumque devolutionis, & aliis pœnis in corpore juris, & uſibus Feudorum, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis, & comminatis audeant, ſeu præſumant, aut eorum aliquis audeat, ſeu præſumat prædictum Sereniſſ. D. Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis, illiuſque Cameram Ducalem in prædicti loci Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis agere, minùſque contributiones, ac alia onera, & ſignanter ſupradictum datium del Taſſo ipſis imponenda perſolvere, ſeu perſolvi facere, minuſque compoſitionem aliquam ſuper ſolutione d. datii del Taſſo à d. Sereniſſimo D. Duce, ejuſque Officialibus, & Miniſtris petere, ſeu impetrare, aut peti, ſeu impetrari facere, immò eamdem Communitatem, ejuſque Miniſtros, alioſque in exequutione præſentium nominandos monemus, ac eiſdem ſub jam dd. pœnis modo prædicto præcipimus, & mandamus, ut dictum locum Ciſternæ, illiuſque Incolas habitatores, ac bona omnia inibi exiſten. immunes, & immunia, liberos, & libera, & in omnibus exemptos, & exempta pro Sanctâ Sede conſervare, & conſervari facere, & à gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum D. Ducem, illiuſque DD. Miniſtros ſuper de Feudo, Habitatoribus, & bonis quomodolibet imponen. appellare, & reclamare, & eiſdem, & quibus opus fuerit, cenſuras contra turbantes dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, ac notificare, ac denique de nullitate, ac de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ proteſtari, & ſuper præmiſſis omnia, quæ neceſſaria fuerint, gerere & exequutioni demandare, ut jura Sanctæ Sedis illæſa, intacta, & immunia penitùs, & omninò remaneant, non ſolùm &c. ſed & omni &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Camerâ Apoſtolicâ hac die 23. Maii 1716.

Novum Præceptum injunctum Communitati, & hominibus Ciſternæ, ne Ducem Sabaudiæ in ſupremum Dominum recognoſcant, nec illi ullas Taxas perſolvant.

Jo. Baptiſta Card. Camerarius.

Dominicus Antonius Galloſius &c.

RENOVATIO VIII.

Conſimilis Præcepti aliàs injuncti Communitati, & Hominibus Cortanzæ; & Declaratio nullitatis cujuſdam Memorialis ſub nomine d. Communitatis præſentati Sereniſſimo D. Duci Sabaudiæ.

Joannes Baptiſta &c.

Omittitur narrativa, quæ eadem eſt, ac relata in proximè enunciato Præcepto.

§. 1. NOviſſimè verò ad notitiam ejuſdem Illuſtriſſimi Domini Commiſſarii Cameræ deveniſſe etiam prædictam Communitatem Cortanzæ Aſten. Diœceſis ſub eodem alto Dominio Sanctæ Sedis, ut ſupra exiſten. ejuſque Homines, & Habitatores iterum variis modis gravari, & cogi ad ſolutionem taxæ

Referuntur vexationes ab Officialibus Ducis Sabaudiæ illatæ Communitati, & Hominibus Cortanzæ Aſten. Diœceſis.

nun-

nuncupat. *del taſſo del ſale* per dictum Sereniſſimum Dominum Ducem Sabaudiæ, ejuſque Miniſtros & Officiales annuatim prætenſi, demandando dictâ de causâ carcerationem Joſephi Vayni de dicto loco Cortanzæ ſequutam in dicta Civitate Taurinen. ſub die ultimâ menſis Martii proximè præteriti. Et licèt Communitas, Homines, & Habitatores dicti loci Cortanzæ in eorum publico Conſilio ad hoc ſpecialiter celebrato ſub die 6. Aprilis proximè præteriti proteſtati fuerint de nullitate tam carcerationis dicti Joſephi Vayni, nulliter, & in ſpretum alti, & ſupremi Dominii Sedis Apoſtolicæ ſequutæ, quàm etiam omnium geſtorum per Miniſtros dicti Sereniſſimi Domini Principis Sabaudiæ, ac prætenſionis circa dictam ſolutionem prædicti datii *del Taſſo* : cum Communitas prædicta, ejuſque Habitatores, & Incolæ exiſtant ſub alto, & ſupremo Dominio dictæ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & propterea à nullo alio Principe moleſtari poſſint, prout ex dictis proteſtationibus, ut ſupra, emiſſis, & per dictum Illuſtriſſimum Dominum Commiſſarium Cameræ in actis infraſcripti Secretarii ſub infraſcripta die productis; ad quæ &c., Nihilominus fuimus ex parte ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Gaſpari Turchi dictæ Rev. Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis requiſiti, quatenus renovationem antedicti Præcepti, etiam contra dictam Communitatem, homines, & Habitatores Cortanzæ, concedere, ac renovare velle dignaremur. Nos itaque attendentes petitionem à dicto Illuſtriſſimo Domino Commiſſario Cameræ factam ad effectum tuendi juriſdictionem, ac ſupremum Dominium Sanctæ Sedis eſſe juſtam, & omni rationi conſonam, renovationem prædicti Præcepti facien. & ut infra concedendam fore, & eſſe duximus, prout de præſenti concedimus, renovamus, & omninò ſervari mandamus per præſentes.

§. 2. Quo circa de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Clementis Divinâ providentiâ Papæ XI. vivæ vocis oraculo nobis deſuper facto, & auctoritate noſtri Camerariatus Officii inhærentes, ut ſupra, narratis literis Apoſtolicis Sanctitatis Suæ ſuper dictis nullitate actorum, & cenſuris d. die 17. Maii 1707. publicatis, tenore præſentium, & in virtute ſanctæ obedientiæ vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, ac cui, ſeu quibus præſentes noſtræ oſtenſæ, ſeu præſentatæ fuerint, committimus, & ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ex parte noſtrâ, immò veriùs Apoſtolicâ auctoritate, ſub excommunicationis, & interdicti, ac aliis arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis ipſo facto, & ipſo jure incurren. debeatis, & quilibet veſtrum debeat prædictos Communitatem, Homines, Incolas, & Habitatores d. loci Cortanzæ, ac ejuſdem Communitatis publicos Repræſentantes Miniſtros, & Officiales perſonaliter, ſi eorum perſonas commodè habere poteritis, ſin minus per affixionem præſentium noſtrarum literarum ad valvas majoris Eccleſiæ dicti loci denuò, & prout etiam aliàs factum fuit, monuiſſe, & præceptaſſe, prout nos etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & de Sanctitatis Suæ ordine, & mandato Communitatem prædictam, ejuſque Miniſtros d. loci Cortanzæ, Incolas, & alios in exequutione præſentium nominan. & cognominan. præceptamus, monemus, & interpellamus, ac præceptari, moneri, & interpellari mandamus, ne ſub d. loci, illiuſque membrorum, & pertinentiarum quarumcumque devolutionis, ac aliis pœnis in corpore Juris, & uſibus Feudorum, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis, & comminatis audeant, ſeu præſumant, aut eorum aliquis audeat, ſeu præſumat prædictum Sereniſſimum D. Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis, illiuſque Cameram Ducalem in prædicti loci Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis agere minuſque contributiones, & alia onera, & ſignanter ſupradictam taxam *del taſſo* ipſis imponenda perſolvere, ſeu perſolvi facere, immò eandem Communitatem, ejuſque Miniſtros, alioſque in exequutionem præſentium nominandos, monemus, ac eiſdem ſub jam dictis pœnis modo prædicto præcipimus, & mandamus, ut dictum locum Cortanzæ, illiuſque Incolas, Habitatores, ac bona omnia inibi exiſten. immunes, & immunia, liberos, & libera, ac omnibus exemptos, & exempta pro Sanctâ Sede conſervare, & conſervari facere, & à gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum D. Ducem, illiuſque DD. Miniſtros ſuper dicto Feudo, Habitatoribus, & bonis quomodolibet imponen. appellare, & reclamare, ac eiſdem, & quibus opus fuerit, cenſuras contra turbantes Dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, & notificare, ac denique de nullitate, ac de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ proteſtari, & ſuper præmiſſis omnia, quæ neceſſaria fuerint, gerere, & exequutioni demandare, ut Jura Sanctæ Sedis illæſa, intacta, & immunia penitùs, & omninò remaneant, non ſolùm &c. ſed & omni &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Camerâ Apoſtolicâ die 23. Maii 1716.

Jo. Baptiſta Spinula Card. Camer.

Dominicus Antonius Galloſius &c.

Novum Præceptum injunctum præfatis Communitati, ac Hominibus Cortanzæ, ne Ducem Sabaudiæ in ſupremum Dominum recognoſcant, nec ipſi ullam taxam perſolvant nunc in præjudicium Cameræ Apoſtolicæ.

RENOVATIO IX.

Conſimilis Præcepti aliàs injuncti Communitati, & Hominibus Montaphiæ &c.

Jo : Baptiſta &c.

Omittitur narrativa, quæ eadem eſt, ac illa relata in ſupra enunciato Præcepto.

Narrantur variæ vexationes, & moleſtiæ ab Officialibus Ducis Sabaudiæ illatæ Communitati, & Hominibus Montaphiæ.

§. 1. NOviſſime verò ad notitiam ejuſdem illuſtriſſimi Domini Commiſſarii Cameræ deveniſſe etiam prædictam Communitatem Montaphiæ ſub eodem alto Dominio Sanctæ Sedis, ut ſupra exiſten. ejuſque Homines, & Habitatores iterum variis modis per dictum Sereniſſimum D. Ducem, ejuſque Miniſtros, & Officiales gravari, & cogi ad ſolutionem taxæ nuncupat. *del taſſo, ſuſſidio, e dritto d'ordini* in ſumma librarum ſex millium centum triginta duarum ad annum 1715. prætenſæ, & ulterius, ut dicitur *di ſacchi quarantaquattro, coppi quattro, e nove cucchiari frumenti* pariter pro d. tempore prætenſorum, demandando dicta de cauſa carcerationes Joannis Antonii Carteſi Chirurgi ejuſdem loci, & Bartholomei Franciſci Miglyni dicti loci Notarii ſequutas in dicta Civitate Taurinen. ſub diebus 27. Martii, & 9. Aprilis proximè præteritorum; Ac etiam ſimiliter ad ejus notitiam deveniſſe annis retro elapſis coactè, & in præjudicium alti, & ſupremi Dominii d. Sanctæ Sedis fuiſſe per dictam Communitatem Montaphiæ præſentatum quoddam memoriale, ſeu ſupplicem libellum eidem Sereniſſimo Domino Duci Sabaudiæ ſuper compoſitione ex causâ prædictæ taxæ *del taſſo*, aliorumque onerum nulliter, & indebitè, ac in præjudicium dicti alti, & ſupremi Dominii Sanctæ Sedis, ut ſupra,

prætenſorum. Et licèt Communitas, Homines, & Habitatores d. loci Montaphiæ in eorum publico Conſilio ad hoc ſpecialiter celebrato ſub die 14. Aprilis proximè præteriti proteſtati fuerint de nullitate tam carcerationum dd. Joannis Antonii Carteſi, & Bartholomei Franciſci Miglyni nulliter, & in ſpretum d. alti & ſupremi Dominii Sanctæ Sedis ſequutarum, quàm etiam omnium geſtorum per Miniſtros d. Sereniſſimi D. Principis Sabaudiæ, ac prætentionis circa dictam ſolutionem prædictor. Datiorum, cum Communitas prædicta, ejuſque Habitatores, & Incolæ exiſtant ſub alto, & ſupremo Dominio ejuſdem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & propterea à nullo alio Principe moleſtari poſſint, prout ex dictis proteſtationibus, ut ſupra emiſſis, & per dictum Illuſtriſſimum D. Commiſſarium Cameræ in actis infraſcripti Secretarii ſub infraſcriptâ die productis, ad quæ &c. Nihilominus fuimus ex parte ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Commiſſarii Generalis requiſiti, quatenus non ſolùm renovationem antedicti Præcepti etiam contra dictam Communitatem, Homines, & Habitatores Montaphiæ concedere, ac renovare, verùm etiam dictum memoriale, ſeu ſupplicem libellum, ut prætenditur, dicto Sereniſſimo Domino Duci Sabaudiæ ſuper compoſitione ex cauſa prædictæ prætenſæ taxæ *del taſſo*, aliorumque onerum, licèt coactè, ac nulliter, & indebitè per dictam Communitatem Montaphiæ, ejuſque Officiales, & Miniſtros præſentatum, annullare, ac nullum, & invalidum, ac nullos, & invalidos, nulliuſque roboris, & momenti, tanquam in præjudicium dicti alti, & ſupremi Dominii Sanctæ Sedis præſentat. declarare velle dignaremur. Nos itaque attendentes petitionem à dicto Illuſtriſſimo Domino Commiſſario Cameræ factam ad effectum tuendi Juriſdictionem, & ſupremum Dominium Sanctæ Sedis eſſe juſtam, & omni rationi conſonam, non ſolùm renovationem prædicti Præcepti facien. & uti infra, concedendam fore, & eſſe duximus, prout de præſenti concedimus, renovamus, & omninò ſervari mandamus; Verùm etiam memoriale, ſeu ſupplicem libellum prædictum, ut prætenditur, d. Sereniſſimo Duci præſentatum annullandum fore, & eſſe ſimiliter duximus.

§. 2. Quo circa de mandato ſanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. vivæ vocis oraculo nobis deſuper facto, & auctoritate noſtri Camerariatus Officii inhærentes, ut ſupra, narratis literis Apoſtolicis Sanctitatis Suæ ſuper dd. nullitate actorum, & cenſuris d. die 17. Maii 1707. publicatis, ac in primis, & ante omnia annullantes, ac nullum, & invalidum, ac nullos, & invalidos, nulliuſque roboris, & momenti per præſentes declarantes Memoriale, ſeu ſupplicem libellum prædictum, ut prætenditur, dicto Sereniſſimo D. Duci Sabaudiæ per dictam Communitatem, & Officiales Montaphiæ ſuper dictâ compoſitione cauſæ prædictæ prætenſæ taxæ *del taſſo*, aliorumque onerum, licèt coactè, ac nulliter, & indebitè, ac in præjudicium alti, & ſupremi Dominii d. Sanctæ Sedis Apoſtolicæ præſentatum, itaut actus hujuſmodi præſentationis, minùſque illius admiſſio, quatenus adſit, minimè Communitatem prædictam, ejuſque Homines particulares, & Habitatores afficiat, & afficere poſſit, & non aliàs tenore præſentium, & in virtute ſanctæ obedientiæ, vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, ac cui, ſeu quibus præſentes noſtræ oſtenſæ, ſeu præſentatæ fuerint, committimus, & ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ex parte noſtra, immò veriùs Apoſtolica auctoritate, ſub excommunicationis, & interdicti, & aliis arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis ipſo facto, & ipſo jure incurren. debeatis, & quilibet veſtrum debeat prædictam Communitatem, Homines, Incolas, & Habitatores Montaphiæ ac ejuſdem Communitatis publicos Repræſentantes, Miniſtros, & Officiales perſonaliter, ſi eorum perſonas commodè habere poteritis, ſin minùs per affixionem præſentium noſtrarum litterarum ad valvas majoris Eccleſiæ d. loci denuo, & prout etiam aliàs factum fuit monuiſſe, & præceptaſſe, prout nos etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, ac de Sanctitatis Suæ ordine, & mandato Communitatem prædictam, ejuſque Miniſtros d. loci Montaphiæ, Incolas, & alios in exequutione præſentium nominan. & cognominan. præceptamus, monemus, & interpellamus, ac præceptari, moneri, & interpellari mandamus, ne ſub dicti loci, illiuſque membrorum, & pertinentiarum quarumcumque devolutionis, & aliis pœnis in corpore Juris, & uſibus Feudorum, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis, & comminatis audeant, ſeu præſumant, aut eorum aliquis audeat, ſeu præſumat prædictum Sereniſſ. Dominum Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis, illiuſque Cameram Ducalem in prædicti loci Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis agere, minuſque contributiones, & alia onera, & ſignanter ſupra expreſſa ipſis imponenda perſolvere, ſeu perſolvi facere, immò eamdem Communitatem, ejuſque Miniſtros, alioſque in exequutione præſentium nominandos monemus, ac eiſdem ſub jam dictis pœnis modo prædicto præcipimus, & mandamus, ut dictum locum Montaphiæ, illiuſque Incolas, Habitatores, ac bona omnia inibi exiſten. immunes, & immunia, liberos, & libera, ac in omnibus exemptos, & exempta pro Sancta Sede conſervare, & conſervari facere, & à gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum Dominum Ducem, illiuſque Dominos Miniſtros ſuper dicto Feudo, Habitatoribus, & bonis quomodolibet imponen. appellare, & reclamare, ac eiſdem, & quibus opus fuerit, cenſuras contra turbantes Dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, ac notificare, & denique de nullitate, ac de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ proteſtari, & ſuper præmiſſis omnia, quæ neceſſaria fuerint gerere, & exequutioni demandare, ut Jura Sanctæ Sedis illæſa, intacta, & immunia penitus, & omninò remaneant non ſolum &c. ſed & omni &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Camerâ Apoſtolicâ hac die 13. Maii 1716.

Renovatur præfatæ Communitati, & Hominibus Montaphiæ Præceptum alias illis injunctum, ne Ducem Sabaudiæ in Dominum ſupremum ejuſdem loci recognoſcant.

Jo. Baptiſta Spinula Card. Camerarius.

Dominicus Antonius Galloſius &c.

Declarantur nulli, & invalidi omnes actus geſti à præfata Communitate, & Hominibus Montaphiæ præjudiciales directo, & ſupremo Dominio Sedis Apoſtolicæ ſuper eodem Caſtro.

RENOVATIO PRÆCEPTI X.

Aliàs injuncti Communitati, & Hominibus Cortanzoni Aſten. Diœc.

Joannes Baptiſta &c.

Omittitur narrativa, quæ conſimilis eſt alteri de qua ſupra.

NOviſſimè verò ad notitiam ejuſdem Illuſtriſſimi Domini Commiſſarii Cameræ deveniſſe etiam prædictam Communitatem Cortanzoni Aſtenſis Diœceſis ſub eodem alto Dominio Sanctæ Sedis, ut ſupra exiſten. ejuſque Homines, & Habita-

Narrantur violentiæ ab Officialibus Ducis Sabaudiæ illatæ.

tæ, Communitati, & Hominibus Cortanzoni Aſten. Diœc.

tum variis modis gravari, & cogi ad ſolutionem taxarum, aliorumque gravaminum mediante aſſignatione Belluarum coactè obtenta per dictum Sereniſſimum D. Ducem Sabaudiæ, mediantibus ejus Officialibus, & Miniſtris in præjudicium Juriſdictionis, & Supremi Dominii ejuſdem Sanctæ Sedis. Et licèt Communitas, Homines, & Habitatores dicti loci Cortanzoni in eorum publico Conſilio ad hoc ſpecialiter celebrato proteſtati fuerint de nullitate omnium geſtorum, & agendorum per Miniſtros, & Officiales dicti Sereniſſimi D. Ducis Sabaudiæ, cum Communitas prædicta, ejuſque Habitatores, & Incolæ exiſtant ſub alto, & ſupremo Dominio dictæ Sedis Apoſtolicæ, & propterea à nullo alio Principe moleſtari poſſint; Nihilominus fuimus ex parte ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Gaſparis Turchi dictæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis requiſiti, quatenus renovationem antedicti Præcepti etiam contra dd. Communitatem, Homines, & Habitatores Cortanzoni concedere, & renovare velle dignaremur. Nos itaque attendentes petitionem à dicto Illuſtriſſimo Domino Commiſſario Cameræ factam, ad effectum tuendi Juriſdictionem, & Supremum Dominium Sanctæ Sedis, eſſe juſtam, & omni rationi conſonam, renovationem prædicti Præcepti facien., & ut infra, concedendam fore, & eſſe duximus, prout de præſenti concedimus, renovamus, & omninò ſervari mandamus per præſentes.

§. 2. Quo circa de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. vivæ vocis oraculo Nobis deſuper facto, & auctoritate noſtri Camerariatus Officii inhærentes, ut ſupra, narratis literis Apoſtolicis Sanctitatis Suæ ſuper dd. nullitate actorum, & cenſuris dicta die 17. Maii 1707. publicatis, tenore præſentium, & in virtute ſanctæ obedientiæ vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, ac cui, ſeu quibus præſentes noſtræ oſtenſæ, ſeu præſentatæ fuerint, committimus, & ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus, ex parte noſtrâ, immo verius Apoſtolicâ auctoritate, ſub excommunicationis, & interdicti, ac aliis arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis ipſo facto, & ipſo Jure incurren., debeatis, & quilibet veſtrum debeat prædictam Communitatem, Homines, Incolas, & Habitatores dicti loci Cortanzoni, ac ejuſdem Communitatis publicos Repræſentantes, Miniſtros, & Officiales perſonaliter, ſi eorum Perſonas commodè habere poteritis, ſint minus per affixionem præſentium noſtrarum literarum ad valvas majoris Eccleſiæ dicti loci denuò, & prout etiam aliàs factum fuit, monuiſſe, & præceptaſſe, prout Nos etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & de Sanctitatis Suæ ordine, & mandato Communitatem prædictam, ejuſque Miniſtros dicti loci Cortanzoni Incolas, & alios in exequutione præſentium nominan., & cognominan. præceptamus, monemus, & interpellamus, ac præceptari, moneri, & interpellari mandamus, ne ſub dicti loci, illiuſque membrorum, & pertinentiarum quarumque devolutionis, ac aliis pœnis in corpore Juris, & uſibus Feudorum, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis, & comminatis audeant, ſeu præſumant, aut eorum aliquis audeat, ſeu præſumat prædictum Sereniſſimum Dominum Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontii, illiuſque Cameram Ducalem in prædicti loci Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis agere, minuſque contributiones, & alia onera ipſis imponenda perſolvere, ſeu perſolvi facere, immò eamdem Communitatem, ejuſque Miniſtros, alioſque in exequutione præſentium nominandos monemus, ac eiſdem ſub jam dictis pœnis modo prædicto præcipimus, & mandamus, ut dictum locum Cortanzoni, illiuſque Incolas, Habitatores, ac bona omnia inibi exiſten. immunes, & immunia, liberos, & libera, ac in omnibus exemptos, & exempta pro Sanctâ Sede conſervare, & conſervari facere, & à gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum Dominum Ducem, illiuſque Dominos Miniſtros ſuper dicto Feudo, Habitatoribus, & bonis quomodolibet imponen. appellare, ac eiſdem, & quibus opus fuerit, cenſuras contra turbantes dominia Sanctæ Sedis inflictas intimare, ac notificare, & denique de nullitate, & de omnibus præjudiciis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ proteſtari, & ſuper præmiſſis omnia, quæ neceſſaria fuerint, gerere, & exequutioni demandare, ut Jura Sanctæ Sedis illæſa, intacta, & immunia penitùs, & omninò remaneant non ſolùm &c. ſed & omni &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Camerâ Apoſtolicâ hac die 23. Maii 1716.

Joannes Baptiſta Spinula Card. Camerarius.

Dominicus Antonius Galloſius R.C.A. Secretarius, & Cancellarius.

Renovatur Præceptum dictæ Communitati, & Hominibus Cortanzoni Aſten. Diœceſ. alias injunctum, ne Ducem Sabaudiæ in Supremum Dominum dicti loci recognoſcant ſub pœnis &c.

DECLARATIO XI.

Nullitatis, reprobatio, & damnatio omnium geſtorum, & attentatorum ab Officialibus Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontis contra Communitates, & homines Ciſternæ, Montaphiæ, Cortanzæ, & Cortanzonii in præjudicium ſupremi dominii eorumdem locorum ad Sedem Apoſtolicam, & Summum Romanum Pontificem pertinentis:

Nec non citatio, & Monitorium contra prædictos Laicæ Poteſtatis Officiales ad comparendum, & allegandum cauſam, quare declarari non debeant incidiſſe in cenſuras, & pœnas &c. ob ejuſmodi attentata, & perturbatam Sedis Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ juriſdictionem, & authoritatem.

Joannes Baptiſta Spinula Presbyter Cardinalis Sancti Cæſarei, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius.

UNiverſis, & ſingulis Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis illorumque Dominis Vicariis, necnon RR. Dominis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, aliiſque in Dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutis, ac quibuſvis aliis Curiarum Eccleſiaſticarum Officialibus, Miniſtris, & Executoribus, illique, vel illis, ac cui, ſeu quibus præſentes noſtræ Literæ oſtenſæ, ſeu aliàs quomodolibet præſentatæ fuerint, ſalutem in Domino ſempiternam.

§. 1. Noveritis nuper, & infraſcriptâ die fuiſſe coram Nobis, & in Tribunali noſtro pro parte, & ad inſtantiam Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Joannis Caroli Piancaſtelli Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis perſonaliter comparitum, & expoſitum jamdudùm Laicalem Poteſtatem Taurinenſem excogitaſſe, omnique conatu ſategiſſe, Juriſdictionem, & Jura Sedis Apoſtolicæ uſurpare, præ-

Ciſterna, Montaphia, Cortanza, & Cortanzonum Aſten. Diœc. ſubjacent ſupremo Dominio Sedis Apoſtolicæ.

præsertim verò id contigisse narravit in Principatu Cisternæ, & Montaphiæ ac Marchionatu Cortanzæ, & Cortanzoni in Diœcesi, & Comitatu Asten. existentium, & ab eâdem Ecclesiâ Episcopali Astensi Taurini, & Papiæ respectivè dependentium; supremoque, alto, & directo Dominio, & Jurisdictioni dictæ Sanctæ Sedis totaliter subjectorum.

Narrantur gravamina, & attentata Laicalis Potestatis in dictis locis.

§. 2. Siquidem pluribus abhinc annis præfatam Laicalem Potestatem contra eadem Loca, eorumque Habitatores, & Apostolicæ Sedis Vassallos plura attentasse, illos scilicèt contra omne Juris debitum, ac in Apostolicæ Sedis præjudicium vexasse, & ad contribuendum Taxas coegisse, ac Bona in eisdem Feudis posita, & existentia onere Contributionum, & Taxarum realium, & personalium respectivè gravasse, aliaque hujusmodi ita violenter gessisse, & attentasse, ut Feudatarii dictorum Locorum, illorumque Habitatores, & Vassalli Sanctæ Sedis tales sese agnoscerent, & exhiberent erga Serenissimum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis, ac si fuissent, & essent ejus Subditi, & Vassalli, itaut omnibus oneribus, & contributionibus de facto subjacerent, quibus dicti Serenissimi Ducis Subditi de jure subjacent.

Præceptum injunctum Feudatariis, ac hominibus dd. locorum, ne Ducem Sabaudiæ in supremum Dominum recognoscerent.

§. 3. Ad hæc autem avertenda mala, (ut idem Illustrissimus Dominus Comparens prosequendo exposuit) quæ Jurisdictioni, ac supremo Dominio Sedis Apostolicæ per vim, ut præmittitur, inferebantur, providâ sollicitudine Commissarii Generalis tunc temporis Reverendæ Cameræ Apostolicæ die octavâ Augusti 1702. fuerunt coram Nobis expeditæ literæ inhibitoriales, quibus, justitiâ suadente, injunctum fuit Feudatariis dictorum Locorum, illorumque Vassallis, Subditis, & Habitatoribus, ne sub dictorum Feudorum, ac illorum jurium, & pertinentiarum devolutionis, aliisque pœnis censurarum in corpore juris, Constitutionibus Apostolicis, & usibus Feudorum contentis & comminatis, auderent, seu præsumerent prædictum Serenissimum Ducem Sabaudiæ, ac Principem Pedemontis, illiusque Cameram Ducalem in prædictorum Feudorum Dominum directum, & supremum recognoscere, nec ullum actum recognitionis agere, & exercere, seu alia onera ipsis imponenda persolvere, sed Bona omnia inibi existentia immunia, & exempta pro Sancta Sede conservare, & à gravaminibus forsan per dictum Serenissimum Ducem, illiusque Administros super dictis Feudis, Habitatoribus, & Bonis quomodolibet inferendis appellare, & reclamare, de nullitate dicere, aliaque pro tuendâ Sanctæ Sedis Jurisdictione agere deberent, prout latiùs in eisdem literis continetur, ad quas &c. Ast in incœptâ usurpatione Jurium Apostolicæ Sedis perseverans Laicalis Potestas Taurinensis ad alia hujusmodi, & similia graviora contra Vassallos, & Bona prædicta processit.

Aliud simile Præceptum dd. locorum hominibus renovatum.

§. 4. Quamobrem, ut Apostolicæ Sedis Jura defensa, & illæsa remanerent, aliæ similes literæ inhibitoriales coram Nobis expeditæ fuerunt die 23. Maii anni 1716., quibus pariter omnibus, & singulis superiùs nominatis injunctum fuit, ne sub dictorum Locorum, illorumque membrorum, & pertinentiarum quarumcumque devolutionis, & aliis pœnis superiùs expressis, auderent, seu præsumerent, aut eorum aliquis auderet, vel præsumeret prædictum Serenissimum Dominum Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis, illiusque Cameram Ducalem in prædictorum Locorum Dominum directum, & supremum recognoscere, nec ullum actum recognitionis, & subjectionis erga eum agere, minùsque contributiones, & alia onera ipsis forsan imponenda persolvere, seu persolvi facere; Immò easdem Communitates, ejusque Ministros, & alios quoscumque prædictis nostris literis sub dictis pœnis setiò monuimus, ipsisque præcepimus, ut Loca Montaphiæ, Cisternæ, Cortanzæ, & Cortanzoni, illorumque Incolas, Habitatores, ac Bona omnia inibi existentia immunes, & immunia, liberos, & libera, ac in omnibus exemptos, & exempta pro Sanctâ Sede conservare, & conservari facere, & à gravaminibus forsan per dictum Serenissimum Dominum Ducem, illiusque Ministros super dictis Feudis, Habitatoribus, & Bonis quomodolibet imponendis iterum appellare, & reclamare, de nullitate dicere, & omnia, quæ necessaria fuerint super præmissis, agere, & gerere omninò deberent, & prout latiùs in eisdem literis continetur, ad quas &c.

Alia gravamina & violentiæ dd. locorum hominibus illata.

§. 5. Hujusmodi itaque literis ad valvas Ecclesiarum dictorum Locorum publicè affixis, & executis, quamvis illorum Habitatores, & Vassalli pro eorum obedientiæ, & fidelitatis debito erga Apostolicam Sedem sategissent sese immunes, & liberos tueri, & bona omnia inibi existentia penitus exempta conservare à personalibus, & realibus impositionibus, quibus Administri dicti Serenissimi Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontis eos gravare conabantur; Nihilominus violentiis Laicalis Potestatis Taurinensis oppressi, coactl fuerunt, facto tamen, non animo, illis cedere, & sese mandatis ejusdem Potestatis, licèt inviti, submittere. Hæc profecto noviter evenerunt præsenti, ac proximè elapso anno 1716., quibus præsertim dictæ Potestatis Taurinensis Administri plura in dictis locis contra Jurisdictionem, supremumque Dominium Sanctæ Sedis Apostolicæ per vim, etiam armatam, attentarunt.

Sequitur narratio aliorum gravaminum, & vexationum Laicalis potestatis.

§. 6. Siquidem, ut expositum quoque Nobis fuit, *Carolus Maria Soleri* Commissarius Ducalis de mense Septembris dicti anni 1716. personaliter se contulit ad eadem Loca Cisternæ, Montaphiæ; & Cortanzæ, redditisque Officialibus Universitatum literis *à Comite Pelletta de Casambrato* Syndico, & Præfecto vulgo *Comandante* Civitatis Astensis expeditis, quibus Vassallorum, & Habitantium notulam requirebat, illique consignari, sub pœnarum comminatione præcipiebat, eam proindè sibi tradi præfatus Commissarius instanter requisivit, & mandavit, comminata contravenientibus pœna militaris executionis: Verùm quia Fideles Populi detrectarunt dictæ Potestatis Imperio parere, quinimò Syndici, & Consiliarii Loci Montaphiæ non perterriti, petitam notulam exhibere, & consignare tunc recusarunt, ut Apostolicæ Sedis mandatis debitè obsequerentur, gravissima damna, & incommoda ab eadem Laicali Potestate experti fuerunt. Etenim dicto mense Septembris triginta Equestres, & septuaginta pedestres milites sub regimine *Equitis Casanova* Civitatis Vercellensis Præfecti, *& Capitanei Piopis* se contulerunt ad dictum Montaphiæ locum, ibique diu stationem fecerunt illius Communitatis sumptibus, & expensis, quousque Habitatores, & Vassallos coegerunt ad actum subjectionis erga Serenissimum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis emittendum, petitamque Hominum, & Incolarum notulam tradendam. Qua de re Habitatores, & Vassalli cæterorum Locorum perterriti hujusmodi notulam coacti tradiderunt, ne parem comminatæ militaris executionis pœnam sustinerent, omnesque demum Cisternæ, Montaphiæ, & Cortanzæ Habitatores, & Vassalli, ut graviora damna, & incommoda, quæ comminabantur, evaderent, realia, & personalia onera per vim, ut præmit-

ti-

titur, à dicta Potestate imposita proximè præterito, & currenti anno respectivè exsolverunt; ita mandante Advocato *Carolo Antonio Cauda* altero ex Administris dictæ Laicalis Potestatis, dictumque Serenissimum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis, tanquam prætensum directum Dominum, vi coacti recognoverunt. Præ cæteris autem graviora apparent, quæ laici Administri prædictæ Potestatis contra nostras postremas literas decernere præsumpserunt; quippe ad instantiam *Consiliarii, & Patrimonialis Generalis à Secretario Cameræ*, quam Computorum vocant, expeditum fuit Edictum, seu Rescriptum typis impressum, & in iisdem locis affixum, quo, prævia declaratione nullitatis, & invaliditatis dictarum nostrarum literarum, Subditis, & Vassallis dictorum Locorum, qui Apostolicam Sedem, tanquam Dominam directam, ejusque supremam auctoritatem recognoverant, sub gravissimis pœnis præcipiebatur, quod de cætero supremam tantùm dicti Serenissimi Ducis, ejusque Successorum authoritatem recognoscerent, prout latiùs apparet ex dicta Ordinatione, seu Rescripto sub Datum Taurini die 31. Augusti 1716., ad quod impugnativè tantùm relatio habeatur.

Incolæ Cortanzæ, seu Cortanzerii militari brachio coacti fuerunt contributiones persolvere.

§. 7. Adhuc tamen Administri Laici à vexandis Subditis, & Feudatariis memoratorum Locorum minimè destiterunt, quinimmo prænarratis molestiis novas, gravioresque in dies adjicientes ad militares executiones devenerunt de mense Junii proximè præteriti contra Habitatores loci Cortanzæ, seu Cortanzerii. Antedictus quippe Commissarius Soleri à magna Militum copia associatus ad eumdem Locum die 14. dicti mensis Junii se contulit, ibique illorum sumptibus in pœnam assertæ inobedientiæ mandatis laicæ Potestatis hospitati fuerunt, donec Communitas, & Particulares compartum tritici, aliasque petitas contributiones unâ cum expensis à Militibus, eorumque Officialibus prætensis persolvere coacti fuerunt.

Instantia Commissarii Ceneralis Cameræ Apostolicæ.

§. 8. Quæ omnia, & singula, aliaque hujusmodi prænominatos Laicos Administros de facto, & per vim nulliter, & attentatè perpetrasse in manifestum, ac detestabile contemptum Apostolicæ Sedis, ejusque Jurisdictionis, Jurium, & Authoritatis præjudicium commemoravit hodie Nobis, legitimisque juribus comprobavit dictus Illustrissimus Dominus Commissarius Generalis Reverendæ Cameræ Apostolicæ rebusque aliis ex Processu Causæ resultantibus, ad quem &c., singula singulis &c., super quibus &c. Quamobrem ad instantiam, & pro parte ejusdem fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenus de opportuno juris remedio providere, ad sententiam scilicet declaratoriam nullitatis omnium, & singulorum per vim, & metum gestorum ab Officialibus Universitatum dictorum Locorum, illorumque Habitatoribus, & Vassallis erga Serenissimum D. Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis in præjudicium alti, & supremi Dominii Apostolicæ Sedis, nec non singulorum pariter circa hujusmodi gestorum ab Administris ejusdem Potestatis devenire, literasque monitorias extra Romanam Curiam, & ad Partes ad legitime comparendum decernere, & concedere dignaremur.

§. 9. Nos igitur Joannes Baptista Spinula Cardinalis Camerarius sedulò spectantes damnatam detestabilemque usurpationem jurisdictionis, jurium, & dominii Sanctæ Sedis Apostolicæ à Laicali Taurinensi Potestate, ut præmittitur, commissam; easque violentias ab ejus Subditis, & Vassallis Locorum Cisternæ, Montaphiæ; & Cortanzæ, seu Cortanzerii injustè passas, proindeque attendentes requisitionem hujusmodi Nobis factam fore, & esse justam, ac rationi consonam cumque justa petenti non sit denegandus assensus ad petitam declaratoriam Sententiam, seu Decretum nullitatis procedendum prædictasque literas monitorias contra Delinquentes concedendas fore, & esse duximus, & per præsentes mandamus.

Omnes actus gesti ab hominibus dictorum Locorum, & omnia attentata laicalis potestatis contra ipsos patrata nulla, ac inania declarantur cum omnibus secutis & secuturis.

§. 10. Quocirca inhærentes nos etiam Apostolicis literis Sanctissimi Domini Papæ editis die 17. Maii anni 1707. super declaratione nullitatis quamplurium decretorum, ordinationum, mandatorum, aliorumque gestorum in ditione Serenissimi Ducis Sabaudiæ, tam ultra, quàm citra Montes libertati, immunitati, & jurisdictioni Ecclesiasticæ, atque authoritati Apostolicæ præjudicialium, aliisque similibus literis pariter editis die 20. Octobris proximè præteriti super hujusmodi declaratione nullitatis præfati Edicti ad supplicationem Patrimonialis generalis Secularis Potestatis in Ducatu Sabaudiæ, & Pedemontis Principatu emanati, omnia, & singula à præfatis Administris causa, & occasione præmissorum acta, gesta, & perpetrata contra altum, directum, & supremum Dominium Sedis Apostolicæ, nec non ab Habitatoribus, & Vassallis eorumdem Locorum per vim, & metum nequiter extorta cum omnibus & singulis inde secutis, & quandocumque secuturis penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, injusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, & à non habentibus Potestatem, ac à deficientibus respectivè à debito obedientiæ erga Sanctam Sedem Apostolicam damnabiliter gesta, & attentata, de facto præsumpta, ac per vim extorta, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, & perpetuò fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imò nec ea à quopiam observari posse, vel potuisse, nec ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum etiam coloratum possidendi, vel præscribendi causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse neque illa ullum statum facere, vel fecisse, itaut illis minimè obstantibus Apostolicæ Sedis, & Astensis Ecclesiæ jura quæcumque semper, & omni tempore remaneant, sint, & serventur, ac censeri debeant sarta, tecta, integra, illæsa, & illibata, perinde ac si præmissa tam à Laicali Potestate Taurinensi, quàm à Subditis, & Vassallis Apostolicæ Sedis, dictorumque Locorum Habitatoribus per vim, ut præmittitur, gestorum, nunquam emanassent, nec facta fuissent, ac pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere tenore præsentium declaramus, & publicè denunciamus; & nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

Citantur Laici potestatis Officiales, qui præmissa perpetrarunt, ad comparendum coram Card. Camerario, & allegandam causam, quare declarari non debeant excommunicati.

§. 11. Quibus per Nos ita decretis, & declaratis semper, & perpetuò in suo robore manentibus committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictæ præcipiendo mandamus vobis omnibus, & singulis, ac vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium, quatenus visis iisdem præsentibus &c. *Supradictos Carolum Mariam Soleri assertum Commissarium Ducalem, Comitem Pelletta de Casambrato Syndicum & Præfectum vulgò Commandante Civitatis Astensis, Equitem Casanova Civitatis Vercellen. Præfectum, pariter Commandante nuncupat.; Capitaneum Piopis, Advocatum Carolum Antonium Cauda, N. N. Consiliarium, & Patrimonialem generalem, N. N. à secretis Cameræ Computorum nuncupat., N. N. Locumtenentem Columnelli Rambusium, & Comitem sive Equitem Ca-*

taneum Cumiana citetis, moneatis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, prout Nos eosdem, & eorum quemlibet harum serie citamus, monemus, & requirimus primo, secundo, tertio, & peremptoriè, quatenus infra sexaginta dierum spatium ab executione præsentium computan., quorum viginti pro primo, alios viginti pro secundo, & alios viginti pro tertio ultimo, & peremptorio termino, ac trina Canonica monitione assignamus, & vos assignetis, debeant, & ipsorum quilibet, prout eos tangit, debeat Romæ coram Nobis personaliter, vel legitimè comparuisse, & comparere ad deducendum, & allegandum causam quare non debeamus ipsos, & eorum quemlibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas contra prædicta, & similia committentes in Sacris Canonibus, Conciliis, & Apostolicis Constitutionibus, & præsertim in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solitâ, contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari & respectivè non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, & super præmissis cum dicto Illustrissimo Domino Commissario Generali, & aliis cum quibus opus fuerit, juri stetisse, deque eorum innocentiâ, si quæ sit, legitimè docuisse, præsentique nostro Monitorio omnino paruisse: *Certificantes eosdem Carolum Mariam Soleri, aliosque prædictos* sic citatos, & monitos, quod si in dicto termino ipsis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis ipsorum non comparuerit, Nos nihilominus al ulteriora juris, & facti remedia, & ad declarationem incursus pœnarum prædictarum usque ad sententiam, illiusque executionem inclusivè, prout juris fuerit, per contradictas, vel Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel absentia, aliisque quibuscumque non obstantibus.

Decernitur præsens Monitorium affigi in Urbe, in Ecclesiis majoribus Messerani, ac Tiliolarum, sic affixum, omnes citatos afficere debere &c. ob non tutum accessum ad præmissa loca.

§. 12. Et cum excessus prædicti patrati fuerint in jurisdictione Prædictorum Principatus Cisternæ & Montaphiæ, ac Marchionatus Cortanzæ, & Cortanzoni, & valde notoria sit violenta occupatio jurisdictionis Sanctæ Sedis, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ, & pro præsenti nostro Monitorio exequendo tutus non pateat accessus, propterea volumus, & auctoritate nostra decernimus idem nostrum Monitorium contra omnes supra nominatos exequi mediante affixione, & dimissione ejusdem copiarum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Sancti Petri in Vaticano, Magnæ Curiæ Innocentianæ, & aciei Campi Floræ, nec non ad valvas Major. Ecclesiarum Messerani, & Tiliolarum, quo sic exequuto ita eosdem monitos, & eorum singulos arctare, & adstringere perinde valeat, ac si personaliter, & magis legitimè exequutum foret. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris hac die 11. Decembris 1717.

Jo: Baptista Cardinalis Spinula Camerarius.

Dominicus Antonius Galosius Rev. Cam. Apost. Secret., & Cancell.

SENTENTIA IX.

Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Camerarii, quâ irritantur, cassantur, & annullantur omnia gesta, & attentata tam ab Officialibus, & Administris Serenissimi Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontis contra Communitates, & Homines Cisternæ, Montaphiæ, Cortanzæ, & Cortanzoni, quàm ab eisdem Communitatibus, & Hominibus in præjudicium alt., & Supremi Dominii ad Sanctam Sedem, & Cameram Apostolicam, super omnibus præfatis locis pertinentis. Nec non omnes antedicti Officiales, & Administri propter præmissa singillatim excommunicati declarantur.

CHristi nomine invocato. Pro Tribunali sedentes, & solum Deum, præ oculis habentes, per hanc nostram Declaratoriam Sententiam, quam de Juris Peritorum consilio ferimus in his scriptis in Causâ, & Causis, quæ primò, & in primâ, seu aliâ quavis veriori coram Nobis versæ sunt, & nunc vertuntur Instantia inter Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Joannem Carolum Piancastelli Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarium Generalem Principalem Actorem, Promotorem ex una, nec non *Carolum Mariam Soleri assertum Commissarium Ducalem, Comitem Pelletta de Casambrato Syndicum, & Præfectum vulgò Commandante Civitatis Astensis, Equitem Casanova Civitatis Vercellen. Præfectum, pariter Commandante nuncupat., Capitaneum Piopis, Advocatum Carolum Antonium Cauda, N. N. à Secretis Consiliarium, & Patrimonialem Generalem, N. N. à Secretis Cameræ Computorum nuncupat., N. N. Locumtenentem Columnelli Rambusium, & Comitem, sive Equitem Capitaneum Cumiana*; Ex adverso Principales reos conventos, inquisitos, processatos, ad legitimè comparendum monitos, & contumaces in, & super infrascriptis per eosdem commissis, & patratis delictis, & signanter de, & super eo, quod cum Laicalis Potestas Taurinensis excogitaverit, omnique conatu sategerit jurisdictionem, & Jura Sedis Apostolicæ usurpare, præsertim verò id contigerit in Principatu Cisternæ, & Montaphiæ, ac Marchionatu Cortanzæ, & Cortanzoni in Diœcesi, & Comitatu Asten. existentium, & ab eadem Ecclesia Episcopali Astensi, Taurini, & Papiæ respectivè dependentium, supremoque, alto, & directo Dominio, & Jurisdictioni dictæ Sanctæ Sedis totaliter subjectorum; Siquidem pluribus ab hinc annis præfata laicalis Potestas contra eadem loca, eorumque habitatores, & Apostolicæ Sedis Vassallos plura attentaverit, illos scilicet contra omne Juris debitum, ac in Apostolicæ Sedis præjudicium vexaverit, & ad contribuendum taxas coegerit, ac bona in eisdem Feudis posita, & existentia onere contributionum, & taxarum realium, & personalium respectivè gravaverit, aliaque hujusmodi ita violenter gesserit, & attentaverit, ut Feudatarii dictorum Locorum, illorumque Habitatores, & Vassalli Sanctæ Sedis tales sese agnoscerent, & exhiberent erga Serenissimum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis, ac si fuissent, & essent ejus Subditi, & Vassalli, itaut omnibus oneribus, & contributionibus de facto subjacerent, quibus dicti Serenissimi Ducis Subditi de jure subjacent.

§. 1. Ad hæc autem avertenda mala, quæ Jurisdictioni, ac Supremo Dominio Sedis Apostolicæ per vim inferebantur provida sollicitudine Commissarii Generalis tunc temporis Reverendæ Cameræ Apostolicæ expeditis coram Nobis die 8. Augusti 1702. Literis inhibitorialibus, quibus

juſtitia ſuadente injunctum fuit Feudatarius dictorum locorum, illorumque Vaſſallis, Subditis, & Habitatoribus, ne ſub dictorum Feudorum, ac illorum jurium, & pertinentiarum devolutionis, aliiſque pœnis, & Cenſurarum in corpore Juris, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & uſibus Feudorum contentis, & comminatis auderent, ſeu præſumerent prædictum Sereniſſimum Ducem Sabaudiæ, ac Principem Pedemontis illiuſque Cameram Ducalem in prædictorum Feudorum Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis agere, & exercere, ſeu alia onera ipſis imponenda perſolvere, ſed bona omnia inibi exiſtentia immunia, & exempta pro Sanctâ Sede conſervare, & gravaminibus forſan per dictum Sereniſſimum Ducem, illiuſque Adminiſtros ſuper dictis Feudis, Habitatoribus; & bonis quomodolibet inferendis appellare, & reclamare, de nullitate dicere, aliaque pro tuenda Sanctæ Sedis jurisdictione agere deberent, prout latiùs in eiſdem literis continetur, ad quas &c. Aſt in incæpta uſurpatione Jurium Apoſtolicæ Sedis perſeverans Laicalis Poteſtas Taurinenſis ad alia hujuſmodi, & ſimilia graviora contra Vaſſallos, & bona prædicta proceſſit.

§. 2. Quamobrem, ut Apoſtolicæ Sedis Jura defenſa, & illæſa remanerent, expeditis aliis ſimilibus literis inhibitorialibus pariter coram Nobis ſub die 23. Maii anni 1716. quibus pariter omnibus & ſingulis ſuperiùs nominatis injunctum fuit, ne ſub dictorum locorum, illorumque membrorum, & pertinentiarum quarumcumque devolutionis, & aliis pœnis ſuperiùs expreſſis auderent ſeu præſumerent, aut eorum aliquis auderet, vel præſumeret prædictum Sereniſſimum Dominum Ducem Sabaudiæ, & Principem Pedemontis, illiuſque Cameram Ducalem in prædictorum locorum Dominum directum, & ſupremum recognoſcere, nec ullum actum recognitionis, & ſubjectionis erga eum agere: minuſque contributiones; & alia onera ipſis forſan imponenda perſolvere, ſeu perſolvi facere, imò Communitatibus prædictorum locorum, eorumque Miniſtris, & aliis quibuſcumque præfatis noſtris literis ſubdictis pœnis ſeriò monitis, ac præceptatis, ut loco Montaphiæ, Ciſternæ, Cortanzæ, & Cortanzoni, illorumque Incolas, Habitatores, ac bono omnia inibi exiſtentia immunes, & immunia, liberos, & libera, ac in omnibus exemptos, & exempta pro Sancta Sede conſervare, & conſerri facere, & à gravaminibas forſan per dictum Sereniſſimum Dominum Ducem illiuſque Miniſtros ſuper dictis feudis, Habitatoribus, & bonis quomodolibet imponendis iterum appellare & reclamare, de nullitate dicere, & omnia, quæ neceſſaria fuerint, ſuper præmiſſis agere, & gerere omninò deberent, & prout latiùs in eisdem literis continetur, ad quas &c. Hujuſmodi itaque literis ad valvas Eccleſiarum dictorum Locorum publicè affixis, & executis, quamvis illorum Habitatores, & Vaſſalli pro eorum obedientiæ, & fidelitatis debito erga Apoſtolicam Sedem fategiſſent ſeſe immunes, & liberos tueri, & bona omnia inibi exiſtentia penitus exempta conſervare à perſonalibus, & realibus impoſitionibus, quibus Adminiſtri dicti Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontis eos gravare conabantur; Nihilominus violentiis Laicalis Poteſtatis Taurinenſis oppreſſi coacti fuerunt, facto tamen, non animo, illis cedere, & ſeſe mandatis ejusdem Poteſtatis, licet inviti, ſubmittere.

§. 3. Hæc profecto noviter evenerunt tam de anno 1716., quàm 1717. quibus præſertim dictæ Poteſtatis Taurinenſis Adminiſtri plura in dictis locis contra Juriſdictionem, ſupremumque Dominium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ per vim etiam armatam attentarunt; Siquidem *Carolus Maria Soleri Commiſſarius Ducalis* de menſe Septembris dicti anni 1716. perſonaliter ſe contulit ad eadem loca Ciſternæ, Montaphiæ, & Cortanzæ, redditiſque Officialibus Univerſitatum literis à Comite Pelletta de Caſambrato Syndico, & Præfecto vulgo Commandante Civitatis Aſtenſis expeditis, quibus Vaſſallorum, & Habitantium notulam requirebat, illique conſignari ſub pœnarum comminatione præcipiebat, eam proindè ſibi tradi præfatus Commiſſarius inſtanter requiſivit, & mandavit comminatâ Contravenientibus pœna militaris executionis: Verùm quia fideles Populi detrectarunt dictæ Poteſtatis Imperio parere; quinimo Syndici, & Conciliarii loci Montaphiæ non perterriti petitam notulam exhibere, & conſignare recuſarunt, ut Apoſtolica Sedis mandatis debitè obſequerentur, graviſſima damna, & incommoda ab eadem Laicali Poteſtate experti fuerunt; Etenim dicto menſe Septembris triginta equeſtres, & ſeptuaginta pedeſtres milites ſub regimine Equitis Caſanova Civitatis Vercellenſis Præfecti, & Capitanei Plopis ſe contulerunt ad dictum Montaphiæ locum, ibique diu ſtationem fecerunt illius Communitatis ſumptibus, & expenſis, quouſque Habitatores; & Vaſſallos coegerunt ad actum ſubjectionis erga Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis emittendum, petitamque Hominum, & Incolarum notulam tradendam; Qua de re Habitatores, & Vaſſalli cæterorum locorum perterriti hujuſmodi notulam coacti tradiderunt, ne parem comminatæ militaris executionis pœnam ſubſtinerent; Omneſque demum Ciſternæ, Montaphiæ, & Cortanzæ Habitatores, & Vaſſalli, ut graviora damna, & incommoda, quæ comminabantur, evaderent, realia, & perſonalia onera per vim, ut præmittitur, à dicta Poteſtate impoſita prædictis annis 1716., & 1717. exſolverunt, ità mandante Advocato Carolo Antonio Cauda altero ex Adminiſtris dictæ Laicalis Poteſtatis, dictumque Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem, & Principem Pedemontis, tanquam prætenſum directum Dominum vi coacti recognoverunt.

§. 4. Præ cæteris autem graviora apparent, quæ Laici Adminiſtri prædictæ Poteſtatis contra noſtras poſtremas literas decernere præſumpſerunt; Quippè ad inſtantiam Conſiliarii, & Patrimonialis generalis à Secretario Cameræ quam computorum vocant, expeditum fuit Edictum, ſeu Reſcriptum typis impreſſum, & in eiſdem locis affixum, quo prævia declaratione nullitatis, & invaliditatis dictarum noſtrarum literarum Subditis, & Vaſſallis dictorum locorum, qui Apoſtolicam Sedem, tanquam Dominam directam, ejuſque ſupremam auctoritatem recognoverant, ſub graviſſimis pœnis præcipiebatur, quod de cætero ſupremam tantùm dicti Sereniſſimi Ducis, ejuſque Succeſſorum auctoritatem recognoſcerent, prout latiùs apparet ex dictâ Ordinatione, ſeu Reſcripto ſub Datum Taurini die 31. Auguſti 1716., ad quod impugnativè tantùm relatio habeatur. Adhuc tamen Adminiſtri Laici à vexandis Subditis, & Feudatariis memoratorum locorum minimè deſtiterunt; quinimò prænarratis moleſtiis novas, gravioreſque in dies adjicientes ad militares executiones devenerunt de menſe Junii 1717. contra Habitatores loci Cortanzæ, ſeu Cortanzerii; antedictus quippè Commiſſarius Soleri à magnâ Militum copiâ aſſociatus ad eumdem locum die 14. ejuſdem menſis Junii ſe contulit, ibique illorum ſumptibus in pœnam aſſertæ inobedientiæ mandatis Laicæ Poteſtatis hoſpitati fuerunt, donec Communitas, & Particulares compartum tritici, aliaſque petitas contributio-

nes unà cum expensis à Militibus, eorumque Officialibus prætensis persolvere coacti fuerunt.

§. 5. Quæ omnia, & singula, aliaque hujusmodi prænominati Laici Administri de facto, & per vim nulliter, & attentatè perpetrarunt in manifestum, ac detestabilem contemptum Apostolicæ Sedis, ejusque Jurisdictionis, jurium, & auctoritatis præjudicium, rebusque aliis ex Processu Causæ resultentibus, ad quem &c., singula singulis &c., super quibus &c., ex altera Partibus prævia declaratione nullitatis præfati Edicti ad supplicationem Patrimonialis generalis Sæcularis Potestatis in Ducatu Sabaudiæ, & Pedemontis Principatu emanati, omniaque, & singula à præfatis Administris causâ, & occasione præmissorum acta, gesta, & perpetrata contra altum, directum, & supremum Dominium Sedis Apostolicæ, nec non ab Habitatoribus, & Vassallis, eorumque locorum per vim, & metum nequiter extorta cum omnibus, & singulis indè secutis, & quandocumque secuturis penitus, & omninò nulla, irrita, invalida, injusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, & à non habentibus potestatem, ac à deficientibus respectivè à debito obedientiæ erga S. Sedem Apostolicam damnabiliter gesta, & attentata, de facto præsumpta, ac per vim extorta, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciæ esse, & ab initio fuisse, & perpetuò fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imò nec ea à quopiam observari posse, vel potuisse, nec ex illis eusiquam aliquod Jus, vel actionem, aut titulum etiam coloratum possidendi, vel præscribendi Causam acquisitam, vel acquisitum fuisse, vel esse, aut quandocumque acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, itaut illis minimè obstantibus Apostolicæ Sedis, & Astensis Ecclesiæ Jura quæcumque semper, & omni tempore remaneant, sint, & serventur, ac censeri debeant sarta, tecta, integra, illæsa, & illibata, perinde ac si præmissa tam à Laicali Potestate Taurinensi, quàm à Subditis, & Vassallis Apostolicæ Sedis, dictorumque locorum Habitatoribus per vim, ut præmittitur, compulsis, nunquam emanassent, nec facta fuissent, ac pro non extantibus, & non factis perpetuò itidem haberi debere tenore præsentium declaramus, & publicè denunciamus; & nihilominus ad majorem, & abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuis semper haberi volumus, & mandamus.

§. 6. Quibus per Nos, ità decretis, & declaratis semper, & perpetuò in suo robore manentibus, dicimus, declaramus, decernimus, pronunciamus, & sententiamus supradictos *Carolum Mariam Soleri assertum Commissarium Ducalem, Comitem Pelletta de Casambrato Syndicum, & Præfectum vulgo Commandante Civitatis Astensis, Equitem Casanova Civitatis Vercellen. Præfectum pariter Commandante nuncupatum: Capitaneum Piopis, Advocatum Carolum Antonium Cauda, N. N. Consiliarium, & Patrimonialem generalem, N. N. à secretis Cameræ Computorum nuncupatum, N. N. Locumtenentem Columnelli Rambusium, & Comitem, sivè Equitem Capitaneum Cumiana* contumaces, tanquam in præmissis culpabiles, & de Jure punibiles in pœnas convictorum, & confessatorum reatuum, de quibus, ut supra, imputantur, nempè omnium & singularum, censurarum, & pœnarum in sacris Canonibus, Conciliis, & Apostolicis Constitutionibus, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solitâ contentas, indictas, impositas, & comminatas, de quibus in Monitorio contrà ipsos, & eorum quemlibet emanato, legitimè executo, & in actis, ac in Processu judicialiter reproducto, damnabiliter incidisse & incurrisse declarandum, prout eosdem & eorum quemlibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas in prædictis Canonibus dispositas, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini contentas incurrisse declaramus, & propterea à Fidelium consortio disjungimus, segregamus, & separamus, ac pro disjunctis, segregatis, & separatis haberi volumus, ipsosque ab omnibus Christifidelibus evitandos, prout evitari præcipimus, & mandamus, à quibus quidem censuris, & excommunicationibus non nisi à Sanctissimo Domino Nostro, & à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, & tunc cum reincidentia eo ipso, postquam convaluerint, absolvi possint, Cedulonesque, & literas declaratorias quascumque contra eosdem in formâ, solitâ & consuetâ decernen., & relaxan. prout decernimus, & relaxamus, ac exequi, affigi, & publicari respectivè mandamus, & ita dicimus, declaramus, decernimus, pronunciamus, & sententiamus non solùm &c., sed & omni &c., die 13. Augusti 1718.

Ita pronunciavi Joannes Baptista Cardinalis Spinula Camerarius.

Dominicus Antonius Gallosius R.C.A. Secretarius, & Cancellarius.

PUBLICA DECLARATIO, X.

Et Denunciatio Excommunicationis Officialium, & Administrorum Serenissimi Ducis Sabaudiæ, & Principis Pedemontis ob præmissa delicta.

HIc authoritate nostra ordinaria *Carolus Maria Soleri assertus Commissarius Ducalis, Comes Pelletta de Casambrato Syndicus, & Præfectus vulgo Commandante nuncupat. Capitaneus Piopis, Advocatus Carolus Antonius Cauda, N. N. Consiliarius, & Patrimonialis Generalis, N. N. à Secretis Cameræ Computorum nuncupat. N. N. Locumtenens Columnelli Rambusius, & Comes, sive Eques Capitaneus Cumiana* declarantur excommunicati, & innodati omnibus, & singulis censuris, & pœnis in sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quot annis legi, & publicari solitâ contentis, & à Fidelium consortio disjuncti, segregati, & separati, à quibus nonnisi à Sanctissimo Domino Nostro, & Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, & tunc cum reincidentiâ eo ipso, postquam convaluerint, absolvi possint, ex quo temerè & dolosè agendo in executionem mandatorum laicalis potestatis Taurinensis ausi fuerunt in apertum contemptum, & præjudicium alti, & Supremi Dominii S. Sedis Apostolicæ, quod habet super Principatu Cisternæ, Montaphiæ, ac Marchionatu Cortanzæ, & Cortanzoni in Diœcesi, & Comitatu Astensi existentium jurisdictionem, authoritatem, & jura d. Sanctæ Sedis usurpare, atque ideò in eadem loca, eorumque Habitatores, & Subditos S. Sedi Apostolicæ totaliter subjectos dictam usurpatam authoritatem, & jurisdictionem exercere, taxas imponere, nec non quamplura violenter agere, & præsertim vi, metuque militaris executionis, aliisque mediis violentis à prædictorum locorum Habitatoribus, & Subditis S.

Sedis extorquere recognitionem Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis, & Principis Pedemontis in ſupremum eorumdem locorum Dominum, & aliàs latiùs, prout ex literis monitoriis per Nos relaxatis, & expeditis die 11. Decembris 1717., & Declaratoriâ Sententiâ per Nos hodiernâ die deſuper legitimè latâ, ad quas &c. Inſtante Illuſtriſſimo Domino Joanne Carolo Piancaſtello Commiſſario Generali Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Romæ, hac die 13. Auguſti 1718.

Jo: Baptiſta Card. Spinula Camerarius.

Amoventes, lacerantes, aut aliquo modo deturpantes ſint ipſo facto eiſdem Cenſuris innodati, & excommunicati, ut ſupra.

Joannes Baptiſta Card, Camerarius.

Dominicus Antonius Galloſius R. C. A. Secretarius, & Cancellarius.

XI.

EDICTUM

Quo antiqua prohibitio Quatrenorum æreorum exterorum inſtauratur.

Annibale di S. Maria in Coſmedin Diacono Cardinal Albani, della S. R. C. Camerlengo.

ESſendoſi avuti diverſi ricorſi, che nello Stato Eccleſiaſtico ſi ſiano cominciati ad introdurre, e ſmaltire una gran quantità di Quattrini di rame foraſtieri, e particolarmente franceſi con notabil pregiudizio de' Sudditi Pontificii, e del Commercio, per eſſer mancanti nel loro intrinſeco valore comparativamente alli quattrini di rame, che ſi battono nella Zecca di Gubbio detti communemente quattrini Papali, e volendo la Santità di Noſtro Signore ouviare, e provedere ad un tal diſordine, ci hà commandato, che inerendo al parere d'una Congregazione deputata da Sua Beatitudine ſopra il regolamento delle monete, ne rinoviamo le proibizioni altre volte publicate intorno à detti quattrini di rame foraſtieri, con aggravarne ancora le pene, affinche le dette proibizioni ſiino puntualmente eſeguite.

§. 1. Per tanto d'ordine eſpreſſo datoci in voce da Sua Beatitudine, e per autorita del noſtro Uffizio di Camerlengato, non recedendo dalle proibizioni contenute ne' Bandi de' noſtri Predeceſſori, e particolarmente in quello publicato li 31. Luglio 1699., e ſotto ſcritto da Monſignore Anguiſciola allora Preſidente della Zecca, anzi quelle rinovando, confermando, & approvando, eccetto che in quello foſſero contrarie alle preſenti, ordiniamo, e commandiamo, che nel termine di due meſi proſſimi dalla publicazione del preſente noſtro Editto in Roma, e ſuo Diſtretto, e di trè meſi proſſimi dalla publicazione del medeſimo in altre Città, Luoghi, Terre, e Caſtelli dello Stato Eccleſiaſtico fuori del' Diſtretto mediatamente, & immediatamente ſoggetti s'intendino affatto in tutto, e per tutto proibiti, e sbanditti irremiſſibilmente i detti quattrini di rame foraſtieri, e ſpecialmente franceſi di qualſivoglia ſorte, e lega, conforme in effetto col preſente noſtro Editto proibiamo affatto, e sbandiamo tutti li detti quattrini, in modo che per l'avvenire dopo il termine, come ſopra, prefiſſo non poſſano in verun modo, nè ſotto qualſiſia preteſto, ò cauſa ritenerſi, ſpenderſi, riceverſi, e contrattarſi, non ſolo in Roma, mà nè anche in tutto lo Stato Eccleſiaſtico ſotto pena à chi contraveniſſe (dopo il termine come ſopra accennato) tanto in ritenere, come in ricevere, e ſpendere detti quattrini, non ſolo della perditta di eſſi, e di ſcudi dieci per ciaſcun quattrino, che ſi ritrovaſſe; mà anche di tre tratti di corda da darſegli irremiſſibilmente, & altre pene pecuniarie, e corporali anco maggiori ad arbitrio noſtro, e di Monſignor Preſidente della Zecca, all'eſecuzione delle quali ſi procederà con ogni rigore, nè ſi ammetterà veruna ſcuſa à qualunque Artiſta, ò Bottegaro di aver preſo, ò ritenere inavvedutamente i detti quattrini proibiti, comè nè anche di non averli preſo loro, mà i ſuoi Garzoni, Fattori, e Miniſtri; Avvertendo ogn'uno, che paſſato il ſopradetto termine ſi manderanno gli Ufficiali, & Eſſecutori, & altretante volte, quante occorrera à far le ricerche, e perquiſizioni per le botteghe, e caſe, e tutti quelli quattrini proibiti, che trovaranno, li acquiſtaranno, e guadagnaranno per ſe medeſimi gli Ufficiali, & Eſecutori, alla denuncia delli quali ſi darà piena fede colla depoſizione d'un ſol Teſtimonio idoneo, & il ſimile ſi praticarà con qualſiſia Accuſatore, che daſſe notizia delli Contraventori, poiche tutti i quattrini proibiti, che mediante la ſua rivelazione ſi trovaranno, ancorche aſcendeſſero à qualſiſia notabil quantità, ſi applicaranno, e ſi divideranno fra eſſo, egl'Eſſecutori, e l'Accuſatore ſarà tenuto ſegreto; Con queſto però, che tanto l'Accuſatore, quanto gl' Eſſecutori debbano denunciare negl'Atti dell'infraſcritto Notaro ciaſcuna invenzione, che ſi farà, affinche da Noi, ò da Monſignor Preſidente ſudetto poſſano darſi quegl'ordini, che ſi ſtimaranno opportuni per il ſudetto effetto.

§. 2. Et affinche tutti quelli, che ſi trovaſſero preſſo di loro detti quattrini, poſſino farne eſito dentro il termine ſopra prefiſſo, ordiniamo, e comandiamo, che à tenore di quello fu preſcritto in d. Editto delli 31. Luglio 1699. debbino gli abitanti in Roma, e ſuo diſtretto fa il termine di due meſi proſſimi averli portati nel Banco di Giacomo de Romanis Zecchiere di Roma, dal quale riceveranno per ogni venti bajocchi di detta moneta proibita bajocchi undici di buona moneta, e fuori di Roma, e ſuo diſtretto vogliamo, che tutte le Communità de Luoghi, Caſtelli, Terre e Città ſudette dentro il termine à loro parimente, come ſopra, aſſegnato di meſi tre, debbano far raccogliere tutti li detti quattrini, come ſopra, proibiti, e banditi, e mandarli ſubito à loro ſpeſe in mano del Teſoriere Camerale di ciaſcheduna Provincia, dal quale li ſaranno pagati, come in Roma per ogni venti bajocchi di detti quattrini proibiti bujocchi undici di moneta buona, e paſſati li ſudetti termini reſpettivamente quelli, che li ſpenderanno, riceveranno, contrattaranno, ò riterranno s'intenderanno incorſi nelle pene ſopradette ſenza veruna remiſſione, nè ſi ammetteranno preteſti di qualſivoglia ſorte.

§. 3. Per togliere poi affatto l'eſo delli ſudetti quattrini proibiti, e per impedire al poſſibile l'introduzione di quelli sì in Roma, come in tutto lo Stato Eccleſiaſtico, ordiniamo, & eſpreſſamente commandiamo, che paſſati li ſopradetti termini reſpettivamente, come ſopra prefiſſi & aſſegnati, qualunque perſona di qualſiſia ſtato, grado, e condizione, niuna eccetuatta; che ſi troverà, che faceſſe incetta delli ſudetti quattrini proibiti, e banditi dentro la Città di Roma, & in ogn'altro luogo, e Città, dove ſi trovaſſe, incorra nella pena della Galera per cinque anni. E chiunque come ſopra ſi trovaſſe, che ne faceſſe incetta da luogo à luogo dentro lo Stato Eccleſiaſtico, incorra nella pena della Galera per diezi anni. E chi in qualſivoglia modo, e qualſiſia ſtrada introduceſſe per ſe ſteſſo, ò per mezzo d'altri

li ſudetti quattrini proibiti dentro lo Stato Eccleſiaſtico da qualſivoglia luogo foraſtiero, incorra nella pena della Galera in vita. All'eſſecuzioni delle quali pene ſi procederà irremiſſibilmente, e con ogni rigore anco per inquiſitione. Volendo, che chiunque accuſarà, ò darà notizia di tali Contraventori, di tutta quella quantità di quattrini, che mediante la ſua relazione ſi trovarà appreſſo li detti Incettatori, & Introduttori, ne guadagnino il terzo libero, e franco per ſe, & il reſtante reſti applicato alla Reverenda Camera Apoſtolica con qualche participazione anco all' Eſſecutore ad arbitrio noſtro, e di detto Monſignor Preſidente. Dichiarando, che per Incettatore ſarà tenuta, e riputata per gl'effetti ſudetti ogni, e qualunque Perſona, come ſopra, alla quale dagl'Eſſecutori, & altri foſſe trovata maggior quantità dieci ſcudi delli ſudetti quattrini proibiti, paſſati li ſopradetti termini, come ſopra, reſpectivamente aſſegnati, incaricando ſtrettamente à tutti li Vice-Legati, Governatori, e Podeſtà di qualſiſia Città, Terra, Caſtello, e luogo dello Stato Eccleſiaſtico, e loro Luogotenenti, & Auditori l'eſſecuzione del preſente Bando, e di quanto in queſto ſi contienne, quale affiſſo che ſarà in Roma ne'luoghi ſoliti, e nelle Città, Terre, e Caſtelli dello Stato Eccleſiaſtico, aſtringerà ciaſcheduno, come ſe li foſſe ſtato perſonalmente preſentato. Dato in Roma nella Camera Apoſt. queſto dì 19. Ottobre 1719.

F. Ricci Chierico di Camera, e Preſidente della Zecca.

Gio Carlo Piancaſtelli Commiſſario Generale.

A. Gaetano Froſi Segr. di Camera.

Die, Menſe, & Anno, quibus ſupra, ſupradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, ac in aliis locis ſoli. tis, & conſuetis Urbis, ut moris eſt, per me Thomam de Unionibus Apoſt. Curſ.

Franciſcus Bartolottus Mag. Curſ.

XV.

EDICTUM.

Quo introductio quorundam Pannorum laneorum inferioris qualitatis ab exteris Ditionibus in Statum Pontificium, eorumque retentio, commercium, ac uſus poſt annum à die promulgationis ejuſdem Edicti computandum ſub gravibus pœnis interdicitur.

Annibale di Santa Maria in Coſmedin Diacono Cardinale Albani, della Santa Romana Chieſa Camerlengo.

RIflettendo la Santità di Noſtro Signore il gran danno, che riſentono i ſuoi Sudditi dall'introdurſi, e venderſi dentro lo Stato Pontificio alcune ſpecie di Pannine di lana fabricate fuori di Stato, & il grand'utile, e vantaggio, che ne ripporterebbero, ogni qual volta ſimili merci coll' impiego di numeroſe Perſone ſi fabricaſſero dentro lo Stato Eccleſiaſtico, dove non mancono nè Lane in abondanza, nè Lavorieri, e fabriche à ſufficienza, le quali da qualche tempo in quà reſtano inutili per la gran'introduzziona di dette merci foreſtiere con danno notabile de Poveri, i quali impiegavano la loro opera, e fatiga in ſimili Lavorieri, & ora ſi trovano in eſtrema mendicità ſenz' alcun'impiego: da i clamori de' quali eccitata la Santità Sua (per provedere al biſogno de ſuoi Sudditi) hà deputato una Congregazione particolare, la quale è ſtata di ſentimento poterſi per ora proibire certa ſpecie di Pannine di Lana di baſſo valore, come ſi eſprimerà in appreſſo, le quali ſi poſſono commodamente fabricare ne' Lavorieri, che ſi travano entro lo Stato Ecclaſiaſtico, & avendo la Santità approvata la detta riſoluzione, ci hà commandato di farne la publicazione con noſtro Editto.

§. 2. *Monſignor Carlo de Marini Auditore Generale della noſtra Camera Apoſtolica. Eſſendo Noi à pieno informati, che Domenico Garofalo, non oſtanti le Cenſure contenute nella Bolla ſolita à leggerſi nel giorno della Cena del Signore, nelle quali li diciotto Ottobre 1696. ò altro più vero tempo, mentre era Preſide nella Provincia di Calabria Ultra nel Regno di Napoli, fù dichiarato incorſo da Monſignor Arciveſcovo di Reggio per violata Immunità Eccleſiaſtica, ſcordatoſi affatto della ſalute eterna, e reſoſi contumace, & inſordeſcente, non ſenza un manifeſto gran vilipendio, e diſprezzo della poteſtà delle Chiavi per lo ſpazio ormai di undeci anni dal dì, che fù dichiarato incorſo, come ſopra, abbia eſercitato, e preſentemente eſerciti tanto la Carica di Preſide, ò nella ſudetta Provincia, ò in altre del Regno, quanto altri publici Officii congiudicare, far Decreti, trattare negocii publici, e privati, e fare ogni, e qualunque altr'atto, per altro à lui proibito, come ſe non fuſſe ſtato, ne fuſſe ſcommunicato, conforme è publico, e notorio, & à Noi pienamente coſta: Onde volendo Noi, che detto Domenico ſi corregga, & emendi, e che riconoſciuto, e confeſſato il ſuo errore, ritorni al grembo della S. Madre Chieſa, e con ciò ſiano tolti tutti i ſcandali, che per tal conto ſono nati, e che tuttavia ſi nutriſcono, di noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra poteſtà aſſoluta, havendo qui per eſpreſſo tutti gli atti fatti nella Curia Arciveſcovale di Reggio in occaſione di detta Declaratoria fulminata contro detto Domenico, come ſe di parola in parola vi foſſero ſtati inſeriti, con il preſente noſtro Chirografo, ordiniamo à Voi, che ſecondo il coſtume di Santa Chieſa procediate all'aggravatoria, e reaggravatoria delle ſudette Cenſure fulminate contro il prenominato Domenico, e per eſeguire ciò vi concediamo tutte le facoltà neceſſarie, & opportune, rimoſſa ancora ogni apellazione, richiamo, ricorſo, & oppoſizione di nullità, etiam ex tribus: derogando in quanto ſia di biſogno à queſt'effetto, e per queſta volta ſolamente, à qualunque Coſtituzione, & Ordinazione Apoſtolica fatta, & ordinata anco de i Concilii Generali, & ogn'altra coſa, che faceſſe in contrario, ancorche aveſſe biſogno di eſprea, ſpecifica, & individua menzione, il tenore delle quali tutte, e ſingole vogliamo, che ſi abbia qui per eſpreſſo; & inſerto di parola in parola, volendo, e decretando, che il preſente Noſtro Chirografo vaglia, & abbia il ſuo pieno effetto, e vigore & eſecuzione con la ſola noſtra ſottoſcrizzione, benche non ſia regiſtrato nelli Libri della noſtra Camera, nè in altro modo ſia ſervata la forma della Coſtituzione di Pio Quarto noſtro Pedeceſſore de regiſtrandis, alla quale percio per queſta volta ſola deroghiamo: e che contro di eſſo non ſi poſſa in alcun tempo opporre di obrezzione, ò ſubrezzione, mancanza della noſtra volontà, & intenzione, nè qualſivoglia altro difetto, benche degno di eſpreſſa, ſpeciale, & individua menzione: e che non ſi poſſa diverſamente interpretare, o giudicare, dichiarande nullo, & irrito tutto ciò, che in contrario da qualunque perſona ſcientemente, ò ignorantemente ſi faceſſe, ò ſi attentaſſe, non oſtante quantò à tutte, e ſingole coſe premeſſe, qualſivoglia Coſtituzione, & Ordinazioni Apoſtoliche, Concilii anco Generali, Statuti, uſi, conſuetudini, Decreti, Indulti, e Privilegii ſotto qualunque forma, e tenore, etiam con derogatorie di derogatorie, etiam conceſſe motu proprio con qualſivoglia clauſula, e decreti, alle quali tutte, e ſingole etiandio più volte confermate, benche ricercaſſero ſpeciale, & individua menzione, avendo il loro tenore qui per eſpreſſo, di ſimil moto proprio, e pienezza della noſtra aſſoluta poteſtà eſpreſſamente per queſta voltà ſola, e per gl'effetti ſudetti pienamente deroghiamo, perche tale è la noſtra certa eſpreſſa, e determinata mente, è volontà. Dato nel noſtro Palazzo Apoſtolico Vaticano queſto di 16. Maggio 1707.*

CLEMENS PAPA XI.

Petiit, & ſumma cum inſtantia poſtulavit, ut pro nunc ad aggravatoriam dictarum Cenſurarum procedere dignaremur.

§. 3. Nos igitur attendentes petitionem, & requiſitionem hujuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam, quodque juſta petenti non eſt denegandus aſſenſus, inhærendo prædicto Chirographo ſuperiùs inſerto, & regiſtrato, ac facultatibus Nobis conceſſis, & attentâ notorietate facti, quæ nulla tergiverſatione celari poteſt, antedictas Cenſuras harum ſerie pro nunc aggravamus; Quocirca Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis in toto Neapolitano Regno exiſtentibus mandamus, & diſtrictè præcipimus, ſub pœnis arbitrio noſtro, quatenus prædictum Dominicum ſic excommunicatum ſingulis diebus Dominicis, & aliis Feſtis in veſtris quiſque Eccleſiis, Candelis accenſis, & pulſatis Campanis poſt Divina Officia, vel ſtatim Miſsâ Conventuali, aut privatâ reſpectivè terminatâ, publicè, & ſolemniter excommunicatum, & aggravatum denuncietis, & publicetis, donec aliud à Nobis habueritis in mandatis, inhibendo omnibus, & ſingulis veſtris Subditis, & Parochianis, ne eidem ſic excommunicato communicent, vel exequendo ejus Mandata, Sententias, Decreta, aut quomodolibet ei parendo (cum ipſe omni penitùs denudatus ſit, & fuerit juriſdictione, ejusque Sententiæ, & Decreta nulla prorſus, & inania ſint, & fuerint) aut alio quovis genere communionis prohibitæ participent, ac contravenientes quomodolibet certificetis, prout Nos harum ſerie certificamus, quod abſque dubio minoris excommunicationis ſententiam, & pœnam incurrent, quam per præſentes incurſuros fore ſingulos publicè nuncietis, & Nos nunciamus. Unde ſedulò moneatis omnes, prout Nos tenore præſentium monemus, ut ejus conſortium fugiant, ſperantes in Domino ipſum his pœnis ad Eccleſiam eſſe rediturum cum debitâ contritione, Datum Romæ ex Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo ſeptimo, Indictione decimâ quintâ, die verò 30. Menſis Julii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ Undecimi, Anno Septimo.

Carolus de Marinis Auditor, & Judex Delegatus.

Loco † Sigilli.

Paulus Fatius Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſt. Notarius.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1707. *Indictione* 15. *Pontific. verò Sanctiſſimi in Chriſto Patres, & Domini Noſtri Domini Clementis divina providentia Papæ XI. die verò Martis* 2. *Menſis Auguſti retroſcripta Gravatoria Cenſurarum contra retroſcriptum dictum Dominicum Garapholum lata executa fuit in valvis Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ ibidem ejus exemplis relictis, & affixis per me Thomam de Unionibus Curſorem Apoſtolicum. In quorum fidem &c.*

Idem Thomas de Unionibus Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſ.

A.C. mandat D. Garopholum ſolemniter denunciari Excommunicatum & ab omnibus illius conſortium evitari.

MONITORIUM III.

Die 30. Julii 1707. expeditum contra Præſidem Civitatis Aquilæ, & alios Secularis Poteſtatis Officialis Reos violentæ expulſionis Epiſcopi Aquilani è dicta Civitate, & Regno Neapolitano ob Eccleſiaſticam Immunitatem, & Epiſcopalem authoritatem ab eodem Præſule ſtrenuè propugnatam.

Carolus de Marinis Prothonotarius Apoſtolicus utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Referendarius, nec non Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, ac Cenſurarum, tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, & Literarum Apoſtolicarum quarumcumque univerſalis, ac merus Executor, nec non in præſenti Cauſa à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa XI. ſpecialiter Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, Parochialiumque, & Collegiatarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis fuiſſe nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad inſtantiam Perilluſtris, & Excellentiſſimi Domini Philippi Antonii Totti SS. D. N. PP., ejuſque Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Procuratoris Fiſcalis, & expoſitum, quod cum de menſe Martii 1700. ſeu &c. quondam Joſeph Caroſi de Terra Foſſæ, Aquilanæ Diœceſis, carceratus à Curia Laicali Civitatis Aquilæ, & ſucceſſivè per Regiam Audientiam ejuſdem Civitatis pro uno, ſeu pluribus Homicidiis, morti, ut ferebatur, damnatus, allegaſſet in Foro Epiſcopali Clericatum primæ Tonſuræ, tunc in humanis agens Fr. Ignatius de la Zerda Epiſcopus Aquilanus, ut Immunitatem Eccleſiaſticam pro viribus tueretur, ac præjudiciis, quæ ei ex captura dicti Joſephi, & reſpectivè exequutione ſententiæ contra illum latæ inferri potuiſſent, opportunè occurreret, captis primùm nonnullis probationibus ſuper præfato Clericatu, mox ſub die 12. dicti menſis Martii ad inſtantiam ſui Promotoris Fiſcalis, Monitorium contra Miniſtros præfatæ Regiæ Audientiæ, pro obtinenda remiſſione dicti Joſephi, unà cum actis ad ſuam Curiam Epiſcopalem, ſub pœna excommunicationis majoris, decrevit, & exequi mandavit, cui quidem Monitorio non integraliter obſequentes iidem Miniſtri Regiæ Audientiæ, ſed dumtaxat ſuſpenſa executione ſententiæ, præfatum Joſephum è Cappella, ſeu, ut vocant Confortaria, educi, & ad carceres publicos poni mandarunt, undè poſtmodùm, ſcilicet ſub die 29. dicti menſis Martii, idem Epiſcopus parendo mandatis Sacræ Congregationis Immunitatis Eccleſiaſticæ, aliud Monitorium expediri, & exequi curavit contra præfatos Miniſtros Regiæ Audientiæ, jubendo ipſis pariter ſub pœna excommunicationis majoris, ut conſignarent, vel conſignari facerent antedictum Joſephum, ad effectum eautè eum cuſtodiendi in Carceribus Eccleſiaſticis, vel ſaltem, ut iidem Miniſtri Regii, accedente tamen obligatione Perſonæ legitimæ in formâ validâ pro tutiori cuſtodiâ; illum retinere deberent in Carceribus Laicalibus nomine Eccleſiæ, done-

Epiſcopus Aquilanus repetit à Curia Laicali Aquilæ Carceratum qui in Foro Epiſcopali Clericatum allegaverat: Eadem Curia petitionem & cenſuras comminatas contemnit, & Carceratum ultimo ſupplicio afficit: Idcirco nonnulli d. Curiæ Officiales ab Epiſcopo excommunicantur.

in

in Judicio Ecclesiastico emanasset sententia declaratoria, an gaudere deberet, vel non privilegio Clericatus: Verùm dicti Ministri, acceptis, ut fama tulit, responsis à Civitate Neapolis pro omnimoda executione sententiæ, prænominatum Josephum versùs finem dicti mensis Martii, prædictis Monitoriis neglectis, nullaque habita ratione Censurarum in eis comminatarum, ultimo supplicio, scilicet, Furcarum, extra Civitatem affici fecerunt; quamobrem præfatus Episcopus, nè inultum relinqueret vulnus planè gravissimum, Ecclesiasticæ Immunitati, & Jurisdictioni, sicut præmittitur, inflictum, excommunitatos & excommunicatione majori innodatos declaravit, & publicavit Doctores Nicolaum Gaudiosi, Antonium Cortes Auditores Rotæ Regiæ Audientiæ, Fulvium Salsanum advocatum Fiscalem, & Cajetanum Milani Magistrum Actorum ejusdem Regiæ Audientiæ, reservando Præsidem, & nonnullos alios Officiales pro gubernio Provinciæ, & Causarum prædictæ Regiæ Audientiæ.

Episcopus ob id à Prorege Neapolim vocatur, quo se confert, & postea jussu Pontificis Aquilam redit.

§. 2. Delatâ postmodùm notitiâ declarationis hujusmodi tunc existenti Proregi Neapolitano, ab eodem, & tunc pariter existentibus Regentibus Regii Collateralis binæ literæ datæ diebus 3. & 24. mensis Aprilis 1700. eidem Episcopo fuerunt conscriptæ, in quarum prima monebatur, ut in posterùm abstineret à petenda remissione prætensorum Clericorum, nisi priùs servatus fuisset allegatus, at semper à Sanctâ Sede Apostolicâ improbatus Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ, nec non revocaret Censuras latas contra antedictos Ministros Regiæ Audientiæ; In altera verò præfatus Episcopus fuit vocatus Neapolim; ac insuper in odium Justitiæ, Libertatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Consanguinei Ministrorum, & Officialium Curiæ Episcopalis, & Testium, alioquin Ecclesiastico caractere insignitorum, qui ad favorem antedicti Josephi, ad effectum probandi Clericatum recepti fuerunt, tam masculi, quàm fœninæ, nulla habita ratione sexus, & ætatis, carceribus authoritate Laicali mancipati fuerunt; Cùmque dictus Episcopus se Neapolim contulisset, ibique per longum temporis spatium inutiliter moratus esset, absque eo quod ad audientiam memorati Proregis unquam admissus fuisset, tandem de ordine sa: mem: Innocentii Papæ XII. inde discessit, ac ad pascendas oves sibi commissas reversus fuit ad Civitatem Aquilæ, quo cum perveniisset, excommunicatos declaravit ob mortem illatam dicto Josepho reliquos Ministros, aliàs reservatos pro gubernio Provinciæ, nempe Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti Præsidem dictæ Civitatis Aquilæ, & Doctorem Gasparem Narbonam alterum ex Auditoribus Rotæ Regiæ Audientiæ, ac pariter excommunicatum declaravit Philippum Mancini Procuratorem Fiscalem, & Sabbathum Raito Actuarium prædictæ Regiæ Audientiæ, & causâ appositionis sequestri super fructibus, & redditibus Mensæ Episcopalis. Qui tamen Philippus, & Sabbathus, nec non Cajetanus Milani Magister Actorum, postquam eorum quilibet Ecclesiæ satisfecerat, plenariam absolutionem obtinuerunt.

Mandante Prorege à dicta Civitate, totoque Regno per vim expellitur & in exilio moritur Innocentio XII. in extremis laborante.

§. 3. Quibus sic ita se habentibus sub die 20. Julii dicti anni 1700. sono tubæ per Præconem, cum notorio contemptu, & maximo totius Populi scandalo, fuit ter publicata expulsio dicti Episcopi ab ejus Civitate, Diœcesi, & toto Regno, & respectivè eidem episcopo ausu temerario, Dei timore posthabito, ac Dignitatis Episcopalis reverentiâ prorsus neglecta, fuit præsentatum præceptum in forma publicâ, & Sigillo munitum, tenoris sequentis videlicet. *Carolus Dei Gratia Rex &c. Don Orontio Monforte Duca di Laurito, Marchese di S. Giuliano, utile Signore delle Terre di Montano, e Massicelle, Precipe del Sagro Romano Imperio, Preside, Governatore d'ell Armi, e Commissario Generale della Campagna in questa Provincia di Abruzzo ultra &c. Noi Dottor Nicola Gaudiosi Capo di Rota, Auditori Dottor Antonio Cortes, Dottor Cesare di Capua, e Dottor Fulvio Salsano de Luna Auditor Fiscale della Regia Audienza di detta Provincia &c. Havendoci Sua Eccellenza ordinato con dupplicati dispacci, uno in data de' 10. del corrente Mese di Luglio, e l'altro de' 17. delmedesimo che si ordini à quello Monsignor Vescovo della Città dell' Aquila D. Fr. Ignatio de la Zerda, che come inconfidente di Sua Maestà, che Dio guardi, e del suo Real Dom no, e indegno della sua Real grazia, per aver perturbato la publica quiete di questo Regno, & esser stato disobbediente agl' ordini Reali, che parta subito da questo Regno, e che in quello non ritorni senza special permessa della prefata Eccellenza, & acciò possa con tutta sollecitudine obbedire nell istesso tempo, che li sarà notificato nella forma solita, quanto Sua Eccellenza commanda, se gli fà noto, che avanti della Porta della sua habitazione stà pronta la lettiga per condurlo fuori di detto Regno, in esecuzione degl'ordini di detta præfata Eccellenza Aquila li 20. Luglio 1700. Loco † Sigilli: Il Duca di Laurito, Nicolaus Gaudiosus, Antonio Cortes, Cesare di Capua, V. Fiscus, Aniellus de Petris Secretarius &c.* Sicque eidem Episcopus, ex quo Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum præscriptis inhærere, & suo muneri, & Episcopali Officio pro defensione Ecclesiasticæ Immunitatis satisfacere voluit, compulsus fuit abire, & suam Ecclesiam Pastoris solatio destitutam relinquere. Quamobrem in Civitate Reatis se recepit, ubi post aliquod tempus à sua Ecclesia exul, ex hac virâ migravit, rebusque aliis &c. Prædicta omnia memorati Don Orontius Monforte Dux Lauriti, Nicolaus Gaudiosi, Antonius Cortes, Cæsar de Capua, Fulvius Salsano de Luna Auditores Rotæ, & Advocatus Fiscalis respectivè Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilæ, nec non Procurator Fiscalis, & Aniellus de Petris Secretarius commiserunt, & patrarunt; pœnas propterea, ac censuras in Sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi solita, contentas, damnabiliter incurrendo, tam conjunctim, quam separatim, & divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo non solùm &c, sed & omni &c. super quibus &c. Quæ omnia, ut pro parte ejusdem D. Procuratoris Fiscalis subjungebatur cum evenerint circa tempus longæ, lethalisque infirmitatis sa. mem. Innocentii Papæ XII., ejusdem subsecutus obitus fuit in causa ut injuria Ecclesiasticæ Immunitati tam enormiter inflicta, vindicari tunc temporis minimè valuerit.

Clemens XI potestatem Laicalem suaviter adducere conatur ad satis faciendum Ecclesiæ, sed frustra.

§. 4. Verùm ad Summi Apostolatus apicem evectus Sanctissimus D. N. Clemens Papa XI., patienter adhuc, & suaviter ex sua innata Clementia agendum ducens, paternis officiis egit, ut debita satisfactio præstaretur Immunitati, & libertati Ecclesiasticæ tam graviter læsæ, sperans; quod Violatores illius animo revolventes flagella, & calamitates, quibus Divina Justitia ejusdem læsiones sæpè ulta est, ideoque resipiscentes, & ad cor revertentes, quidquid adversus Immunitatem Ecclesiasticam, & Ecclesiam ipsam actum, gestumque fuerat corrigerent, & emendarent. Quoniam verò intra plurium annorum spatium, qui à die ejusdem enormissimæ læsionis immunitatis Ecclesiasticæ effluxerunt, illius Violatoribus longanimitate Sanctitatis Suæ sem-

per abutentibus, eorum reſipicentiæ ſpes omnis prorſus evanuit; Juſtitia profectò ulteriorem non patitur deſidiam in adhibendis iis remediis, quæ de jure competunt, ad corrigendos, & emendandos tam graves exceſſus. Quamobrem ad inſtantiam, & pro parte præfati Domini Procuratoris Fiſcalis fuimus inſtanter, & debitè requiſiti, quatenus firmis remanentibus cenſuris latis contra ſupradictos Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudioſum, Antonium Cortes, Gaſparem Narbonam, ac Fulvium Salſanum de Luna, occaſione prædictæ executionis ſententiæ contra prænominatum Joſephum Caroſi, & ſine præjudicio procedendi ad ſimilem declaratoriam incurſus Cenſurarum hujuſmodi tam pro expulſione prænominati Epiſcopi, quàm pro aliis omnibus præmiſſis contra alios quoſcumque in eiſdem præmiſſis repertos culpabiles cujuſcumque gradus, conditionis, dignitatis & præeminentiæ exiſtant, etiam ſpecialiſſimâ mentione dignos, ſuis loco, & tempore nominan., & cognominan. de opportuno juris remedio providere, & Monitorium extra Romanam Curiam, & ad partes, ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur.

Decretum in Sacra Congregatione Immunitatis ab eodem Pontifice factum, ut contra Expulſores d. Epiſcopi ſer. procedatur ad declaratoriam incurſus Cenſurarum.

§. 5. Nos igitur Carolus de Marinis Auditor, & Judex antedictus, debitam præſtantes obedientiam, & reſpectivè inhærentes Decreto à Sanctiſſimo Domino Noſtro edito in Sacra Congregatione Generali Immunitatis Eccleſiaſticæ habita coram Sanctitate Sua, tenoris ſequentis videlicet: *Aquilana. Cum de anno 1700. die 20. Julii de mandato Orontii Monfortis Ducis Lauriti tunc temporis Præſidis Civitatis Aquilanæ, & aliorum Miniſtrorum ejuſdem Regiæ Audientiæ, fuerit per abuſum poteſtatis laicalis, cum maximo juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & Dignitatis Epiſcopalis contemptu, & omnium Chriſtifidelium ſcandalo, violenter expulſus à ſua Diœceſi, & toto Regno Neapolitano, tunc in humanis agens Fr. Ignatius de la Zerda illius Civitati Epiſcopus, Sanctiſſimus Dominus Noſter videns non ſine magno animi ſui mœrore irritos, & inanes evaſiſſe omnes conatus, quos adhibuerat, & omnes terminos, quos ex innata animi ſui Clementia per plurium annorum ſpatium aſſignaverat pro obtinenda congrua tanto vulneri juriſdictioni Eccleſiaſticæ, & Epiſcopali Dignitati inflicto reparatione, & evidenter agnoſcens ejuſdem reatus Auctores abuti ſua paterna longanimitate: proſpicere omninò intendens tuitioni Juriſdictionis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ ſibi divinitus creditæ in Congregatione Generali Eminentiſſimorum; & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, controverſiis juriſdictionalibus, & Immunitati Eccleſiaſticæ præpoſitorum, habita in Palatio Quirinali coram Sanctitate Sua, die infraſcripta, auditis in tam gravi cauſa omnium ſuffragiis, decrevit, & mandavit, ut ſuper præfata expulſione, tam manifeſtè Juriſdictionis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ læſiva, A. C. procedat ſervatis ſervandis contra prædictum Orontium Monfortem, omneſque alios culpabiles ad declarationem incurſus omnium Cenſurarum in Bulla Cœnæ, & in aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Sacris Canonibus contentarum. Romæ hac die 17. Junii 1704. Gaſpar Cardinalis Carpineus: I. Archiepiſcopus Athenarum Secretarius: Loco † Sigilli:* Petitioni hujuſmodi annuentes, vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute S. obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum requiſitus fuerit, ex parte noſtra, immò veriùs Apoſtolica auctoritate antedictos *Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudioſi, Antonium Cortes, Cæſarem de Capua, Fulvium Salſanum olim Præſidem, Auditores Rotæ, & Advocatum Fiſcalem reſpectivè Regiæ Audientiæ Civitatis Aquilæ, nec non illius Procuratorem Fiſcalem, & Anniellum de Petris Secretarium ejuſdem*, moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, citari & requiri faciatis, eiſdemque, & cuilibet ipſorum præcipiatis, & mandetis, prout Nos eoſdem harum ſerie citamus, monemus, & requirimus, eiſdemque, & cuilibet eorum præcipimus, & mandamus per præſentes primo, ſecundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra quadraginta quinque dierum ſpatium, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro ſecundo, & reliquos quindecim pro tertio, ultimo & peremptorio termino, ac trina canonica monitione aſſignamus, & Vos aſſignetis, debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit, debeat Romæ in judicio coram Nobis, vel infraſcripto Perilluſtri, & Excellentiſſimo D. Antonio Sabaino Locumtenente noſtro in Criminalibus Generali legitimè comparuiſſe, & comparere, ad deducendum, & allegandum Cauſam quare non debeat ipſos, & eorum quemlibet in omnes, & ſingulas cenſuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolita contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas incidiſſe, & incurriſſe declarari, & contra eos & illorum quemlibet literas declaratorias quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni, & relaxari, & reſpectivè ipſi non debeant condemnari ad damna, expenſas, & intereſſe, ſuper præmiſſis cum dicto Domino Procuratore Fiſcali, & aliis, cum quibus opus fuerit, juri ſtetiſſe, deque illorum innocentia, ſi quæ ſit, legitimè docuiſſe, præſentique noſtro Monitorio omnino paruiſſe. Certificantes eoſdem ſic monitos, requiſitos, & citatos, quod ſi in prædicto Monitorii termino non comparuerint vel aliquis ipſorum non comparuerit; Nos nihilominus, ſive dictus in Criminalibus D. Locumtenens noſter infraſcriptus, ad ulteriora Juris, & Facti remedia, & ad declarationem incurſus pœnarum prædictarum, uſque ad Sententiam, illiuſque executionem incluſivè, prout juris fuerit, per contradictas, vel Edictum publicum, procedemus, ſive procedet, eorum contumaciâ, vel abſentiâ, & aliis quibuſcumque non obſtantibus. Et cum Nobis conſtet per teſtes fide dignos, de mandato noſtro examinatos, ad Civitatem Aquilæ, & alia loca in Regno, & ad prædictos *Don Orontium Monfortem Ducem Lauriti, Doctores Nicolaum Gaudioſi, Antonium Cortes, Cæſarem de Capua, Fulvium Salſano, olim Præſidem, Auditores Rotæ, & Advocatum Fiſcalem reſpectivè Audientiæ Civitatis Aquilæ, alioſque, ut ſupra citandos*, & monendos, pro præſenti noſtro Monitorio exequendo, tutum non patere acceſſum, volumus & auctoritate noſtra decernimus præſens noſtrum Monitorium in Romanâ Curiâ ad valvas Magnæ Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ & extra eam in confinibus hujus Status, Eccleſiaſtici verſus Regnum Neapolis, nempè in Civitatibus Aſculi, Reatis, Terracinæ, Verularum, & Civitatis Vetulæ, nec non Terrarum Nurſiæ, Montis S. Joannis, Sublaci, & Ceprani ad valvas Cathedralium, & reſpectivè majorum Eccleſiarum, per dimiſſionem, & affixionem illius copiæ, & in actis infraſcripti Notarii legitimè reproductum, ita eoſdem monitos arctare, & adſtringere perinde valeat, ac ſi perſonaliter, & magis legitimè executum foret, contrariis quibuſcumque non obſtan. in quorum fidem &c. Datum Romæ, ex magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu-Chriſti milleſimo

Nomina Expulſorum, citatorum, & monitorum ad comparendum, & allegandum cauſam quare &c.

ſep-

ſeptigenteſimo ſeptimo, Indictione decimâ quintâ, die verò trigeſima menſis Julii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divina Providentiâ Papæ XI. Anno ſeptimo.

Antonius Sabainus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

Die 31. Januarii 1708. Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra omnes præfatos citatos Contumaces Sententia declaratoria incurſus in omnes, & ſingulas Cenſuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impreſſa, & conſuetis locis Urbis palam affixa fuit publica Schedula nuncupat. Cedoloni, qua univerſis Chriſtifidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Eccleſiaſtica Sepultura omnes, & ſinguli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

IV. MONITORIUM

Die 13. Octobris 1713. vigore ſpecialis Chirographi Pontificii expeditum contra Reos, fautores, & complices violentæ expulſionis Archiepiſcopi Meſſanenſis, Epiſcopi Catanienſis, & Epiſcopi Agrigentini à Regno Siciliæ ob immunitatem, & juriſdictionem Eccleſiaſticam ab ipſis conſtanter aſſertam.

Nicolus Spinula Archiepiſcopus Thebarum, Pontificii Solii Aſſiſtens, Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius; Sententiarum quoque, ac Cenſurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extrà eam latarum, ac Literarum Apoſtolicarum quarumcunque univerſalis, ac merus Exequutor, nec non Judex à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa in infraſcripta Cauſa per ſpeciale Chirographum Deputatus, & Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis Reverendis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, Parochialiumque, & Collegiatarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeù earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeù quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino.

Excommunicati ob læſam Immunitatem Eccleſiaſticam abſolvi non poſſunt, niſi a Summo Pontifice, & Sac. Congreg. Immunitatis Eccleſiaſticæ.

§. 1. Noveritis, quod hac infraſcripta die comparuit coram nobis Perilluſtris, & Excellentiſſimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ejuſque Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Procurator Fiſcalis, & notiſſima Jura memorando expoſuit quod licèt Eccleſiaſticæ Cenſuræ ſpecialiter Apoſtolicæ Sedi reſervatæ, quemadmodum in primis ſunt illæ, quæ ex violatione libertatis, immunitatis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ proveniunt, ejuſmodi naturæ, & qualitatis ſint, ut nemini omninò, præterquam Summo Romano pontifici pro tempore exiſtenti, ac Sacræ Congregationi ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus ab eadem Sede cum neceſſariis ad id facultatibus ſpecialiter deputatæ, ab illis abſolvere, vel eas ſub cujuſcumque Appellationis, ſeu recurſus, aliovè quovis prætexu revocare, aut etiam ad tempus, & ad effectum comparendi, vel agendi tantùm, ſeù quocumque alio modo, ſuſpendere fas ſit. Nihilominus idem Dominus Procurator Fiſcalis noviſſimè hic innotuiſſe ſubjunxit in Regno Siciliæ errorem hac in re perniciosiſſimum invaluiſſe, quo nonnulli Cenſuris hujuſmodi innodati ad quædam illius Regni prætenſa Tribunalia recurrentes ab eis, vel eorum aſſertis Judicibus, ſeù Delegatis ad effectum agendi, vel alio quæſito colore, abſolutionem ad cautelam, vel cum reincidentia ad aliquot tempus, ſeu etiam plenariè ſub prætextu nullitatis, vel injuſtitiæ earumdem Cenſurarum reportare conſueverant. Unde hac urgentiſſimâ poſtulante causâ, Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa promta, & paternâ ſollicitudine curavit, ut à præfatâ Sacrâ Congregatione Immunitatis Eccleſiaſticæ omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis dicti Regni in ejuſdem Pontificiæ ſollicitudinis partem vocatis encyclicæ, ſeu circulares literæ ſcriberentur, quibus excitabantur eadem in re animarum ſaluti conſulere; & per Edictum ad id promulgandum Populos ſuæ curæ commiſſos publicè edocere, quòd à prædictis aſſertis Judicibus & Delegatis ſive proviſionaliter, ſive plenariè abſoluti eiſdem, ut priùs, cenſuris irretiti remanebant ex defectu poteſtatis, & quod propterea erant vitandi, nec ab Excommunicationis vinculo ſolvi poterant, niſi ab ipſo Summo Pontifice, vel prædictâ Sacrâ Congregatione Immunitatis Eccleſiaſticæ, omni alio, quacumque tandem Dignitate, & poteſtate, etiam Apoſtolici Legati à Latere, ſuffulto penitus excluſo.

Archiepiſcopus Meſſanenſis, & Epiſcopus Catanienſis juſſu Sac. Congregationis Edicta promulgant, quibus declarant Excommunicatos ob læsa Immunitatem Eccleſiaſticam abſolvi non poſſe niſi à Summo Pontifice vel à præfata Congregatione.

§. 2. Inter regni Præſules, de quibus nunc loquendum eſt, Edicta hac in re cum inſertione literarum dictæ Sacræ Congregationis die 16. Januarii 1712. datarum promulgarunt Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Joſeph Migliaccius Archiepiſcopus Meſſanenſis, ac Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Andreas Riggius Epiſcopus Catanienſis. Ægrè, & acerbè tulit Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus Marchio Carolus Philippus Antonius Spinula Columna de los Balbazes Pro-Rex dicti Regni, & forſan nonnulli alii ex Regiis Miniſtris ægrè ſimiliter tulerunt hanc Edictorum publicationem, ut demonſtravit quoddam Bannimentum de ordine dicti Domini Pro-Regis promulgatum in pluribus Civitatibus, & locis dicti Regni, ac præſertim in Civitatibus Cataniæ & Meſſanæ, per quod ſub inani prorſus, ac inſubſiſtenti prætextu ibidem expreſſo ad publicam notitiam deducebatur prætenſa inefficacia præfatorum Edictorum Epiſcopalium, in quibus inſertæ erant literæ ſupradictæ Congregationis Immunitatis Eccleſiaſticæ, in omni eorum parte, & tenore, illaque propterea nulla, invalida; ac legum tam communium, quàm municipalium læſiva, nec non privilegiis, ac inveteratæ dicti Regni conſuetudini repugnantia declarabantur, eâdemque cenſurâ non ſolùm afficiebantur affixa, ut ſupra, & jam publicata, verùm etiam quæcumque alia ſimilia Edicta, & Brevia, ſi quæ in quibuſvis aliis Civitatibus, ſeu Locis Regni prædicti ſimiliter affigi contingeret, & alias, prout in memorato Bannimento, cujus tenorem non quidem approbandi, ſed penitus, & omninò reprobandi animo præſentibus pro expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur. Quare ne Chriſtifideles authoritate laicâ perterriti, & falſis opinionibus ſeducti à via veritatis abberrarent, nonnulli dicti Regni Præſules cuicumque pernicioſo errori providè, ac ſapientèr obviam ire duxerunt: ac ſignantèr dictus Dominus Epiſcopus Catanienſis pro veræ, ac ſanæ Doctrinæ confirmatione, nec non præfati Bannimenti,

omniumque in eo contentorum reprobatione, novum promulgavit Edictum sub die 7. Aprilis proximè præteriti, illudque in Civitate, ac Diœcesi Catanien. affigi curavit.

§. 3. Hæc novi Edicti publicatio, seu notificatio majorem Domino Pro-Regi attulit amaritudinem, & in causâ fuit, ut sacrilegam ejusdem Domini Episcopi expulsionem decerneret; ad quam proinde exequendam commisit Josepho la Rosa Primario Legionis Equestris Ordinatori, *Sargente Maggiore* nuncupato, ut, secum assumptis quibusdam Officialibus, & Militibus, cum illis Cataniam se conferret, consignavitque eidem Epistolam præfato Domino Episcopo reddendam in præsentia qualificatorum Testium; Cumque in illa demandaretur ipsius Domini Episcopi expulsio intra terminum viginti quatuor horarum à Civitate Catanien., & infra biduum à toto Regno, eidem Josepho la Rosa insuper præcepit, ut si Episcopus infra præfixum tempus discedere detrectasset, illum ad id per vim cogeret. Pervenit dictus la Rosa cum Officialibus, & Militibus sibi benevisis ad dictam Civitatem sub die 20. Aprilis proximè præteriti, relictisque alibi, ut sibi placuit, Equis, circa horam primam noctis cum dimidiâ ad Palatium Episcopale se contulit; Cumque ad cubiculum, in quo aliqui ex familiaribus dicti Episcopi ad ejus obsequia aderant, perveniisset, eorum alterum requisivit, ut suum adventum eidem Domino Episcopo nunciaret; Verùm inurbanè Familiarem ipsum insequutus, nullo expectato responso, ferè eodem tempore coram dicto Domino Episcopo, qui cum Patre Ignatio Romeo è Societate Jesu de Sacris Missionibus tunc loquebatur, se præsentavit insequente eum alio Officiali cum pallio strictè involuto, qui postea habitus fuit pro Capitanei Cohortis Locum tenente, ac etiam alio subsequente, qui, licèt ignorato nomine, cognitus fuit pro ipsius Cohortis Duce; adducti intereà è Civitate Messanen. Milites quinquaginta, vel circiter sclopis longioribus, brevioribus, & acinacibus armati partim exterius dispositi Episcopale Palatium obsederunt, & partim Aulam, ac duas alias interiores proximas mansiones occuparunt, & aliquorum quaterni singulas cubiculorum januas evaginatis acinacibus vigiles custodiebant, ingressum, & egressum tam familiaribus, quàm non familiaribus impediendo; dum autem aliis per Milites interdicebatur introitus, & exitus è Palatio, ipsi Episcopo impediebantur etiam colloquia; dictus enim Joseph la Rosa Domino Episcopo significavit à Domino Prorege inter alia habuisse in commissis ut post suum accessum cum aliquo illum alioqui non permitteret; Ideoque Religioso cum Domino Episcopo, ut supra, loquenti suasit, ut discederet, qui statim, etiam ipso Episcopo annuente, ab eorum præsentia discessit; non valuit tamen tunc è Palatio exire, à custodia Militum in exterioribus mansionibus existentium præpeditus. Interim majores violentias sibi à Potestate Laicali inferendas prævidens angebatur animo Dominus Episcopus, ob tam rigorosam Palatii custodiam, ob assiduam dicti Josephi la Rosa præsentiam, & potissimùm ob illam nunquam intermissam Officialis Pallio involuti assistentiam, qui ipsi Domino Episcopo sive sedenti, sive stanti, sive etiam ambulanti, semper, & quodammodò lateri affixus adhærebat. Vocati demum de ordine dicti Josephi la Rosa, advenere inter tertiam, & quartam noctis horam duo Nobiles de Magistratu Civitatis, Jurati nuncupati, & in eorum præsentia idem Joseph Domini Pro Regis Epistolam Domino Episcopo consignavit, qui statim legit, eâque perlectâ, omnes illicò commonuit adstantes dictam Epistolam fuisse sibi à Domino Pro-Rege conscriptam, & ordinem suæ expulsionis continere infra spatium viginti quatuor horarum à Civitate, & infra biduum à Regno. Publice tamen protestatus fuit se ordinem hujusmodi exequi non valere, cum à Summo Pontifice fuisset sibi interdictum pro servitio Sanctæ Sedis à sua Diœcesi discedere, factâque mutuâ super hoc inter Dominum Episcopum, & dictum la Rosa contentione, hic publicè declaravit paratas esse duas Naves à Domino Pro-Rege è Civitate Messanen. transmissas, & ab illo habuisse in mandatis, ut si Dominus Episcopus ad discessum se spontè non disponeret, & jussui non pareret, illum adhibitâ vi ad discessum cogere deberet. Rebus sic stantibus, cum Dominus Episcopus imminenti demandatarum violentiarum exequutioni se resistere non posse declarasset, illâ eâdem nocte se discessurum esse dixit. Tenor autem Epistolæ Domini Pro-Regis, de qua mentio facta fuit, est qui sequitur:

Siendo yà intolerables los yrregulares procedimientos de V. S. en agravio de las Regalias, y prehominencias, que S. M. tiene en este Reyno, pues con inconsiderada temeridad parece, que và buscando todas las ocasiones de perjudicarlas, y de mostrar su mal afecto al servicio de S. M. con notable pertubacion de sus fieles Vassallos y de la quietud publica, que està à mi cargo; y no conveniendo al Real servicio de S. M. en resguardo à todas estas consideraciones, que se mantenga en este Reyno un Prelato, que hà dado tantos motivos de suspecha, y de disconfianza al Rey, al Reyno, y à todos sus naturales; Portanto usando de la Potestad, que tengo come Virrey, y Capitan General, y de la especial, que para este caso me hà conferido S. M., prevengo à V. S. que dentro de viente y quatro horas del recivo de esta orden salga de essa Ciudad, y de dos dias de todo Reyno di Sicilia, pudiendo V. S. ir à desembarcarse libremente in qualquiera parte que non fuere infecta de Enemigos; y se V. S. pretendiere justificarse de esta resolucion, puede recurrir con la misma libertad à la Real Corte de S. M, pues de ella se da quenta à S. M. con apercevimiento, de que si V. S. no lo executare dentro del termino referido, se le obligarà à ello immediatamente con la authoridad Real, que permite la Regalia, y la conservacion del Estado. Mecina 18. de Abril de 1713. Carlos Felipe Antonio Spinola Col. Al Obispo de Catanea.

§. 4. Cùm itaque ad effugiendas ulteriores violentias, ac majorem Dignitatis Episcopalis contemptum, illâmet nocte Dominus Episcopus discedere decrevisset, Naves à Domino Pro-Rege transmissas recusando, aliam Nautæ Catanienses sibi præparari curavit; Cùmque eâ de causâ de ejus ordine à Familiaribus necessaria ad mutationem loci pararetur suppellex, certò etiam credidit dictus la Rosa proximè futurum esse illius discessum, ac propterea illam tam rigorosam Personæ dicti Episcopi ac ejus Familiarum custodiam aliqualiter relaxavit; Unde opportunitate sumptâ Dominus Episcopus applicavit animum ad ea, quæ de ordine Sanctissimi Domini Nostri sibi fuerant commissa in casu violentiæ, & eo modo, quo potuit, conscripsit, & respectivè conscribere fecit Censurarum Cedulones contra dictum Josephum la Rosa, Capitaneum, & Milites unâ cum Interdicto Civitatis, & Diœcesis, eosque ante suum discessum in solitis Civitatis Catanien. locis affigi jussit, prout affixi fuerunt: aliis Domino suo Vicario Generali relictis illorum copiis in Diœcesi affigendis, & publicandis. Denique, licèt aliqualiter relaxato rigore, nunquam tamen cessante vi, & Dignitatis contemptu, Custodes semper, & vigiles, videlicet, dictus Joseph la Rosa unâ cum Officialibus, & armatorum Militum Turmis Dominum Episcopum prius ad Cathedralem Ecclesiam, ad quam se contulit, & inde ad Navim associarunt. Ipse autem Dominus Episcopus

Idem Episcopus jussu Pro-Regis Siciliæ, e sua Civitate, totoque Regno exire compellitur.

Tenor literarum à Prorege scriptarum eidem Episcopo.

Enormis violentia illata per potestatem Secularem Episcopo Catanensi ob præfati Edicti promulgationem.

Catanensis Episcopus Expulsores excommunicat, & Civit. Catanien., totamque Diœcesim Ecclesiastico Interdicto supponit.

sic sacrilegè cum totius Catholici Orbis scandalo expulsus, Navim conscendit cum aliquibus de sua familia, ac post longam, & periculis plenam navigationem Romam pervenit, non alterius profectò culpæ reus (si culpa hæc dici meretur) quàm præstitæ obedientiæ, ut par erat, Apostolicæ Sedis mandatis, quemadmodum in suâ ad Episcopatum assumptione juraverat.

§. 5. Prænarratâ sacrilegâ expulsione Episcopi Catanienſis, sicut præmittitur, commissâ, ac præsertim ab antedicto Josepho la Rosa executioni demandatâ, cum in spretum incursarum Censurarum idem sacrilegus Exequutor publicè in Civitate Messanensi, suæ residentiæ loco, conversaretur; Cumque Joannes Baptista Paterno, & Abbatelli Baro Ficaratii, qui ob Ecclesiasticæ Immunitatis læsionem excommunicationis pœnam incurrerat, & ab eodem Episcopo Catanienſi suo Ordinario publicè denunciatus fuerat, illegitimâ, atque indebitâ impetratâ desuper absolutione à quodam delegato prætensi Tribunalis illius Regni, similiter in consortio Fidelium degeret: ut hæc gravissima scandala penitus tollerentur, supremæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ Pastoralis solicitudis cura fuit zelum Domini Archiepiscopi Messanensis excitare, eique injungere, ut pro Animarum sibi creditarum salute dictos Josephum La Rosa, & Baronem Ficaratii excommunicatos vitandos publicè denunciaret; Quibus, ut par erat, obsequenter satisfaciendo Archiepiscopus præfatus, die 28. proximè præteriti mensis Julii opportuna desuper, ac declaratoria Edicta in solitis Messanensis Civitatis locis affigi mandavit, prout affixa fuerunt per Sacerdotem Franciscum Bruno Fiscalem Archiepiscopalis Curiæ, ejusque Servientem Franciscum Impollimene.

§. 6. Jamdudum amaro animo tulerat Sæcularis Potestas, quod Dominus Archiepiscopus eo modo, quo alii Præsules fecerant, ac præsertim Dominus Episcopus Catanienſis, de ordine Sanctæ Sedis Edictum de quo supra, publicasset super necessitate reportanti absolutionem à Summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione Immunitatis à Censuris sanctæ Sedi Apostolicæ specialiter reservatis, adversus quod Edictum de ordine Domini Pro Regis emanaverat supra relatum Bannimentum; Nihilominus propter præmissa alia, quæ novissimè evenerunt, majori irâ eadem Sæcularis Potestas exarsit, & ad inferius referenda violenta, sacrilega, atque detestabilia in omnium vindictam devenit. Eâdem siquidem die 28. Julii in Carceres conjici fecit Sacerdotem Franciscum Brunum, ac Franciscum Impollimene alterum ex Servientibus Archiepiscopalis Curiæ captos, & ad Carceres ductos à Caporali Antonino Cuppolino, alioque Magnæ Curiæ Birruario, nec non præfata declaratoria Edicta iniquè discerpsit; Manu etenim dicti Caporalis Cuppolini, sibi assistentibus Joanne Baptista Fornarotto Capitaneo Birruariorum ejusdem Magnæ Curiæ, & Andrea ejus fratre, eadem Edicta cultri ictibus dilacerata fuerunt. Subindè idem Dominus Pro-Rex in ipsum Christum Domini, hoc est, in memoratum Dominum Archiepiscopum manus injicere, eumque non modò à sua Civitate, & Diœcesi Messanensis, verùm etiam à toto Regno infra horarum viginti quatuor terminum per vim expellere, ac in exilium mittere statuit, prout ope, & operâ infra referendorum Ministrorum sacrilegè executus fuit; Misit namque ad dictum Archiepiscopum cum quibusdam Birruariis Primarium Legionis Militum Instructorem Josephum Odoarte, qui ipsius Domini Pro Regis literas, exilium hujusmodi injungentes, eidem Domino Archiepiscopo redderet, & oretenus pariter id ipsum de ejus mandato illi injungeret, prout de facto injunxit, literasque ipsimet D. Archiepiscopo reddidit ejusdem ferè tenoris, ac aliæ, quæ Domino Episcopo Catanienſi redditæ fuerant, videlicet.

Nò siendo ya capaces de disimularse los irregulares procedimientos, que hà cometido V. S. en agravio de las Regalias, y preeminencias, que S. M. tiene en este Reyno, sin reparar en la que sus malas consequencias podian alterar la quietud publica de la Ciudad, nien la grave disantencion de haverlos practicado V. S. à mi vista (que es lo mas notables) y el no haver querido V. S. aprovecharse tampoco de tantos advertimentos, come se le han hecho; paraque no causase estos perjuycios à las Regalias de S. M. y nò conviniendo, que por todas estas consideraciones se mantenga en el Reyno un Prelado, que con tan poco amor, y zelo hà mirado el servicio de S. M. faltando en ello ala obligacion de buen Vassalo suyo; Portanto usando de la Potestad, que tengo, como Virrey, y Capitan General, y de la e special, que para este caso me hà conferido S. M. Prevengo à V. S., que dentro de veinte y quatro horas del recivo de esta Orden salga del Reyno, y si V. S. pretendiere justificarse de esta resolucion, puede recurrir à la Real Corte de S. M. pues de ella, se le da quenta, con apercevimento de que si V. S. no lo executare dentro del termino referido, se le obligarà ymmediatamente con la Authoridad Real, que permite la Regalia, y la conservacion de l'Estado. Mecina 28 de Julio 1713. Carlos Felipe Antonio Spinola Col. &c. Al Arzobisbo de Mezina.

Tenor literarum à Pro-Rege Siciliæ Archiepiscopo Messanensi conscriptarum.

§. 7. Accessit autem dictus Joseph Odoarte circa horam vigesimam primam dictæ diei 28 Julii ad Archiepiscopale Palatium, ac hujusmodi sacrilego mandato iniquè parendo, omnia, & singula prænarrata adimplevit manu armatâ, stantibus in primis mansionibus dicti Palatii, ad quod se contemporaneè contulerant, & ad eundem finem conspirantibus antefatis Capitaneo Joanne Baptista Fornarotto, Andrea ejus fratre, Caporali Antonino Cuppolino, aliisque Magnæ Curiæ Executoribus, qui moram ibidem usque ad tertiam noctis horam traxerunt, donec scilicet dictus D. Archiepiscopus magis magisque concussus, atque coactus, ad discessum ab illo Regno se disposuit, nihil interim contra vim sibi inferentes, juxta Sacrorum Canonum præscriptum, agere valens, cum sub continuâ, & nunquam intermissâ custodiâ prædicti Odoarte, ejusque Coadjutoris, vulgariter nuncupati *l'Ajutante*, qui illuc ad hujusmodi effectum ab initio acceſſerat, semper extiterit, ac totâ superveniente nocte, totaque sequenti die 29. Julii usque ad horam vigesimam sic permanserit, adeout nec cibum, nec somnum capere, nec aliud quidquam etiam per minimum temporis momentum, sine assistentiâ præsentiâ, ac permissione eorumdem Officialium agere potuerit. A suæ tandem Residentiæ loco ipse Dominus Archiepiscopus cum comitatu nonnullorum suorum familiarium, & à prædictis Josepho Odoarte, atque ejus Coadjutore, ut in Commissis habebant, associatus, discedere, sibique paratas à Sæculari Potestate naviculas, conscendere, ac ita sacrilegè expulsus Civitatem, ac Diœcesim sibi commissas totumque illud Regnum, universo Populo spectante, eisdemque Josepho Odoarte, & Coadjutore usque ad consummatum discessum in Maris littore assistentibus, deserere compulsus fuit.

Ob similem causam Pro-Rex Siciliæ iniquè procedit ad Archiepiscopi Messanensis violentam expulsionem.

Archiepiscopus Messanensis è sua Diœcesi, totoque Regno violenter exire cogitur.

§. 8. Omnia porrò, quæ, ut supra relatum est, ab aliis dicti Regni Præsulibus, ac potissimum ab Episcopo Catanienſi, in Apostolicorum mandatorum executionem impleta fuerunt, pari fide, parique zelo implevit similiter Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Archiepiscopus

Franciſcus Ramirez Epiſcopus Agrigentinus, qui nimirum inter cætera ſuum promulgavit Edictum ſuper neceſſitate conſequendi abſolutionem à Sede Apoſtolica, quoties agi contingat de cenſuris eidem reſervatis, præſertim ob læſionem Immunitatis, juriſdictionis, & libertatis Eccleſiaſticæ. Aliud etiam Edictum pro congruâ ſuperius enunciati Bannimenti de ordine Domini Pro-Regis publicati reprobatione, nec non pro veræ ſanæque doctrinæ eâ in re explicatione proferre non omiſit. Præterea juſſus à Sanctiſſimo Domino Noſtro per ſuas in forma Brevis literas ex Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ad eum non ita pridem datas, ut adverſus illos, qui Laicali authoritate freti fructus, ſeu redditus quoſcumque ad Eccleſiam Catanienſem, illiuſque Epiſcopum ab eâ noviſſimè ejectum pertinentes intercipere, ſeu apud ſequeſtrem deponere præſumpſiſſent, via Juris procedere, bonorumque Eccleſiaſticorum immunitatem ſtrenuè tueretur, ob ejuſmodi cauſam nonnullos, qui ſive mandando, ſive exequendo Authores fuerant, ut proventus Eccleſiæ præfatæ ſub ſequeſtro, ut præfertur, ponerentur, nempè Grava Conſultorem, Moncada, Averna Amico Penſabene Magiſtros rationales, Valdivieſo Conſultorem, N. Magiſtrum Notarium, Executorem ſequeſtri Secretum Civitatis Cataniæ, ſeu Procuratorem Generalem Regium, Dominicum Spadafora cum ſuo Magiſtro Notario Lanzanò in excommucationem incidiſſe declaravit. Verùm hanc, tametſi canonicam, & juſtam bonorum Eccleſiaſticorum defenſionem, aliaque præmiſſa à memorato Franciſco Archiepiſcopo Epiſcopo Agrigentino in executionem eorum, quæ ſibi ab Apoſtolicâ Sede mandata fuerant, peracta ægro animo de more tulit Dominus Pro-Rex, ac propterea etiam tertium hunc Sacrum Antiſtitem è Regno Siciliæ ejicere conſtituit. Ad hanc porrò ejectionem perficiendam mane diei 28. Auguſti proximè præteriti Joannes Ochoa Hiſpanus Armorum Dux ſacrilegæ commiſſionis Executor, tribus Viris Nobilibus Agrigentinis, quos in Teſtes aſſumpſerat, aſſociatus, relictis præ foribus Palatii Epiſcopalis ad cuſtodiam nonnullis armatis Militibus, aliiſque in ipſammet Cathedralem Eccleſiam, ac in Sacrarium proximum ſimiliter, ut credendum eſt, ad cuſtodiam: (ex eodem quippè Palatio Epiſcopali deſcendi poterat ad ſacrarium, & inde patebat tranſitus ad Eccleſiam) non ſine maximâ celebrationis Miſſarum perturbatione, immiſſis, ex improviſo coram præfato Sacro Antiſtite ſe præſentavit, eique in præſentiâ prædictorum trium Teſtium, nec non quorundam Dominorum Canonicorum, quos idem Antiſtes violentias ſibi inferendas, ipſo rumore publico admonente, præſagiens apud ſe hac de causâ retinebat, Domini Pro Regis Epiſtolam reddidit, quâ ei, ut infra ſpatium vigintiquatuor horarum è Civitate Agrigentina, duorum verò dierum è toto Regno exire deberet, eodem planè verborum tenore præcipiebatur, quo aliæ Epiſtolæ aliis duobus Præſulibus ſimiliter ejectis conſcriptæ fuerant, videlicet.

Ob eamdem cauſam Pro-Rex Siciliæ ad expulſionem Epiſcopi Agrigentini progreditur.

Tenor literarum à Progeconſcriptarum Epiſcopo præfato.

etiam facultate in illo Nobis, noſtroque Tribunali attributâ utentes; Conſtitoque Nobis per Teſtes fide dignos jam de noſtro mandato examinatos ad dictum Regnum Siciliæ &c., in quo moram trahit, & morari ſolet citandus & monendus, pro præſentibus noſtris Monitorialibus literis exequendis tutum non patere acceſſum, petitas literas monitoriales concedendas, & in locis infra dicendis exequendas, & publicandas fore, & eſſe duximus, & mandamus per præſentes; Quo circa Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, ac veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs viſis eiſdem præſentibus, per præſens publicum noſtrum Edictum in Romanâ Curiâ, in Audientiâ publicâ literarum Contradictarum Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ legen., & ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & extra eam in Confinibus Maritimis hujus Status Eccleſiaſtici, nempè in Civitatibus, Terris, & Locis Terracinæ, Neptuni, Portus Antii, Flumicini, Civitatis Vetulæ, & Anconæ per affixionem, publicationem, & executionem ad valvas Cathedralium, & Majorum Eccleſiarum reſpectivè ex parte noſtra, immò veriùs Apoſtolicâ authoritate pro nunc, & ſine præjudicio facultatis procedendi ſuis loco, & tempore contra alios in præmiſſis repertos, ſeu reperiendos culpabiles, quam facultatem Nobis expreſsè reſervamus, & firmis remanentibus Cenſuris à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa contra dictum Cajetanum Buglio aſſertum Delegatum præfatum, ut ſupra, declaratis, nec non Interdicto à Sanctitate Sua, ſicut præmittitur, confirmato, ſupradictum *Franciſcum Miranda, & Gayarre aſſertum Judicem præfati prætenſi Tribunalis Monarchiæ Siculæ* citetis, moneatis, & requiratis, prout Nos eumdem harum ſerie citamus, monemus, & requirimus primo, ſecundo, & tertio peremptorio termino, quatenùs infrà duorum menſium ſpatium, quorum priores viginti dies pro primo, alios viginti dies pro ſecundo, poſteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione aſſignamus, & vos aſſignetis, debeat Romæ in Judicio coram Nobis, vel infraſcripto Perillustri, & Excellentiſſimo Domino Antonio Sabaino Locumtenente Noſtro in Criminalibus Generali legitimè comparuiſſe, ad deducendum, & allegandum cauſam, quare non debeat ipſum in omnes, & ſingulas cenſuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolita contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas incidiſſe, & incurriſſe declarari, & contra eum literas quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni, & relaxari, ac ad omnes, ſingulos actus de, & ſuper præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſarios, & opportunos procedi, nec non reſpectivè ad videndum ſe ſe in cenſuras, & pœnas hujuſmodi incidiſſe, & incurriſſe declarari, ipſique Domino Procuratori Fiſcali Generali Jus, & juſtitiam miniſtrari. Certificantes *eumdem Franciſcum Miranda, & Gayarre* ſic citatum, & monitum, quod ſi in dicto termino ipſi præfixo legitimè non comparuerit, Nos, vel dictus Locumtenens Criminalis infraſcriptus nihilominus ſervatis terminis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, ad omnium, & ſingularum cenſuratum, & pœnarum prædictarum incurſus declarationem, & executionem Cedulonorumque dictæ Excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque reſpectivè, & ad omnia alia neceſſaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, ſivè deveniet, & proceder, Juſtitia mediante, ejus abſentiâ, & contumaciâ non obſtante. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta, die verò decimâ tertiâ menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ Undecimi, Anno decimo tertio.

Citatur, & monetur D. Judex aſſer. Monarchiæ ad comparendum, & allegandum cauſam quare &c.

Antonius Sabainus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Loco † Sigilli.

Paulus Fatius Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſt. Notarius.

Die 23. Januarii 1714. Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra præfatum Franciſcum Miranda, & Gayarre aſſertum Judicem prætenſi Tribunalis Monarchiæ Siculæ Sententia declaratoria incurſus in omnes, & ſingulas pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis edita, & conſuetis locis Urbis palam affixa fuit publica Schedula, Cedoloni, nuncupata, qua ipſe univerſis Chriſtifidelibus denunciatus fuit excommunicatus vitandus, ac in eventum mortis privatus Eccleſiaſtica ſepultura.

MONITORIUM VI.

Die 12. Januarii 1715. vigore ſpecialis Chirographi Pontificii expeditum contra Jacobum Longo aſſertum Judicem prætenſæ Monarchiæ Siciliæ, & plures alios à laicali Poteſtate Delegatos, qui Eccleſiaſticum Interdictum Civitati Agrigentin., ejuſque Diœceſi ab illius Epiſcopo appoſitum, & à Sanctiſſimo confirmatum violari fecerunt, illud obſervantes multifariam vexarunt, alios ad ejus violationem compulerunt, pluraque alia impia, & execrabilia ibidem perpetrarunt in contemptum Cenſurarum, & Eccleſiaſticæ, ac Apoſtolicæ authoritatis.

Nicolaus Spinula Archiepiſcopus Thebarum, Pontificii Solii Aſſiſtens, Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius; Sententiarum quoque, ac Cenſurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac Literarum Apoſtolicarum quarumcumque univerſalis, ac merus Exequutor, nec non Judex à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa in infraſcripta Cauſa per ſpeciale Chirographum Deputatus, & Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, Parochialiumque & Collegiatarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem vel ad quos præſentes noſtræ Literæ pervenerint, ſeù quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino.

§. 1. Noveritis, quod, hac infraſcriptâ die, comparuit coram Nobis Perilluſtris, & Excellentiſſi-

Laicalis potestatis continuata persecutio in observantes Interdictum in Catanien. & Agrigentin. Civitat. & Diœc.

mus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Procurator Fiscalis, & exposuit tempore præteriti Gubernii Regni Siciliæ à laicali potestate multa illic commissa, ac perpetrata fuisse in gravissimum detrimentum Immunitatis, Jurisdictionis, ac Libertatis Ecclesiasticæ, quæ occasione mutationis ejusdem Gubernii corrigenda, ac emendanda fore quamplures sperabant: ejusmodi tamen spem citò exaruisse, ac in dies magis evanescere; cum eadem Laicalis potestas incœptam Ecclesiæ persecutionem sacrilegè continuaverit, ac in præsens continuet, adeò ut nulla ferè prætereat dies, qua non aliquid mali in hoc genere ex illis partibus magno cum Christifidelium scandalo, ac offensione nuncietur. Porrò inter cœtera acerbis, indignisque modis affixit, ac infectata fuit, quin etiam adhuc affligere, ac infectari non cessat eos omnes, qui Interdictum Ecclesiasticum in Catanensi, & Agrigentinâ Civitatibus, earumque Diœcesibus de mandato ejusdem Sanctissimi Domini Nostri appositum, ac deinde ab ipso specialiter confirmatum ob satis notam sacrilegam, & violentam utriusque Civitatis Episcoporum expulsionem constanter observarunt, ac observant.

§. 2. Cum autem de iis, quæ in Catanien. Civitate, ac Diœcesi contigerunt, idem Comparens in aliâ instantiâ seorsim agere intendat, modò illa tantùm, quæ in Civitate, ac Diœcesi Agrigentin. adversùs Ecclesiasticam Immunitatem patrata fuerunt, attingendo commemorat, quod secutâ mutatione Gubernii prædicti Regni, Secularis potestas novum prætensi Tribunalis Monarchiæ Judicem deputavit Sacerdotem Jacobum Longo, ac simul erexit novum quoddam Tribunal merè Laicale, Junctam Status Oeconomici nuncupatum, cujus Præsidem constituit Josephum Fernandez non alium in finem, nisi ut hic idem Præses adjumento foret præfato asserto Judici Monarchiæ, à quo cœteræ subalternorum in Regno delegationes promanarent, & ambo conjunctis viribus, ac studiis præfatum Interdictum, illudque Observantes acriùs, atque validiùs oppugnare possent. Ambo igitur, scilicet præfati Jacobus Longo Judex assertæ Monarchiæ, & Joseph Fernandez Præses Junctæ Status Oeconomici Panormi residentes tam per se ipsos, quàm per Locales Delegatos tum in hac Agrigentinâ, tum etiam in aliâ Catanensi Diœcesibus Interdicto acerrimè, ut inferiùs dicetur, hactenus obstiterunt, ac obsistunt, illudque, ut par est, observantes incredibili acerbitate, ac impudentiâ persequuntur. Præter alios Delegatos in Terris, aliisque locis præfatæ Agrigentinæ Diœcesis constitutos, qui suis loco, & tempore inferiùs nominabuntur, post discessum Canonici Isidori Navarro Delegati, quem Sanctissimus Dominus Noster suis Literis in formâ Brevis datis Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 23. Decembris 1713. ob graviter læsam Ecclesiasticam Immunitatem in excommunicationem majorem Sibi reservatam incidisse meritò declaravit, à præfato Judice assertæ Monarchiæ constitutus fuit Delegatus in ipsâmet Agrigentinâ Civitate Sacerdos Franciscus Catanzaro ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, ac insuper à Sæculari potestate transmissus illuc fuit titulo Commissarii Generalis insignitus, ampliſſimisque instructus facultatibus Hieronymus Angioenus Dux de Angiò nuncupatus, qui conjunctâ simul operâ, omnique adhibito conatu in eâdem Civitate, ejusque Diœcesi obedientiam Ecclesiæ, ac Sanctissimo Jesu Christi Vicario debitam penitus evertere studuerunt, & student, carcerationes, relegationes, exilia, bonorum confiscationes, aliasque id genus pœnas per summam temeritatem, ac injustitiam in eos passim decernendo, qui Interdictum observant; adeòque non Zizania à Tritico, sed Triticum à Zizaniis evellentes fecerunt, ut omnibus ferè obtemperantibus Interdicto, vel ob metum profugis, vel ab ipsismet Commissario, & Delegato huc, & illuc dispersis, relegatis, aut Panormum transmissis, universa jam illa Civitas, ejusque Diœcesis solos Refractarios summâ cum Ecclesiasticæ Disciplinæ perturbatione, manifestoque cum illarum animarum periculo in præsens complectantur.

Jacobus Longo novus prætensæ Monarchiæ Judex.

Josephus Fernandez Præses Junctæ Status Oeconomici.

Can. Franciscus Catanzaro Delegatus in Civitate Agrigentina, Dux de Angio Commissarius generalis ibidem Interdictum observantes dirè infectantur.

§. 3. Jam verò ad explicationem deveniendo nonnullorum ex plurimis, quæ antedicti, multique alii inferiùs nominandi Sæcularis potestatis Administri in Civitate Agrigentinâ, ejusque Diœcesi perperam egerunt, idem Comparens narrat, quod post carcerationem trium Vicariorum Generalium, & obitum quarti, qui ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino D. Francisco Archiepiscopo Ramirez Episcopo Agrigentino ordine successivo deputati fuerant, sex alios Vicarios idem Episcopus illis eodem ordine substituerat, quibus omnibus, vel sequestrata fuerunt bona, vel aliud objectum fuit violentum impedimentum, ne officium exercere possent. In eorum numero quintum obtinebat locum Laurentius Pitacciolus Cathedralis Ecclesiæ Canonicus. Hic ne Vicarii munere fungeretur, à præfato Duce Angioeno, sub custodiâ Francisci Pauli Cimino Capitanei Armorum Terræ Mussumeli Panormum amandatus fuit ad Judicem assertæ Monarchiæ, ac ab isto remissus ad Præsidem Fernandez, qui ipsum per aliquot dies Panormi detentum, tandem in Civitatem Cephaludensem relegavit. Sacerdos itidem Nicolaus Noto septimo loco Vicarius Generalis designatus, cum sponte suâ ad Civitatem Messanensem accessisset, spe fretus componendi cum potestate Laicali negotium suæ deputationis, in eâ Civitate diù detentus fuit, ac postmodùm jussus proficisci Panormum, seque præsentare Judici assertæ Monarchiæ, quod cum egisset, ab eodem Judice propositæ illi fuerunt nonnullæ conventiones ad permissionem violationis Interdicti tendentes, quatenus ad Vicariatus exercitium admitti vellet, cumque ipse sacrilegas ejusmodi pactiones, reclamante conscientiâ, rejecisset, adhuc Panormi invitus detinetur.

Vicarios generales Agrigentinos vexant, & expellunt.

§. 4. Consimile mandatum de se præsentando Judici prætensæ Monarchiæ à Delegato Catanzaro injunctum fuit Canonico Hieronymo, & Sacerdoti Desiderio fratribus de Gioenis, qui Panormum profecti eumdem Judicem adiverunt, & ab eo illic retenti, nunquam, quod sciatur, dimissi fuerunt. Dux insuper Angioenus, & præfatus Catanzaro præceperunt Canonico Francisco Rini, Sacerdotibus Cajetano Ricciardo, Petro Sciandra, Antonio Tuttolomundo, Hieronymo Lena, Honuphrio Lena, & Nicolao Contino, aliisque pluribus Sacerdotibus, ut coram assertæ Monarchiæ Judice Panormi se præsentarent, cumque obtemperassent, nunquam iis tributa fuit discedendi facultas. Difficile planè foret ob numeri magnitudinem recensere singulos Sacerdotes Interdictum observantes, qui novo hoc deportationis genere à Civitate Agrigentina, suisque domibus gravi cum incommodo, & dispendio ejecti fuerunt, ne laudabilis eorum constantiæ exemplo cæteros lapsos ad obedientiam, ac Interdicti observationem revocarent; Adhuc tamen prætermittendi non sunt Sacerdores Gaspar Agrò, & Honuphrius Agrò à prædicto Duce Angioeno Panormum transmissi ad pedes Judicis assertæ Monarchiæ, à quo de more ad Præsidem Fernandez remissi, ibidem similiter absque exilii injunctione, sed tamen re ipsâ ab Agrigentinâ Diœcesi exules detinentur.

Alia scelera, & attentata Can. Catanzaro, & Ducis de Angiò in Observantes Interdictum.

§. 5.

Aliæ vexationes à Can. Catanzaro, & Capitaneis Spadaro, & Sugner Interdictum Observantibus illatæ.

§. 5. Simili modo Canonicus Catanzaro Delegatus prædictus ad Panormitanam Civitatem amandavit, seu veriùs relegavit Sacerdotes Honuphrium Ciotta, Matthæum Filenda, ac Ignatium Paci, quibus adjungi potest Sacerdos Honuphrius Continus; Hic enim cum ab eodem Catanzaro minis, etiam exilii, & confiscationis bonorum Patrimonialium, ad Interdictum violandum concuteretur, ut ejusmodi pœnas, simulque Interdicti violationem declinaret, ultrò Panormum aufugit. Non minori acerbitate vexati etiam fuerunt, & adhuc vexantur quotquot Interdictum observarunt, vel observant in universâ Agrigentinâ Diœcesi. Pauca autem ex multis, quæ in eâ contigerunt, exponendo narrat; quòd Joachim Spadaro Capitaneus justitiæ in Terrâ Caltabellottæ de mandato Ferdinandi Sugner de Strada Capitanei armorum Civitatis Agrigentinæ, prævia bonorum descriptione, injunxit verbaliter sub pœnâ incorporationis infrascriptis Sacerdotibus Interdictum piè servantibus, videlicet Josepho Alberto, Dominico Abruzzo, Christino Montalbano, Philippo Raguſa, Benedicto Raguſa, Antonino Manno, Antonino Benfare, Peregrino Tornanbe, Benedicto Totaro, Josepho Perone, Peregrino Caruso, & Josepho Russo de eâdem Terrâ, ut coram præfato Capitaneo Sugner Agrigenti, vel coram Præside Fernandez Panormi sese præsentarent; Qui Sacerdotes hisce pœnalibus injunctionibus compulsi Patriâ abire, Civitatem potiùs non interdictam elegerunt, ac Panormum profecti sese coram Præside Fernandez præsentarunt, à quo tamen nunquam dimissi in eâdem Civitate adhuc detinentur. Ille idem Ferdinandus Sugner Capitaneus armorum Agrigenti abutens assertâ Oeconomicâ potestate, ad obtinendam sibi præfixam Interdicti violationem, temerè sequestrari mandavit fructus bonorum Canonici Ignatii Maira Octavi Vicarii Generalis, ejusque fratris Blasii Maira quarti pariter Vicarii Generalis jam piè demortui, nec non Sacerdotis Ignatii Daydone; quæ quidem sequestrationes executioni demandatæ fuerunt sub præceptis pœnalibus per Franciscum Lapedora Civitatis Caltanissettæ Officialem Secretum nuncupatum.

Plures variorum Ordinum Regulares à Duce Angioeno, & Delegato Catanzaro ob Interdictum vexati, & expulsi.

§. 6. Has porrò vexationes in odium observantiæ Ecclesiastici Interdicti cum tantâ Immunitatis, Jurisdictionis, ac Libertatis Ecclesiasticæ læsione, non solùm passi sunt præfati Sacerdotes Sæculares, ac alii plures, verùm etiam multi Sacerdotes Regulares tam à memorato Duce Angioeno, quàm à prædicto Delegato Catanzaro, aliisque Laicalis potestatis Officialibus, & Ministris. Iidem enim respectivè præceperunt accessum ad Judicem assertæ Monarchiæ Panormi residentem infrascriptis Sacerdotibus Regularibus, qui postquam illuc sese contulerant, ut plurimùm ab eodem Judice ad Præsidem Fernandez remittebantur, ac vel de illius mandato, vel ex præcepto Judicis in eâdem Civitate moram figere, seu veriùs relegationem subire cogebantur. Religiosi sunt P. Georgius à B. Stanislao Congregationis Scholarum Piarum Collegii Palmæ, P. Angelus Maria Vermi Prior Conventus S. Dominici Agrigenti, P. Michael Angelus Principato Prior electus Conventus Civitatis Caltanissettæ, P. Antoninus Maria Alotto, P. Jo. Michael Tagliarini, P. Jo. Maria Noto Ordinis Prædicatorum, ac alii variorum Ordinum Regulares. Arduum profectò nimis esset subtiliter, ac ordine referre singulas violentias à supradictis Laicalis Potestatis Ministris tam in Civitate, quàm in Diœcesi Agrigentinâ peractas, ultra exilia, relegationes, bonorum sequestrationes, mulctas pecuniarias, aliaque gravia incommoda Ecclesiasticis ex utroque Clero illata, ut ab Interdicti observatione deterrerentur.

§. 7. Verumtamen nullatenus silentio prætereundum est scandalosum, ac planè execrandum coactionis exemplum, quod antedicti Dux Angioenus, & Delegatus Catanzaro præ cæteris ediderunt. Hi etenim Agrigentum evocari fecerunt Capitaneum Terræ Clusarum, & Sacerdotem Vitum Paternoster ejusdem Terræ Vicarium Foraneum, septuagenario majorem, ferè luce orbatum, qui ob provectam ætatem, ac visus impedimentum nunquam, vel saltem raro Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrabat, ac vesanâ abrepti libidine Sanctiora Catholicæ Ecclesiæ mysteria conculcandi, præceperunt, ut antedictus Sacerdos publicè celebraret, & Capitaneus ejus Missæ interesset; cumque Sacerdos ob cæcitatem, & Capitaneus ob interdictum sese excusarent, factâ prius coram alio Ecclesiastico experientiâ, an dictus Sacerdos verè esset oculis impeditus, illum, tametsi repertum sic impeditum, per vim adduci fecerunt ad Cathedralem Ecclesiam, ibique ipsum superpelliceo indutum, ac simul prædictum Capitaneum Laicum divinis officiis palàm assistere compulerunt. Ad hæc idem Dux Angioenus per binas vices se contulit ad Ven. Monasterium Sanctimonialium SS. Rosarii Palmæ, easdemque Religiosas vehementer tentavit, ut laicalis potestatis voluntati, tanquam subditæ, morem gererent, ac Interdictum Ecclesiasticum violarent; Cumque nihil profecisset, ad nefarium propositum assequendum impedire curavit non tantùm accessum ad illud Monasterium Sacerdotum, & Religiosorum Apostolicis mandatis piè obtemperantium, quorum salutaribus consiliis, & monitis eædem Sanctimoniales ad observantiam Interdicti confortari poterant, verùm etiam receptionem Epistolarum ab Illustriss. & Reverendiss. DD. Episcopo Agrigentino conscriptarum, quibus ipsæ sanâ, Catholicâque Doctrinâ instruebantur, ac in Interdicti observatione confirmabantur. Custodibus itaque præfatus Dux, atque Militibus circumvallari fecit Monasterii ambitum, illosque etiam in Collocutorio disposuit, & collocavit, impeditâ quacumque cum illis suspectâ communicatione, ac deputatis hunc ipsum in finem duobus Interdicti Violatoribus Sacerdotibus, scilicet Archangelo Onulpho Archipresbytero, & Joanne Labiso Vicario Foraneo ejusdem Terræ Palmæ, qui, ut præfati milites injunctam sibi custodiam sedulò obirent, excubare veriti non fuerunt.

Alia iniqua attentata Ducis Angioeni, & Delegati Catanzaro.

Etiam contra Sanctimoniales Monasterii Sanctiss. Rosarii Palmæ.

§. 8. Quacumque tamen adhibitâ violentiâ adhuc Delegatus Catanzaro observantium Interdictum constantiam expugnare, publicaque Sacrorum celebrationes in Agrigentinis Ecclesiis obtinere non poterat; quamobrem à Panormitanâ Civitate sibi transmitti curavit decem, vel undecim simplices Sacerdotes, qui palàm celebrando defectum non celebrantium in Cathedrali Agrigentinâ supplerent. Cùm autem ejusdem Ecclesiæ Canonici hoc non permisissent, præfatos Panormitanos Sacerdotes ad celebrandum apertis januis in aliis Civitatis Ecclesiis distribuit. Eorumdem etiam Sacerdotum operâ usus fuit in Diœcesi contra Ecclesiasticos Interdictum custodientes; misit enim aliquos ex eis ad compellendum pecuniariis mulctis eosdem Ecclesiasticos Diœcesanos, inter quos Sacerdotes transmissos nominatur Angelus Macaluso oriundus ex Terrâ Recalmuti, & Portionarius Ecclesiæ Sancti Petri Panormi; qui cum ex perlustratâ Diœcesi non exiguam pecuniarum summam extorsissent, repleto marsupio, cum maximo illorum Ecclesiasticorum damno, tandem aufugerunt. Hic ipse Delegatus Catanzaro plures Epistolas Encyclicas per Diœcesim transmisit Archipresbyteris, & Vicariis Foraneis, quibus sub pœnarum comminatione præcepit,

Nova scelera Delegati Catanzaro ad obtinendam Interdicti violationem in Civitate, & Diœcesi Agrigentina.

ut qualibet hebdomadâ rationem sibi redderent de Sacerdotibus celebrantibus, vel non celebrantibus januis apertis cum juratis documentis à Civitatum, & locorum Magistratibus approbandis. Subdelegavit insuper Sacerdotem Jacobum Raguſa Canonicum Agrigentinum, ut Ecclesiasticos Interdictum observantes inquireret, ac in eos procederet.

Ac præsertim in Terra Favariæ.

§. 9. Præterea cum Felix Scaraglino Archipresbyter Terræ Favariæ, Franciscus Giglia Vicarius Foraneus, ac Sacerdos Antoninus Miceli ejusdem Terræ interdicti Violatores accessissent ad ipsum Delegatum Catanzaro, eiquè vigore antedicti præcepti detulissent Sacerdotes Ecclesiæ obtemperantes, superaddendo, quòd ex eorum prædicatione commotus Populus sacris ampliùs interesse renuebat, ipsosque Delatores inobservantes pro excommunicatis reputabat: idem Catanzaro dictos Sacerdotes accusantes ad præfatam Terram remisit associatos à Francisco Pancuccii Porterio, Stephano Gurrugurru, ac Ignatio Castellano Ærariis, seu Satellitibus, qui sub die septimâ Octobris proximè præteriti ad prædictam Terram Favariæ profecti, cum delatos Sacerdotes interdictum observantes in carcerem conjicere nequivissent, ad inventaria bonorum eorumdem, ac expensarum exactionem processerunt. Acerbiores tamen pœnas appetentes iidem Refractarii curarunt, ut à dicto Canonico Catanzaro illuc mitteretur Delegatus Canonicus Jacobus Raguſa, de quo supra mentio facta fuit, qui die decimâ dicti mensis Octobris sub noctis initium ad præfatam Terram pervenit, & illicò cum dictis Sacerdotibus Scaraglino, Giglia, & Micelo accessit ad Domum Sacerdotis Balthassaris Francardi, quam omnes simul magno cum impetu ingressi, ejusdem Francardi carcerationem tentaverunt, sed irritò conatu, nam hic, licet tunc infirmus, audito tumultu, per saltum ex unâ specularum Domus ferè nudus se proripuit, ac ita ex eorum manibus elapsus tutum in locum se recepit. Ipse verò Raguſa Delegatus, & reliqui Aggressores omnia bona tam ad dictum Sacerdotem Balthassarem, quàm ad ejus Sorores pertinentia descripserunt, ac sequestrarunt. Posterâ autem die iidem, ac alii inferiùs nominandi, invaserunt Domum Luciani Rodulpho Genitoris Sacerdotis Josephi Rodulpho, quem similiter cum ad vincula rapere non potuissent ob fugam ab ipso, non sine aliquo vitæ periculo, ex feneſtrâ arreptam, omnia pariter inibi reperta mobilia tam Genitoris, quam filii Sacerdotis, quorum pretium ad plura scutorum millia ascendere dicitur, prævia descriptione, sub sequestro posuerunt, & ex juratis attestationibus habetur, quod eorumdem mobilium portio in publicâ plateâ hastæ subjectâ postmodum fuit per Franciscum Puccium, aliàs *il Bue Marino*, Ærarium, seu Satellitem dicti loci. Eadem ferè quoad bonorum descriptionem à præfato Raguſa Delegato inibi gesta fuerunt in Domibus Sacerdotum Ludovici Dulcetta, Petri Bellomo, & Franciſci Campione, qui omnes ad effugiendas carcerationes natale solum ultrò deseruerunt: minimè tamen eximere sese potuerunt à solutione non modicæ pecuniarum summæ, quam idem Raguſa, obtento expensarum titulo, ab ipsis exegit. Ministri verò, ac Officiales, qui præmissis in Terrâ Favariæ gestis astiterunt, & auxilium, operamque suam prædicto Delegato Raguſæ præstiterunt, sunt Ferdinandus Privitera Vicecapitaneus ejusdem Terræ, Sacerdos Vincentius Bellavia prætensæ Monarchiæ Fiscalis, & Sacerdos Collogerus Piscopo Magister Notarius, ultra Sacerdotes Scaraglino, Giglia, & Miceli, ac Franciscum Puccium aliàs *il Bue Marino* ærarium, seù Satellitem, suprà nominatos.

Alia attentata, & violentiæ adhibitæ à Delegato Canon. Raguſa in eadem Terra.

§. 10. Aderat in Terra Leucatæ, tanquam Delegatus localis, (subintelligitur semper assertæ Monarchiæ) Sacerdos Cajetanus Pizzolante: & hic pœnalibus præceptis ad Interdicti inobservantiam compellere tentavit multos Ecclesiasticos Sæculares, & Regulares ejusdem loci, ac potissimùm Sacerdotem Nuntium Nauceri, cui etiam in scriptis quotidianam Missæ celebrationem injunxit juxta tenorem Edicti per Delegatum Navarro publicati sub pœnâ unciarum quinquaginta, aliisque arbitrariis pœnis in eodem Edicto comminatis. Compulit pariter in scriptis P. Matthæum à Sanctâ Ursulâ Rectorem Collegii Scholarum Piarum Palmæ, ut Panormum adiret, & coram Judice assertæ Monarchiæ se præsentaret sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, & carceris formalis per quinquennium, & Patrem Balthassarem Capitium Superioren Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii in Civitate Agrigentinâ, ut de Terrâ Leucatæ Agrigentum proficisceretur, & ad pedes Delegati Navarro se præsentaret sub pœna scutorum mille. Hæc eadem perpetravit Sacerdos Hieronymus Betti Delegatus localis Civitatis Caltanissettæ, qui Sacerdoti Antonino Bellomo inter alios in scriptis præcepit, ut statim Missam celebrare deberet in Ecclesiâ januis apertis sub excommunicationis majoris, aliisque Tribunali assertæ Monarchiæ reservatis pœnis.

Nec non à Delegato Pizzolante in Terra Leucatæ.

§. 11. Piè servabatur in Civitate Bivonæ Interdictum fideli potissimum operâ, ac assiduâ, strenuâque vigilantiâ Archipresbyteri Honuphrii Vinciguerra. Ejus igitur constantiam expugnandam temerè susceperunt Joseph Græco Civitatis Secretus nuncupatus, & Franciscus Pisano Magister Notarius assertæ Monarchiæ, suisque literis incitarunt Delegatum Navarro, ut omnem moveret lapidem pro aperitione Ecclesiarum prædictæ Civitatis, quarum aperitionem, ac in eis Divinorum celebrationem per eundem Archipresbyterum impediri significarunt. Commotâ itaque in ipsum tempestate, & consuetis adhibitis violentiis, inventaria bonorum passus, & non exiguis gravatus expensis idem Archipresbyter tandem fugam arripere coactus fuit. Hoc sublato Contradictore, Sacerdos Felix Golino in eâdem Civitate Delegatus, Joseph Græco Secretus, Franciscus Pisano Magister Notarius, Sebastianus Napoli, aliique Sacerdotes, & Laici Matricem Ecclesiam aperuerunt, in qua idem Golino delegatus Missam publicè, ac solemniter celebrare ausus fuit; repertum deinde prædictum Archipresbyterum Vinciguerra occultis in locis latitantem iidem Delegatus Golino, & Magister Notarius Pisano in carcerem conjicere attentarunt; sed ipse ex eorum manibus evasit. Restituendam nihilominus curavit idem Archipresbyter pristinam Interdicti observantiam, & sub die 4. Aprilis præteriti Matricem Ecclesiam iterum clausit. Quapropter iidem Violatores denuò eum accusarunt, tamquam populi seductorem, ac rebellem potestati Laicali apud Præsidem Fernandez, & Ducem Angioenum, ac subindè, nempè die 19. ejusdem mensis Aprilis Sebastianus Napoli Capitaneus Civitatis, Ignatius Pisano Projudex Criminalis, Paulus Roggiero Magister Notarius Criminalis, Ignatius Perroni Advocatus Fiscalis, & Melchior Scardulla Procurator Fiscalis simul coadunati, palàm, ac in viâ publicâ prædicto Archipresbytero injunxerunt, ut se conferret ad pedes potestatis Laicalis, ad audiendum verbum Regium de ordine, & mandato præfati Ducis Angioeni, ac in absentiâ primariæ potestatis Laicalis assertæ Monarchiæ Judici se præsentaret. Hunc itaque potiùs eligens idem Archipresbyter eum adivit, à quo ad Præsidem Fernandez remissus fuit;

Violentiæ illatæ in Civitate Bivonæ Archipresbytero Vinciguerra à Delegato Golino, & aliis.

ipse

ipſe verò Præſes, cum eum ad violationem Interdicti flectere nequiviſſet præceptum de non diſcedendo è Panormitanâ Civitate illi tandem injunxit.

Alia ſcelera ejuſdem Delegati Golino in prædicta Civitate.

§. 12. Hic idem Delegatus Golino carceratos in prædictà Civitate Bivonæ retinuit P. Hieronymum de Pantellaria Guardianum Conventus Capuccinorum ejuſdem Civitatis, & poſteà in exilium ejecit ac inſuper Patribus Aloyſio, Ambroſio, & Dominico de Bivono, ac P. Vito de Partanna mandavit, ut ſeſe præſentarent in Civitate, Panormi coram Judice aſſertæ Monarchiæ, quod cum feciſſent, ab eo exulare juſſi fuerunt. Sacerdos Matthæus Latino Delegatus Civitatis Sciacchæ minaces literas, ac plura præcepta pœnalia miſit Archipresbyteto Burgii Stephano Spinellio: injunxit ſimiliter in ſcriptis P. Salvatori à Sambuca Guardiano Conventus Capuccinorum ejuſdem Terræ, ut ſub pœnâ excommunicationis, & carceris formalis per biennium ſe conferret Agrigentum, & coram illius Delegato ſe præſentaret. Longè tamen majori acerbitate uſus fuit cum P. Joſepho Maria de Sambuca Guardiano itidem Conventus Cappuccinorum Sciacchæ, quem priùs carceratum retinuit in carceribus formalibus Conventus PP. Carmelitarum ejuſdem Civitatis Sciacchæ una cum P. Franciſco de Terra S. Margaritæ ac poſtmodum tam ipſum Guardianum, quàm P. Baſilium de Partanna relegavit in Inſulam Pantellariam, duarum tantùm horarum termino illis ad abeundum præfixo adjectâque lege, quod in itinere ad prædictam Inſulam, ad Conventus Regni accedere non auderent, ſub privationis vocis activæ, & paſſivæ, indignationis laicalis poteſtatis, aliiſque arbitrariis pœnis. Nec intactam reliquit præfati Conventus Cappuccinorum Sciacchæ familiam: poſtquam etenim per viginti dies inibi eam ſub cuſtodiâ retinuerat, univerſam deinde ſegregavit, atque diſperſit, aliquibus Religioſis Panormum ad aſſertæ Monarchiæ Judicem, aliquibus autem ad Delegatum Navarro tranſmiſſis. Sacerdos Joſeph Fiaſcone Delegatus in Civitate Narenſi exilium præ cæteris indixit Sacerdoti Franciſco Pariſii primo in eâdem Civitate Parocho Priori nuncupato, & N. N. Præpoſito Sanctæ Catharinæ, ac ibidem ſecundo Parocho. Hic inſuper crudelem in modum carceratos, vel potiùs ſepultos retinuit in foveris per plures dies P. Hieronymum de Naro Guardianum Conventus Capuccinorum ejuſdem Civitatis, ac etiam P. Antonium Mariam de Naro ejuſdem Ordinis, eoſque poſtea remiſit ad Delegatum Navarro, à quo tandem ab Agrigentinâ Diœceſi ejecti fuerunt. Sacerdos Franciſcus Maria de Alexiis Archipresbyter, & Delegatus Oppidorum S. Johannis, & Cameratæ, plura pariter attentavit, ac executus fuit contra Interdictum ſervantes: ſedulò etenim perquiſivit, ac poſtmodum repertos, etiam cum aſſiſtentiâ militum, carceribus mancipavit PP. Franciſcum Mariam Langela, & Jo: Mariam Noto Sacerdotes Ordinis Prædicatorum, tum quia Interdictum obſervabant, tum etiam quia ſuſpicatus fuit, quod iidem Religioſi Breve Pontificium retinerent, quo facultas concedebatur abſolvendi Violatores Interdicti pœnitentes, ac juramentum de illud in poſterùm obſervando præſtantes.

Attentata Delegati Laruſſa, & Subdelegati Caſtellano in Civitate Caltaniſettæ.

§. 13. Sacerdos Vincentius Laruſſa Archipreſbyter, & Delegatus in Civitate Caltaniſettæ ſimiliter Interdictum ſervantes vehementer affligere non omiſit; cum enim ſciviſſet, Sacerdotem Raphaelem Gangitano, qui antea Interdictum violaverat, fuiſſe abſolutum, præſtito juramento de illud ampliùs non violando, vigore, facultatum à Summo Pontifice conceſſarum: prædictus Archipresbyter Delegatus, ſtatim eidem Sacerdoti injunxit, ut infra biduum Agrigentum ſe conferret, & coram Delegato Catanzaro ſe præſentaret; Cumque paucis elapſis diebus ille ejuſmodi præcepto non paruiſſet, Delegatus præfatus per literas Catanzarum admonuit de retardatâ obedientiâ, & hic protinùs illuc tranſmiſit Franciſcum Biancuccium Porterium; ut dictum Sacerdotem carceribus manciparet. Acceſſit itaque Porterius ad Civitatem Caltaniſettæ, ad quam pervenit in pervigilio Feſtivitatis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & dum idem Sacerdos ante fores ſuæ domus moraretur, dictus Franciſcus Biancucci Porterius, Clericus Placidus Biſtuccia Sacriſtæ Matricis Eccleſiæ, & Carolus Biſtuccia famulus dicti Archipresbyteri, facto ſimul impetu, eumdem Sacerdotem Raphaelem aggreſſi fuerunt, ac ipſum ad carceres violenter raptarunt; Eum poſtmodum Agrigentum ad Delegatum Catanzaro adduxerunt, qui eidem Sacerdoti injunxit, ut Panormum ad aſſertæ Monarchiæ Judicem ſe conferret, à quo, juxta morem, remiſſus fuit ad Præſidem Fernandez, & hic demum poſt tentatam fruſtrà Interdicti violationem, cum ejuſdem Sacerdotis conſtantiam flecti non poſſe perſpiceret, eum in dictâ Panormitanâ Civitate, prohibito diſceſſu, retinuit, Sacerdos Honuphrius Caſtellano Archipresbyter Terræ Catholicæ, & Subdelegatus Canonici Navarro Edictum ab eodem Navarro latum, typiſque editum, quo pœnæ contra ſervantes Interdictum decernebantur, affixit ad latus Cedulonum ejuſdem Interdicti valvis Eccleſiæ Matricis appoſitorum, omnibuſque ejuſdem Terræ Sacerdotibus, ac præſertim Joanni Tortorigi, Nicolao Alphano, Franciſco Rizzuto, Joanni la Meſſina, ac aliis uſque ad numerum triginta circiter injunxit ſub pœnâ unciarum centum, ut Sacrum publicè celebrare deberent; quo compulſi pœnali præcepto iidem Sacerdotes ferè omnes Interdictum miſerè contemſerunt.

Et in Terra Catholicæ.

Alia attentata Delegati Caſtellani.

§. 14. Additur hic Sacerdos Antoninus Caſtellano frater dicti Archipresbyteri, qui poſtea à præfato Navarro conſtitutus fuit Delegatus Terrarum Catholicæ, & Siculianæ, in quarum primâ cum inveniſſet Sacerdotem Petrum Tortorigi, qui nondum Interdictum tranſgreſſus fuerat, appoſitâ in ejus domo cuſtodiâ militum illius ſumptibus, ac ab eo exactis ſcutis decem circiter monetæ Romanæ, tali medio ipſum ad Interdicti violationem coegit. Præterea cum in Terra Siculianæ Interdictum non ſervaretur, & quidam timoratæ conſcientiæ Sacerdotes, nè illud violarent, in Melitenſem Inſulam transfugiſſent, idem Antoninus Delegatus iram, quàm in perſonis dictorum Sacerdotum abſentium explere non poterat, explevit in bonis, eorumque mobilia palàm ibidem Præconis voce diſtraxit, ac vendidit; Rebuſque aliis in Proceſſu, & Proceſſibus Cauſæ, & Cauſarum hujuſmodi latiùs deductis, ad quos &c. prædicta omnia committentes, ac temerè, & ſacrilegè patrantes contra immunitatem, juriſdictionem, & Libertatem Eccleſiaſticam reſpectivè cum violatione Interdicti in Civitate, ac Diœceſi Agrigentin. prædictis de ordine Sanctiſſimi Domini Noſtri appoſiti mandando, committendo, compellendo, conſulendo, inſtigando, & quomodolibet reſpectivè cooperando tam directè, quàm indirectè, tam conjunctim, quàm diviſim, & aliàs omni &c. ſingula ſingulis congruè referendo non ſolùm &c. ſed omni &c. ſuper quibus &c.

Summus Pontifex ejuſmodi ſacrilegarum violationum cauſam ſpecialiter committit A. C.

§. 15. Quamobrem ad inſtantiam, & pro parte præfati Domini Procuratoris Fiſcalis fuimus inſtanter, & debitè requiſiti, quatenùs de opportuno Juris remedio providere, & Monitorium extrà Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè com-

comparendum decernere, & concedere dignaremur. Quare præsentato, & exhibito Nobis Chirographo manu ejusdem Sanctissimi Domini Nostri die 30. elapsi mensis Novembris signato tenoris sequentis, videlicet:

Tenor Chirographi Pontificii.

Monsignor Arcivescovo di Tebe Auditore Generale della nostra Camera Apostolica. Essendoci da qualche tempo stato rappresentato dal Procurator Fiscale Generale della nostra Camera, che dai Processi di nostro ordine dal vostro Tribunale formati nelle materie del Regno di Sicilia risultino molti Violatori dell'immunità, giurisdizione, libertà Ecclesiastica, siccome anche molti Compulsori, Consultori, Instigatori, e Cooperatori alla violazione dell'Interdetto di nostro ordine apposto nelle Diocesi di Catania, e Girgento tanto Laici, quanto Ecclesiastici Secolari, e Regolari, ed essendo Noi stati sempre in speranza, che gl'attentati, che con tanto scandalo sono stati commessi, e si commettono in quel Regno contro gli Ecclesiastici Osservatori dell' Interdetto, e contro la giurisdizione della Santa Sede, avessero à cessare dopo tanti Brevi da Noi spediti in conferma delli sudetti Interdetti, e dopo tante altre risoluzioni à quelli appartenenti; Mà non vedendo alcune resipiscenza ne' Delinquenti, anzi più tosto sempre più inoltrarsi le cose in pregiudizio dell'autorità Pontificia, e perciò non potendo più tolerare turbative, e violazioni così sacrileghe, vogliamo che si proceda onninamente alla trasmissione de' Monitorii contro tutti quelli, che da Processi formati sufficientemente risultaranno Violatori, come sopra, Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, ed in qualunque modo Cooperatori alla contravenzione di detti Interdetti tanto direttamente, quanto indirettamente; E se bene Voi, & il vostro Tribunale, come Esecutore Generale delle lettere Apostoliche, potreste procedere in questa Causa, e Cause in vigore delle vostre facoltà, nondimene à maggior cautela di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà assoluta, preservando primieramente tutte, e singole altre ragioni, che intorno à ciò potessero in qualunque modo, e tempo competere al nostro Fisco, avocando à Noi, in quanto faccia di bisogno, questa Causa, e Cause da qualunque Tribunale, Congregazione, e Giudice, & havendo qui per espresso il contenuto del Processo, ò Processi fabricati di ordine nostro, come si parola in parola vi fossero stati inseriti: Con il presente nostro Chirografo la commettiamo a Voi, & al vostro Tribunale nello stato, e termini nelli quali si trova con li suoi annessi, connessi, e emergenti, e dependenti, anche con la clausula quam, & quas commandandovi espressamente, che dobbiate non solo in virtù delle vostre facoltà generali, mà anche in vigore di quelle, che vi concediamo con questo nostro Chirografo, procedere alla trasmissione de' Monitorii, e Citazioni contro tutti quelli, che da' Processi nel vostro Tribunale formati sufficientemente restaranno indiziati per Violatori dell'immunità, giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, e Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, & in qualsivoglia modo tanto direttamente, quanto indirettamente Cooperatori all'inosservanza degl'Interdetti di nostro ordine apposti nelle Diocesi di Catania, e Girgento, e contro qualsivoglia persona tanto Secolare di qualsivoglia grado, preeminenza, e dignità, quanto Ecclesiastici, e Secolari, e Regolari di qualunque Ordine, Congregazione, Instituto, & anche della Compagnia di Giesù, e quantunque si trattasse di Consultori, Qualificatori ò altri simili Ministri del Sant' Offizio di quel Regno, e d'ogni altra Persona di speciale, specialissima, e d'individua nota degni, ed insieme vi concediamo tutte le facoltà di procedere à suo tempo contro li sudetti, benche non nominati, e dichiararli incorsi in tutte, e singole censure, che sono prescritte da sacri Canoni, Decreti de Concilii Generali, Constituzioni Apostoliche, senza pregiudizio di altre pene, che de jure competessero. Et affinche più facilmente possiate ciò esseguire vi concediamo ancorà la facoltà, rimosse ogni appellazione, richiamo, ricorso, opposizione di nullità etiam ex tribus, & altre ordinarie, e straordinarie di poterli citare anco per editto, costando anco sommariamente, & estragiudicialmente, e quanto vi parerà, che basti, del non tutto accesso; Volendo, e decretando, che il Monitorio, ò Monitorii, che intorno à ciò si spediranno da Voi, e dal vostro Tribunale, affissi che saranno in Roma alla Basilica di San Pietro, alla Curia Innocenziana, & in Campo di Fiore, & alle Chiese Catedrali, e Maggiori delle nostre Città, Terre, e Luoghi di Terracina, Nettuno, Porto d'Anzio, Fiumicino, Civita Vecchia, ed Ancona, vagliano, & habbiano la loro forza, e vigore contro chi si sia, come se personalmente fossero stati citati, moniti, & intimati, derogando in quanto sia di bisogno à questo effetto, e per questa volta solamente, alle Constituzioni Apostoliche, fatte, & ordinate anche ne i Concilii Generali, e particolarmente à quelli delli nostri Predecessori Bonifazio VIII. de una e d'Innocenzo III. nel Concilio Generale Lateranense de duabus dietis, & ogni altra cosa, che facesse in contrario, ancorche havesse bisogno di espressa, specifica, & individua menzione, il tenore delle quali tutte, e singole vogliamo che si habbino quì per espresso, & inserto di parola in parola, e che il presente nostro Chirografo vaglia, & habbia il suo pieno effetto, vigore, & esecuzione con la nostra sola sottoscrizione; benchè non sia registrato nelli libri della nostra Camera, nè in alcun modo sia servata la forma della Constituzione di Pio IV. parimente nostro Predecessore de registrandis, alla quale perciò per questa sola volta deroghiamo, e che contro di esso non si possa in alcun tempo opporre di obrezione, ò subrezione mancanza della nostra volontà, & intenzione, nè di qualsivoglia altro difetto, benche degno di espressa, speciale, & individua menzione, e che non si possa diversamente interpretare, ò giudicare, dichiarando nullo & irritto tutto ciò, che in contrario da qualunque persona scientemente, ò ignorantemente si facesse, ò si attentasse. Non ostante quanto à tutte, singole cose premesse qualsivoglia Constituzioni, & Ordinazioni Apostoliche, Concilii, anche Generali, Statuti, Usi, Consuetudini, Decreti, Indulti, e Privilegii sotto qualunque forma, e tenore, etiam con derogatorie di derogatorie, etiam concessi motu proprio, e per rimunerazione di servizii resi alla Religione Cattolica, & alla Sante Sede, e con qualsivoglia altre clausule, decreti; A quali tutti, e singoli, etiandio più volte confermati, e benche ricercassero speciale, & individua menzione, habendo li loro tenori per espressi, di simil moto proprio, e pienezza della nostra assoluta potestà, espressamente per questa volta sola, e per gli effetti sudetti pienamente deroghiamo, perche tale è la nostra espressa, e determinata mente. Dato nel nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 30. Novembre 1714.

CLEMENS PAPA XI.

Petiit, & summa cum instantiâ postulavit, sine præjudicio tamen procedendi suis loco, & tempore contra alios in præsenti Monitorio non expressos, & in præmissis vel circa ea hucusque repertos, vel in posterùm reperiendos culpabiles, tam ex causis prædictis, quam cujuscumque alterius læsionis Immunitatis, Jurisdictionis, & Libertatis Ecclesiasticæ, ac omnium, & singulorum Jurium hactenus quomodolibet, & qualitercumque Fisco acquisitorum, & competentium suis loco, & tempore deducendorum, de quibus omnibus, & aliis de jure, & de stylo protes-

tandis expresè protestatur, itaut protestatio hujusmodi intelligatur facta, & repetita in qualibet parte harum nostrarum Literarum Monitorialium, & in toto Processu desuper in posterùm fabricando, & non aliàs &c. quatenus sibi Literas Monitoriales ad Partes per Edictum publicum, in locis in præinserto Chirographo designatis affigendas, exequendas, & publicandas, cum pro illis exequendis in Regno Siciliæ tutus non pateat accessus, in formâ solitâ decernere, & concedere, & aliàs de opportuno juris remedio providere dignaremur.

§. 16. Nos igitur Nicolaus Archiepiscopus Thebarum, Judex Exequutor, & Auditor prædictus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam, in vim Ordinariæ nostræ Authoritatis, præinsertoque Chirographo Nobis, ut præfertur, præsentato inhærentes, ac etiam facultate in illo Nobis, nostroque Tribunali attributâ utentes constitoque Nobis per Testes fide dignos de mandato nostro jam examinatos ad dictum Regnum Siciliæ, in quo moram trahunt, & morari solent citandi, & monendi pro præsentibus nostris Monitorialibus Literis exequendis tutum non patere accessum, petitas Literas Monitoriales concedendas, & in locis infra dicendis exequendas, & publicandas fore, & esse duximus, & mandamus per præsentes. Quocirca Vobis omnibus, & singulis supradictis, ac vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus visis eisdem præsentibus, per præsens publicum nostrum Edictum in Romanâ Curiâ in Audientiâ publicâ Literarum Contradictarum Sanctissimi Domini Nostri Papæ legen. & ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & extra eam in Confinibus maritimis hujus Status Ecclesiastici, nempe in Civitatibus, Terris, & Locis Terracinæ, Neptuni, Portus Antii, Flumicini, Civitatis Vetulæ, & Anconæ per affixionem, publicationem, & executionem ad valvas Cathedralium, & majorum Ecclesiarum respectivè ex parte nostrâ, imò veriùs Apostolicâ authoritate, pro nunc, & sine præjudicio facultatis procedendi suis loco, & tempore contra alios, ac etiam contra prædictos gravioribus pœnis repertos, vel reperiendos culpabiles, quam facultatem Nobis expresè reservamus, supradictos *Sacerdotes Jacobum Longo aſsertum Judicem prætensæ Monarchiæ, Præsidem Josephum Fernandez, Sacerdotem Franciscum Catanzaro Canonicum Agrigentinum, Hicronymum Gioeni Ducem de Angiò nuncupatum, Franciscum Paulum Cimino Capitaneum Armorum, Joachim Spadaro Capitaneum Justitiæ Caltabellottæ, Ferdinandum Sugner de Strada Capitaneum Armorum Agrigentinum, Franciscum Lapedora Civitatis Caltanisettæ Secretum, Sacerdotem Archangelum Onulpho Archipresbyterum Terræ Palmæ, Sacerdotem Joannem Labiso Vicarium Foraneum ejusdem Terræ, Sacerdotem Angelum Macaluso Portionarium Ecclesiæ Sancti Petri Panormi, Sacerdotem Jacobum Raguſa Canonicum Agrigentinum, Sacerdotem Felicem Scaraglino Archipresbyterum Terræ Favariæ, Sacerdotem Franciscum Giglia Vicarium Foraneum dictæ Terræ, Sacerdotem Antonium Miceli, Franciscum Pancucci Porterium, Stephanum Gurrugurru, Ignatium Sastelano Ærarios, seu Satellites, Franciscum Puccium, aliàs il Bue Marino Ærarium, seu, Satellitem, Ferdinandum Privitera Vice-Capitaneum, Sacerdotem Vincentium Bellavia prætensæ Monarchiæ Fiscalem, Sacerdotem Collogerum Piscopo Magistrum Notarium, Sacerdotem Cajetanum Pizzolante, Sacerdotem Hieronymum Botti, Josephum Græco Civitatis Bivonæ Secretum, Franciscum Pisano Magistrum Notarium, Sacerdotem Felicem Golino delegatum Bivonæ, Sebastianum Napoli Capitaneum, Ignacium Pisano Vice-Judicem Criminalem, Paulum Roggiero Magistrum Notarium Criminalem, Ignatium Perroni Advocatum Fiscalem, Melchiorem Scardulla Procuratorem Fiscalem, Sacerdotem Mattheum Latino, Sacerdotem Josephum Fiascone, Sacerdotem Franciscum Mariam de Alexiis, Sacerdotem Vincentium Laruſſa, Franciscum Biancucci Porterium, Clericum Placidum Bistuccia, Carolum Bistuccia Sacerdotem Honuphrium Castellano, Sacerdotem Antonium Castellano,* citetis, moneatis, & requiratis, prout Nos eosdem harum serie citamus, monemus, & requirimus primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra duorum mensium spatium, quorum priores viginti dies pro primo, alios viginti dies pro secundo, posteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione assignamus, & vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ in Judicio coram Nobis, vel infrascripto Perilluſtri, & Excellentissimo Domino Antonio Sabaino Locumtenente nostro in Criminalibus Generali legitimè comparuisse, & comparere ad ducendum, & allegandum causam, quare non debeat ipsos, & eorum quemlibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solita, contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, ac sine præjudicio aliarum pœnarum in eos, vel eorum singulos irrogandarum, contra illos, & illorum quemlibet literas quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, ac ad omnes, & singulos actus, de, & super præmissis, & circa ea quomodolibet necessarios, & opportunos procedi, nec non respectivè ad videndum sese in censuras, & pœnas hujusmodi incidisse, & incurrisse declarari; Ipsique D. Procuratori Fiscali Generali Jus & Justitiam ministrari; Certificantes eosdem *Jacobum Longo, Josephum Fernandez, Franciscum Catanzaro, Hieronymum Gioeni, Franciscum Paulum Cimino, Joachim Spadaro Ferdinandum Sugner de Strada, Franciscum Lapedora, Archangelum Onulpho, Joannem Labiso, Angelum Macaluso, Jacobum Raguſa, Felicem Scaraglino, Franciscum Giglia Antonium Miceli, Franciscum Pancucci, Stephanum Gurrugurru, Ignatium Castellano, Franciscum Puccium, Ferdinandum Privitera, Vincentium Bellavia, Collegerum Piscopo, Cajetanum Pizzolante, Hieronymum Betti, Josephum Græco, Franciscum Pisano, Felicem Golino, Sebastianum Napoli, Ignatium Pisano, Paulum Roggiero, Ignatium Perroni, Melchiorem Scardulla, Mattheum Latino, Josephum Fiascone, Franciscum Mariam de Alexiis, Vincentium Laruſſa, Franciscum Biancucci, Placidum Bistuccia, Carolum Bistuccia, Honuphrium Castellano, & Antoninum Castellano,* sic citatos, & monitos; quod si in dicto termino ipsis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, Nos, vel dictus Locumtenens Criminalis infrascriptus nihilominus servatis terminis de stylo Curiæ servari solitis, ad omnium, & singularum censurarum, & pœnarum prædictarum (ultra alias de jure competen. reservatas) incursus declarationem, & executionem, Cedulonorumque dictæ excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque respectivè, & ad omnia alia necessaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, sive deveniet, & procedet, justitiâ mediante, eorum absentiâ, & contumacia non obstante. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate

Monentur omnes præfati violatores Interdicti ad comparendum coram A. C. & allegandum causam quare declarari non debeant excommunicati &c.

D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo quinto, Indictione octavâ, die verò 12. mensis Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentia Papæ XI. Anno decimo quinto.

Antonius Sabainus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Causarum Cameræ Apost. Notarius.

Die 5. Aprilis 1715. Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curiæ servari solitis, contra omnes præfatos citatos Contumaces lata, & publicata fuit Sententia declaratoria incursus in omnes, & singulas censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relexata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palàm affixa fuit publicata Schedula Cedoloni nuncupata, qua universis Christifidelibus denunciati fuerunt Excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura illi omnes, & singuli, contra quos præfata Sententia lata fuit.

VII. MONITORIUM

Die 12. Januarii 1715. vigore specialis Chirographi Pontificii expeditum contra Abbatem Barbara, & plures alios à Laicali Potestate Delegatos, qui Ecclesiasticum Interdictum Civitati, & Diœcesi Catanienſi appositum violari fecerunt, illud observantes diversimodè vexarunt, alios ad ejus violationem compulerunt, interdictas Ecclesias per vim aperiri curarunt, multaque alia impia ibidem attentarunt in contemptum Censurarum, & Ecclesiasticæ, ac Apostolicæ authoritatis.

Nicolaus Archiepiscopus Thebarum, Pontificii Solii Assistens, Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius; Sententiarum quoque, ac Censurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extrà eam latarum, ac Literarum Apostolicarum quarumcumque Universalis, ac merus Exequutor, nec non Judex à Sanctissimo Domino Nostro Papa in infrascripta Causa per speciale Chirographum Deputatus, ac Delegatus.

UNiversis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis, quod hac infrascriptâ die comparuit coram Nobis Perillustris, & Excellentissimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Procurator Fiscalis, & exposuit instetisse jam sub hac eâdem die, ut ad canonicarum pœnarum executionem serv. serv. procederetur tàm contra Violatores Immunitatis, Jurisdictionis, ac Libertatis Ecclesiasticæ, quàm contra Mandantes Compulsores, Consultores, Instigatores, & cæteros omnes, qui quoquo modo directè, vel indirectè suam damnabilem operam contulerunt, ne Interdictum Ecclesiasticum jussu præfati Sanctissimi Domini Nostri in Civitate, ac Diœcesi Agrigentina appositum observaretur. Cum autem eadem prorsùs Sacrilegæ Violationes, & Compulsiones etiam in Civitate, ac Diœcesi Catanien. pari Interdicto suppositis commissæ fuerint, instetit in eos similiter, quorum culpâ illic ejusmodi scandala contigerunt, juxta Canonicas Sanctiones procedi, ac jus, & justitiam ministrari. Hunc autem in finem factorum seriem referendo narravit, quod postquam idem Sanctissimus Dominus Noster Papa per Literas Apostolicas in forma Brevis datas ex Arce Gardulphi Albanen. Diœc. sub die 17. Junii 1713. quæ in Civitate, ac Diœcesi Catanien. subindè publicatæ fuerunt, apertè declaraverat Interdictum Generale in Civitate, ac Diœcesi prædictis per Illustrissimum, & Reverendissimum DD. Andream Episcopum Catanienſem in actu, & occasione suæ violentæ expulsionis à Regno Siciliæ justu Laicalis Potestatis sacrilegè perpetratæ, de speciali mandato, ac ordine Sanctitatis Suæ fuisse legitimè appositum, & quatenùs opus esset, illud ipsismet Apostolicis Literis expressè confirmaverat, ac ab omnibus inviolabiliter observari mandaverat: ejusdem Interdicti observantia, quæ priùs illic intermissa fuerat, feliciter restitui, ac apud omnes ferè Ecclesiasticos resurgere cœpit.

Et quatenus opus esset, illud confirmavit.

Narrantur execrabilia attentata Laicalis Potestatis, ne Interdictum observaretur, & gesta ab ejus delegato Abb. Barbara.

§. 2. Quod tamen iniquo ferens animo Laicalis Potestas, debitam Ecclesiasticis Censuris, ac Pontificiæ authoritati obedientiam omni conatu, subvertere aggressa fuit, evulgatâque primùm famâ, quod omnia Ecclesiasticorum Interdictum servantium bona Fisco addicenda essent, subindè, nempè die 26. Octobris ejusdem anni, ad expeditionem devenit Sacerdotis Francisci Barbara Abbatis S. Luciæ nuncupati, cui, tanquam Assessorem adjunxit Ignatium Perlongum, eosque cum omnimodâ facultate aperiendi Ecclesias interdictas, ac in ipsis Divina Officia celebrari faciendi, perinde ac si Interdictum (licèt Apostolicâ authoritate confirmatum) non adesset, è Panormitana Civitate ad Catanienſem Diœcesim turmis Militum constipatos delegavit. Qui quidem Franciscus Barbara, & Ignatius Perlongus, statim ac Catanienſem Diœcesim ingressi fuerunt, primùm in Oppido Leonis Fortis sub die prima Novembris prædicti anni 1713. Sacerdotem Antonium Bonsignore Vicarium Foraneum ejusdem Oppidi, minis adhibitis, interminatâque illi nedùm contumeliosâ ad pedes Laicalis potestatis delatione, verùm etiam ejectione in exilium à toto Regno, temerè cœgerunt ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium publicè inibi celebrandum, ac Edictum promulgandum, quo præfati loci Clerum ad eamdem Sacrorum celebrationem impelleret.

Alia attentata ejusdem Delegati.

§. 3. Iter deinde progredientes, ad Civitatem nuncupatam Paternò ejusdem interdictæ Diœcesis perrexerunt, iisdemque violentis mediis Ecclesias illic aperiri fecerunt; Cumque demùm Cataniam perveniſſent, ibi primùm evulgarunt, ac palam edixerunt Sæculatem potestatem enixè velle, ut suis mandatis, non autem Ecclesiastico Interdicto, obedientia præstaretur, tantoque Militum apparatu ingentem omnibus illis Ecclesiasticis metum injecerunt. Quibus peractis memoratus Abbas Barbara Epistolium, seù Billectum quoddam Joanni Baptistæ Parisio Canonico Thesaurario Ecclesiæ Catanien., & Vicario Generali illius Episcopi tradidit, in quo asserebatur Interdictum, tanquam nullum à Delegato prætensæ Monarchiæ declaratum, non esse observandum, Bullis Apostolicis non obstantibus, quatenùs juxta prætensa Regni Privilegia inibi executoriatæ, seu appro-

Summus Pontifex declaravit Interdictum fuisse legitimè appositum Civitati, & Diœcesi Catanien-

mè appositum Civitati, & Diœcesi Catanien.

batæ non forent, pluraque alia continebantur Apostolicæ Sedi præjudicialia. Ipse verò Vicarius Generalis Joannes Baptista Parisius jam pridem assertæ Monarchiæ adhærens, & contra Sanctam Sedem, propriumque Episcopum malè animatus, hoc Epistolium, seù Billectum in Literis encyclicis per universam Diœcesim missis transcripsit, quibus omnes Diœcesanos ad obedientiam Laicali potestati præstandam, ac interdictum violandum incitavit.

Et Vicarii Generalis Catanien.

§. 4. Interea præfatus Abbas Barbara animo forsan reputans, quàm turpia, ac indigna nedum Ecclesiastico, verùm etiam Christiano homine ea essent, qua in Civitate, ac Diœcesi Catanien. gerebat, conscientiæque, ut credere par est, stimulis actus, commissionem suam subdolè, astutisque modis exequi satagebat: Curavit enim memoratum suum Epistolium præseferens corpus delicti læsionis Immunitatis, Jurisdictionis, ac Libertatis Ecclesiasticæ, de manibus prædicti Vicarii Generalis repetere, illudque facilè sibi reddi obtinuit, postquam tamen vigore ejusdem Epistolii per universam Diœcesim evulgati, ac mediante assiduâ, strenuâque operâ prædicti Vicarii Generalis, assecutus jam fuerat, ut Ecclesiæ tam Civitatis; quàm Diœcesis aperirentur, ac ferè ubique Divina Officia publicè celebrarentur. Iniquis nihilominus tam prædicti Abbatis Barbaræ, quàm ipsius Vicarii Generalis mandatis constanter obstiterunt Patres Ordinis Cappucinorum, quorum aliquos idem Delegatus Barbara ob Interdicti observantiam indignis, immeritisque pœnis affecit: Etenim propterea misit Patrem Bernardinum de Jaci Guardianum Conventus Novi, Patrem Franciscum de Catania Guardianum Conventus Veteris Cataniæ, & Patrem Benedictum de Mistretta Guardianum Conventus de Adernò: Iis omnibus, quæ à prædicto Abbate Barbara gesta fuerunt suam quoque operam assiduè contulit ejus, ut præfertur, Assessor Ignatius Perlongus, qui ulteriùs Episcopale Palatium perquirere ausus fuit, ac inde libros rationales Mensæ Episcopalis ut iis ad malum finem abuteretur, abstulit, ac secum asportavit. Indicata jam superiùs fuit mala animi dispositio, quam ostendit Joannes Baptista Parisius Canonicus Thesaurarius, & Vicarius Generalis Cataniæ: veriùs autem sui muneris, suique Episcopi Proditor. Hic porrò inter alios excessus amovit duo exemplа Brevis Pontificii, quo Interdictum confirmabatur, in Civitate Catanienfi affixa, quorum altero usus fuit in capitulari Conciliabulo, in quo juxta votum ipsius, & Canonici Innocentii Roccaforte Bonadies, (qui post discessum Abbatis Barbaræ fuit similiter Delegatus assertæ Monarchiæ, ut inferiùs dicetur) conclusum fuit, ne idem Interdictum observaretur; Alterum verò exemplum penès se retinuit, ut illius publicationem impediret.

PP. Cappucini strenuè resistunt mandatis Delegati, & Vicarii Generalis, & propterea in exilium aguntur.

Ignatius Perlongus manus injicit in libros rationales mensæ Episcopalis.

Vicarius Gen. deaffigit duo exempla Brevis Pontificii quo Interdictum confirmabatur.

§. 5. Tentavit insuper hic informationes capere contra eorumdem exemplorum Affixores: Consilium, operamque præstitit in assumendis secretis informationibus contra Episcopum: Administravit, & adhuc administrat jussu prædictæ Sæcularis potestatis bona sequestrata non tantùm Mensæ Episcopalis, sed etiam Patrimonialia ipsius Episcopi, à prædicationis munere suspendit Patrem Joannem Mariam de Plazza Definitorem Ordinis Cappucinorum, tanquam Interdicti observantem, illumque unà cum aliis Religiosis ejusdem Familiæ loci Plazzæ, propterea quod Interdictum observarent, Cataniam advocavit, acribusque minis, ac injuriis affecit.

Sequitur narratio aliorum attentatorum.

§. 6. Præterea, cum Abbatissa, & Moniales Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Cataniæ violentam earum Ecclesiæ aperitionem, tanquam humiliter Interdictum servantes, prævidissent, atque hac de causâ à parte interiori etiam muris januam Ecclesiæ providè obstruxissent, præfatus Parisius Vicarius Generalis, nec non memoratus Canonicus Roccaforte, & Nicolaus Ardizone ad dictum Monasterium, & Ecclesiam accesserunt, oppositisque Repagulis Artificum operâ per vim submotis, Ecclesiæ portam aperire conati fuerunt; Sed adhuc prohibente pariete, infectâ re, delusi recesserunt; de hoc tamen subinde certiore factâ, atque consultâ Laicali potestate, iidem post nonnullos dies ad eamdem Ecclesiam rediere unà cum duobus Civitatis Juratis, Capitaneo justitiæ, & quinquaginta circiter Militibus, & pariete, quo janua muniebatur, everso, Ecclesiam aperuerunt. Ecclesiam insuper Monialium Sancti Benedicti eâdem die per vim similiter aperuerunt.

Vicarius Generalis Catanien.

§. 7. Ad hæc Vicarius Generalis præfatus sacrilegè suo munere abuti pergens, licèt ejusmodi facultate careret, plures concessit Dimissoriales literas Ordinandis tam pro Minoribus, quàm pro Sacris Ordinibus; plura etiam admisit Patrimonia aliàs ab eodem Episcopo, tanquam fictitia, rejecta, & reprobata, ac super Interstitiis lex, vel novem mensium dispensare non dubitavit. Ad instantiam præterea Gubernatoris Messanæ, absque ulla itidem facultate, Canonicatum contulit Joanni Baptistæ Privitera, priùs ab Episcopo alteri Sacerdoti collatum. Post discessum Delegati Barbara, ejusque Assessoris Perlongi successit Delegatus assertæ Monarchiæ in Civitate, ac Diœcesi Catanien. præfatus Sacerdos Innocentius Roccaforte Bonadies Cathedralis Ecclesiæ Catanien. Canonicus, memorato Vicario Parisio conjunctissimus, qui pariter inobservantiam Interdicti omni conatu, ac studio promovit. Hic etenim post refixionem Brevis Pontificii, de quo supra mentio facta est, in capitulari Conciliabulo cum dicto Vicario Generali Parisio Votum protulit pro Interdicti inobservantiâ, Brevi Apostolico non obstante. Quin etiam Rectorem Collegii Societatis Jesu, qui cum aliis Contradicentibus illuc convenerat, oneravit injuriis, ac infidi etiam Subditi notam illi inurere non erubuit. Præterea cum Episcopus Catanienfis saluti animarum sibi creditarum pro Pastoralis Officii debito consulturus scripsisset ab Urbe Capitulo, & Canonicis Literas, quibus, sanâ doctrinâ illis juxta Canonicas Sanctiones explicatâ, eos paternè adhortabatur, ut censuras Apostolicas, quocumque contempto periculo, servarent: præfatus Roccaforte Delegatus copiam unius ex ejusmodi Epistolis, quam, uti Canonicus facilè obtinuerat, Barbaræ, & Perlongo antedictis consignavit, & hæc Epistolæ consignatio impulsum dedit memoratæ sequestrationi Bonorum Mensæ, ac Patrimonialium ipsius Episcopi. Hic idem Roccaforte in exilium ejici fecit Patrem Joannem Mariam de Piazza Definitorem Cappuccinum, & aliquot alios ejusdem Ordinis Religiosos, eosque extra Diœcesim in loca aëris insalubris relegari curavit. Misit insuper ad pedes Sæcularis potestatis Præpositum Congregationis Theatinorum Civitatis Plazzæ, cum illum ad Interdicti violationem flectere nequivisset. Processit ad carcerationes, & exilia contra alios, ac præsertim omne adhibuit studium, ut in carcerem detruderetur Pater Robertus à Sanctissimo Rosario Congregationis Scholarum Piarum, postquam scilicet ei innotuit, quod idem Religiosus legitimâ munitus facultate pœnitentibus violationis Interdicti absolutionem impertitus fuerat, exacto ab ipsis juramento de illud amplius non violando; Verùm dictus Pater Robertus, cum sui perquisitionem resciviſſet, Panormum aufugit, ac inde è Regno discessit unà cum P. Gesualdo à

cleſias duorum Monasteriorum Monialium per vim aperiri fecit.

Et plus alia iniqua, ac illicita perpetravit.

Canonicus Roccaforte Successor Barbaræ indignè persequitur Observantes.

Interdictum, & cooperatur sequestrationi duorum mensæ, & Patrimonialium Episcopi.

Sancta Agatha Sacerdote ejusdem Congregationis, ac alio Religioso Laico, quibus injunctum fuerat, ut Sacerdos sequenti manè Sacrum publicè celebrare, & Laicus illi inservire deberet sub pœnâ carceris.

Referuntur aliæ vexationes inflictæ Observantibus Interdictum.

§. 8. Interim verò Nicolaus Ardizone, videlicet ille idem, qui cum Vicario Generali Parisio, & Delegato Roccaforte adsistendo, violenter aperiri fecit Ecclesias præfatorum Monasteriorum, informationes assumebat in Civitate, & Diœcesi contra Episcopum, ac temerè, etiam potestatis Laicalis commissione suppositâ, perquisivit, dicto Vicario Generali annuente, secretum Archivium Curiæ Episcopalis, ac sedulò perscrutatus fuit, si quid inibi ad gravandum Episcopum invenire potuisset, Sacerdos Marius Rampello Delegatus prætensi Tribunalis Monarchiæ in Civitate Calascibettæ P. Josepho Maria de Castro, Joanni Prædicatori Cappucino, & Fr. Andreæ de Caltagerone Laico ejusdem Ordinis, eo quia Interdictum violare recusaverant, injunxit, ut longo itinere in temporis angustiâ Panormum proficiscerentur, & dicto prætenso Tribunali se præsentarent. Sacerdos Franciscus Gioeni Parochus Ecclesiæ Sancti Cataldi ejusdem Castri Joannis, ac pariter Delegatus Localis dicti Tribunalis carceratos domi per plures dies retinuit Sacerdotem Vincentium Italianum Cappellanum, & Confessarium Monialium Monasterii Sancti Benedicti, ac Sacerdotem Michaelem Angelum Spalanga pariter Cappellanum, & Confessarium Monialium Monasterii de Gratiâ nuncupati ejusdem Civitatis, propterea quod utriusque Monasterii Moniales ex eorum consilio, ac piâ directione Interdictum constanter servabant. Sacerdos Franciscus Contariero Delegatus ejusdem prætensi Tribunalis in Terrâ Leonis Fortis circa initium mensis Julii nuper elapsi in exilium ejecit ob idem Interdictum servatum de Conventu præfatæ Terræ integram Fratrum Cappucinorum familiam, videlicet Patrem Franciscum Mariam de Plazza Lectorem unà cum ejus Discipulis, seu Studentibus, nempe Fratrem Hiacynthum de Scicli, Fratrem Guidonem de Ragusa, Fratrem Gabrielem de Plazza, Fratrem Sebastianum de Melilli, & Fratrem Felicem de Melilli, quos relegavit in Conventum Terræ Bocchetii Siracusanæ Diœcesis, Patrem Justum Mariam de Calascibetta, Patrem Dominicum Mariam de Castro Joanne, quos relegavit in Conventum Terræ Palazzuoli ejusdem Diœcesis: Fratrem Angelum de Calascibetta, & Fratrem Bonaventuram de Leone Forti, quos relegavit in Conventum Terræ Ferlæ ejusdem pariter Diœcesis, præter alios Religiosos, quos aliò dispersit, ac amandavit, Sacerdos Balthassar Ciraulo itidem Delegatus ejusdem asserti Tribunalis in Civitate S. Philippi in carcerem claustralem Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci conjici fecit ob eamdem causam Patrem Angelicum de Calascibetta Guardianum Conventus Cappuccinorum dictæ Civitatis Sancti Philippi, ubi eum per quindecim dies retinuit, ac postmodùm consignavit Fr. Innocentio de Ferla Guardiano Conventus Fratrum Minorum de Observantia Reformatorum ejusdem Civitatis, ut illum in carceribus Conventus custodiret, prout maximo cum rigore custoditus ibi fuit; Rebusque aliis in Processu, & Processibus Causæ, & Causarum hujusmodi latiùs deductis, ad quos &c. prædicta omnia committentes, & temerè, ac sacrilegè patrantes contra immunitatem, jurisdictionem, & libertatem Ecclesiasticam respectivè cum violatione Interdicti in dictâ Diœcesi Catanensi de Ordine Sanctissimi appositi, mandando, committendo, compellendo, consulendo, instigando, & quomodolibet respectivè cooperando tam directè, quàm indirectè, tam conjunctim, quàm divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo, non solùm &c., sed & omni &c., & super quibus &c. Quamobrem ad instantiam, & pro parte præfati D. Procuratoris Fiscalis fuimus instanter, ac debitè requisiti, quatenus de opportuno juris remedio providere, & Monitorium extra Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur. Quare præsentato, & exhibito Nobis Chirographo manu ejusdem Sanctissimi Domini Nostri die 30. elapsi mensis Novembris signato tenoris sequentis, videlicet:

Tenor specialis Chirographi Pontificii, quo Causa delegatur A. C.

Monsignor Arcivescovo di Tebe Auditore Generale della nostra Camera Apostolica. Essendoci da qualche tempo stato rappresentato dal Procurator Fiscale Generale della nostra Camera, che dai Processi di nostro ordine dal vostro Tribunale formati nelle materie del Regno di Sicilia risultino molti Violatori dell'immunita, giurisdizione, libertà Ecclesiastica, si come anche molti Compulsori, Consultori, Instigatori, e Cooperatori alla violazione dell' Interdetto di nostro ordine apposto nelle Diocesi di Catania, e Girgento tanto Laici, quanto Ecclesiastici Secolari, e Regolari, ed essendo Noi stati sempre in speranza, che gl'attentati, che con tanto scandalo sono stati commessi, e si commettono in quel Regno contro gli Ecclesiastici Osservatori dell' Interdetto, e contro la giurisdizione della Santa Sede, avessero à cessare dopo tanti Brevi da Noi spediti in conferma delli sudetti Interdetti, e dopo tante altre risoluzioni à quelli appartenenti; Mà non vedendo alcune resipiscenza ne' Delinquenti, anzi più tosto sempre più inoltrarsi le cose in pregiudizio dell'autorità Pontificia, e perciò non potendo più tolerare turbative, e violazioni così sacrileghe, vogliamo, che si proceda onninamente alla trasmissione de' Monitorii contro tutti quelli, che da' Processi formati sufficientemente risultaranno Violatori, come sopra, Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, ed in qualunque modo Cooperatori alla contravenzione di detti Interdetti tanto direttamente, quanto indirettamente; E se bene Voi, & il vostro Tribunale, come Esecutore Generale delle lettere Apostoliche, potreste procedere in questa Causa, e Cause in vigore delle vostre facoltà, nondimene à maggior cautela di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà assoluta, preservando primieramente tutte, & singole altre ragioni, che intorno à ciò potessero in qualunque modo, e tempo competere al nostro Fisco, avocando à Noi, in quanto faccia di bisogno, questa Causa, e Cause da qualunque Tribunale, Congregazione, e Giudice, & havendo quì per espresso il contenuto del Processo, ò Processi fabricatis di ordine nostro, come se di parola in parola vi fossero stati inseriti: Con il presente nostro Chirografo la commettiamo à Voi, & al vostro Tribunale nello stato, e termini nelli quali si trova con li suoi annessi, connessi, emergenti, e dependenti anche con la clausula quam, e quas, commandandovi espressamente, che dobbiate non solo in virtù delle vostre facoltà generali, mà anche in vigore di quelle, che vi concediamo con questo nostro Chirografo, procedere alla trasmissione de' Monitorii, e Citazioni contro tutti quelli, che da' Processi nel vostro Tribunale formati sufficientemente restaranno indiziati per Violatori dell'immunità, giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, e Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, & in qualsivoglia modo tanto dirrettamente, quanto indirrettamente Cooperatori all'inosservanza degl'Interdetti di nostro ordine apposti nelle Diocesi di Catania, e Girgento, e contro qualsivoglia persona tanto Secolare di qualsivoglia grado, preeminenza, e dignità, quanto Ecclesiastici, e Secolari, e Regolari di qualunque Ordine, Congregazione, Instituto, & anche della Compagnia di Giesù, e quan-

tunque si trattasse di Consultori, Qualificatori, ò altri simili Ministri del Sant'Offizio di quel Regno, ed ogni altra persona di speciale, specialissima, & individua nota degna, & insieme vi concediamo tutte le facoltà di procedere à suo tempo contro li sudetti, benche non nominati, e dichiararli incorsi in tutte, e singole Censure, che sono prescritte da' Sagri Canoni, Decreti de' Concilii Generali, e Constituzioni Apostoliche, senza pregiudizio di altre pene, che de jure competessero; Et affinche più facilmente possiate ciò eseguire, vi concediamo ancora la facoltà, rimossa ogni appellazione, richiamo, ricorso, opposizione di nullità, etiam ex tribus, & altre ordinarie, & estraordinarie, di poterli citare anche per Editto, costandovi anche sommariamente, & estragiudizialmente, e quanto vi parerà, che basti, del non tuto accesso, Volendo, e decretando, che il Monitorio, ò Monitorii, che intorno à ciò si spediranno da Voi, e vostro Tribunale, affissi che saranno in Roma alla Basilica di S. Pietro, alla Curia Innocenziana, & in Campo di Fiore, & alle Chiese Catedrali, e maggiori delle nostre Città, e Terre, e Luoghi di Terracina, Nettuno, Porto d Anzio, Fiumicino, Civita Vecchia, & Ancona, vagliano, & habbiano la loro forza, e vigore contro chi si sia, come se personalmente fossero stati citati, moniti, & intimati, derogando in quanto sia di bisogno à quest'effetto, e per questa volta solamente, alle Constituzioni Apostoliche fatte, & ordinate anche ne' Concilii Generali, e particolarmente à quelle delli nostri Predecessori Bonifazio VIII. de una, & Innocenzo III. nel Concilio Generale Lateranense de duabus dietis, & ogn'altra cosa, che facesse in contrario, ancorche havesse bisogno di espressa, specifica, & individua menzione, li tenori delle quali tutte, e singole vogliamo, che si habbiano qui per espressi, & inserti di parola in parola, e che il presente nostro Chirografo vaglia, & habbia il suo pieno effetto, vigore, & esecuzione con la nostra sola sottoscrizione, benche non sia registrato nelli Libri della nostra Camera, nè in alcun modo sia servata la forma della Constituzione di Pio IV. parimente nostro Predecessore de registrandis, alla quale perciò per questa volta sola deroghiamo, e che contro di esso non si possa in alcun tempo opporre di obrezione, ò subrezione, mancanza della nostra volontà, & intenzione, nè di qualsivoglia altro difetto, benche degno di espressa, speciale, & individua menzione, e che non si possa diversamente interpretare, ò giudicare, dichiarando nullo, & irrito tutto ciò, che in contrario da qualunque persona scientemente, ò ignorantemente si facesse, ò si attentasse. Non ostante quanto à tutte, e singole cose premesse qualsivoglia Constituzioni, & Ordinazioni Apostoliche, Concilii, anche Generali, Statuti, Usi, Consuetudini, Decreti, Indulti, e Privilegii sotto qualunque forma, e tenore, etiam con derogatorie di derogatorie, etiam concessi motu proprio, e per rimunerazione di servizii resi alla Religione Cattolica, & alla Santa Sede, e con qualsivoglia altre clausule, decreti; A quali tutti, e singoli, etiamdio più volte confermati e benche ricercassero speciale, & individua menzione, havendo li loro tenori per espressi, di simil moto proprio, e pienezza della nostra assoluta potestà, espressamente per questa volta sola, e per gli effetti sudetti pienamente deroghiamo, perche tale è la nostra espressa, e determinata mente. Dato nel nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo di 30. Novembre 1714.

CLEMENS PAPA XI.

Petiit, & summâ cum instantiâ postulavit, sine præjudicio tamen procedendi suis loco, & tempore contra alios in præsenti Monitorio non expressos, & in præmissis, vel circa ea huc usque repertos, vel in posterùm reperiendos culpabiles tam ex causis prædictis, quàm cujuscumque alterius læsionis immunitatis, jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ, ac omnium, & singulorum jurium hactenus quomodolibet, & qualitercumque Fisco acquisitorum, & competentium suis loco, & tempore deducendorum, de quibus omnibus, & aliis de jure, & de stylo protestandis expressè protestatur, ita ut protestatio hujusmodi intelligatur facta, & repetita in qualibet parte harum nostrarum literarum Monitorialium, & in toto Processu desuper in posterùm fabricando, & non aliàs &c. quatenus sibi literas Monitoriales ad Partes per Edictum publicum in locis in præinserto Chirographo designatis affigendas, exequendas, & publicandas, cum pro illis exequendis in Regno Siciliæ tutus non pateat accessus, in formâ solitâ decernere, & concedere, & aliàs de opportuno juris remedio providere dignaremur.

S. 9. Nos igitur Nicolaus Archiepiscopus Thebarum Judex, Executor, & Auditor prædictus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam in vim ordinariæ nostræ auctoritatis, præinsertoque Chirographo Nobis, ut præfertur, præsentato inhærentes, ac etiam facultate in illo Nobis, nostroque Tribunali attributa utentes, constitoque Nobis per Testes fide dignos de mandato nostro jam examinatos ad dictum Regnum Siciliæ, in quo moram trahunt, & morari solent citandi, & monendi, pro præsentibus nostris Monitorialibus literis exequendis tutum non patere accessum, petitas literas Monitoriales concedendas, & in locis infradicendis exequendas, & publicandas fore, & esse duximus, & mandamus per præsentes: Quo circa vobis omnibus, & singulis supradictis, ac vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus visis iisdem præsentibus per præsens publicum nostrum Edictum in Romana Curiâ in Audientiâ publicâ literarum contradictarum Sanctissimi Domini Nostri Papæ legen. & ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & extra eam in Confinibus Maritimis hujus Status Ecclesiastici, nempe in Civitatibus, Terris, & Locis Terracinæ, Neptuni, Portus Antii, Flumicini, Civitatis Vetulæ, & Anconæ per affixionem, publicationem, & exequutionem ad valvas Cathedralium, & Majorum Ecclesiarum respectivè, ex parte nostrâ, imò veriùs Apostolicâ authoritate pro nunc, & sine præjudicio facultatis procedendi suis loco, & tempore contra alios, ac etiam contra prædictos gravioribus pœnis repertos, vel reperiendos culpabiles, quam facultatem Nobis expressè reservamus, supradictos Sacerdotem *Franciscum Barbara Abbatem Sa Stæ Luciæ nuncupat. Ignatium Perlongo, Sacerdotem, & Canonicum Joannem Baptistam Parisium, Sacerdotem, & Canonicum Innocentium Roccaforte Bonadies, Nicolaum Ardizone, Sacerdotem Marium Rampello, Sacerdotem Franciscum Gioeni, Sacerdotem Franciscum Contariero, & Sacerdotem Balthassarem Ciraulo* citetis, moneatis, & requiratis, prout Nos eosdem harum serie citamus, monemus, & requirimus, primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra duorum mensium spatium, quorum priores viginti dies pro primo, alios viginti dies pro secundo, posteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione assignamus, & vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ in judicio coram Nobis, vel infrascripto Perillustri, & Excellentissimo Domino Antonio Sabaino Locumtenente nostro in Criminalibus Generali legitimè comparuisse, & comparere ad deducendum, & al-

Monentur omnes præfati Hostes, & Violatores Interdicti, & Ecclesiasticæ Immunitatis ad comparendum &c. & illis congrui termini præfiguntur.

legan-

legandum causam, quare non debeat ipsos, & eorum quemlibet in omnes, & singulas Censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solita contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, ac sine præjudicio aliarum pœnarum in eos, vel eorum singulos irrogandarum contra illos, & illorum quemlibet literas quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, ac ad omnes, & singulos actus de, & super præmissis, & circa ea quomodolibet necessarios, & opportunos procedi, nec non respectivè ad videndum sese in Censuras, & pœnas hujusmodi incidisse, & incurrisse declarari; ipsique D. Procuratori Fiscali Generali jus, & justitiam ministrari. Certificantes eosdem *Sacerdotem Franciscum Barbara*, *Ignatium Perlongo*, *Sacerdotem, & Canonicum Joannem Baptistam Parisium*, *Sacerdotem, & Canonicum Innocentium Roccaforte Bonadies*, *Nicolaum Ardizone*, *Sacerdotem Marium Rampello*, *Sacerdotem Franciscum Gioeni*, *Sacerdotem Franciscum Contariero*, *Sacerdotem Balthassarem Ciraulo*, sic citatos, & monitos, quòd si in dicto termino ipsis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, Nos, vel dictus Locumtenens Criminalis infrascriptus nihilominus, servatis terminis de stylo Curiæ servari solitis, ad omnium, & singularum Censurarum, & pœnarum prædictarum (ultra aliàs de jure competen. reservatas) incursus declarationem, & executionem, Cedulonorumque dictæ excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque respectivè, & ad omnia alia necessaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, sive deveniet, & procedet justitiâ mediante, eorum absentiâ, & contumaciâ non obstante. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimoquinto, Indictione octavâ, die verò xii. mensis Januarii; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimoquinto.

Antonius Sabainus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Notarius.

Die 5. Aprilis 1715. Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curiæ servari solitis, lata, & publicata fuit contra omnes citatos Contumaces Sententia declaratoria incursus in omnes, & singulas censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula Cedoloni nuncupata, qua universis Christifidelibus denunciati fuerunt Excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura ii omnes, & singuli, contra quos præfata Sententia lata fuit.

MONITORIUM VIII.

Die 13. Octobris 1715. vigore specialis Chirographi Pontificii expeditum contra plures variorum Ordinum Regulares, & alios Reos violationis Ecclesiastici Interdicti Civitatibus, & Diœcesibus Catanien. & Agrigentin. appositi ob violentam illarum Episcoporum ejectionem è Regno Siciliæ.

Nicolaus Archiepiscopus Thebarum, Pontificii Solii Assistens, Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius; Sententiarum quoque, ac Censurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extrà eam latarum, ac Literarum Apostolicarum quarumcunque universalis, ac merus Exequutor, nec non Judex à Sanctissimo Domino Nostro Papa in infrascripta Causa per speciale Chirographum Deputatus, ac Delegatus.

Universis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seù earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seù quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

Narrantur attentata Laicalis potestatis contra Interdictum appositum Civitatibus Catanien. & Agrigentin.

§. 1. Noveritis, quod hac infrascripta die comparuit coram nobis Perillustris, & Excellentissimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Procurator Fiscalis, & exposuit Laicalem Potestatem in Regno Siciliæ, ejusque, & assertæ Monarchiæ Siculæ Ministros ad evertendam Ecclesiastici Interdicti observantiam de ordine ejusdem Sanctissimi Domini Nostri appositi in Civitatibus Catanensi, & Agrigentinâ, earumque Diœcesibus ob sacrilegam illarum Episcoporum ejectionem è suis Sedibus, ac Regno prædicto, non solùm usos fuisse operâ Laicorum, & Ecclesiasticorum Sæcularium ad hæc delegatorum, & subdelegatorum: verùm etiam cum maximo Christ fidelium scandalo ad has sacrilegas læsiones perpetrandas adhibuisse operam Ecclesiasticorum Regularium diversorum Ordinum, & Institutorum ab ipsâ Laicali Potestate, sive à prætenso Tribunali ejusdem Monarchiæ deputatorum, quorum mox facienda erit mentio ratione attentatorum ab eis in utrâque Diœcesi commissorum, contra quos proinde nunc instat; & cum sub hac eâdem die sejunctis expositionibus postulaverit contra plures Laicos, & Ecclesiasticos Sæculares, qui similia patrarunt in Civitatibus, ac Diœcesibus prædictis, se modò ad aliquos Regulares restringendo enarrat.

Fr. Salvatoris à Naro Ordinis Capuccinorum flagitia, & sacrilega attentata in contemptum Interdicti Ecclesiastici.

§. 2. Primò, quòd licèt Frater Salvator à Naro Sacerdos expresse Professus Provinciæ Panormitanæ Ordinis Capuccinorum monitis Superiorum sui Ordinis humiliter obtemperare, aliorumque Provinciæ, & Ordinis hujusmodi Religiosorum, qui Interdictum in Civitate, & Diœcesi Agrigentinâ appositum cum maximâ fidelium ædificatione exactè adeò, & inconcusse observarunt, ut carceres, exilia, aliasque pœnas sibi à Sæculari Potestate inflictas cum perenni eorum fidei, ac constantiæ laude potiùs perpeti, quàm ipsum Interdictum ullo modo violare elegerint, præclarum exemplum imitari debuisset; nihilominus salutis æternæ immemor, nedum publicè Missam celebrare, & idem Interdictum violare

te-

temerè præsumpsit, sed (quod horrendum est) inter ipsos dicti prætensi Tribunalis Monarchiæ Ministros abscribi non erubuit, & sic adscriptus, non sine ingenti præfati sui Ordinis, & Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatione, alios plurimos ad consimiles Interdicti violationem seducere conatus fuit, & quos suasionibus, minis, ac terroribus flectere non valuit, aut exulare coegit, aut in carceres detrudi mandavit, prout signanter è Civitate Panormi in exilium ejecit Rev. Patrem Angelum Mariam de Panormo ab admodum Rev. Patre Leone à Sutera legitimo Provinciali è finibus dicti Regni ob eamdem constantem Ecclesiasticæ, ac Pontificiæ authoritatis tuitionem dudum ejecto in Vicarium Provincialem deputatum Rev. Patrem Michaelem de Panormo alterum similiter Vicarium Provincialem ordine successivo subrogatum, Patrem Joannem Baptistam à Ciminna, Patrem Evangelistam de Monte Regali Prædicatorem, ac Patrem Philippum de Sancta Anatolia; nec non pari pœnâ affecit etiam Patrem Epiphanium de Bisacquino, Patrem Antonium de Castronovo, Patrem Basilium de Camerata Concionatores, Patrem Petrum de Camerata, Patrem Carolum de Caltabellota Magistrum Novitiorum Conventus Civitatis Caltanissettæ, Patrem Salvatorem de Caltanissetta, Patrem Ludovicum, & Patrem Vincentium de Camerata, Patrem Danielem à Sutera Concionatorem, & Patrem Josephum Mariam de Castrotermini similiter Concionatorem, quos omnes ab eorum Conventibus ejecit. Non omisit Sanctissimus Dominus Noster mitiora adhibere remedia, ut arrogantissimus hic Ecclesiasticarum censurarum, & Apostolicæ authoritatis, contemptor ad cor rediret, illumque propterea per literas in formâ Brevis sub dat. die 14. Februarii 1714. ad sui, & Sanctæ Sedis beneplacitum à Divinis suspensum declaravit, nec non voce activâ, & passivâ tam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quàm in aliis quibuscumque actibus Provinciæ, & Ordinis præfatorum perpetuò privavit; Eò tamen illius sacrilega, ac verè detestabilis audacia progressa fuit, ut non modò per præmissa ad debitam paritionem, & resipiscentiam minimè adductus fuerit, sed Patres Augustinum à Sambuca, & Anselmum à Castro Vetrano Sacerdotes expresè Profes sos ejusdem Ordinis, qui recensitas literas in formâ Brevis sub initium præteritæ Quadragesimæ in Conventu Burgii ipsi præsentaverant, mediante quodam supradictæ assertæ Monarchiæ Fiscali, traduci fecerit ad Civitatem Sciacchæ, ibique in carceribus alterius Ordinis detineri mandaverit, proùt spatiò quinquaginta dierum fuerunt detenti; Illos deinde è carceribus liberatos ad Insulam Pantellariæ relegare constituerat, sed mutato consilio primùm quidem eos suis literis obedientialibus ad Conventum Trainæ Provinciæ Messanensis mandavit: deinde verò, nempe tribus mensibus elapsis, irâ denuò atque odio contra illos exardescens commisit Patri Guardiano ejusdem Conventus Trainæ, ut eos in carceres formales conjiceret; Illi tamen de hoc admoniti ad ejusmodi, & majora pericula vitanda fugam arripuerunt.

§. 3. Similes Apostolicæ Literæ suspensionem à Divinis, nec non vocis activæ, & passivæ privationem irrogantes, præsentatæ etiam fuerant per Patrem Marianum à Panormo Fratri Ludovico pariter à Panormo Pseudo Vicario Provinciali, quippe qui ad officium ejusmodi Vicarii Provincialis per Ministros supradicti prætensi Tribunalis Monarchiæ illegitimè deputatus fuerat; Verùm idem Frater Salvator hanc pariter Literarum Apostolicarum præsentationem vindicandam suscepit; Dictum enim Patrem Marianum à Panormo eâdem de causâ exulare jussit. Scandala insuper scandalis addidit, & delicta delictis; postquam nimirùm ei primodictæ Apostolicæ Literæ in præfato Conventu Burgii præsentatæ fuerant, cum inde discessisset Panormum iturus, ac in itinere ad Civitatem Clusarum se contulisset, ibique attentâ notitiâ illic pervulgatâ tenoris dictarum Literarum Apostolicarum ipsi Fratri Salvatori, sicut præmittitur, præsentatarum Ecclesiasticos præsertim Regulares ad Interdictum inviolabiliter observandum corroboratos invenisset, idem Frater Salvator temerè jactans Pontificias literas subreptitias, & propterea spernendas esse, in Ecclesia Conventus Clusarum Missam publicè celebrare non erubuit, imò juxta ea, quæ ex illis partibus novissimè allata fuerunt, etiam in aliis pluribus locis, ac præsertim in Ecclesiâ Conventus Agrigentin. sui Ordinis celebrare perrexit & forsan etiam ad sui libitum celebrare adhuc pergit. Porrò his minimè contentus, Apostolicæ non minùs authoritatis, quàm Jurisdictionis, Immunitatis, ac Libertatis Ecclesiasticæ contemptum, per encyclicas, seu circulares literas etiam aliis suadere, & falsis dogmatibus insinuare præsumpsit, ac insuper in quadam ex ejusmodi circularibus epistolis die 13. Maii 1714. conscriptâ nonnullos Sacerdotes, qui vigore facultatis sibi à præfato Sanctissimo Domino Nostro attributæ Interdicti Violatoribus absolutionem à censuris, ac dispensationem super irregularitate ab eis inde contractâ impartiebantur, injurioso nomine *Birbanti*, *e Ribelli* appellare non dubitavit. Hæc autem omnia, quæ se, tanquam prætensi Tribunalis Regiæ Monarchiæ Commissarium Generalem peragere nedum evulgavit, sed & in literis subscripsit, non sine maximo Regularis habitus dedecore, ac manifesto Seraphicæ Regulæ contemptu patravit, quippè qui calceatus, & calcaribus utens ad instar Equestris Ducis, seu Capitanei per interdictam Agrigentinam Diœcesim Interdicti oppugnator cursitare, & aliquoties etiam Justitiæ Militibus associatus incedere consuevit.

§. 4. Dum hæc per summam, & ferè incredibilem temeritatem à dicto Fratre Salvatore à Naro perpetrabantur in Diœcesi Agrigentinâ, non defuit in Diœcesi Catanien sis alter ejusdem Ordinis Religiosus similiter expresè Professus, nempè Frater Bonaventura de Jaci Reali Provinciæ Messanensis, qui inter prætensi Tribunalis Monarchiæ Ministros pariter adscriptus, non minora scandala, nec minùs probrosa, ac indigna facinora admisit. Cum enim admodum Rev. Pater Cœlestinus de Jaci legitimus Provincialis dictæ Provinciæ Messanensis, suam è Regno Siciliæ expulsionem ob præfati Interdicti observantiam prævidisset, adeòque plures Vicarios Provinciales ordine successivo pro eâdem Provincia tempore suæ absentiæ regendâ non minùs providè, quàm prudenter deputasset, statim secutâ illius expulsione, prædictus Frater Bonaventura, uti Vicarius, seu potius Pseudo-Vicarius Provincialis à prætenso Tribunali Monarchiæ perperam deputatus, gubernium, & administrationem ipsius Provinciæ assumpsit, prout ex ejusdem circulari epistolâ die 19. Aprilis proximè præteriti conscriptâ luculenter apparet, in quâ se à dicto prætenso Tribunali ad Officium Vicarii Provincialis hujusmodi fuisse deputatum, Religiosos sui Ordinis certiores fecit, ac facultatibus sibi, tametsi nulliter, & illegitimè ab eodem Tribunali attributis abutendo, omnibus suæ Provinciæ Religiosis obedientiam sibi præstandam esse temerè edixit; Nec non de authoritate Sedis Apostolicæ ex unâ, ac prætensis illius Regni Privilegiis, seu

Alia iniquè attentata d. Fratris Salvatoris à Naro.

Alia attentata F. Bonaventuræ à Jaci Reali Cappuccini in contemptum Interdicti.

veriùs abusibus ex alterâ partibus differendo, nedum super his quæstionem aliquam, seu disputationem assumi prohibuit, sed etiam Religiosos præfatos ad præstandam omnem operam, & conatum pro tuendis dictis prætensis Privilegiis, seu abusibus sub perduellionis pœnâ adstrinxit. Præterea, parum immutato tenore supradictæ alterius circularis Epistolæ Fratris Salvatoris à Naro, Ecclesiastici Interdicti observantiam nec à Divino, nec ab humano Jure fuisse præscriptam, imò nec ipsi Interdicto vigore Regulæ Sancti Francisci obediendum esse falso asserere, ac docere conatus fuit. In aliâ insuper suâ circulari Epistolâ sub eâdem die 19. Aprilis scriptâ, nedum suam illegitimam deputationem ad regimen memoratæ Provinciæ Messanensis repetiit, ac novas literas pro prosecutione ejusdem Regiminis ab eodem prætenso Tribunali Regiæ Monarchiæ receptas Religiosis dictæ Provinciæ significavit: Sed etiam Rev. Patri Felici de Linguagrossa primo Definitori, quem scilicet dictus Rev. Pater Cœlestinus de Jaci legitimus Provincialis pro casu suæ expulsionis in Vicarium Provincialem primò nominaverat, ac deputaverat, obedientiam nullatenus esse præstandam, ejusque mandata sub pœnâ contumaciæ, & indignationis Sæcularis Potestatis, non esse executioni demandanda, audacter præcepit.

§. 5. Ad hæc cum Reverendissimus Pater Commissarius totius Ordinis Cappucinorum jussu Sacræ Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ, imò Sanctissimi Domini Nostri, mediante suâ circulari Epistolâ, mandasset omnibus Superioribus, ac Religiosis ejusdem Provinciæ, ne ipsum Fratrem Bonaventuram ullatenus recognoscerent in Vicarium Provincialem, sed obedientiam dumtaxat præstarent supradicto Rev. Patri Felici à Linguagrossa primo nominato in Vicarium Provincialem à dicto Rev. Patre Cœlestino in sua deputatione: idem verò Pater Felix ad evitanda majora scandala à susceptione Gubernii abstinuisset, adeòque in illius locum subingressus fuisset juxta ordinem ejusdem deputationis Rev. Pater Antoninus de Petralia secundus Definitor, ac secundo loco nominatus, dictus Frater Bonaventura pari temeritate etiam contra ipsum Patrem Antonium insurrexit, & mediante aliâ suâ Epistolâ circulari sub die octavâ Junii proxime præteriti illum usurpatorem, & Superiorem illegitimum nuncupavit, omnes, ac singulos actus ab eo etiam cum consilio aliorum duorum Definitorum legitimè gestos revocavit, ac retractavit, eumdemque Patrem Antonium in pœnas à se præscribendas, & exequendas incidisse declaravit, demandando insuper sub indignationis Laicæ Potestatis, aliisque pœnis contra contumaces, & sibi inobedientes impositis, ut ordines, seu obedientiæ à se dumtaxat expediendæ executioni demandarentur; Omni denique, & quacunque reverentiâ erga suum legitimum Superiorem impudentissimè posthabitâ, eâdem die cum præcepto formali obedientiæ, ac sub pœnâ indignationis prædictæ Laicæ Potestatis præcepit, & commisit eidem P. Antonino de Petralia legitimo Vicario Provinciali, ut statim se conferret ad Conventum Loci Ali, ibique sub obedientiâ Patris Guardiani ejusdem Conventus degeret; Minimè tamen insolentiam suam in ejusmodi sui Vicarii Provincialis deportatione continuit, sed progressus fuit ad exilia plurium Religiosorum sui Ordinis, ejiciendo nimirum à Conventu Loci de Jaci Patrem Illuminatum de Jaci, à Conventu Terræ Adernò Patrem Ludovicum de Bronti Concionatorem, à Conventu Terræ Paternò Patrem Franciscum de Galledoro, & Patrem Innocentium de Linguagrossa, quos omnes ad Locum Tortorici relegavit: Similiter Fratrem Pacificum de Adernò, Fratrem Ludovicum de Linguagrossa, Fratrem Marcellum de Tusa, Fratrem Salvatorem de Mistretta, & Fratrem Thomam de Petralia è Locis eorum residentiæ ejecit, ac exulare jussit; Imò illorum duos, nempè Fratrem Pacificum de Adernò, & Fratrem Thomam de Petralia per Ministros Sæcularis Potestatis carceribus mancipari curavit in Conventu Sancti Augustini Loci de Adernò. Redeundo jam ad Civitatem, ac Diœcesim Agrigentin. Ministri dicti prætensi Tribunalis Monarchiæ ad penitùs inibi evertendam Interdicti observantiam omnibus iis, quæ ad id gesserat supradictus Frater Salvator à Naro Cappuccinus, nequaquam contenti transmiserunt ad Civitatem, & Diœcesim hujusmodi Fratrem Franciscum Mariam Trigona Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci cum titulo Commissarii Provincialis; qui cum illuc perveniisset, Ecclesias, quas juxta formam à Sacris Canonibus tempore Interdicti præscriptam, clausas invenerat, aperire curavit, ac Religiosos, quos Interdicto obtemperantes repererat, ad illius inobservantiam compulit, seu compellere conatus fuit, inter quos Pater Hieronymus Napoli ejusdem Ordinis Fratrum Conventualium Sacerdos, qui cum antea Interdictum violasset, sed postmodum pœnitens, humiliter absolutionem petiisset, eamque, præstito juramento de eodem Interdicto in posterùm servando, vigore facultatis à Sanctissimo Domino Nostro concessæ obtinuisset, ne ad ejusdem Interdicti inobservantiam de cætero cogi posset, ad Conventum Politii Cephaludensis Diœcesis sui Ordinis se contulerat, à præfato Fratre Francisco Maria Trigona sub die sextâ Junii proximè præteriti revocatus fuit ad Conventum Civitatis Agrigentinæ, & cum ibi nec suasionibus, nec minis ad violandum Interdictum seduci unquam potuisset, ab ipso Fratre Trigona etiam perperam asserente vinculum Juramenti illum non afficere, ob defectum licentiæ suorum Superiorum, loco carceris in quadam mansione per triduum retentus fuit, nullo alio sibi interim præstito alimento, quàm Panis, & Aquæ; Elapso tamen triduo, idem Frater Trigona agnoscens nullatenùs posse illum retrahere à suâ sententiâ, traditis literis, quas vocant obedientiæ, eum transmisit ad Civitatem Messanæ cum Epistolâ illius Provinciali directâ, vi cujus ad Conventum Trainæ illum relegare deberet; Verùm cum præfatus Pater Hieronymus suspicatus fuerit nedum relegationem, sed & majora mala sibi evenire posse, si Conventum Meslanæ appeteret, declinando à viâ, quam susceperat, ad hanc Almam Urbem se contulit.

§. 6. Non defuere etiam in Ordine Fratrum Prædicatorum duo Sacerdotes Fratres germani, nempè Frater Angelus, & Frater Ludovicus Morillo memorati Interdicti pariter hostes, & refractarii. Primus enim, videlicet Frater Angelus, vigore delegationis supradicti Fratris Salvatoris à Naro Cappuccini prætensi Tribunalis Monarchiæ Commissarii exulare jussit à Conventu Sancti Dominici Caltanisettæ, tanquam Interdicto obedientem, Patrem N. N. Vicarium ejusdem Conventus, & tunc actualem Superiorem, attentâ Prioris vacatione; Prætereà cum sibi per Patrem Raymundum Sertorio Priorem Conventus Sanctæ Zitæ Panormitan. vetitum fuisset, ne tanquam notorius compulsor ad violandum Interdictum Missam celebraret, eumdem Patrem Priorem detulit apud Ministros Sæcularis Potestatis, à quibus decretum fuit, quod ipse Frater Angelus pro reparatione injuriæ, quàm ei illatam fuisse reputabant, Missam solemnem celebrare deberet; Et cum præfatus Pater Raymundus dicti Conventus Panormi-

Alia scelera ejusdem Fr. Bonaventuræ.

Fr. Franciscus Maria Trigona Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Interdicti violator, & hostis.

Frater Angelus & Fr. Ludovicus Morillo Ordinis Prædicatorum hostes, & impugnatores Interdicti.

mi-

mitan. Prior, ac Pater Magister Vincentius Platamone Vicarius Provincialis impudentem hanc non minùs, quàm sacrilegam Missæ celebrationem oppugnassent, à Ministris Potestatis Laicæ fuerunt ejecti, & exulare jussi; primus à Provincia Vallis Mazariæ, secundus à toto Regno; Alter verò, nempè Frater Ludovicus prædicti Fr. Angeli germanus frater de mandato Ducis de Angiò nuncupat. exulare jussit Patrem Angelum à Verme Priorem Conventus S. Dominici Agrigentini, ex eo quod Interdictum violare renuerat.

P. Petrus Scarlata de Caltanisetta, & P. Guagliardi de Civitate Politii è Societate Jesu hostes interdicti.

§. 7. Plures etiam è Societate Jesu, eâ voti Religione contemptâ, quâ Sedi Apostolicæ arctius adstricti reperiuntur, debitæ interdicti observantiæ refragari non formidarunt. Omissis enim iis, qui sivè falsas, ac malas doctrinas evulgando, sivè etiam forsan non malas malè applicando, verbo, & exemplo latam aperuerunt viam ejusdem Interdicti violationi, plurimosquè fascinarunt non obedire veritati, quorum tamen temeritas juxtà ea, quæ à Sanctissimo Domino Nostro mandata fuerunt, debitis pœnis coercenda erit; Pater Petrus Scarlata de Caltanisetta humaniorum literarum Magister in Collegio ejusdem Loci, nec non Pater N. Guagliardo de Civitate Politii Cephaludensis Diœcesis, etiam Magister Grammaticæ in præfato Collegio Caltanissettæ, Pueros Discipulos suos Interdictum violare recusantes, scuticis flagellare, ac etiam aliis pœnis affligere non erubuerunt? Quâ de causâ plures ex Parentibus filios suos ab illorum Scholis avocarunt. Ad horum porrò Religiosorum exemplum similia facere præsumpsit etiam quidam Sacerdos Ignatius Legami Pædagogus ad prima Grammaticæ elementa edocenda designatus, à quo pariter Pueri ejus Discipuli eâdem de causâ flagellis, ac verberibus affecti fuerûnt.

Sacerdos Ignatius Legami Interdicti Impugnator.

Fr. Innocentius de Ferla, & Fr. Gregorius de Assero Ordinis S. Francisci de observantia Interdictum impugnant, & observantes crudeliter vexant.

§. 8. Demùm etiam ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum Fr. Innocentius de Ferla Guardianus Conventus Civitatis Sancti Philippi, ac Frater Gregorius Terræ de Assero in dicto Conventu commorans, postquam eis consignatus fuerat à Sacerdote Balthassare Ciraulo Delegato Locali supradicti prætensi Tribunalis Monarchiæ, Pater Angelicus de Calascibetta Guardianus Conventus Fratrum Capuccinorum ejusdem Civitatis Sancti Philippi, ut illum in carceribus sui Conventus retinerent non aliâ sanè de causâ, nisi quia Interdictum observaverat, pluribus priùs injuriis, ac contumeliis dicto Patri Angelico observatum ab eo Interdictum exprobrarunt: deinde illum mediante operâ trium Fratrum Laicorum ejusdem Ordinis crassiori fune alligatum, ac præcinctum intra foveam, seu potiùs puteum profunditatis quadraginta circiter palmorum immiserunt, ibique eum per biduum, in pervigilio scilicet, & Festo Epiphaniæ reliquerunt in tenebris, subministratis eidem per funiculos alimentis ad solam vitæ necessitatem; adeo ut forsan etiam ille in prædictâ foveâ periisset, si eum inibi diutiùs retinuissent, ac nisi Civitas præ barbarie commota fuisset; exemplum profectò hac in re prædicti Fratres Innocentius, & Gregorius, tametsi barbarum, atque execrabile, imitati fuerunt illius Isidori Navarro ejusdem asserti Tribunalis Monarchiæ Delegati, qui, ut nunquam satis laudandam Fratrum Capuccinorum in observatione Interdicti constantiam expugnaret, nonnullos ex eis similiter per funes in ejusmodi foveas etiam cum compedibus conjecit, & introclusit, videlicet Patrem Franciscum de Agrigento, Patrem Hieronymum de Naro, Patrem Aloysium de Caltanisetta Guardianum Conventus Agrigentini, ac etiam alios; Quare meritò dictus Isidorus Navarro à Sanctissimo Domino Nostro declaratus fuit Excommunicatus Excommunicatione majori Sanctitati Suæ reservatâ per quasdam suas Literas in formâ Brevis die XXIII. Decembris 1713. expeditas, licèt novissimè tantùm promulgatas; Rebusque aliis in processus, & processibus Causæ, & Causarum hujusmodi latiùs deductis; ad quos &c. prædicta omnia committentes, ac temerè, & sacrilegè patrantes contra Immunitatem, Jurisdictionem, & Libertatem Ecclesiasticam, ac Interdictum in præfatis Civitatibus, ac Diœcesibus Catanensi, & Agrigentinâ de ordine Sanctitatis Suæ appositum, non solùm violantes, sed etiam acerrimè oppugnantes, illiusque violationem cum maximo Fidelium scandalo, ac Pontificiæ authoritatis contemptu sive mandando, committendo, & compellendo, sive consulendo, instigando, & aliàs quomodolibet urgentes, tam directè quàm indirectè, tam conjunctim, quàm divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo, non solùm &c., sed & omni &c., & super quibus &c. Quamobrem ad instantiam, & pro parte præfati D. Procuratoris Fiscalis fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenus de opportuno juris remedio providere, & Monitorium extra Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur. Quare præsentato, & exhibito Nobis Chirographo manu ejusdem Sanctissimi Domini Nostri die 30. elapsi mensis Novembris signato tenoris sequentis, videlicet:

Pontifex causam, & Processum ejusmodi scelerum, & violationum Interdicti delegavit specialiter Tribunali A. C.

§.9. Monsignor Arcivescovo di Tebe Auditore Generale della nostra Camera Apostolica. Essendoci da qualche tempo stato rappresentato dal Procurator Fiscale Generale della nostra Camera, che dai Processi di nostro ordine dal vostro Tribunale formati nelle materie del Regno di Sicilia risultino molti Violatori dell'immunita, giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, si come anche molti Compulsori, Consultori, Instigatori, e Cooperatori alla violazione dell' Interdetto di nostro ordine apposto nelle Diocesi di Catania, e Girgento, tanto Laici, quanto Ecclesiastici Secolari, e Regolari, ed essendo Noi stati sempre in speranza, che gli attentati, che con tanto scandalo sono stati commessi, e si commettono in quel Regno contro gli Ecclesiastici Osservatori dell' Interdetto, e contro la giurisdizione della Santa Sede, avessero à cessare dopo tanti Brevi da Noi spediti in conferma delli sudetti Interdetti, e dopo tante altre risoluzioni à quelli appartenenti; Mà non vedendo alcuna resipiscenza ne' Delinquenti, anzi più tosto sempre più inoltrarsi le cose in pregiudizio dell'autorità Pontificia, e perciò non potendo più tolerare turbative, e violazioni così sacrileghe, vogliamo, che si proceda onninamente alla trasmissione de' Monitorii contro tutti quelli, che da' Processi formati sufficientemente risultaranno Violatori, come sopra, Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, ed in qualunque modo Cooperatori alla contravenzione di detti Interdetti tanto direttamente, quanto indirettamente; E se bene Voi, & il vostro Tribunale, come Esecutore Generale delle lettere Apostoliche, potreste procedere in questa Causa, e Cause in vigore delle vostre facoltà, nondimene à maggior cautela di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà assoluta, preservando primieramente tutte, & singole altre ragioni, che intorno à ciò potessero in qualunque modo, e tempo competere al nostro Fisco, avocando à Noi, in quanto faccia di bisogno, questa Causa, e Cause de qualunque Tribunale, Congregazione, e Giudice, & havendo quì per espresso il contenuto del Processo, ò Processi fabricati d'ordine nostro, come se di parola in parola vi fossero stati inseriti: Con il presente nostro Chirografo la commettiamo à Voi, e al vostro Tribunale nello stato, e termini nelli quali si trova con li suoi annessi, connessi, emergenti, e dependenti anche con la clausula quam, & quas, comãdandovi espressamente, che dobbiate non solo in virtù delle vostre facoltà generali, mà anche in vigore di quelle, che vi concediamo con questo

Tenor Pontificii Chirographi ejusmodi delegationis.

Noſtro Chirografo, procedere alla tranſmiſſione de' Monitori, e Citazioni contro tutti quelli, che da Proceſſi nel voſtro Tribunale formati ſufficientemente reſteranno indiziati per Violatori dell' Immunità, Giuriſdizione, e Libertà Eccleſiaſtica, e Mandanti, Compulſori, Conſultori, Inſtigatori, & in qualſivoglia modo tanto direttamente, quanto indirettamente Cooperatori all' inoſſervanza degl' Interdetti di Noſtr' ordine appoſti nelle Dioceſi di Catania, e Girgento, e contro qualſivoglia Perſona tanto Secolari di qualſivoglia grado, preeminenza, e dignità, quanto Eccleſiaſtici, e Secolari, e Regolari di qualunque Ordine, Congregazione, Inſtituto, & anche della Compagnia di Gesù, e' quantunque ſi trattaſſe de Conſultori, Qualificatori, ò altri ſimili Miniſtri del S. Offizio di quel Regno, ed ogni altra Perſona di ſpeciale, ſpecialiſſima, & individua nota degna, ed inſieme vi concediamo tutte le facoltà di procedere à ſuo tempo contro li ſudetti, benche non nominati, e dichiararli incorſi in tutte, e ſingole cenſure, che ſono preſcritte da Sagri Canoni Decreti de Concilii generali, e Conſtituzioni Apoſtoliche, ſenza pregiudizio di altre pene, che de Jure competeſſero; Ed affinche più facilmente poſſiate ciò eſeguire, vi concediamo ancora la facoltà, rimoſſa ogni appellazione, richiamo, ricorſo, oppoſizione di nullità etiam ex tribus, & altre ordinarie, & ſtraordinarie di poterli citare anco per Editto, conſtandovi anche ſommariamente, & eſtragiudicialmente, e quanto vi parerà, che baſti, del non tutto acceſſo; volendo, e decretando, che il Monitorio, ò Monitorii, che intorno à ciò ſi ſpediranno da voi, e voſtro Tribunale, affiſſi che ſaranno in Roma alla Baſilica de San Pietro, alla Curia Innocenziana, & in Campo di Fiore, & alle Chieſe Cathedrali, e maggiori delle Noſtre Città, Terre, e Luoghi di Terracina, Nettuno, Porto d'Anzio, Fiumicino, Civita Vecchia & Ancona, vagliano, & habbino la loro forza, e vigore contro chi ſi ſia, come ſe perſonalmente foſſero ſtati citati, moniti, & intimati, derogando in quanto ſia di biſogno, à queſto effetto, e per queſta volta ſolamente, alle Conſtituzioni Apoſtoliche, fatte, & ordinate anche ne i Concilii Generali, e particolarmente à quelle delli Noſtri Predeceſſori Bonifazio Ottavo de una, e d'Innocenzo Terzo nel Concilio Generale Lateranenſe de duabus Dietis, & ogni altra coſa, che faceſſe in contrario, ancorche haveſſe biſogno di eſpreſſa ſpecifica, & individua menzione, li tenori delle quali tutte, e ſingole vogliamo, che ſi abbiano quì per eſpreſſo, & inſeriti di parola in parola, e che il preſente noſtro Chirografo vaglia, & abbia il ſuo pieno effetto, vigore, & eſſecuzione con la noſtra ſola ſottoſcrizione; benche non ſia regiſtrato nelli Libri della noſtra Camera, nè in alcun modo ſia ſervata la forma della Coſtituzione di Pio Quarto parimente Noſtro Predeceſſore de regiſtrandis, alla quale perciò per queſta volta ſola deroghiamo, e che contro di eſſo non ſi poſſa in alcun tempo opporre di obrezzione, ò ſubrezzione, mancanza della noſtra volontà, & intenzione, nè di qualſivoglia altro difetto, benchè degna di eſpreſſa, ſpeciale, & individua menzione, e che non ſi poſſa diverſamente interpretare, ò giudicare: dichiarando nullo & irrito tutto ciò, che in contrario da qualunque perſona ſcientemente, ò ignorantemente ſi faceſſe, ò ſi attentaſſe. Non oſtanti quanto à tutte, e ſingole coſe premeſſe qualſivoglia Conſtituzione, & Ordinazione Apoſtoliche, Concilii, anco Generali, Statuti, Uſi, Conſuetudini, Decreti, Indulti, ò Privilegii ſotto qualunque forma, e tenore, etiam con derogatorie di derogatorie, etiam conceſſi motu proprio, e per rimunerazione di ſervizii reſi alla Religione Cattolica, e alla Santa Sede, e con qualſivoglia altre clauſole, e decreti; A quali tutti, e ſingoli, eziamdio più volte confermati e benche ricercaſſero ſpeciale, & individua menzione, havendo li loro tenori per eſpreſſi, di ſimil moto proprio, e pienezza della noſtra aſſoluta poteſtà, eſpreſſamente per queſta volta ſola, e per gli effetti ſudetti pienamente deroghiamo, perche tale è la noſtra eſpreſſa, e determinata mente. Dato nel noſtro Palazzo Apoſt. di Monte Cavallo queſto dì 30. Novembre 1714.

CLEMENS PAPA XI.

Petiit, & ſummâ cum inſtantiâ poſtulavit, ſine præjudicio tamen procedendi ſuis loco, & tempore contra alios in præſenti Monitorio non expreſſos, & in præmiſſis, vel circa ea huc uſque repertos, vel in poſterùm reperiendos culpabiles tam ex cauſis prædictis, quàm cujuſcumque alterius læſionis immunitatis, juriſdictionis, & libertatis Eccleſiaſticæ, ac omnium, & ſingulorum jurium hactenus quomodolibet, & qualitercumque Fiſco acquiſitorum, & competentium ſuis loco, & tempore deducendorum, de quibus omnibus, & aliis de jure, & de ſtylo proteſtandis expreſsè proteſtatur, ita ut proteſtatio hujuſmodi intelligatur facta, & repetita in qualibet parte harum noſtrarum literarum Monitorialium, & in toto Proceſſu deſuper in poſterùm fabricando, & non aliàs &c. quatenus ſibi literas Monitoriales ad Partes per Edictum publicum in locis in præinſerto Chirographo deſignatis affigendas, exequendas, & publicandas, cum pro illis exequendis in Regno Siciliæ tutus non pateat acceſſus, in formâ ſolitâ decernere, & concedere, & aliàs de opportuno juris remedio providere dignaremur. Nos igitur Nicolaus Spinula Archiepiſcopus Thebarum, Judex Executor, & Auditor prædictus attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam in vim ordinariæ noſtræ auctoritatis, præinſertoque Chirographo Nobis, ut præfertur, præſentato inhærentes, ac etiam facultate in illo Nobis, noſtroque Tribunali attributa utentes, conſtitoque Nobis per Teſtes fide dignos de mandato noſtro jam examinatos ad dictum Regnum Siciliæ &c. in quo moram trahunt, & morari ſolent citandi, & monendi, pro præſentibus noſtris Monitorialibus literis exequendis tutum non patere acceſſum, petitas literas Monitoriales concedendas, & in locis infradicendis exequendas, & publicandas fore, & eſſe duximus, & mandamus per præſentes; Quo circa vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, ac veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus viſis iiſdem præſentibus per præſens publicum noſtrum Edictum in Romana Curiâ in Audientiâ publicâ literarum contradictarum Sanctiſſimi D.N. Papæ legen. & ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & extra eam in Confinibus Maritimis hujus Status Eccleſiaſtici, nempe in Civitatibus, Terris, & Locis Terracinæ, Neptuni, Portus Antii, Flumicini, Civitatis Vetulæ, & Anconæ per affixionem, publicationem, & exequutionem ad valvas Cathedralium, & Majorum Eccleſiarum reſpectivè, ex parte noſtrâ, imò veriùs Apoſtolicâ authoritate, pro nunc, & ſinè præjudicio facultatis procedendis ſuis loco, & tempore contrà alios ac etiam contrà prædictos gravioribus pœnis repertos, vel reperiendos culpabiles, quàm facultatem Nobis expreſsè reſervamus, *ſupradictos Fratres Salvatorem de Naro Provinciæ Panormitan. ac Bonaventuram de Jaci Reali Provinciæ Meſſanenſis Ordinis Capuccinorum, Fratrem Franciſcum Mariam Trigona Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum, Fratrem Angelum Morillo, & Fratrem Ludovicum Morillo Ordinis Prædicatorum, Patrem Petrum Scarlara de Caltaniſetta, & Patrem N. Guagliardo de Civitate Politii Diœceſis Cephaludenſis Societatis Jeſu, Sacerdotem Ignatium Legami, Fratrem Innocentium de Ferla Guardianum, & Fratrem Gregorium Terræ de Aſſero prædicti Ordinis*

Monentur omnes præfati Violatores, & hoſtes Interdicti ad comparendum coram A.C. ſub pœnis &c. & illis congrui termini aſſignantur.

Minorum S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum citetis, moneatis, & requiratis, prout Nos eoſdem harum ſerie citamus, monemus, & requirimus, primo, ſecundo, & tertio peremptorio termino, quatenùs infrà duorum menſium ſpatium, quorum priores viginti dies pro primo, alios viginti dies pro ſecundo, poſteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ Canonicâ monitione aſſignamus, & vos aſſignetis, debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit, debeat Romæ in Judicio coram Nobis, vel infraſcriptis Perilluſtri, & Excellentiſſimo Domino Antonio Sabaino Locumtenente Noſtro in Criminalibus Generali legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam, quare non debeat ipſos, & eorum quemlibet in omnes, & ſingulas Cenſuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bullâ die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolitâ contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas incidiſſe & incurriſſe declarari, ac ſine præjudicio aliarum pœnarum in eos, vel eorum ſingulos irrogandarum, contrà illos, & illorum quemlibet literas quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni, & relaxari, ac ad omnes, & ſingulos actus de, & ſuper præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſarios, & opportunos procedi, nec non reſpectivè ad videndum ſeſe in Cenſuras, & pœnas hujuſmodi incidiſſe, & incurriſſe declarari; Ipſique Domino Procuratori Fiſcali Generali Jus, & Juſtitiam miniſtrari. Certificantes eoſdem *Fratres Salvatorem de Naro, & Bonaventuram de Jaci Reali, Fratrem Franciſcum Mariam Trigona, Fratres Angelum Morillo, & Ludovicum Morillo, Patrem Petrum Scarlata, Patrem N. Guagliardo, Sacerdotem Ignatium Legami, Fratrem Innocentium de Ferla, & Fratrem Gregorium Terræ de Aſſero* ſic citatos, & monitos, quod ſi in dicto termino ipſis præfixo legitimè non comparuerint, vel, aliquis eorum non comparuerit, Nos, vel dictus Locumtenens Criminalis infraſcriptus nihilominùs, ſervatis terminis de ſtylo Curiæ ſervati ſolitis, ad omnium, & ſingularum Cenſurarum, & pœnarum prædictarum (ultra alias de Jure competen. reſervatas) incurſus declarationem & executionem, Cedulonumquè dictæ Excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque reſpectivè, & ad omnia alia neceſſaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, ſive deveniet, & procedet Juſtitiâ mediante, eorum abſentiâ, & contumaciâ non obſtante. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo quinto, Indictione octavâ, die verò ii. Januarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimo quinto.

Antonius Sabainus Locumtenens, & Judex deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Cauſ. Cameræ Apoſt. Not.

Die 5. Aprilis 1715. Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra omnes citatos, Contumaces Sententia declaratoria incurſus in omnes, & ſingulas Cenſuras ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impreſſa, & conſuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula Cedoloni nuncupata, qua univerſis Chriſtifidelibus denunciati fuerunt excommunicati, vitandi, ac in eventuum mortis privati Eccleſiaſtica Sepultura ii omnes, & ſinguli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

MONITORIUM IX.

Die 9. Decembris 1715. vigore ſpecialis Chirographi Pontificii expeditum contra Compulſores, & Violatores Immunitatis, Juriſdictionis, & Libertatis Eccleſiaſticæ in Civitate Panormi, nec non in Civitate & Diœceſi Agrigentin. ac Eccleſiaſtici Interdicti Civitati, & Diœceſi Agrigentin. appoſiti, & præſertim contra Eccleſiaſticos earumdem Civitatis, & Diœceſis Agrigentin.

Nicolaus Spinula Archiepiſcopus Thebarum, Pontificii Solii Aſſiſtens, Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, ac Cenſurarum, tam in eadem Romana Curia, quàm extrà eam latarum, ac Literarum Apoſtolicarum quarumcunque Univerſalis, ac merus Executor, nec non Judex à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa in infraſcripta Cauſa per ſpeciale Chirographum Deputatus, ac Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, Parochialiumque, & Collegiatarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeù earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ Literæ pervenerint, ſeù quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino.

§. 1. Noveritis, quod hac infraſcripta die comparuit coram Nobis Perilluſtris, & Excellentiſſimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ejuſque Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Procurator Fiſcalis, & expoſuit poteſtatem tenebrarum inter multiplices, varioſque conatus, quos per filios hujos ſæculi adhubuit ad effectum violandi, ſeu veriùs, non ſinè maximo Apoſtolicæ Sedis contemptu, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ everſione, atque Animarum pernicie, abrogandi Eccleſiaſticum Interdictum in Civitatibus Caranienſi, & Agrigentinâ, earumque Diœceſibus, juſſu ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri appoſitum, nullum profectò gravius, acerbiuſque intuliſſe vulnus Immunitati, Juriſdictioni, ac Libertati Eccleſiaſticæ, quàm ſuſcitando in Regno Siciliæ Magiſtros mendaces, qui docentes, quæ non oportebat, dicebant malum bonum & bonum malum, ac falſis non minùs, quàm perniciosis doctrinis faſcinabant multos, qui benè currebant, non obedire veritati, & ſagittabant in obſcuro rectos corde; Aſſerentes enim metum gravem à laicali Poteſtate incuſſum, ſufficientem præbere cauſam, ut Interdictum præfatum abſque peccato, & Cenſuræ alicujus incurſu liberè violari poſſet, ſuamque ſententiam verbo, & exemplo palàm comprobantes, illud effecerunt, ut plurimi, qui nec bonorum proſcriptionibus, nec carceribus, nec exiliis, neque etiam ipſius vitæ diſcrimine à priſtinâ firmitate dimoveri valuerant, ad hunc falſi dogmatis lapidem offendentes, à debitâ erga Sanctam Sedem obedientiâ defecerint, & Interdicti Violatores evaſerint. Aſt graviſſimo huic malo opportunè, & validè occurrit ſedulitas oculatiſſima,

Pſeudò Magiſtri in Regno Siciliædocent metum gravem à Laicali poteſtate incuſſum præbere ſufficientem cauſam violandi interdictum abſque peccato, & alicujus cenſuræ incurſu.

Ejuſmodi falſam. & ſcandaloſam doctrinam Summus Pontifex damnat, & reprobat per literas Apoſtolicas ad Siculos datas 6. Novembris 1714. & in eo Regno publicatas.

& Paternus Zelus Sanctiſſimi Domini Noſtri, qui aciem illuc intentam habens, ubi majora prænoverat eſſe pericula, ab altitudine ſuæ ſpeculæ clamavit ad Siculos voce magnâ, datis ad eos Literis in formâ Brevis die ſextâ Novembris 1714. quibus ejuſmodi doctrinam in caſu, de quo agitur, uti falſam, ac univerſæ propemodum Chriſtianæ Legis deformativam, & everſivam, rejiciens, & damnans, eiſque edicens talem hâc in re fuiſſe ſemper, & eſſe Apoſtolicæ Sedis ſenſum, exactam, & inconcuſſam obſervantiam ſupradicti Interdicti, toties à Sanctitate Suâ comprobati, ſub pœni per Sacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas latis, & impoſitis, omninò, & in omnibus, ac in quibuſvis Eccleſiis, Locis Piis, Oratoriis etiam privatis Civitatum, & Diœceſum præfatarum iterum præcepit, illudque à nemine, ſive cujuſcumque periculi metu, ſive alio quovis prætextu, titulo, causâ, vel colore violari unquam potuiſſe, vel poſſe declaravit; quinimò, ut auctis etiam contra Tranſgreſſores pœnis, omnes ad debitam obedientiam exhibendam revocaret, omnibus, & ſingulis Eccleſiaſticis, quantumvis exemptis, & quovis modo privilegiatis, præter, & ultra omnes alias cenſuras, & pœnas prædictas, ſi Sæculares fuiſſent ſub Dignitatum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum cujuſvis generis, ſeu naturæ ſint, ſi verò Regulares, ſub Officiorum, Dignitatum, & Graduum regularium quorumcumque per eos reſpectivè obtentorum privationis, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcumque in poſterum quomodolibet obtinenda, ipſo facto, & abſque aliâ declaratione incurrendis pœnis diſtrictè prohibuit, & interdixit, ne decreto, ac declarationi præmiſſis de cætero contravenire auderent quovis modo, ſeu præſumerent. Hæc Vox Apoſtolica, tam clara, tam aperta, tam grandis, illicò inſonuit in auribus Siculorum, tametsi Secularis Poteſtas illius Regni Decretis, Mandatis, & Literis Apoſtolicis omnem illic aditum, graviſſimis etiam indictis pœnis, interclu ſiſſet. Nam præter earumdem Apoſtolicarum Literarum publicationem, & affixionem triduo poſt in Almâ Urbe ſecutam in locis ſolitis, & conſuetis, ac in Literis hujuſmodi deſignatis, quod ſatis, ſuperque fuiſſet, ut ad earumdem Literarum præſcriptum ex præſumptione Juris, & de jure contra Tranſgreſſores legitimè pocedi potuiſſet: Ex Proceſſibus inſuper hâc in re fabricatis pleniſſimè habetur, eaſdem Litteras, ſeu veriùs earum authentica exempla impreſſa (quæ ad indubiam fidem ſufficientia in ipſis Literis declarantur) pluries affixa, & publicata fuiſſe nedum in Civitate Panormitanâ, ex quâ earumdem Literarum notitia in cæteras Civitates, & Loca præfati Regni facilè effluere, & dimanare potuit: Sed etiam in ipſiſmet Civitatibus Catanienſi, & Agrigentinâ, earumque Diœceſibus memorato Interdicto ſuppoſitis.

Publicantur præſertim in Civitate, & Diœceſi Agrigentina, & in earum obſequium Interdicti obſervatio pleriſque in locis reſtituitur.

§. 2. Verùm ea nunc ſpecialiter commemorando, quæ reſpiciunt Civitatem, & Diœceſim Agrigentinam: cum quoad Catanienſem ſeorſim ſe acturum eſſe idem Comparens proteſtatus fuerit, & proteſtetur, narravit, quod circa feſtum Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ejuſdem anni 1714., & ſucceſſivè per totum ſequentem menſem Januarii plura authentica exemplaria hujuſmodi fuerunt affixa in Civitate Agrigentinâ, & ſignanter propè idem feſtum Nativitatis ad januam Civitatis *de Panettieri* nuncupatam, & ad alteram Pontis, nec non ad valvas Matricis Eccleſiæ proximæ Terræ Favariæ, pluresque illic ad ea perlegenda confluxerunt: Subinde verò etiam in aliis Oppidis, & Locis ejuſdem Diœceſis affixa, ibique palàm, & à pluribus viſa, & perlecta fuerunt, præter alia exemplaria, quæ in privatis Conventibus legebantur, & etiam tranſcripta per manus traducebantur, adeò ut ſupradictum Breve Sanctiſſimi intra menſem Januarii in Civitate & Diœceſi Agrigentinâ undique fuerit evulgatum, ac ubique, & omnibus notorium, & manifeſtum redditum. Unde illud evenit, quod templorum januis iterum clauſis, ac omnibus lætitiæ ſignis depoſitis, Eccleſia inibi luctum repetierit: Nutantium, & Infirmorum corda in filiali obedientiâ fuerint ſolidata: & plurimi ex iis, qui à ſemitâ veritatis declinaverant, impetratâ ex Apoſtolicæ Sedis indulgentiâ abſolutione, tanquam Oves errantes, ad vocem Paſtoris ſui in caulam revocatæ, Sacrorum Juſtitium jampridem indictum cuſtodire propoſuerint, adeòque Interdictum Eccleſiaſticum priſtinæ obſervantiæ magnâ ex parte reſtitutum fuerit. Ad hæc porrò fremuerunt Gentes, ac Sæcularis Poteſtatis illius Regni, abrogatæque Monarchiæ Siculæ Tribunalis Miniſtri convenientes in unum, junctis ſtudiis in Apoſtolicam Sedem, eique obſequentes filios magis rabidè inſilierunt, coacervatiſque ſibi, & coadjuvantibus nonnullis etiam ex Clero, tam Sæculari, quàm Regulari, refractariis, ac perditionis filiis, nec non adauctis pecuniariis mulctis, bonorum ſequeſtrationibus, carceribus, exiliis, proſcriptionibus, ac gravioribus etiam per publica Edicta propoſitis pœnis, ad Interdicti violationem omnes paſſim adigere curarunt, & Authoritatem Sanctæ Sedis dictis, & factis, temerè, ac ſacrilegè impetendo, magnam ibi contra Eccleſiam Dei, longèque aſperiorem; quàm priùs, commoverunt tempeſtatem.

§. 3. Cæterùm dictus Comparens addidit impoſſibile prorſus eſſe ob Perſonarum numerum, & copiam rerum, omnia, quæ ibi perperam patrata fuerunt, præſenti petitione complecti, & ſuo ordine referre, interdicto præſertim ab eâdem Poteſtate laicali cum Romanâ Curiâ etiam Epiſtolarum commercio; Pauca idcircò è multis excipiens, quæ oculos, & manus ſtationariorum militum evadendo, inter minarum ac pœnarum difficultates ad Noſtri Tribunalis notitiam pervenerunt, ac legitimis comprobata fuerunt documentis, idem Dominus Procurator Fiſcalis commemoravit, quod Sacerdos Dominicus Sachitellus eâdemmet die, quâ affixum fuit in Civitate Agrigentinâ enarratum Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri, execrationes protulit in eum, qui illud affixerat, palàm jactans ſe efficere poſſe, ſi affigentis notitiam aſſequi valeret, ut ei ante ſolis occaſum caput amputaretur; Quinimò, nullo Dei timore correptus, aliâ die in Cœlum os ponere auſus fuit, impiè blaſphemans in ipſum Chriſtum Domini, videlicet Sanctiſſimum Jeſu Chriſti Vicarium, nec non in ſuum Antiſtitem Epiſcopum Agrigentinum; Et ulteriùs, cum in Dominicâ Septuageſimæ de mandato Hieronymi Angioeni Ducis d' Angiò nuncupati, qui illic Commiſſarii Generalis titulo contra interdictum deputatus fuerat à Juncta, ſeù Congregatione Status Oeconomici ejuſdem Regni Siciliæ, moniti fuiſſent nonnulli Viri Nobiles Civitatis, ut ad Miſſam audiendam ſub pœnâ capitis ſe conferrent, Populus verò hujuſce præcepti rumore audito, clauſis etiam apothecis è Plateâ diffugiſſet, idem Sacerdos Sachitellus Civitatem curſitans, ad capita viarum fugientes, veluti contumaces, rebelles, & pravos Chriſtianos publicè, & altâ voce redarguebat.

Dominici Sachitelli contumeliæ in Breve Pontificium, Summum, Pontificem, & Epiſcopum Agrigentinum.

§. 4. Pætereà Joannes Schirò Capitaneus Armorum una cum ejus Locumtenente, Magiſtro Notario, ac ſexdecim circiter Militibus acceſſit ad Conventum S. Viti Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum Agrigenti, & toto perluſtrato Conventu, cum ibidem reperiiſſet unum tantùm Sacerdotem, unum Clericum, tres

Joannis Schiro, Joannis Baptiſtæ Palermi, & Jacobi Caraccioli, & aliorum violentiæ in Obſervantes Interdictum.

Laicos, & duos Tertiarios, eos requisivit, utrum Principi mallent obedire, vel Papæ, & audito eorum responso, quo obedientiam ad sanguinem usque Principi promittebant in rebus conscientiam non tangentibus, jussit eisdem, ut se sisterent ante præfatum Ducem Angioenum, à quo è toto Regno amandati fuerint. Delegati insuper fuerunt Sacerdotes Joannes Baptista Palermus assertus Archipresbyter Calamonici, & Jacobus Caracciolus, qui Diœcesim percurrentes, gravibus pecuniarum mulctis Christifideles ad Interdicti violationem compellebant, imò Socerdos Jacobus Sciascia, unciis quatuor circiter exactis, & à quodam Rustico pallio accepto, ut à molestiis cessaret, oblato, ab exactione non destitit, & temerè perseveravit iu violatione Interdicti; in cujus evidentem contemptum etiam alius Sacerdos Paulus Sciascia, præter necessitatem, imò præter voluntatem recipientium, Sacramenta ministrare ausus fuit, & cum Sacrosancta Eucharistiâ tentavit insimul in ejusdem Interdicti injuriam Extremæ Unctionis Sacramentum conferre. Itidem, defuncto Clerico Petro Salato, qui dum vixerat, Interdictum, ut par erat, fideliter servaverat, cum illius Consanguinei nec vellent, nec renuerent ejus Cadaver in Ecclesiâ tumulari, Sacerdos Casimirus Constantinus Tarasi malo zelo commotus, in odium custoditi Interdicti, & ad Defuncti opprobrium adstantes increpavit, ne in Ecclesiâ illud sepelirent. Clericus quoque Onuphrius Butera humaniter in Socium itineris receptus à Gaspare Siracusa Vicario foraneo Terræ Siculianæ, dum à Civitate Agrigentinâ illuc revertebatur, eo perventus, & hospitio etiam benignè exceptus, hospitem instigavit ad Interdicti violationem, præviâ Missæ celebratione, quod ipse infeliciter egit, malens Deum offendere, ne offenderetur Amicus, aliosque etiam ad parem Interdicti inobedientiam inducere minimè prætermisit.

§. 5. Inter hæc autem enituit virtus Reverendi Sacerdotis Carmini Nicosia, qui diù exagitatus, in tempore angustiæ suæ mandatum Ecclesiæ fideliter custodivit. Longè enim ante editionem supradicti Brevis è Terra Mussumelæ ejus Patriâ Agrigentum accersitus à præfato Duce Angioeno, & Canonico Francisco Catanzaro delegato assertæ, & nunc extinctæ Monarchiæ, ex quo materno idiomati reddiderat aliud Breve Sanctissimi præcedenter editum contra Canonicum Formicam in Vicariatu Generali intrusum, de quo inferiùs dicetur, injuncto ad id præcepto per Josephum Tomassimum ejusdem Terræ Archipresbyterum, cum interrogatus renuisset prodere latorem hujus Brevis, è conspectu Ducis severè, & contumeliosè ejectus fuit: Catanzarus verò eidem, ut è Civitate non discederet imperavit. Alio autem die idem Catanzarus falsis rationibus, & objecto Refractarum exemplo, omne studium adhibuit, ut eum ad Interdicti violationem flecteret, sed irrito conatu, quia Nicosia potentius oppositi exemplum trium Vicariorum Generalium, qui persecutionem, & ærumnas fortiter tolerando, in carceribus, veluti in sanctioribus nostris, efficaciùs apud Populum pro constanti Interdicti observantiâ perorabant, & in quos propterea, tanquam in Superiores, intendere oporteret. Quâ de re, irâ furens Catanzarus, statim jussit illum in vincula conjici, per jocum ei dicendo: En tribus Vicariis quartus, adderis Prædicator, & à Paulo Spada milite Joannis Schirò Capitanei Armorum ad carceres Regii Castelli Civitatis deductus fuit; rogantibus postmodum Viris Nobilibus, quorum Pueros etiam intra carceres edocere permittebatur, cum gravem odorem isti non sustinerent, eumdem relegavit in Conventu Fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci, in quo degebant Frater Franciscus Maria Trigona, & Frater Dominicus Palamengus, aliique Apostolicorum mandatorum contemptores, ubi inter quotidianas contumelias, & diuturna convicia, duram patienter sustinuit tribulationem; Indeque dicto Fratre Palamengo instigante, ad idem Castellum reductus, & successivè die septimâ Maii proximè præteriti, ut omne ei cum aliis præcluderetur commercium, de mandato Ducis Angioeni, insinuante Catanzaro, ad carceres Episcopales à Locumtenente supradicti Capitanei Schirò, & ab aliis duobus militibus translactus fuit (Birruariis in Carcerati reverentiam tunc id non audentibus): demum sequenti die jussus fuit à Christophoro la Puma Carcerario à Regno exulare, & die decimâ quartâ ejusdem Mensis ab Ignatio Maringo Birruario in paratam naviculam deductus, post annalem ferè carcerationem in hanc Almam Urbem exul pervenit.

§. 6. Ad hæc acerba sunt, quæ idem Procurator Fiscalis contigisse retulit in Civitate Caltanissettæ, ubi evulgatum pariter fuit memoratum Breve super omnimodâ Interdicti observantiâ, ejusque exemplum authenticum affixum die 17. Januarii proximè præteriti, quod subinde divulsum Franciscus la Pedura dictæ Civitatis Secretus; Fr. Angelus Morillo, & Fr. Ludovicus Morillo per Julium Scavonam Porterium miserunt ad præfatos Ducem Angioenum, & Canonicum Catanzarum, à quibus vicissim trranssmissum ad illos fuit Edictum Tribunalis Status Oeconomici, seu Junctæ, aliàs promulgatum contra Literas Pontificias, aliasque scripturas Romanæ Curiæ, & hâc de causâ in ampliorem formam extensum, additâ scilicet pœnâ ultimi supplicii quoad Laicos, ac confiscationis bonorum, & exilii in termino viginti quatuor horarum quoad Ecclesiasticos, Decreta, & Brevia Apostolica non revelantes, quod majori quoque solemnitate, clangentibus tubis, & timpanis resonantibus promulgarunt. Capto subindè Josepho Mangiono, ab eoque ærumnarum tædio extortâ confessione se vidisse dictum Breve in manibus Sacerdotis Josephi Sfalangæ, contra hunc consilium inierunt antedictus Franciscus la Pedura Secretus, Sacerdos Didacus, & Petrus la Pedura ejus filii, Sacerdos Vincentius la Ruffa Archipresbyter Caltanissettæ, & abrogatæ assertæ Monarchiæ Delegatus, Sacerdos Hieronymus Narus Vicarius foraneus, Frater Justinus è Castro Termini Ordinis Discalceatorum Sancti Augustini Viceprior dictæ assertæ, & abrogatæ Monarchiæ, Frater Angelus, & Frater Ludovicus Morillo Ordinis Prædicatorum, Sacerdotes Andreas Angeli, & Felix Vitellarius, omnes Interdicti Violatores, & Compulsores factâque de iis, quæ pertractaverant, relatione Duci Angioeno, & Canonico Catanzaro, statim illuc missus fuit Capitaneus Schirò; Sed Sfalanga, re cognitâ, è Civitate, & Regno statim aufugiens, prædictorum omnium consilia sagaciter elusit. Ulteriùs, iisdem cooperantibus, & instigantibus, una cum præfatis Julio Scavona supradictæ Monarchiæ Porterio, Schirò Capitaneo Armorum, ac militibus duo de viginti circiter, invadi contigit Conventus Fratrum Capuccinorum, & Reformarum Sancti Francisci dictæ Civitatis; Unde iidem Religiosi injuriis, & violentiis vexati aliquandiù sub custodiâ detenti fuerunt: Exinde verò in Castellum Civitatis Drepani, centum viginti milliariis à Caltanissettâ distans, à Vincentio Intronato è Bivona, Antonio Gresca Græco, & Demetrio è Plana Græcorum Militibus deducti, ac quatriduo elapso bini, & bini usque ad decem in Naviculas impositi ad Cajetæ littora adducti fuerunt.

Vexationes à Duce Angioeno, & Canonico Catanzaro illatæ observantibus Interdictum.

Nefarium E. dictum Tribunalis Status Oeconomici contra literas Pontificias, & scripturas Romanæ Curiæ.

PP. Cappuccini, & Reformati Conventuum Caltanissettæ ob Interdicti observantiam Naviculis impositi ad Cajetæ littora transmittuntur.

§. 7. Cæterùm inter ea, quæ in Conventibus dictorum Religiosorum impiè tunc patrata fuisse idem Comparens exposuit, & fusiùs in aliâ Instantiâ commemoravit, execrabile porrò, & sacri legum est, quod Sacerdos Didacus la Pedura aliique superiùs nominati in Ecclesiâ eorumdem Patrum Capuccinorum ausu nefario attentaverunt. Examinatâ enim, & probatâ eorum constantiâ in Ecclesiastico Interdicto fideliter custodiendo, eisdem jusserunt, ut in proprias cellulas se reciperent: Mox aperiri fecerunt à Militibus januam dictæ Ecclesiæ, datoque sacri æris signo per Julium Scavona Porterium, antedictus Didacus la Pedura sacerdotalibus vestibus indutus, in manifestum Interdicti contemptum Sacrum facere non exhorruit, præfatis omnibus suæ iniquitatis Sectatoribus interessentibus. Successivè die tertiâ Februarii sæpedictus Capitaneus Schirò ejus Locumtenens, Joseph Galianus ejus Magister Notarius, & Franciscus la Pedura Secretus se contulerunt ad Monasterium Sanctæ Flaviæ Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis, repertisque ibidem Patre Dominico Bologna Priore, & Patre Carolo Maria Fernandez Decano, qui post evulgatum Breve Sanctissimi Domini Nostri prævià absolutione ad Interdicti observantiam redierant, cum non valuissent eos ab obedientiæ proposito removere; positis illicò ad Monasterium custodiis, omnes illius claves sibi consignari curarunt, bonis stabilibus ejusdem Fisco præcedenter incorporatis, & adstantibus prædictis Fratre Justino, & Sacerdote Felice Vitellario abolitæ Monarchiæ adhærentibus, mobilium Inventarium confecerunt, & ex iis argentea aliaque pretiosiora tradiderunt Secreto la Pedurâ, expulsis præterea à toto Regno supradictis Priore, & Decano Cassinensibus. Immo cum Ecclesia hujus Monasterii sine Sacerdotibus remansisset, iidem la Pedura Secretus, & Fratres de Morillo, in eam ad alternatim celebrandum introduxerunt Sacerdotes Andream Angeli, Promagistrum Notarium Gieronymi Naro Vicarii foranei, Calogerum Fonti, Josephum Fiannaccam, & Fratrem Ferdinandum Guastum Minorem Conventualem Sancti Francisci, qui antea Ministrum Monasterio relictum ad Interdictum violandum compulerat.

Ibidem Sacerdos Didacus la Pedura interdictam Ecclesiam Cappucinorum aperiri facit, & in ea sacrilegè Missam celebrat.

Prior, & Decanus Monasterii Cassinen exulare compulsi à toto Regno Siciliæ.

§. 8. Plura itidem, & gravissima perpessi sunt Incolæ Civitatis Saccæ, delegato illic Fratre Felice Scarsella Ordinis Cappuccinorum eique oblatâ assistentiâ Capitanei Armorum, cujus brachium assidem Scarsella imploravit contrà Fratrem Francisidem cum Susini Priorem Conventus Tertii Ordinis Sancti Francisci, qui excitatus exemplo Patris Vicarii Dainotti Ordinis Minimorum, Religiosis etiam reluctantibus, Ecclesiæ januas obseraverat: Verùm dissimulante dicto Capitaneo, & nihil contra præfatos agente, rem detulit ad Ducem Angioenum, qui eos Agrigentum accivit, dato hac de re mandato Joanni Frangipano Archipresbytero. Susinus autem timens hominem potius, quàm Deum, Ecclesiam iterum aperuit: Ast Dainottus non perhorruit faciem Ducis, & coram eo intrepidè se præsentavit, quem propterea objurgatum Dux remisit ad Præsidem Fernandez. Subinde ad eamdem Civitatem Saccæ novus Delegatus accessit Joannes Baptista Palermus aliàs nominatus, qui per Ignatium Maringo Porterium eidem P. Dianotto præcepit, ut se conferret ad Ecclesiam Matricem, ibique assisteret Missarum solemniis, ac Hymno: *Te Deum*, ut asserebat, decantando cum interventu utriusque Cleri Sæcularis, & Regularis, & Nobilium dictæ Civitatis: Dainottus autem, spreto ejusmodi præcepto, non interfuit. Aliàs etiam, & quidem pluries, sed frustra, dictus novus Delegatus impellere tentavit eumdem Patrem Dainottum ad Interdicti violationem, & quod saltem summo mane ad primum campanæ signum semel in Ecclesiam veniret, & vestibus Sacerdotalibus indutus cæremonias in altari peragendo Sacrum facere simularet. Accesserunt insuper ad ipsum Sacerdotes Franciscus Palermus, Vitus Abruzzus, Onuphrius Zaccus, & Joannes Giaconus, & objecto eidem proprio exemplo, qui scilicet nuper à dicto Joanne Baptista Palermo coacti in Ecclesiâ nuncupatâ *del Crocifissello* Sacrificium simumulaverant, & solutâ Valerio Sciasciæ Magistro Notario pecuniâ pro fide celebrationis ad Ducem Angioenum transmissâ, illius iram evaserant, instanter eum rogarunt, ut pari simulatione id ipsum ageret. At pater Dainottus cogitans, quod eminentiæ Sacrificii, suique Ministerii sublimitati indignum, & sacrilegum, nec non Fidelibus scandalosum fuisset fingere, dum ob ejus simulationem multi ad Interdicti violationem decepti inducerentur, illicita admittere fortiter recusavit. Jussus autem, ut ad conspectum Præsidis Fernandez accederet, metum Palermo incussit se omnes ejus rapinas, & crimina, si accessisset, Præsidi proditurum. Quare solutis eidem unciis duabus, ac aureo uno Valerio Sciasciæ Magistro Notario, qui urgere non cessabat, & eisdem rapinis assueverat, præcepti revocationem, annuente Civitatis Archipresbytero, obtinuit. Evulgato deinde etiam in hac Civitate enunciato Brevi Sanctissimi, rediit ibidem Delegatus Supradictus Joannis Baptista Palermus associatus ab eodem Magistro Notario, Porteriis duobus ac duobus Militibus, & illicò invasit Conventum Patrum Ordinis Prædicatorum, ejusque Vicarium detrusit in Conventu Patrum Carmelitarum, & post biduum sub custodiâ duorum Militum eumdem allegavit Panormum ad Judicem assertæ, & abolitæ Monarchiæ, qui eidem assignavit loco carceris cubiculum Cœnobii ejusdem Ordinis, eumque subinde per totam Civitatem sub sequestro relaxavit. Post hæc sæpedictus Pater Dainottus, qui adhuc commorabatur in suo Conventu Civitatis Saccæ, opportunè fugam arripuit, comitantibus reliquis duobus Religiosis sui Ordinis, cum alii jampridem ad Conventus non interdictos se se transtulissent. Sub die autem 29. Decembris in eumdem Conventum irruit præfatus Palermus à supradictis stipatus; sed intercluso eis undequaque ingressu, quia Pater Dainottus ante suum discessum omnes januas Conventus, Sacrarii, & Cellarum occluserat, ac munierat, per contiguum murum vi ruptum ab Erasmo Mandria Birruario Custode Saccæ, aliis quoque coadjuvantibus, aditus patefactus est. Irrumpentibus itaque omnibus prædictis more baccantium Militum, fractisque septem & decem januis, totum Conventum non sine maximo universæ Civitatis scandalo everterunt, & subreptis pluribus comestibilibus, famulum unicè inibi repertum in publicos carceres conjecerunt. Tandem ejectis Patribus Societatis Jesu, etiam ipse Pater Dainottus fuit de mandato Ducis Angioeni à Capitaneo Justitiæ ejusdem Civitatis à toto Regno expulsus.

Alia attentata, & vexationes contrà Observantes Interdictum in Civitate Saccæ.

§. 9. Breviter hic, & sub compendio retulit idem Comparens deplorabilem statum hujusce Civitatis, asserendo eam fuisse invasam à Capitaneo Schirò, & quinquaginta ejus Militibus, & illic etiam in hunc finem delegatum fuisse Virum Palermum Ducem Justitiæ ejusdem Civitatis, ut omnes Ecclesiasticos cogeret celebrare, & ab Ecclesiæ mandatis declinare; quapropter ubique bonorum inventaria, & confiscationes, ubique carcerationes, & exilia; adeò ut plurimi ex Sacerdotibus, & Monachis relictâ Civitate in speluncas, & sylvas se receperint. Ipsæ quoque Sanctimo-

nia-

niales plura perpessæ sunt, quas tamen, nec privationis bonorum, nec inediæ, nec obstructionis januæ Monasterii incussus timor à proposito obedientiæ valuit dimovere. Transeundo nunc ad Civitatem Leucatæ narravit, quod Clericus Flaminius Cannata, arrogato sibi titulo Delegati assertæ Monarchiæ, aperuit Ecclesiam Monasterii S. Benedicti, dissentiente Petro Paulo Scicolono Vicario foraneo, & amplius parere recusante mandatis Canonici Catanzari, atque in medio ejusdem Ecclesiæ sedens coegit Octavium Lazzarottum Cappellanum Ordinarium ad ibidem publicè celebrandum; Onuphrius verò Celestri Capitaneus Justitiæ, jubente Duce Angioeno, eidem Vicario foraneo, qui juramentum in receptâ absolutione præstitum fideliter servabat, ac aliis undecim Sacerdotibus, mandatis Apostolicis obsequentibus, & in alio Monitorio nominatis, exilium injunxit, quibus Joachinus dicti Vicarii Scicoloni nepos, ne Interdictum violare cogeretur, in exulem ultroneum se adjunxit. Insuper, quod Cajetanus Pizzolantes Delegatus Ordinarius ejusdem assertæ Monarchiæ, post carcerationem Vicariorum Generalium Ecclesias hujus Civitatis aperiri jussit, Monarchiæ fausta acclamando, & Sacerdotes Civitatis dimisso domi præcepto compulit ad celebrandum. Quemadmodum etiam in Terrâ Prizzi Carolus Coletti Archipresbyter ab assertâ Monarchiâ specialiter Delegatus, prædictam celebrationem, & Interdicti violationem aliis imperavit.

Et in Civitate Leucatæ, ac alibi.

§. 10. Præterea, quòd in Civitate Panormi Frater Salernus Prior Misericordiæ Tertii Ordinis Sancti Francisci, in contemptum censurarum Ecclesiasticarum omnes anathemate percussos publicè absolvit, eisque palàm Sacramenta ministravit, carcere, & aliis pœnis affligens Religiosos, sibi subditos, qui prædictis contradicerent, aut Excommunicatos in suam communionem recipere detrectarent, & temerè affirmans Summo Pontifici hâc in re obedientiam non esse præstandam. Imò cum die Dominicâ, duodecimâ mensis Maii, duo ex eisdem excommunicatis Ecclesiam dicti Ordinis intrassent eo tempore, quo Religiosi ad Beatissimæ Virginis opem implorandam convenerant, & sex ex ipsis, ne cum Excommunicatis communicarent, ab Ecclesia recessissent, antedictus Prior nedum eos in vincula conjecit, verùm etiam Potestatem Laicalem contra eosdem instanter instigavit, à qua propterea relaxatum fuit mandatum, ut in Castellum ad mare traducti in subterraneis ergastulis sub aquis detruderentur.

Frater Salernus Tertii Ordinis S. Francisci in Civitate Panormi excommunicatos absolvit & plura committit in contemptum Interdicti, & censurarum.

§. 11. Hæc omnia, etsi enormia, & sacrilega, ac antiquas propemodum nascentis Ecclesiæ persecutiones æmulantiâ, longè superari visa sunt, ut idem Dominus Procurator Fiscalis prosequebatur, ab iis calamitatibus, quæ Civitati, & Diœcesi Agrigentinæ ex temerariâ electione Francisci Vanni in Vicarium Generalem illius Ecclesiæ supervenerunt. Factus est enim iste universo Populo in scandalum, & in laqueum magnum, & tunc confortata fuit superbia, & castigatio, & tempus eversionis, & ira indignationis. Fusius autem, ut rei gravitas expoicit, historiam retexendo, narravit, quod alias post carcerationem trium Vicariorum Generalium Agrigentinorum, & obitum quarti, intruso in eodem Vicariatu Canonico Joanne Baptista Formica, in eoque munere se pertinaciter confovente, suo etiam Episcopo invito, & reluctante, & contra expressum mandatum Sanctissimi Domini Nostri, idem Sanctissimus per Literas in formâ Brevis die decimâ Martii 1714. ad Capitulum, & Canonicos præfatæ Ecclesiæ directas, eisdem, nec non reliquo Clero, tam Sæculari, quàm Regulari, ac universo Populo dictæ Civitatis, & Diœcesis enixè præceperat, ut ei dumtaxat Vicario Generali, qui à memorato eorum Episcopo deputatus foret, vel in posterum deputaretur, congruam obedientiam exhiberent, simulque scirent ea omnia, quæ Vicariatus ejusmodi titulo, sive à supradicto Canonico Formica de facto gerebantur, sivè à quovis alio, qui absque Sanctitatis Suæ, seu præfati Episcopi facultate dicti Vicariatus authoritatem sibi quomodolibet in posterum usurparet, similiter geri contingeret omninò irrita, invalida, & inania, nullusque roboris, ac momenti esse, & fore, quemadmodum verè illa pro irritis, invalidis, & inanibus se habere, & ab omnibus habenda esse declaravit. Evulgatis his Apostolicis Literis per universam Civitatem, & Diœcesim, Sæcularis Potestas insectari non destitit alios quatuor Vicarios Generales ab Episcopo successivè deputatos, duobus ex eis relegatis, & duobus à toto Regno expulsis. Et quia adhuc alii duo pari subingressu in eodem Vicariatus Officio legitimè constituti reperiebantur, quorum alter primò deputatus suo muneri, prout rerum conditio exigebat, clam satisfaciendo in publicum non prodibat, eadem Sæcularis Potestas sibi in animo proposuit, vel omnes, qui titulo Vicariatus hujusmodi assurgerent, aliorum exemplo exterminare, vel Vicarium sibi benevisum, & suorum scelerum Fautorem, & Ducem, in Ecclesiâ Agrigentinâ contra prædictas Apostolicas Literas constituere. Coegit propterea pœnâ mortis comminatâ Magistratum dictæ Civitatis Juratos nuncupatos, ut subscriberent supplicem libellum Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis directum, quo eisdem expositâ necessitate Vicarii Generalis instabant, ut attentâ ejusmodi Officii vacatione ad alicujus Vicarii Generalis electionem devenirent; dicto autem libello ab eâdem Sæculari Potestate ad tres Canonicos inferius nominandos transmisso, in ejus sequelam sub initium mensis Aprilis nomine Capituli, & Canonicorum præfatorum affixa fuerunt per Civitatem Edicta, quibus significabant, quòd si quis illic adesset Vicarius Generalis, infra triduum in apertum prodiret, sin minus eo elapso, & non comparente ad alterius Vicarii electionem se deventuros fore denunciabant. Cum verò unum ex ejusmodi Edictis affixum propè Portam Mazzaram nocte avulsum fuisset per Clericum Petrum lo Cicero, in hunc illicò manus injecerunt duo Milites Capitanei Schirò ad Edicti custodiam adstantes, illumque scloporum ictibus percussum ad præfatum Ducem Angioenum adduxerunt; qui cum factâ disquisitione comperiisset, quod manè dictus Clericus versatus fuerat cum Diacono Petro la Matina, hunc statim quoque apprehensum in carceres Episcopales sub arctissimâ custodiâ conjecit, Clericum verò lo Cicero post privatam detentionem in Castellum Civitatis Leucatæ allegavit, quod satis superque manifestum reddit, quàm conjuncta essent consilia & studia asserti illius Capituli, & Sæcularis Potestatis, quove tenderet Edictum sub Capituli nomine evulgatum. Triduo itaque elapso tres Ecclesiæ Agrigentinæ Canonici, videlicet Franciscus Catanzarus, Jacobus Ragusa, & Dominicus Brignonus, quorum duo priores per censuras Ecclesiasticas jam fuerant ab Ecclesiæ gremio separati; Tertius verò Interdicti manifestus violator, & compulsor, quoniam morte præventus humanum hoc evasit judicium, divinæ reservatus fuit sententiæ; Tres, inquam, antedicti Canonici, cæteris illius Ecclesiæ Canonicis, in diversa dispersis, aliis scilicet in carceres conjectis, vel relegatis, aliis exulibus, vel profugis, & aliis latitantibus, mense Apri-

Secularis potestatis violentia in quatuor Vicarios Generales ab Episcopo Agrigentino deputatos, & Machinatio pro electione alterius Vicarii Generalis.

Tres Canonici Agrigentini, scilicet duo excommunicati, & tertius manifestus Interdicti Violator, Vicarium Generalem Agrigentinum perperam eligunt Franciscum Vannum.

lis proximè præteriti Capitulum Agrigentinum, ut prætendebant, sed verius Sinagogam Satanæ repræsentantes, elegerunt in Vicarium Generalem Ecclesiæ Agrigentinæ supradictum Franciscum Vannum assertum Cantorem ejusdem Ecclesiæ, tunc Panormi commorantem, eique ejusmodi electionem significarunt. Ille igitur, habitâ prædictæ suæ electionis notitiâ, spirans minarum, & cædis, accepit literas à Ministris Sæcularis Potestatis in omnes, qui in Civitate, & Diœcesi Agrigentinâ Interdictum servassent, munitoque quodam suo familiari facultatibus Capitanei Armorum militari potius, quàm Ecclesiastico more, è Civitate Panormitanâ discessit die 15. ejusdem mensis Aprilis, & sero diei 17. Agrigentum pervenit. Mox familiam, & Officiales sibi constituit ex Viris impiis, & iniquis, ac manifestis Interdicti Violatoribus, & inter eos elegit in Assessorem supradictum Joannem Baptistam Palermum, Sacerdotem Joannem Parrinum in Procuratorem Fiscalem, & præfatum Canonicum Jacobum Raguſam in Magistrum Notarium, qui omnes memorato Vanno præsto erant cooperando & compellendo ad Interdicti violationem afflictis, & dispersis iis, qui eligentes potius abjectos esse in Domo Dei, quàm habitare in Tabernaculis Peccatorum, inter illius Officiales adscribi recusaverant: relegato etiam præ cæteris Doctore Piranio Siracusis ob Assessoris munus ab eo dimissum: Petro Scorzaro, & Francisco Formica Ærariis in carceribus Siculianæ detrusis, ac similiter in carceres conjectis Uxoribus aliorum Ærariorum, qui eâdem de causâ in fugam, & latebras se dederant, antiquis itidem Actuariis sub custodiâ Militum Domi detentis. Sequenti autem mane diei in Cœnâ Domini intravit in Sanctificationem cum superbiâ, & ausus fuit celebrare solemnia; indeque in publicam Plateam exivit, gestans in pectore claviculam Tabernaculi Domini, & suadens multis, ut ad Ecclesiam venirent. Populus tamen fugit à facie ejus, tanquam à facie colubri. Clerici pariter, licèt moniti ad interessendum Divinis, ejus contempserunt mandatum, & dimisso Clericali habitu in veste laicali in publicum prodeuntes, ab illius prætensâ jurisdictione se subtraxerunt: multi etiam Sacerdotes, qui in Civitate remanserant, & fideliter Mandatis Apostolicis obsequebantur, auditâ illius electione, vulgatâque famâ ejus adventus, descenderunt in abdita, & in abscondita, quærentes Justitiam, & Judicium in deserto. Posterâ autem die Parasceves idem Vannus una cum pluribus protervis, & contumacibus supplicationem fecit, ut Populum in Ecclesiam attraherent; Populo autem ad imaginem Sanctissimi Crucifixi gemente, & clamante, ut pacem daret sustinentibus ejus causam, sibique legitimum Sacrificii, & Sacramentorum usum restitueret, tres antedicti Canonici, & præsertim Catanzarus eumdem Populum urgebant, ut Ecclesiam ad lacrimandum ingrederetur, ibique Missas audiret, & Sacramenta reciperet.

Impia attentata præfati Vanni contra observantes Interdictum in Civitate, & Diœcesi Agrigentina.

Alia scelera ejusdem Vanni, ejusque Sociorum.

§. 12. Similiter in festo Sanctissimæ Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi dictus sacrilegus Vannus, comitantibus pluribus Presbyteris Interdicti contemptoribus, Crucifixum in manu gestans concionem habuit ad Populum in publicâ Plateâ Civitatis, asserens concessum fuisse à Sanctissimo Domino Nostro Jubilæum, omnesque obtestabatur, ut ad Sacrificia, & Sacramenta in Ecclesiam se conferrent. Insuper Dominicâ in Albis publicam indixit supplicationem, ut præfatum Jubilæum evulgaret, in quâ, fune ad collum alligatâ, spineâ coronâ capiti superpositâ, dorso saxis onerato, Crucem bajulans similem concionem in Plateâ ad Populum habuit, additis minis, si Ecclesiam intrare detrectasset: in id etiam cohortantibus, & sermonem habentibus Fr. Josepho Romano, aliàs Bellotta, Ordinis Discalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede, & supradicto Canonico Brignono, in sellâ gestatoriâ ob pinguedinem primi, & infirmitatem secundi in publicam Plateam hunc in finem delatis. Sed fidelis Populus magis, magisque obturaverat aures suas, nè exaudiret voces incantantium, & alii aliò fugierunt. Imò in aliâ supplicatione, in quâ delata fuit Imago Beatæ Mariæ Virginis *delli Greci* nuncupata, ne unus quidem ex Populo sacrum Confraternitatis induere voluit, ut Imaginem prædictam deferret. Parem quoque obedientiam Apostolicæ Sedis mandatis exhibuerunt mulieres, ad quarum subversionem Frater Franciscus Gattus Ordinis Prædicatorum ostiatim prædicare temerè præsumpserat, eas contumeliosè objurgando, quæ Missam audire, & Sanctissimam Euchariſtiam sumere recusabant: præ aliis verò excelluit fides, & constantia Sanctimonialium, quæ licèt in clausurâ positæ, animo tamen liberæ, præfato Vanno fortiter restiterunt, refugientes eum in Superiorem recognoscere, eique, licèt requisitæ, Monasteriorum, & Ecclesiarum claves consignare, inter quas, Moniales Monasterii Magni Agrigenti ab eâdem firmitate dimoveri non valuerunt, quamvis dictus Vannus muris obstrui decrevisset januas eorum Monasterii, easque sic propemodum privare omni humano commercio; quemadmodum etiam Moniales Civitatis Leucatæ viriliter recusarunt obedientiam exhibere Josepho Avernæ, in Vicarium foraneum illic ab eodem Vanno deputato, nec ullatenus timuerunt suum Monasterium custodiis fuisse à pluribus diebus circumvallatum, successivè occlusas fuisse illius januas, decretam bonorum sequestrationem, aliasque minas sibi illatas ab iis, qui possunt quidem corpus occidere, Animam autem non possunt, sed spe in Cœlum erectæ, tribulationem pro causâ Ecclesiæ cum patientiâ, & longanimitate sustinentes, laudabile exemplum fidelitatis, & obedientiæ erga Sanctam hanc Sedem cæteris exhibuerunt.

Nova scelera, & attentata præfati Vanni, & aliorum illi adhærentium.

§. 13. Prætereà aliud attentatum dictus Vannus sacrilegè patravit, ex quo commota fuit universa Civitas, & Diœcesis Agrigentina; nam præter literas encyclicas, seu circulares ad Parochos, & Vicarios foraneos Diœcesis directas, ac ultra decretam ejusdem Diœcesis visitationem ad totalem violationem Interdicti, temerario ausu, & summa imis miscendo, in pluribus Ecclesiis dictæ Diœcesis constituit Oeconomos, & Parochos sibi beneviſos, qui gregem potiùs dispergerent, quàm custodirent, carceratis jam, vel relegatis, seu exulantibus, & profugis eorum Pastoribus, deputavit Vicarios foraneos sibi adhærentes: & quod horrendum est, literas patentes ad confessiones audiendas distribuit Viris sacrilegis, & Interdicti manifestis contemptoribus, ut per ipsum Sacramentum pœnitentiæ, ad Animarum salutem à Christo Domino institutum, ipsis Animabus pretioso ejus Sanguine redemptis venenum propinarent; ex quo Fideles in maximâ fuerunt perturbatione, & discrimine constituti; discernere enim non valentes Pastores à Lupis, ad suorum peccatorum veniam Sacerdotem quærebant, & in suarum Animarum perniciem Sacerdotem reperire formidabant. Inter eos autem, quos idem Vannus, ut mox dictum est, deputavit, numerantur Alfius lo Cicero, Gerlandus la Mantia, Dominicus Sachitellus pro Fidelium confessionibus excipiendis. Placidus lo Verme cum assistentiâ Fratris Gatti superius nominati deputatus similiter fuit in Oeconomum in Parochiali Ecclesiâ Sancti Michaelis Agrigenti, carceribus tradito Dominico Dinâ Archipresbytero:

Johannes Baptista Calleja Oeconomus in Civitate Leucatæ, ibique etiam in Vicarium foraneum deputatus supradictus Joseph Averna: in Terrâ Cameratæ Oeconomus Sacerdos Laurentius Narcisus, olim Monachus, latitante illius Archipresbytero, & alii multi numerantur, quorum Catalogum impossibile est recensere.

Laicalis potestas præsidium, atque fomentum tribuit attentatis prædicti Vanni, & Interdictum observantes conjunctim dirè persequuntur.

§. 14. Execrabilibus hisce ausibus supradicti Vanni conatus suos addiderunt Laicalis potestas, & abrogatæ Monarchiæ Tribunal, & mutuas sibi dexteras porrexerunt, ex quorum immani feritate cumulata fuit calamitas earumdem Civitatis, & Diœcesis. Multiplicarunt enim flagella contra servantes Interdictum, destinatis Delegatis, qui huc, & illuc discurrentes, omnes cogebant, aut sacrificare, aut Sacrificiis respectivè interesse, aggravatis propterea pœnis carcerationum, relegationum, exiliorum, bonorumque interceptionum, ac funditus eversis patrimoniis, ac dispersis familiis, adeò ut multi persecutionibus fracti, & retrorsum abeuntes, à filiali erga Sedem Apostolicam obedientiâ desciverint, & plures transgredientes constitutum, & jusjurandum, quod juraverant, in pristinos errores relapsi sint; Bonis porrò, & fidelibus in vincula traditis, vel à Regno expulsis, sivè profugis, ac in solitudinibus errantibus, non sit penè amplius Sacerdos in Populo, tantùmque in Civitatibus, & Locis Diœcesis inhabitent, & exultent Rebelles, & Impii, qui ad insidias sanctificationis, & in contemptum mandatorum Apostolicorum publicè celebrantes, vel eis assistentes, dies festos converterunt in luctum, honores Dei in contumeliam, sacrificia ejus in opprobrium. Eò demum progressa est crudelitas laicalis Potestatis illius Regni, ut dispersis, ac dissipatis iis, qui mandatis Ecclesiæ obsequentes Interdictum fideliter, ut par erat, observabant, iram suam convertere non erubuerit contra illos, qui ex Christianâ charitate afflictis & profugis aliquâ ratione subveniebant, inter quos memorabile virtutis exemplum exhibuit Illustris Vir D. Ugo Notarbartolus Marchio Malphitani; non modò enim, eò quia, ut obsequens Ecclesiæ filius, ex causâ Interdicti abstinuerit ab expositione Sanctissimi Sacramenti cum Oratione quadraginta horarum in Ecclesiâ Matrice Caltanissettæ, ut prius consueverat, sed etiam ob suspicionem, quod Ecclesiasticos Interdictum servantes tutatus fuerit, ac tanquam Sindicus Apostolicus pauperem supellectilem Patrum Capuccinorum ab Invasoribus occultaverit, & custodierit, eidem tunc commoranti in Terrâ Palatii Adriani exhibitum fuit à Joanne Mendoza Capitaneo armorum *di Valdinoto*, & Francisco Baldanza Magistro Notario præceptum laicalis potestatis Regni Siciliæ, ut sub pœnâ unciarum mille se constitueret in Castello Drepani, à loco ejus residentiæ centum triginta milliaribus distante, instigantibus in id supradictis Felice Vitellaro, Andrea Angeli, Francisco la Pedura, & ejus filiis; cui quidem præcepto idem Marchio promptè parere non prætermisit eo fermè tempore, quo ob imminentem segetum messem indispensabilis ejus assistentia existimabatur; Conduxerat enim reditus Civitatis Caltanissettæ, in emphyteusim habebat Palatium Adrianum, aliosque magni valoris proventus, nec non quatuor domos apertas retinebat, inter quas unam Panormi, ubi afflictissimam Uxorem reliquit, non respiciens carnem, ac suis omnibus rationibus penitus neglectis; & in eodem Castello detentus, parvipendens dispersionem, & ruinam sui Patrimonii, ac Divinam voluntatem, & infallibilem ejus Providentiam adorans, lætabatur, & gloriabatur in tribulationibus suis: Rebusque aliis in Processu, & Processibus Causæ, & Causarum hujusmodi latiùs deductis, ad quos &c. prædicta, omnia, & singula committentes, ac temerè, & sacrilegè patrantes contra Immunitatem, Jurisdictionem, & Libertatem Ecclesiasticam, ac Interdictum in præfatis Civitate & Diœcesi Agrigentinâ de ordine Sanctissimi Domini Nostri appositum non solùm violantes, sed etiam acerrimè oppugnantes, & ad illius violationem cum maximo Fidelium scandalo, ac Pontificiæ authoritatis contemptu, sivè mandando, committendo, & compellendo, sivè consulendo, instigando, & aliàs quomodolibet cooperando urgentes, tam directè, quàm indirectè, tam conjunctim, quàm divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo, non solùm &c. sed & omni &c. super quibus &c. Quamobrem ad instantiam, & pro parte Domini Procuratoris Fiscalis fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenus de opportuno Juris remedio providere, & Monitorium extra Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur. Quare præsentato, & exhibito Nobis Chirographo, manu ejusdem Sanctissimi D. N. die vigesimâ sextâ mensis Martii currentis anni signato tenoris sequentis, videlicet:

Summus Pontifex causam, & Processum ejusmodi attentatorum, & scelerum delegavit A. C.

Tenor Chirographi Pontificii.

Monsignor Arcivescovo di Tebe, Auditor Generale della nostra Camera Apostolica. Con altro nostro precedente Chirografo, spedito dal nostro Palazzo di Monte Cavallo in data delli 30 Novembre 1714. vi ordinammo, che atteso l'accrescersi sempre più nel Regno di Sicilia le violazioni dell'Immunità, giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, e specialmente le Compulsioni, Consulte, ed Instigazioni all'inosservanza de gl'Interdetti di nostr'ordine apposti nelle Città, e Diocesi di Catania, e Girgento, Voi, & il vostro Tribunale dovestе procedere alla formazione de' Processi, e trasmissione de' Monitori contro quelli, che fossero risultati Violatori, come sopra, Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, ed in qualunque modo Cooperanti alla contravenzione di detti Interdetti, tanto direttamente, quanto indirettamente, concedendovi a tal'effetto le facoltà necessarie; E quantunque voi, & il vostro Tribunale, come Esecutore Generale delle Lettere Apostoliche, avereste potuto procedere in questa Causa, e Cause con le vostre ordinarie facoltà; Nondimeno à maggior cautela, e di nostro proprio moto, certa scienza, e pienezza della Nostra Potestà assoluta, preservando primieramente tutte, e singole altre ragioni, che intorno à ciò avessero potuto in qualunque modo, e tempo competere al nostro Fisco, & avocando à Noi, in quanto avesse fatto di bisogno, questa Causa, ò Cause da qualunque Tribunale, Congregazioni, e Giudice, come ancò havendo per espresso il contenuto del Processo, ò Processi fabricati d'ordine nostro, come di parola in parola vi fossero stati inseriti, Con detto Nostro Chirografo le commettessimo à Voi, ed al vostro Tribunale con li suoi annessi, connessi, emergenti, e dipendenti, anche con la clausola quam, & quas, commandandovi espressamente, che non solo in virtù delle vostre facoltà generali, mà anche in vigore delle particolari con detto nostro Chirografo concedutevi, dovestе procedere alla trasmissione de' Monitorii, e Citazione contro tutti quelli, che da' Processi nel vostro Tribunale formati sufficientemente fossero restati indiziati per Violatori dell' Immunità, Giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, & in qualsivoglia modo tanto direttamente, quanto indirettamente Cooperatori al' inosservanza degl' Interdetti di nostro ordine apposti nelle Diocesi di Catania, e Girgento, e contro qualsivoglia Persona, tanto Laici di qualsivoglia grado, preeminenza, e dignità, quanto Ecclesiastici Secolari, e Regolari di qualsisia Ordine, Congregazione, Instituto, & anche della Compagnia di Giesù, e

Mira constantia Ugonis Notarbartoli Marchionis Malphitani pro Interdicto.

quantunque si trattasse di Consultori, Qualificatori, ò altri simili Ministri del Sant'Offizio di quel Regno, e di ogni altra Persona di speciale, specialissima, & individua nota degna, ed insieme vi concedemmo tutte le facoltà di procedere à suo tempo contro li sudetti, benche da Noi non nominati, e dichiararli incorsi in tutte, e singole censure, che sono prescritte da sacri Canoni, Decreti de' Concilii Generali, e Constituzioni Apostoliche, come meglio in detto Chirografo, che abbiamo qui per espresso, come fusse registrato di parola in parola, quale non solo confermiamo in tutto, e per tutto, mà ampliamo in modo, che espressamente di simile nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà assoluta, concediamo à Voi, e vostro Tribunale, doppo aver una, ò più volte proceduto alle dichiarazioni, e condanne contro li Violatori sudetti, senza bisogno di altro Chirografo possiate, e possa il vostro Tribunale continuare, e nuovamente formare Processi contro li sudetti Violatori dell'Imunità, Giurisdizione, e Libertà Ecclesiastica, Consultori, Instigatori, ed in qualsivoglia modo complici direttamente, ò indirettamente, e contro li Compulsori, Consultori, Instigatori, ed in qualunque modo Cooperatori direttamente, ò indirettamente all'inosservanza degl'Interdetti come sopra, e contro li Violatori de' medemi in detto Regno di Sicilia, e particolarmente nelle Città, e Diocesi di Catania, e Girgento, compresevi ancora la Città, e la Diocesi di Lipari, e dichiararli incorsi nelle pene, che di ragione saranno competenti in esecuzione de' sacri Canoni, Decreti de' Concilii Generali, Constituzioni, e Brevi Apostolici, e particolarmente del nostro Breve emanato sotto li 6. Novembre 1714. super omnimoda, & inviolabili observantia Ecclesiastici Interdicti &c. senza pregiudizio di altre pene, che de Jure competessero; Ed affinche più facilmente possiate ciò eseguire in avvenire, e quante volte occorrerà, senz'altro Nostro Chirografo vi concediamo ancora la facoltà, rimossa ogni appellazione, richiamo, ricorso, opposizione di nullità etiam ex tribus, & altre ordinarie, e straordinarie di poterli citare per Editto, constandovi anche sommariamente, & estragiudicialmente, e quanto vi parerà, che basti, del non tutto accesso; volendo, e decretando, che il Monitorio, ò Monitorii, che intorno à ciò si spediranno da voi, e dal vostro Tribunale, affissi che saranno in Roma alla Basilica di San Pietro, alla Curia Innocenziana, & in Campo di Fiore, & alle Chiese Cathedrali, e maggiori delle Nostre Città, Terre, e Luoghi di Terracina, Nettuno, Porto d'Anzio, Fiumicino, Civita Vecchia & Ancona, vagliano, & habbino la loro forza, e vigore contro chi si sia, come se personalmente fossero stati citati, moniti, & intimati, derogando in quanto sia di bisogno à questo effetto, e per questa volta solamente, alle Constituzioni Apostoliche, fatte, & ordinate anche ne i Concilii Generali, e particolarmente à quelli delli Nostri Predecessori Bonifazio Ottavo de una, e d'Innocenzo Terzo nel Concilio Generale Lateranense de duabus Dietis, & ogni altra cosa, che facesse in contrario, ancorche havesse bisogno di espressa specifica, & individua menzione, il tenore delle quali tutte, e singole vogliamo, che si abbia quì per espresso, & inserto di parola in parola, e che il presente nostro Chirografo vaglia, & habbia il suo pieno effetto, vigore, & esecuzione con la nostra sola sottoscrizione; benche non sia registrato nelli Libri della nostra Camera, nè in alcun modo sia servata la forma della Costituzioni di Pio Quarto parimente Nostro Predecessore de regi randis, alla quale perciò per questa sola volta deroghiamo, e che contro di esso non si possa in alcun tempo opporre d'obrezzione, ò subrezzione, mancanza della nostra volontà, & intenzione, nè di qualsivoglia altro difetto, benchè degno di espressa, speciale, & individua menzione, e che non si possa diversamente interpretare, ò giudicare: dichiarando nullo & irrito tutto ciò, che in contrario da qualunque persona scientemente, ò ignorantemente si facesse, ò si attentasse. Non ostanti quanto à tutte, e singole cose premesse qualsivoglia Constituzione, & Ordinazione Apostoliche, Concilii, anco Generali, Statuti, Usi, Consuetudini, Decreti, Indulti, e Privilegii sotto qualunque forma, e tenore, etiam con derogatorie di derogatorie, etiam concessi motu proprio, e per rimunerazione di servizii resi alla Religione Cattolica, e alla Santa Sede, e con qualsivoglia altre clausole, e decreti; A quali tutti, e singoli, eziamdio più volte confermati e benche ricercassero speciale, & individua menzione, havendo i loro tenori per espressi, di simil moto proprio, e pienezza della nostra assoluta potestà, espressamente per questa volta sola, e per gli effetti sudetti pienamente deroghiamo, perche tale è la nostra certa, espressa, e determinata mente. Dato nel nostro Palazzo Apost. di Monte Cavallo questo dì 26. Marzo 1715.

CLEMENS PAPA XI.

Petiit, & summâ cum instantiâ postulavit, sine præjudicio tamen procedendi suis loco, & tempore contra alios in præsenti Monitorio non expressos, & in præmissis, vel circa ea huc usque repertos, vel in posterùm reperiendos culpabiles tam ex causis prædictis, quàm cujuscumque alterius læsionis immunitatis, jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ, ac omnium, & singulorum jurium hactenus quomodolibet, & qualitercumque Fisco acquisitorum, & competentium suis loco, & tempore deducendorum, de quibus omnibus, & aliis de jure, & de stylo protestandis expresè protestatur, ita ut protestatio hujusmodi intelligatur facta, & repetita in qualibet parte harum nostrarum literarum Monitorialium, & in toto Processu desuper in posterùm fabricando, & non aliàs &c. quatenus sibi literas Monitoriales ad Partes per Edictum publicum in locis in præinserto Chirographo designatis affigendas, exequendas, & publicandas, cum pro illis exequendis in Regno Siciliæ tutus non pateat accessus, in formâ solitâ decernere, & concedere, & aliàs de opportuno juris remedio providere dignaremur. Nos igitur Nicolaus Spinula Archiepiscopus Thebarum, Judex Executor, & Auditor prædictus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam in vim ordinariæ nostræ auctoritatis, præinsertoque Chirographo Nobis, ut præfertur, præsentato inhærentes, ac etiam facultate in illo Nobis, nostroque Tribunali attributa utentes, constitoque Nobis per Testes fide dignos de mandato nostro jam examinatos ad dictum Regnum Siciliæ &c. in quo moram trahunt, & morari solent citandi, & monendi, pro præsentibus nostris Monitorialibus literis exequendis tutum non patere accessum, petitas literas Monitoriales concedendas, & in locis infradicendis exequendas, & publicandas fore, & esse duximus, & mandamus per præsentes.

§. 15. Quo circa vobis omnibus, & singulis supradictis, ac vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus visis iisdem præsentibus per præsens publicum nostrum Edictum in Romana Curiâ in Audientiâ publicâ literarum contradictarum Sanctissimi D. N. Papæ legen. & ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & extra eam in Confinibus Maritimis hujus Status Ecclesiastici, nempe in Civitatibus, Terris, & Locis Terracinæ, Neptuni, Portus Antii, Flumicini, Civitatis Vetulæ, & Anconæ per affixionem, publicationem, & exequutionem ad valvas Cathedralium, & Majorum Ecclesiarum respectivè, ex parte nostrâ, imò veriùs Apostolicâ authoritate, pro

Nomina Violatorum, & Compulsorum ad Interdicti violationem.

nunc, & sine præjudicio facultatis procedendi suis loco, & tempore contra alios, ac etiam contra prædictos gravioribus pœnis repertos, vel reperiendos culpabiles (quorum aliqui iterum iucurrerunt in censuras, licèt alias excommunicati declarati extiterint) quam facultatem Nobis expresè reservamus, supradictos *Sacerdotes Dominicum Sachitello, Joannem Baptistam Palermo assertum Archipresbyterum Calamonici, Jacobum Caracciolo, Jacobum Sciascia, Paulum Sciascia, Casimirum Constantinum Tarasi, Clericum Onuphrium Butera, Canonicum Franciscum Catanzaro, Fr. Franciscum Mariam Trigona, & Fr. Dominicum Palamengo Minores Conventuales Sancti Francisci, Fr. Angelum Morillo, & Fr. Ludovicum Morillo Ordinis Prædicatorum, Sacerdotes Didacum la Pedura, Vincentium la Russa Archipresbyterum Caltanissettæ, & abrogatæ assertæ Monarchiæ Delegatum, Hieronymum Naro Vicarium Foraneum, Fr. Justinum è Castro Termini Ordinis Discalceatorum S. Augustini Vice-Priorem dictæ assertæ, & abrogatæ Monarchiæ, Sacerdotes Andream Angeli, Felicem Vitellaro, Calogerum Fonti, Josephum Fiannacca, Fr. Ferdinandum Guasti Minorem Conventualem S. Francisci, Fr. Felicem Scarsella Ordinis Capuccinorum, Sacerdotes Franciscum Palermo, Vitum Abruzzo, Honuphrium Zacco, Joannem Giacone, Valerium Sciascia Magistrum Notarium dicti Joannis Baptistæ Palermo, Clericum Flaminium Cannata, Sacerdotes Cajetanum Pizzolante, Carolum Colletti Archipresbyterum Terræ Prizzi, Fr. Salerno Priorem Misericordiæ Tertii Ordinis Sancti Francisci Panormi, Franciscum Vanni assertum Cantorem Cathedralis Ecclesiæ Agrigentinæ, & in Officio Vicariatus Generalis intrusum, Jacobum Ragusa Canonicum ejusdem Ecclesiæ, Sacerdotem Joannem Parrino, Fr. Josephum Romano, aliàs Bellotta Ordinis Discalceatorum Beatæ Mariæ de Mercede, Fr. Franciscum Gatto Ordinis Prædicatorum, Sacerdotes Alfium lo Cicero, Gerlandum la Mantia, Placidum lo Verme, Joannem Baptistam Calleia, Josephum Averna, & Laurentium Narcisi olim Monachum*, (cùm quoad Laicos superius nominatos, in separatâ instantiâ agatur) citetis, moneatis & requiratis, prout Nos eosdem harum serie citamus, monemus, & requirimus primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra duorum mensium spatium, quorum priores viginti dies pro primo, alios viginti dies pro secundo, posteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione assignamus, & vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ in Judicio coram Nobis, vel infrascripto Perillustri, & Excellentissimo Domino Dominico Cæsare Florello Locumtenente nostro in Criminalibus Generali legitimè comparuisse, & comparere ad deducendum, & allegandum causam quare non debeat ipsos, & eorum quemlibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solitâ, nec non quoad Ecclesiasticos Sæculares, in Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum cujusvis generis, seu naturæ sint; quò verò ad Regulares, in Officiorum, Dignitatum, & Graduum Regularium quorumcumque per eos respectivè obtentorum privationis, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterùm quomodolibet obtinenda, pœnas, aliasque in supradictis Literis Apostolicis in formâ Brevis Sanctissimi Domini Nostri, die sextâ Novembris anni millesimi septigentesimi decimi quarti expeditis super omnimodâ, & inviolabili Interdicti observantiâ contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, ac sine præjudicio aliarum pœnarum in omnes prædictos, vel eorum singulos irrogandarum, contra illos, & illorum quemlibet literas quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, ac ad omnes & singulos actus, de, & super præmissis, & circa ea quomodolibet necessarios, & opportunos procedi, nec non respectivè ad videndum sese in censuras, & pœnas hujusmodi incidisse, & incurrisse declarari; Ipsique Domino Procuratori Fiscali jus, & justitiam ministrari. Certificantes eosdem *Dominicum Sachitello, Joannem Baptistam Palermo, Jacobum Caracciolo, Jacobum Sciascia, Paulum Sciascia, Casimirum Constantinum Tarasi, Onufrium Butera, Franciscum Catanzaro, Fr. Franciscum Mariam Trigona, Fr. Dominicum Palamengo, Fr. Angelum Morillo, Fr. Ludovicum Morillo, Didacum la Pedura, Vincentium la Russa, Hieronymum Naro, Fr. Justinum è Castro Termini, Andream Angeli, Felicem Vitellaro, Calogerum Fonti, Josephum Fiannacca, Fr. Ferdinandum Guasti, F. Felicem Scarsella, Franciscum Palermo, Vitum Abruzzo, Onuphrium Zacco, Joannem Giacone, Valerium Sciascia, Flamimium Cannata, Cajetanum Pizzolante, Carolum Colletti, Fr. Salerno Priorem Misericordiæ Tertii Ordinis Sancti Francisci Panormi, Franciscum Vanni, Jacobum Ragusa, Joannem Parrino, Fr. Josephum Romano, aliàs Bellotta, Fr. Franciscum Gatto, Alfium lo Cicero, Gerlandum la Mantia, Placidum lo Verme, Joannem Baptistam Calleia, Josephum Averna, & Laurentium Narcisi* sic citatos, & monitos, quod si in dicto termino ipsis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, Nos, vel dictus Locumtenens Criminalis infrascriptus nihilominus servatis terminis de stylo Curiæ servari solitis ad omnium, & singularum censurarum, & pœnarum prædictarum respectivè (ultra alias de jure competentes reservatas) incursus declarationem, & executionem, Cedulonumque dictæ excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque respectivè, & ad omnia alia necessaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, sive deveniet, & procedet, justitiâ mediante, eorum absentiâ, & contumaciâ non obstante. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo quinto, Indictione octavâ, die verò nonâ mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divinâ providentiâ Papæ XI. Anno decimo sexto.

Citantur, & monentur omnes supra nominati ad comparendum, & allegandum causam quare declarari non debeant excommunicati &c.

Dominicus Cæsar Florellus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Causar. Cameræ Apostolicæ Notarius.

Die 17. *Martii* 1716. *Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curiæ servari solitis, lata, & publicata fuit contra omnes præfatos Citatos, & Contumaces Sententia declaratoria incursus in omnes, & singulas Censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.*

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula Cedoloni nuncupata, qua universis Christifidelibus denunciati fuerunt Excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura illi omnes, & singuli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

X.

MONITORIUM

Die 9. Decembris 1715. expeditum contra Compulsores, & Violatores Immunitatis, Jurisdictionis, & Libertatis Ecclesiasticæ in Civitatibus Panormi, & Messanæ, nec non in Civitatibus, & Diœcesibus Catanien., Agrigentin., & Liparen., ac Ecclesiastici Interdicti, eisdem Civitatibus, & Diœcesibus Catanien., Agrigentin., & Liparen. appositi, & præsertim contra Laicos dictarum Civitatum, & Locorum.

Nicolaus Spinula Archiepiscopus Thebarum, Pontificii Solii Assistens, Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius; Sententiarum quoque, ac Censurarum, tam in eadem Romana Curia, quàm extrà eam latarum, ac Literarum Apostolicarum quarumcunque Universalis, ac merus Executor, nec non Judex à Sanctissimo Domino Nostro Papa in infrascripta Causa per speciale Chirographum Deputatus, ac Delegatus.

UNiversis, & singulis Reverendis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ Literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

§. 1. Noveritis, quod hac infrascriptâ die comparuit coram Nobis Perillustris, & Excellentissimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Procurator Fiscalis, & exposuit, quod cum ex veteri, ac laudabili consuetudine singulis annis die quinta Februarii, Sanctæ Agathæ sacra, pia quædam supplicatio, seu processio in Civitate Panormi habeatur, in qua cum interventu quorumdam ex Regularibus, nec non Capituli, & Canonicorum Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ, ac Senatus Panormitani, Sacræ hujus Virginis, & Martyris Reliquiæ per Civitatem circumferri solent, timerentque iidem Regulares, ne (sicut aliàs Sæcularis potestatis instigatione accidisse compertum est) aliquis ex Excommunicatis prædictæ supplicationi interesse auderet, optimâ ratione statuerunt hoc anno, ejusmodi superveniente casu, propriæ Crucis vexillo demisso, à supplicatione discedere, ne scilicet communicando in divinis cum publicè denunciatis, inciderent in censuras à Sacris Canonibus, Apostolicisque Constitutionibus inflictas. Cumque, uti verebantur, unus ex Excommunicatis, nempe Sacerdos Franciscus Brunus, dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ Beneficiatus, vulgò Vidandiere, qui post vesperas ab Ecclesiâ egressus fuerat, specie quidem sacram supplicationem evitantis, sed revera, ut diabolicâ calliditate Regulares prædictos eluderet, clanculum ad illam per aliam januam reversus, sub ipsius supplicationis initium, superpelliceo, & dalmaticâ apud Siculos vulgò *Fegatale* indutus, comparere ausus fuerit, locumque inter alios Beneficiatos occupare: hujusce Excommunicati inopinato aspectu perculsi tam Seminarii Ecclesiastici Alumni, quàm Fratres Ordinis Prædicatorum Conventuum Sancti Dominici, & Sanctæ Zitæ, confestim disrupto Supplicationis ordine aufugerunt, eorumque exemplo Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupati *della Gangia*, & una cum eis Augustiniani, Carmelitæ, ac Minimi S. Francisci de Paulâ supplicationem ipsam sacrilega Excommunicati præsentiâ prophanatam deseruerunt, proprium quique Conventum repetentes, exceptis dumtaxat Fratribus Tertii Ordinis Sancti Francisci, & Vicario illius supplicationis, qui à præmeditatâ fugâ defecerunt. Præclarum hoc, perenni omnium laude dignum, obedientiæ exemplum erga Apostolicam Sedem, nefarium objurgatorem habuit, quem nunquam habere debuisset, Magistrum scilicet Pizzolantem, Priorem Provincialem Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, qui ubi suos Religiosos relictâ supplicatione ad Conventum regressos conspexit, regressusque causam cognovit, Dei timore contempto, habitusque, & officii sui sanctitate violatâ, nedum contra dictos Religiosos verba protulit, Ecclesiastico, & Regulari Superiore prorsus indigna, sed (quod horrendum est) imbecilliores quosdam ex iisdem Religiosis, ut ad ipsam supplicationem redirent, temerè compulit, ducemque se illis hac in re majori cum scandalo præbere non erubuit in gratiam Ministrorum laicæ potestatis, qui propterea acerbioribus temeritatis, & impudentiæ modis eos insectati sunt Regulares, qui eamdem supplicationem reliquerant, præcipuè verò Superiores, quorum jussu præmissa omnia contigisse existimarunt.

§. 2. Ejusmodi autem nefarium facinus præ cæteris adimpletum fuit per Tribunal illud, quod sacra nomina temerè, & per summam impudentiam usurpans, sacram se Ecclesiasticorum Congregationem, seu Junctam vocitat, licet ex hominibus, nedum merè laicis, sed quibusdam etiam excommunicatis publicè declaratis constituatur, cum in eo reperiantur Joseph Fernandez Præses Tribunalis Regiæ Magnæ Curiæ, Antonius Negri Præses Tribunalis Consistorii sacræ Conscientiæ, Comes Borda Consultor, Nicolaus Pensabene Præses Advocatus Fiscalis Magnæ Curiæ Civilis, & Ignatius Perlongus Advocatus Fiscalis Tribunalis Patrimonii. Hujus itaque Congregationis, seu Junctæ decreto, nec non consilio, operâ, & assistentiâ dicti Perlongi, sequenti die sexta Februarii sacrilegis vinculis mancipati fuerunt PP. Prior S. Dominici, & Promagister Novitiorum, qui in dictâ supplicatione Vicarii munus obierat, PP. Guardianus, & Vicarius Conventus Minimorum Sancti Francisci, de Observantia nuncupat. *della Gangia*, PP. Prior, & Vice Prior S. Augustini, PP. Corrector, & Procorrector Minimorum S. Francisci de Paulâ, eorumque Superior Provincialis, qui omnes in carceres Castri ad mare detrusi fuerunt, appositis vigilibus, qui ad Carceratorum custodiam, diu, noctuque excubarent, eosque à mutuis habendis colloquiis prohiberent. Damnabilem operam ejusmodi carcerationibus præstiterunt, præter præfatum Ignatium Perlongum, Dominicus Piccione, assertæ, & abrogatæ Monarchiæ, Fiscalis Matheus nuncupat. *lo Vecchio* Porterius, seu Satelles, & N. N. alter Porterius seu Satelles.

§. 3. Ad hæc eadem Congregatio, seu Juncta in aliam prorupit temeritatem, quippe ejusdem Perlongi operâ execrabilem propositionem, jamdiu tempore san. mem. Innocentii X. sub die 15. Januarii 1652. pro schismaticâ, & hæreticâ à Sacrâ Inquisitione reprobatam, Regularium Superioribus, aliis quidem oretenus tantùm, aliis verò in scriptis expositam deferri curavit, ab iis improbè requirendo, ut singulos eorum Subditos interrogarent, num parituri essent Decretis Rescriptis, Brevibus Apostolicis, censuris particularibus, seu generalibus, Interdictisvè in Siculam Ditionem transmissis, absque eo quod Regio exequatur munirentur; Ita ut illorum nomina, qui illis obedientiam, nullâ habitâ ratione Regii exe-

Panormi in Festo S. Agathæ solemnis habetur Processio cum Reliquiis ejusdem Sanctæ.

Regulares constituunt à dicta Processione discedere, ubi aliquis Excommunicatus illi interesse auderet.

Sacerdos Franciscus Brunus Metropolitanæ Beneficiatus Excommunicatus, Superpelliceo, & Dalmatica indutus eidem Processioni se immiscere audet.

Alumni Seminarii, & omnes Regulares, exceptis Fratribus Tertii Ordinis S. Francisci, & Vicario supplicationis, eam illicò deserunt, & proprium quique Conventum repetunt.

Provincialis Carmelitarum suos Religiosos coarguit, & ad Processionem redire compellit, illisque se ducem præbet.

Congregatio, seu Juncta prædicta ope Ignatii Perlongi Advocati fiscalis exquirit à Superioribus Regularibus, an ipsi, eorumque Religiosi parituri sint decretis Apostolicis in Siciliam transmissis, absq; eo quod Regio exequatur, muniantur, & singulorum responsum scripto exarari postulat.

Congregatio seu Juncta Ecclesiasticorum dirè Insectatur Regulares, qui dicta Processione aufugerunt, & plures ex ipsis in carceres detrudit.

exequatur, se præstituros esse declararent, in alterâ folii parte eorum verò, qui se obedientiam hujusmodi negaturos dicerent, in oppositâ describerentur. Et hæc quidem ab omnibus Regularibus, ut præfertur, impudentissimè requirebantur, majori autem cum audaciâ à PP. Conventus S. Zitæ Ordinis Prædicatorum postulata fuerunt; eorum siquidem constantiam expugnandam cum temerè suscepisset Doctor Dominicus Ondars à Studiis dicti Perlongi, ac etiam N. Conservator Regni, origine Taurinensis, unanimiter libellum, seu folium, quod conscriptam recensitæ propositionis approbationem continebat, subscribendum iis detulere, & præcipuè Patri Magistro Regenti Majorana, quem etiam variis librorum assertis authoritatibus tentarunt, ut folium prædictum subscriberet, sed frustra, cum ipse dictis Seductoribus ad evidentiam ostenderit præfatam propositionem, uti schismaticam, hæreticam, alias damnatam fuisse, damnabilioremque tunc fieri, utpote relativam ad temerarium illud edictum per Sanctissimum Dominum Nostrum Papam Clementem XI. damnatum, quo scilicet, tamquam irrita, nulliusque roboris declarata fuerant Decreta, & Brevia Pontificia, Regio exequatur carentia, cum satis omnibus Christifidelibus perspectum, exploratumque sit Sanctiones, Decreta, ac Constitutiones, quæ ab oraculo Supremi, & Visibilis Ecclesiæ Capitis, Christique in Terris Vicarii emanant, utpote divinâ potestate fulcita, per se ipsa ubique locorum, independenter à quacumque humanâ authoritate, paratam executionem habere. Cumque paucis ab inde diebus P. Prosuperior Conventus supradicti, jussu cujusdam Officialis præfatæ Congregationis, seu Junctæ, iisdem Religiosis decernendum publicè proposuisset, quid essent facturi, eveniente casu particularis, vel generalis Interdicti, num scilicet Cathedrali Ecclesia illud servante, ipsi quoque servaturi forent, & an cum Excommunicatis in Ecclesiam convenientibus forent communicaturi? Nunquam in suis responsionibus à via veritatis declinarunt, id etiam laudabiliter præstantibus cœteris ejusdem Ordinis Religiosis, nec non Fatribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, Minimis Sancti Francisci de Paula, ac quantum hactenus innotuit, nonnullis tantùm ex Augustiniana Familia in diversa abeuntibus.

Regulares, ac præ cæteris Majorum Regens Ordinis Prædicatorum, constanter abnuunt folio prædictam propositionem continenti subscribere, eamque hæreticam, & alias damnatam ostendunt.

Brevia, & decreta Pontificia ubique locorum paratam habere debeant executionem independenter àquacumque humana authoritate.

§. 4. Obtinuerunt interim præfati Regularium Superiores à carceribus memorati Castri, in quibus per octo ferè dies detenti fuerant, relaxari. Verùm ut in hoc etiam delictum, scandalumque non deesset, Dominico Piccione abrogatæ assertæ Monarchiæ Procuratore Fiscali, nec non Mattheo prænominato *lo Vecchio* alteroque Birruario comitantibus, proprio Conventui se restituere coacti sunt, extorta insuper à Fratribus Minoribus de Observantia titulo relaxationis quadam pecuniæ summa, ac mandato pro illius solutione eorum Syndico transmisso; Quin imò neque etiam è carceribus educti debitam sibi libertatem recuperare potuerunt, cum ipsi à Superioribus perperam in eorum locum suffectis jussu ejusdem Congregationis, seu Junctæ prohibitum fuerit, ne pedem ponerent extra Claustra, simulque demandatum, ut intra quatuor dierum spatium in exilium proficiscerentur; Cumque iis constituta die per adversum tempus discedere non licuerit, expulsi tamen fuerunt, nondum elapso dicto mense Februarii, P. Antonius Vella Prior Sancti Augusti, P. Cajetanus Lombardi Subprior, P. Petrus Franciscus Castelli Prior Conventus Sancti Dominici, P. Raymundus Calvi Promagister Novitiorum Conventus S. Zitæ ejusdem Ordinis Prædicatorum, P. Alexander è Panormo Custos, P. Archangelus de Monte Regali Vicarius Conventus Minorum S. Francisci de Observantia aliàs *della Gangia*, P. Gaspar Cascianus Superior Provincialis, P. Jacobus Carravini Corrector, P. Jacobus de Franco Procorrector Minimorum Sancti Francisci de Paula.

Regulares Carcerati ob discessum à Processione relaxantur, ad quamdam pecuniæ summam solvendam coguntur, ac postmodum exilio mulctantur.

Nomina Regularium in exilium actorum.

§. 5. Eodem fermè tempore plura notatu digna evenere; cum enim die 10. Februarii, nempè quartâ Dominicâ post Epiphaniam, P. Blancardus Ordinis Prædicatorum in Ecclesiâ Sancti Dominici ad Populum sacra verba faceret super illum currentis eo die Evangelii Textum: quo dicitur: Simile factum esse Regnum Cœlorum Homini, qui seminavit bonum semen in Agro suo: ex quo in dies magis inobedientia ergà Sanctam hanc Sedem, & Clavium contemptus augeri videbatur, Spiritus Sancti, qui ubi vult spirat; igne succensus, Sanctissimam Crucifixi Redemptoris Imaginem præ manibus habens, verus Christi Orator, multa de obedientiâ ergà Sedem Apostolicam præstanda dixit, quibus piè commoti Audientium animi, suspiria, singultus, lacrymasque emiserunt; quod etiam eadem die contigit in Ecclesia S. Ritæ, in qua P. Thomas Innocentius Barcellona, inter Sanctissimi Rosarii recitationem, sumpto argumento ab admirabili Ascensionis Dominicæ Mysterio, opportunè enarravit, quod dum magno angerentur dolore Apostoli, ob eorum orbitatem propter ascensum Domini Nostri Jesu Christi in Cœlum, dulcissimè eos solatus fuerit Divinus Salvator, & Magister, illis denunciando, se in Terris sui Vicarium, qui noxia evelleret, & destrueret, uriliaque plantaret, Petrum reliquisse; Atque inde inferens, quod cum indubitatum sit, legitimum B. Petri Successorem esse Romanum Pontificem, ei jure meritò Christifideles omnes enixam præstare teneantur obedientiam; Quo sanè verbi Dei gladio adeò penetrata fuerunt Auditorum corda, ut gemitibus, ploratibusque Sacra Ædes piè insonuerit. Nec dissimile est id, quod eadem die accidit in Templo domus professæ Societatis Jesu, ubi P. Antonius Ignatius Mancusius in expositione Sacræ Scripturæ, & peculiariter cap. Genes. 21. in quo legitur: *Crevit Isaac, & ablactatus est Puer, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus*: ostendit quàm grande sit gaudium quo æternus Pater perfunditur in conspectu nostræ Fidei, non jam lactantis in cunis, sed adultæ in Theatris, in faciem sævientium magnanimiter fortis, & sanguinem effundere paratæ, prout effundere non dubitarunt tot generosi Martyres, imbelles Virgines, & lactantes Pueri, qui, sicuti eos Deus illam per verbum edocuerat, ita proprio cruore per summam fortitudinem firmarunt, canentes cum Isaia 25. *Iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari ejus*: Nullum profectò in Sacris hisce Oratoribus crimen inveniri poterat; quod enim crimen esse potest, verbum Dei in veritate annunciare? Illos nihilominus reos, utpote contrarios operibus suis, Ministri Laici existimantes, Religiosos Sancti Dominici exilii pœna mulctarunt, Patrique Mancusio (qui proprii Superioris jussu in Domus professæ Villam se receperat ad effugiendum carcerationem, quæ ex adventu Advocati Fiscalis Perlongi timebatur) eâ conditione permanendi facultatem in Civitate Drepani concesserunt, ut à publicâ concione habendâ, & ab audiendis Sacramentalibus Confessionibus abstineret, de quibus per Præpositum Provincialem Societatis certior factus idem P. Mancusius, Religioso vero dignum reddidit responsum: æquo animo scilicet se obtemperaturum, si jussu sui Superioris, secus verò si Potestatis Laicæ mandato prædicta sibi interdicerentur, ideòque ad quæcumque pro Justitiâ fortiter sustinendâ paratus, maluit à Siculâ Regione exilium perpeti, quàm ex

P. Blancardus Ordinis Prædicatorum de obedientia Apostolicæ Sedi præstanda præclare disserit in Ecclesia S. Dominici, & Audientium animos permovet.

Idem egregiè præstat P. Barcellona in Ecclesia S. Rotæ ejusdem Ordinis.

Et docet omnes Christifideles obtemperare debere Romano Pontifici, Christi Vicario B. Petri Successori.

Idem insuper agit P. Mancusius Jesuita in Ecclesia domus professæ.

Ob præmissa iidem Regulares S. Dominici à Laicis Ministris exilii pœna mulctantur.

Et P. Mancusius itidem vexatur.

Qui demum è Regno Siciliæ ultrò exulat.

præcepto Miniſtri Laici proprii Inſtituti Religioſa exercitia relinquere.

§. 6. Cæterum ab iis, quæ per ſummam imprudentiam contra Regulares gerebantur, nec ipſa Epiſcopalis Dignitas fuit immunis, nam cum Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Panormitanus, ne cum Excommunicatis communionem haberet, deſiiſſet in ſua Metropolitanâ Eccleſiâ Pontificalia celebrare, & Divinis intereſſe, aut veritus fuit ſupranominatis Ignatius Perlongus ad eumdem Reverendiſſimum Archiepiſcopum de menſe Januarii proximè elapſi ſe conferre, eumque hortari, ut ægritudinis prætextu ſublato, ad Eccleſiam accederet ſaltem in proximo Sanctæ Roſaliæ Feſto, ibique eo die ſolemni Sacrorum celebrationi aſſiſteret, ad removendum (ut aiebat) ſcandalum ex ejus abſentiâ ab Eccleſiâ in Populo exortum; temerè addendo, optimè notum eſſe, ſimulatam à ſe fuiſſe ægritudinem, ne in Eccleſiam deſcendendo cum Excommunicatis communicaret: Ad quæ zelo Domus Dei accenſus Reverendiſſimus Præſul, pervicacem, & pravum hunc Cenſurarum, & Sacrorum Canonum contemptorem acerbè increpans, eique ultionis judicium, quò tardius, eò ſeverius à Deo ſibi infligendum comminatus, illum dimiſit. Cum autem ferre jam amplius non poſſet idem Reverendiſſimus Archiepiſcopus tot Sacrarum Perſonarum carcerationes, & exilia, nec non ſcandaloſam, & diuturnam Excommunicatorum communionem in publicum Apoſtolicæ Authoritatis contemptum, cumque res eò jam eſſent adductæ, ut pro debito ſui Paſtoralis Officii munere, opportunis Juris, & facti remediis, per Sacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas præſcriptis utendum ſibi neceſſario eſſet, benignè, ac paternè, antequam ad illa procederet, primarium in dicto Regno Sæcularis Poteſtatis Miniſtrum de his omnibus commonuit; Verum eò inconſiderationis, & temeritatis deventum eſt, ut neglectâ reverentiâ proprio Paſtori debitâ, illi quædam Epiſtola tranſmiſſa fuerit, quâ Taurinum ad audiendum verbum regium petere præcipiebatur, evulgando interim, eumdem Archiepiſcopum fuiſſe ab eo Principe accitum, ut de vigentibus cum Romanâ Curiâ controverſiis plenè inſtructus, inde ad Urbem mitti poſſet ad eaſdem controverſias cum Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa componendas.

§. 7. Hoc compoſitionis cum Eccleſia ineundæ evulgato deſiderio, unuſque credidiſſet, & ſanè rationabiliter, nullus ampliùs violentias fore timendas; nihilominus aliter ſe res habuit, neque enim intermiſſa fuit Eccleſiaſticorum, & præſertim Regularium injuſta oppreſſio, dum præter Religioſos relatos, ab eâdem Congregatione, ſeu Junctâ, circa idem tempus diſceſſus Archiepiſcopi, alii etiam exulare juſſi fuerunt ex iis, qui damnatam propoſitionem ſubſcribere recuſaverant, inter quos duo illi Concionatores Ordinis Prædicatorum, de quibus ſuperius mentio facta fuit. Ita pariter in exilium miſſi fuerunt è Conventu S. Auguſtini P. Baccalaureus Marcus Antonius Bertola, P. Marianus Botta, P. Franciſcus Valmajor, P. Thomas Benedictus Calvi, Frater Joannes Thomas è Bono, Fr. Vincentius Catania; E Conventu Conſolationis ejuſdem Ordinis, P. Baccalaureus Joſeph Maria Miſſâ Prior, P. Baccalaureus Thomas Aurelius Magiſter Novitiorum, P. Baccalaureus Dominicus Hernandes Proprior, P. Antoninus Maggio Procurator; E Conventibus verò S. Dominici, & S. Zitæ præfati Ordinis Prædicatorum, P. Baccalaureus Joannes Dominicus Riccardi, P. Regens Hieronymus Torres, P. Baccalaureus Hiacinthus Maria la Ferlà Prædicator Generalis, P. Joſeph Maria Blancardus Lector, Fr. Franciſcus Eſpina Lector, Fr. Joſeph Palazzo Lector, Fr. Joſeph Barchiona Lector, Fr. Thomas Innocentius Barchiona, Fr. Pius Apulienſis; E Minoribus Obſervantibus S. Franciſci, P. Bonaventura de Drepano Cuſtos, P. Albertus de Drepano, P. Angelicus de Caltaniſetta (cui tamen in gratiam gravis ætatis exilium remiſſum fuit) P. Lector Felix de Drepano, Fr. Joannes Maria de Panormo Laicus; Ex Minimis denique Sancti Franciſci de Paula, P. Exprovincialis, & Regens Studiorum, Fr. Fridericus Graffeo, P. Exprovincialis Laurentius Lombardinus, P. Definitor Vincentius Perna, P. Definitor Mattheus Francus Actualis Lector Theologiæ, P. Lector Balthaſſar Franciſcus, P. Definitor Coſmus Cardace, qui tamen invalidus reputatus fuit ad luſtinendum exilium, cum morbo graviter vexaretur. His porrò in exiliis demandandis eadem Congregatio, ſeu Juncta, diabolicâ illa calliditate uſa eſt, quam adhibere ſolent ii, qui lucem oderunt, ne opera eorum arguantur; ut enim hæc, nedum impia, ſed etiam injuſta exilia, Populo occulta remanerent cogebantur illi, qui è Siciliâ expellebantur, ad literas illas, quæ vulgò *Paſſaporto* appellantur, obtinendas, ſupplices libellos exhibere, in quibus privati negocii gerendi gratiâ, ſe ad hanc Almam Urbem proficiſci velle exponebant; Quod idem falsò poſteà, etiam in ipſis Litteris, quæ Exulibus tradebantur, aſſerebantur. Quis jam credere poterit in Catholico Regno eò calamitatis deventum eſſe, ut ad ſuſtinenda per ſummum nefas prætenſa aſſertæ, & abrogatæ Monarchiæ Jura, ſeu veriùs abuſus, neceſſe ſit, Eccleſiaſticis præſertim, vel cum æternæ ſalutis diſpendio cum Excommunicatis in Divinis communicare, vel exilia, carceres, bonorumque proſcriptiones perpeti?

§. 8. Congregatio ſiquidem, ſeu Juncta illa de qua ſuperiùs dictum eſt, ac acerbis, indigniſque modis affligere, & inſectari non ceſſans eos omnes, qui ſe obſequentes, ut par eſt, Eccleſiaſtico Interdicto demonſtrant, illos ad minimum in exilium à toto Regno ejicere ſatagit, quemadmodum eâ de causâ ejecti ſunt Sacerdos Mattheus Pallotta, Angelus Serio, Mattheus Rizzi, Vincentius Navarro, Michael Ficazza, Hieronymus Caggio, Vincentius Roſſo Beneficiati Metropolitanæ Eccleſiæ Panormitanæ, Sacerdos Sigiſmundus Roſſo Miniſter Seminarii, ac demum duo ejuſdem Metropolitanæ Canonici, Archidiaconus Stella, & Canonicus Silveſtri; Nec non pari modo expulſi fuerunt inferiùs recenſendi Sacerdotes Agrigentinæ Civitatis, & Diœceſis juſſo ſæpedictæ Congregationis, ſeu Junctæ, eadem de causâ, ex quâ eorum plures dudum priùs in Civitate Panormi detenti fuerant, videlicet Canonicus Hieronymus Gioeni, unus ex Vicariis Generalibus Agrigenti, ab Epiſcopo, dum in humanis erat, deputatus poſt carcerationem trium aliorum Vicariorum Generalium, & obitum quarti, Sacerdos Gioeni ejus Frater, Sacerdos Nicolaus Noto, alter Vicarius Generalis Agrigentinus ab eodem Epiſcopo, ut ſuprà, deputatus, Sacerdos Mattheus Firenda, Sacerdos Collogerus Borgelli, Sacerdos Nicolaus Cantini, Sacerdos Honuphrius Ciotta, Sacerdos Gaſpar Agrò, Sacerdos Antonius Balſamo, Sacerdos Antonius Paci, Sacerdos Honuphrius Cucchiarello, Diaconus Honuphrius Contino, omnes Manſionarii Cathedralis Eccleſiæ Agrigentinæ, Sacerdos Cajetanus Ricciardi, Sacerdos Angelus Pantalena, Sacerdos Antonius Scaglione de Agrigento, Sacerdos Ignatius Diadona de Caltaniſetta, Sacerdos Franciſcus Maria Alexii Archipresbyter Terræ S. Joannis, Sacerdos Archangelus Onulfo Archipresbyter Terræ Palmæ, Sacerdos Joannes Labiſco Vicarius Foraneus ejuſdem Terræ, Sacerdos Stephanus Alto Vicarius Curatus Terræ Sanctæ Catherinæ, Sacerdos Joſeph Miſerendi ejuſdem Terræ.

Perlongus Advocatus Fiſcalis Archiepiſcopum Panormitanum tentat, ut ad Metropolitanam accedat, & ibidem cum excommunicatis communic et in divinis.

Sed Archiepiſcopus conſtanter abnuit & d. Fiſcalem acerbè redarguit.

Propterea abire, & Taurinum petere jubetur ad audiendum verbum regium.

Juſſu Laicalis poteſtatis plures Regulares Interdicti, ſanæque doctrinæ aſſertores in exilium ejiciuntur,

Et ad injuſtum exilium occultādum, coguntur petere, ac obtinere literas Paſſaporto, quaſi ultrò & non expulſi è Sicilia diſcederent.

Plurimi inſuper alii Sacerdotes, & Clerici eamdem ob cauſam in exilium agunt.ur.

§. 9. Expoſuit inſuper idem Procurator Fiſcalis, quod vix affixo in oppido Civitate nuncupato Plazze Catanienſis Diœceſis Pontificio Brevi, ſub die 6. Novembris expedito quo omnimoda,& inviolabilis obſervantia Eccleſiaſtici Interdicti in Civitatibus, & Diœceſibus Catanienſi, & Agrigentinâ appoſiti, præcipiebatur, miſſus illuc fuit, tanquam Delegatus, Nicolaus Ardizzone Laicus, una cum Notario Philippo la Gumena, & Sabaudorum Militum turmâ ad hoc, ut Breve præfatum per deteſtabilem audaciam è loco, in quo affixum fuerat, amoveret, utque eodem tempore in eos, qui illud affixerant, quique Eccleſiaſticum Interdictum obſervabant, animadverteret; Cumque à duobus famulis Canonici Roccaforte, cum aſſiſtentiâ ejuſdem Canonici, aliorumque Eccleſiaſticorum (de quibus in alia inſtantia ſeorſim dictus exponens agere intendit) in carceres Caſtri Orſini Cataniæ detruſi fuiſſent Sacerdotes Lucianus de Philippis Canonicus ſecundarius Cathedralis Eccleſiæ, Franciſcus Lauria, & Hieronymus Gemellarius, cui nimirum à Dominico Conſtantio Judice Cataniæ ſub atrocium pœnarum comminatione injuctum anteà fuerat, ut ad Interdictum violandum publicè populum hortaretur, poſt diutinas ærumnas in illis carceribus toleratas ſub die 11. Martii proximè præteriti, ex quo ſummam in Interdicto obſervando conſtantiam exhibuerant, damnati fuerunt in pœnam exilii, eis pridie à Franciſco Marino Duce Juſtitiæ intimati; Quinimò ne ſolius, ac ſimplicis exilii pœna mulctati viderentur, Navigio (ad quod à dictis duobus famulis aliiſque Eccleſiaſticis aſſociati fuerant) Meſſanam prius traducti ſunt, ubi quadam Manſione Portæ,nuncupata *della Guardia*, longo viginti quatuor horarum ſpatio detenti fuerunt in conſpectu Militum, qui illos ferè ad nuditatem expoliantes prætextu inſpiciendi, num literas, aliaſve res deferrent etiam in pudendis corporis partibus ſacrilegè non minùs quam inverecundè perquiſierunt,ac ſubindè illos Naviculario, procul à Regno traducendos conſignarunt,ipſorum Militum Duce ſeu capite eos præmonente, ne Siculis oris ampliùs appellere auderent, eo quia in Principis indignationem jam inciderant.

Aliæ vexationes,& exilia injuncta obſervantibus Interdictum, & obtemperantibus Summo Pontifici in Civitate plazzæ Catanien-Diœc.

§. 10. Idem Nicolaus Ardizzone, Dominicus Conſtantinus Judex, & N. Joanninus Sabaudorum Militum Dux in eâdem Civitate Cataniæ, cum complicitate Eccleſiaſticorum, ſuis loco, & tempore in alia Inſtantia nominandorum, decurrente menſe Februarii, ſeu Martii proximè præteriti, poſt evulgatum memoratum Breve Pontificium ſuper omnimodâ obſervantiâ Interdicti, obſideri à Militibus juſſerunt Monaſteria SS. Juliani, & Placidi Civitatis Cataniæ, ne, quæ ipſis Monialibus ad victum neceſſaria erant, illuc induci poſſent, ambarumque Eccleſiarum Portis temerè apertis, comminati ſunt iiſdem Sacris Virginibus, ut eas à conſtanti Eccleſiaſtici Interdicti obſervantiâ deterrerent, ſe ipſas ad alia Monaſteria remotiora traducturos. Eadem audaciâ alibi Petrus Angelus Canizzaro Dux Juſtitiæ Barræ Francæ Diœceſis Catanienſis in exilium ejecit propter Interdicti obſervantiam P. Antoninum de Barra Franca, & P. Gabrielem de Plazza Ordinis Minorum S. Franciſci de obſervantiâ Reformatorum. Nec minori temeritate Joannes Schiro Dux Armorum cum ſuo Locumtenente, & Notario, ſexdecimque circiter Militibus ad Conventum S. Viti eorumdem Fratrum Reformatorum Agrigenti, in quo Interdicto obtemperabatur, ſe contulit, ubi unico tantùm Sacerdote, unicoque Clerico, tribus Fratribus Laicis, ac duobus Tertiariis adinventis (alii ſiquidem imbecilliores ob violentiarum metum fugâ ſibi conſuluerant) eoſdem per binas vices interpellare auſus fuit Principine, an Pontifici mallent obtemperare, religioſiſſimoque accepto reſponſo ſe in iis, quæ erant Cæſaris uſque ad ſanguinis effuſionem Cæſari, ſeu Principi libenter parituros eſſe, Deo autem, ac Jeſu Chriſti in Terris Vicario in iis, quæ Dei erant; Ad eorum conſtantiam infringendam iiſdem præcepit, ut coram Duce Angioeno ſe conſtituerent, à quo poſt idem renovatum certamen, & fruſtra tentatam ipſorum fortitudinem, omnes in exilium damnati fuerunt.

Violentia in Monaſteria Monialium SS. Juliani,& Placidi Cataniæ Interdicto obtemperantium.

Aliæ violentiæ, & attentata in obſervantes Interdictum in Diœceſi Catanien. & Civitate Agrigentina.

§. 11. His igitur die 28. Martii proximè elapſi cùmperenni eorum fidei laudi in exilium amandatis, idem Dux Angioenus quibuſdam Nobilibus Viris Agrigenti ſub pœna capitali præcepit,ut die Dominico ad audiendum Sacrum ſeſe conferrent,eodemque tempore Canonicus Catanzaro in alio Monitorio nominatus in carceres dictæ Civitatis conjici juſſit Sacerdotem Carminem Nicoſiam,non alterius criminis, quàm ſervati Interdicti reum, quod à Paulo Spada Milite Joannis Schiro executioni demandatum fuit, & poſt longam carcerationem, juſſu ſupradicti Ducis Angioeni à Locumtenente præfati Schiro, Militibuſque duobus nocte diei 7. Maii præteriti ad Epiſcopales carceres traductus fuit & ibi juſſu Delegati aſſertæ, & abrogatæ Monarchiæ per Chriſtophorum la Puma fuit ei de more injunctum exilium, in quod ille die 14. dicti Menſis proficiſci coactus eſt, Ignatio Marrigo Birruario eum ad Navigium comitante.

Alii eamdem ob cauſam à Duce Angioeno, & Canonico Catanzaro affligi in Civitate Agrigentina.

§. 12. Præterea, cum in oppido Civitate nuncupato Caltaniſettæ Agrigentinæ Diœceſis ad manus Franciſci la Pedura Secreti dictæ Civitatis, aliorumque Eccſiaſticorum, qui optimè noti ſunt,perveniſſet enunciatum Breve Pontificium ſuper omnimodâ obſervantiâ Interdicti, jam in dicta Civitate evulgatum, cumque illud poſteà è loco, in quo affixum fuerat, amotum fuiſſet, & ab ipſis per Julium Scavone Porterium tranſmiſſum Delegato abrogatæ Monarchiæ, & ſæpedicto Duci Angioeno, iſte de eorum incuria conqueſtus, evulgandum rurſùs in eadem Civitate tranſmiſit edictum, ſeu Bannimentum, dudum contra Brevia, & Pontificia Decreta, impiè, & deteſtabiliter emanatum, reprobatumque, uti notum eſt, à Sanctiſſimo Domino Noſtro, tanquam irritum, nullius roboris,& temerarium. Quæ evulgatio majori iniquitate,ac faſtu per ſonitum tubæ facta fuit, graviori etiam adjectâ pœnâ, nempe mortis naturalis contra Laicos, & exilii cum bonorum omnium confiſcatione adversùs Eccleſiaſticos, qui intra viginti quatuor horarum terminum dicta Brevia, & Decreta revelare detrectaſſent. Adversùs inſuper PP. Cappuccinos dictæ Civitatis, Interdictum religiosè ſervantes, coactâ decem, & octo Militum turmâ miſſus fuit ſupranominatus Dux Armorum Schiro, ab ejus Magiſtro Notario, la Pedura Secreto, aliiſque in alia inſtantiâ exprimendis Eccleſiaſticis aſſociatus, qui fruſtrà tentatâ dictorum Religioſorum conſtantiâ, ut eos ad Interdictum violandum compellerent, Clauſuræ clavibus extortis, ſub Militum cuſtodiâ eos reliquerunt; Inevitabile proinde exilium ſibi imminere prævidentes dd. Cappuccini, ſuperatâ quibuſdam munuſculis Militum ferociâ, ut è propriis cellulis per Conventum diſcurrere poſſent, ſibi permitti obtinuerunt, utque inprimis Sacræ Sinaxi, & deinde ſuppellectilibus ſacris conſulerent,hæc ipſorum Syndico tranſmiſerunt, conſummatis ſummo manè ab uno ex eorum Sacerdotibus Sacroſanctis Particulis, quo ipſo mane iniquitatis Executores cum eorumdem Religioſorum conſtantiam magis, magiſque obfirmari comperiiſſent, eos ad cellulas reduxerunt, ac aperto Sacrario mediante clavi, quam ſibi per dictos PP. conſignari curaverant,Eccleſiâque pariter apertâ, nec non dato ſigno celebrandæ Miſſæ ſonitu ſacri Æris à dicto Julio

In Civitate Caltaniſettæ Agrigentinæ Dœc. refigitur Breve Apoſtolicum ſuper omnimoda obſervantia Interdicti.

Et ſolemniter iterum promulgatur Edictum Laicalis Poteſtatis contra Brevia,& Decreta Pontificia, addita pœnæ capitali,& confiſcationis bonorum contra non revelantes eadem Brevia, & Decreta.

Violentia illata P P. Capuccinis ejuſdem loci eorumque conſtantia.

Violentia ibidem illata PP. Minor. de obſervantia ejuſdem loci.

Scavone, publicè illam ibi celebrare non dubitavit quidam Sacerdos in alia inſtantiâ nominandus.

§. 13. Nec ſanè abſimiles violentias perpeti coacti ſunt eâdem de causâ Fratres Minores de obſervantiâ Reformati ejuſdem Civitatis Caltaniſettæ, qui cum ſero ejuſdem diei ad Conventum Cappuccinorum à Militibus ſupradictis traducti fuiſſent, circa octavam noctis horam una ſimul cum eiſdem PP. Cappuccinis ſub trium Equeſtrium Militum cuſtodiâ, nempe Vincentii, aliàs l'Intronato de Bivonâ, Antonii Greſcâ Græci, & Demetrii de Plana Græcorum equitare coacti ſunt Drepanum versùs vigeſimo ſuprà centeſimum ferè lapidem à dicta Civitate remotum, iterque adeò devium, aquiſque pluviis abundans capeſſere ut parum abfuerit, quin unus è dictis pauperibus Religioſis, flumine continuis impribus tumido, in quod progreſſus erat, demergeretur, cumque poſt ærumnoſum octo dierum iter Drepanum perveniſſent, ab Arcis Columbariæ Cuſtode in Navigium aſcendere juſſi, quatuor dierum ſpatio in carceribus dictæ Arcis detenti fuerunt, poſteà verùm decem numero, ſex nempe ex Ordine Cappuccinorum, ac quatuor ex Ordine Reformatorum, à quinque Navigiis, quæ Taurinum ſale onuſta remeabant, ad Cajetæ littora adducti ſunt, ibique expoſiti. Ad hæc ſilentio prætermitti non poteſt, quod in Monaſterio S. Flaviæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis ejuſdem Civitatis Caltaniſettæ contigit; cum enim ad illud è Civitate Panormi Interdicto obſequi exoptantes rediiſſent P. Dominicus Bononia Prior, & P. Carolus Maria Fernandez Decanus (cæteri ſiquidem Monachi, utpote infirmiori virtute prædiți, ad evitandas violentias fugam arripuerant) primâ die Februarii proximè præteriti ad dictum Monaſterium ſe tranſtulit Joſeph Galliano Magiſter Notarius Ducis Armorum Schiro, prædictisque duobus Religioſis ad dictum Monaſterium reverſis indixit, ut eodem mane Miſſam celebrarent, aliàs vigintiquatuor horarum ſpatio è Regno diſcederent, quo præcepto ipſis rursùs aliàs ſequenti die temerè facto, eoque ſemper ab eis religiosâ fortitudine contempto, tertia die ad Monaſterium venerunt idem Dux Schiro, ejus Locumtenens, Magiſter Notarius, & Franciſcus la Pedura Secretus, ac præter incorporationem omnium bonorum ſtabilium ad ipſum Monaſterium ſpectantium præcedenter factam, omnia pariter, & ſingula illius bona mobilia deſcribere auſi ſunt, adſtantibus nefario facinori quampluribus Militibus; Præterea cum ad eorum aures perveniſſet, quod P. Celerarius in ſuo diſceſſu quibuſdam Monaſterii benevolis pretioſiora ſuppellectia, & vaſa argentea Sacrarii conſignaverat, Depoſitarios coëgerunt, ut illa dicto la Pedura deſcripta traderent, delictaque delictis addendo, antequam Panormum repeterent, ſub pœnâ triremium ad annos ſex, commiſſo Laico, qui ſolus in dicto Monaſterio ſupererat, præceperunt ut ſigna ſacri Æris ſonitu daret, & Miſſarum Sacrificiis miniſtraret, deſignatis interim ex iis, qui Interdictum violaverant, Sacerdotibus, qui Sacra omnia ſumptibus ejuſdem Monaſterii celebrarent; ipſis autem Monachis die 6. Februarii in exilium profectis nedum negatum fuit per Miniſtros impii hujus exilii executores, ut mitiùs intra Regni fines exulare poſſent, cum præſertim P. Prior adversâ valetudine uteretur, & valde provectâ ætate eſſet prægravatus; Sed quâcumque humanitatis ſpecie poſthabitâ, eorum diſceſſui è toto Regno breviſſimus trium horarum terminus conſtitutus fuit, unde die x. prædicti menſis diſcedere coacti ſunt.

Monaſterium Ordinis S Benedicti d. loci vexatur, & duo illius Monachi in exilium ejiciuntur.

§. 14. Inſuper eodem Duce Angioeno accitus fuit Agrigentum (ut in aliâ inſtantiâ latiùs exponitur) Pater Natalis Dainotti Vicarius actualis Fratrum Minorum S. Franciſci de Paula, qui in Civitate Saccæ Agrigentinæ Diœceſis cum aliis Regularibus debitam Interdicto obſervantiam exhibeat, acriterque fuit objurgatus, eo quod proprium munus impleret, ac eo etiam potiſſimum, quod ejus exemplo firmiores cæteri redderentur, ex quibus per manifeſtam injuſtitiam Reus declaratus, varia perpeti coactus fuit, itaut ad graviora, quæ ſibi imminere videbantur, effugienda, opportunum duxerit, relicto Conventu (cujus portas omnes, ſummâ abhibitâ cautela clauſas reliquerat) aliò ſe cum duobus Religioſis conferre. Verùm nec iſta Conventum ipſum tutum reddere potuerunt à violentiis Miniſtrorum iniquitatis, juſſu enim cujuſdam Eccleſiaſtici (de quo in alia inſtantia ſermo, & ratio habebitur) præruptis ab Eraſmo Mandica Birruario d. Civitatis, ad hoc ſpecialiter vocato muro, & portis omnibus dicti Conventus, per eas illum ingreſſi fuerunt, ac quemdam Juvenem, ſervitiis ejuſdem Conventus addictum, quem in quâdam manſione invenerant, vinculis mancipatum inde abduxerunt, expulſo poſtea alia occaſione, eamdem tamen ob cauſam, à Ditione Siculâ ipſo P. Dainotto ex præſcripto per Epiſtolam à Duce Angioeno, cujus juſſu illi exilium injunctum fuerat à Vito Palermo Duce Juſtitiæ dictæ Civitatis. Ejuſdem etiam Ducis Angioeni mandato ſub die 25. Martii proximè elapſi ab Onuphrio Celeſti Duce Juſtitiæ Civitatis Leucatæ exilium à toto Regno oretenùs indictum fuit Petro Paulo Scicolone Vicario Foraneo dictæ Civitatis, qui per dies duos, violentiis compulſus, Interdicti violandi auctor, eorumque, quæ adversùs illud obſervantes præcipiebantur, Executor extiterat, quique poſtea luce veritatis illuſtratus, ac ex ipsâ cujuſdam, ut vocant, Manifeſti adversùs Jura Sedis Apoſtolicæ impreſſi lecturâ, inviolabilem Eccleſiæ mandatis obſervantiam præſtandam eſſe perſuaſus, incredibili fortitudine Agrigentum ſe contulit, ibique prædicto Duci ſe Interdictum ſervare velle palàm declaravit. Cumque eodem tempore eidem Vicario Dux Juſtitiæ prædictus notulam oſtenderit, ſibi ab Angioeno tranſmiſſam, in quâ alii viginti duo Sacerdotes exulare mandabantur, mirabile dictu accidit, quod Sacerdos Joachinus Scicolone, Vicarii Nepos, cujus nomen in notulâ deſcriptum non fuerat, ad Interdicti obſervantiam Patrui ſui exemplo permotus, in exulem ultroneum ſe adjunxit. Ex prædictis autem viginti duobus Sacerdotibus (cum cæteri jam fugam è Civitate arripuiſſent) in exilium abierunt Sacerdotes Nuntius Mauceri, Franciſcus Moncada, Sanctes Valenza, Marinus Nocara, Angelus Cara, Octavius Lazzarotta, Ignatius Cavalieri, Gaſpar Salemi, Bernardus Amati, Petrus Lavori, & Petrus Berniſci. Inter hæc immiſſus fuit in eamdem Saccæ Civitatem Hector Antinorus Armorum Dux cum quatuordecim Militibus Equeſtribus, ut vinculis mancipaarent DD. Archidiaconum Ugum, & Canonicum Biancucci Cathedralis Agrigentinæ, qui in obſequium ſupradicti Brevis Pontificii à Civitate Agrigentinâ aufugerant, ne Interdictum violare compellerentur. In tantâ autem Bonorum omnium oppreſſione illæſi minimè remanſerunt Religioſi Societatis Jeſu; ubi enim illi accepto Brevi Pontificio ſub die 6. Novembris Anni elapſi expedito, ac quâlibet falsâ doctrinâ rejectâ, Eccleſias claudere, Interdictumque Eccleſiaſticum cum Fidelium ædificatione exactè obſervare cœperunt, bonis omnibus (quibus in Diœceſibus Interdicto ſubjectis affluebant) per Laicam Poteſtatem ſpoliati, exulare juſſi ſunt è Siciliæ Regno.

Alia gravia attentata Ducis Angioeni in P. Dainottum Vicarium Minimorum Saccæ Agrigentinæ Diœc. & in illius Conventum.

Nec non in Scicolone Vicarium Foraneum Leucatæ

Ejuſdem Ducis Angioeni mandato alii viginti duo Sacerdotes exulare coguntur.

Religioſi Societatis Jeſu ob Interdicti obſervantiam bonis exuuntur in omnibus locis interdictis, ac è toto Siciliæ Regno exulare jubentur.

§. 15. At non hic finis eorum, quæ temerè adversùs Sedem Apoſtolicam patrata fuerunt; Cùm enim aliàs fuerit à Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ

Agrigentinæ in Vicarium Generalem illegitimè electus Canonicus Joannes Baptista Formica, fueritque ejus electio, prout satis notum est, specialibus Sanctissimi Domini Nostri Literis in formâ Brevis reprobata, indictis Censuris non modò per intrusum Canonicum Formicam, quatenus ab exercitio ejusmodi muneris illicò non abstinuisset, sed etiam per cæteros Canonicos, quatenùs illum in Vicarium agnovissent, ipso facto, incurrendis, præceptumque ulteriùs fuit eisdem Capitulo, Canonicis, ac per eos reliquo Clero, tam Seculari, quàm Regulari, nec non Universo Populo Civitatis, & Diœcesis Agrigentinæ, ut ei dumtaxat Vicario Generali, qui à tunc in humanis agente Episcopo Agrigentino deputatus fuisset, vel in posterùm deputaretur, congruam obedientiam exhiberent; Nihilominùs in Apostolicæ Authoritatis contemptum transmissa fuit è Civitate Panormi quædam supplicis libelli formula nomine Syndici, & Juratorum Civitatis Agrigentinæ Capitulo, & Canonicis illius Ecclesiæ porrigenda, in quâ Capitulum, & Canonici præfati rogarentur Vicarium eligere, eo quod plures ex Ecclesiasticis æs alienum, quo gravabantur, persolvere recusarunt, absque eo, quod justitia mediante, à quoquam ad id cogi possent, & ex hoc non levia orirentur scandala, quod si Vicarium non elegissent, scirent se ad majorem Curiam, & ad quos hæc electio spectasset, provocandos esse; Cum verò Jurati prædicti supplici libello hujusmodi subscribere renuerent, Dux Angioenus ultimi supplicii comminatione compulit Josephum Garusso, Dominicum la Seta, Joannem Ugo, & Gasparem Montaperto ad ei subscribendum; Quare eodem porrecto Libello, tres Canonici (quorum duo jam excommunicati declarati fuerant) non obstantibus supra recensitis Apostolicis literis, ad cujusdam Vicarii Generalis electionem temerè, scandalosè, & nulliter devenerunt. Verùm de hoc mentio fiet in aliâ Instantiâ pari modo facienda.

Ducis Angioeni jussu tres Canonici ad novi Vicarii Generalis Agrigentini electionem contra Mandatum Pontificis procedere compelluntur.

§. 16. Has porrò vexationes in odium observantiæ Interdicti cum tantâ Ecclesiasticæ Immunitatis læsione non solùm Ecclesiastici, sive Seculares, sive Regulares, verùm etiam Laici Interdictum servantes perpessi sunt, nam circa finem mensis Aprilis proximè elapsi peractâ prius per Franciscum Ingastone Commissarium Generalem, ac Franciscum Baldaza ejus Magistrum Notarium, cum assistentiâ Joannis Mendozza de Plazzâ Ducis Armorum Vallisnotæ, ejusque Militum, diligenti perscrutatione in Domibus Marchionis Ugi Notarbartoli, tam in Civitate Caltanissettæ, quàm in Palatio Adriano, scriniisque omnibus investigatis, exindè scripturas omnes eripuere, ipsique Marchioni Præceptum exhibuere, in quo sibi à Primario illius Regni Ministro mandabatur ut sub pœna unciarum mille Regio Fisco solvendarum, rectà Drepanum peteret, seque in Carceribus illius Arcis constitueret; Unde idem Marchio, licèt nullius alterius culpæ reus existeret quam observantiæ ergà Interdictum, & charitatis, quàm in illud servantes ostenderat, nec non omissæ præter morem expositionis Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, quam priùs singulis annis in Majori Hebdomadâ, propriis sumptibus facere consueverat, ut per hanc laudabilem, religiosamque omissionem Interdicto obsequeretur, impio tamen præcepto obtemperare coactus fuit. Ita etiam idem Dux Angioenus tres Agrigentinæ Diœcesis Juratos pœnâ affecit, ex quo publicis supplicationibus, quæ in Rogationum diebus fieri solent, interesse recusarunt, relegando Christophorum Gari in Civitate Leucatæ, Gasparem Petaccioli Drepani, & Franciscum Sala ad Terminos, aliis Juratis in eorum locum suffectis, ac inter eos N. de Palamenni, qui temerè, & impudenter jactaverat se pro viribus facturum, ut Populus ad audiendum Sacrum conveniret, utque Monasteria ab Interdicti observantiâ deficerent.

Referuntur vexationes à Laicali Potestate illatæ Marchioni Notarbartolo, & aliis Secularibus in odium Interdicti.

§. 17. Cæterum nullum ex hactenus expositis facinori mox referendo comparari potest; Tremendum etenim Sacræ Inquisitionis Tribunal adversùs hæreticam pravitatem ad Catholicæ fidei propugnationem Apostolicâ authoritate institutum, tentatum fuit, ut per suos Ministros adversùs Ecclesiam, ejusque visibile Caput Jesu Christi in Terris Vicarium insurgeret, ac quodammodò usque ad effusionem sanguinis arma sumeret. Supradictus siquidem la Pedura Secretus Civitatis Caltanissettæ, se accepisse dicens, & jactans ab uno ex Inquisitoribus cujusdam declarationis formulam, convocavit in Archivio dictæ Civitatis nonnullos Sacræ Inquisitionis Foristas, & familiares, ut ei subscriberent, ejusdem autem declarationis tenor erat qui sequitur videlicet: *Noi infrascritti, come Foristi del Santissimo Tribunale dell' Inquisitione della Città di Caltanissetta, per non incorrere nell'innosservanza delli dritti della Corona, nelle presenti concernenze colla Corte Romana, e per esser sodi all'ubbidienza dell'immemorabili Privilegii di questo Regno, dichiariamo volere anzi spargere il proprio sangue, non che trasgredire agl'ordini di Sua Maestà, che Dio guardi, di non voler dare nessuna credenza à qualunque rescritto straniero, senza il Regio exequatur, & essendo il prossimo Interdetto contrario alli dritti della Corona, e Privilegi di questo fedelissimo Regno, perciò siamo di voto di non doversi osservare, come nullo, ed invalido, onde in fede di ciò habbiamo sottoscritto la presente di proprio pugno oggi le 25. Aprile 1715.* Incertum quidem adhuc est, quid egerint Foristæ, & Familiares præfati; Illorum tamen pietas, & Religio, nec non Sanctitas Muneris eorum fidei commissi, spem certam ingerit, fore ut omnes ab impiæ hujusmodi declarationis subscriptione, & approbatione abstinuerint, & abstineant.

Familiares Sanctæ Inquisitionis Caltanissettæ tentantur subscribere declarationi contrariæ Interdicto, & Apostolicæ Authoritati.

§. 18. Redeundo autem ad impium Inrerdicti Violatorem, Compulsoremque Ducem Angioenum, cum hic communicato consilio cum intruso Vicario Generali, claudi constituisset Monialium Collocutoria in tribus Monasteriis Civitatis Agrigentinæ, nisi (ut eisdem Monialibus comminatus fuerat) intra quatuor dierum spatium Ecclesias reserarent, Religiosæ illæ Virgines, omnem in Cœlesti Sponso propriæ defensionis, & custodiæ curam projicientes, sanctissimi Crucifixi Simulacrum, in suorum Monasteriorum Turribus, nigris circumindutum velis exposuerunt, ex quo uti sacrum in Fideli Populo horrorem, ita forsan in ipsis Compusoribus Ministris terrorem excitatum esse credendum est, licèt, quod inde verè secutum fuerit, adhuc ignoretur. Exules interea Ecclesiastici, tam Seculares, quàm Regulares, e Siciliæ Regno aufugientes, quò magis sibi opportunitas dabatur, in aliena Dominia se contulerunt, eorumque plurimi in quamdam extra idem Regnum Regionem, ubi exilii ærumnas cum patientiâ tolerabant, se receperant. At de hoc certioratus Primarius Laicalis Potestatis illius Regni Minister, se miseros illos Exules non modò extrà Regnum, sed propemodùm extra Mundum esse velle non obscurè ostendens, literis commonuit Principem illius Regionis, in quam iidem Exules se receperant, quod si ex proscriptis Siculis aliquem in posterum in suo Dominio reciperet, receptosque non ejiceret, sibi commercium cum Regno prædicto fore interdicturum sciret, nec illa ei, quæ ad victum ejus Regionis necessaria erant, ulteriùs ministraturum; Et hoc quidem satis de recenti accidit, nempè in mensibus Maii, vel Junii proximè præteritis, adeòque longè

Violentia à Duce Angioeno, Pseudo-Vicario Generali Agrigentino illa a Monialibus trium Monasteriorum ejusdem Civitatis illarum que mira constantia.

Laicalis Potestas ejectos in exilium ob Interdictum etiam extra Siciliæ Regnum persequitur, & in aliena ditione consistere non patitur.

post intentatum in eundæ cum Ecclesiâ compositionis desiderium.

§. 19. Ex his omnibus licèt ferè ad evidentiam constet, quod perditionis filii Pontificiam authoritatem è Siciliæ Regno sacrilegè eliminare contendunt, clariùs tamen id ipsum deducitur ex originariis literis Primariorum illius Regni Ministrorum, iisque Instructionibus, quæ ab eis subalternis Officialibus transmittuntur. Præcipitur enim illis, ut contra Ecclesiasticos, Laicosque severè animadvertant; Præcipitur, ut Literas ab Urbe, ac aliundè acceptas, præsertim verò Brevia Pontificia, ex quibus Interdicti observatio posset promoveri, intercipiant, eâque ratione inferiores Ministri Naves, Nautas, Advenasque diligenter omnes perscrutari jubentur; Præcipitur, ut iis, quæ à Concionatoribus ad Populum prædicantur, attendant, utque ex prædictis Concionatoribus eos solos admittant, quos in se benè affectos agnoscant, prout expressiùs videre est in ipsis Literis, Instructionibusque, quæ nedum ob earum prolixitatem, sed etiam ne nauseam, indignationem que legentibus ingerant, non transcribuntur.

Alia potestatis Laicalis attentata, & scelera contra Pontificiam Authoritatem.

§. 20. Transeundo nunc ad violentias, ad quas in Insula Liparensi deventum est, enarrandas, idem Exponens subjunxit, quod cum ibi Fr. Marius à Lipari Concionator, & Fr. Joseph Maria de Lipari Laicus Ordinis Cappucinorum Interdictum servarent, à Vicario Generali Liparensi appositum, & à Sanctissimo Domino Nostro confirmatum, ab eorum Guardiano Fr. Antonio de Tusa, prius compulsi ad ejusmodi Interdictum violandum, postea accusati ex abrupto vocati sunt ab N. Margaria, qui dicitur Commandante della Città, associante Carolo Alconada nuncupato *Ajutante*, cum complicitate Francisci Hernandez dicti *Sargente Maggiore*, ab iisque ad Maris littus traducti, ibi navigio ad discessum parato superimpositi, & exilio injuncto, Nicoteræ in Calabriâ relicti fuerunt, reportata eorum deportationis attestatione ab Officiali dictæ Civitatis.

Duo Regulares Cappuccini in odium Interdicti à Laicali potestate è Liparensi Insula in exilium depulsi, & ad Calabriæ littora deportati.

Quoniam autem Insulæ Liparensis mentio facta est, dicendum superest, quod licèt in Pontificio Brevi, quo Interdictum Liparense confirmatum fuit, declaretur excommunicatus Archidiaconus Emanuel Carnevale, qui ad instantiam Potestatis Laicæ constitutus fuerat Vicarius Generalis, nisi statim ipsum Vicariatum deposuisset, nihilominus iste Pseudo-Vicarius, eorum, quæ in dicto Brevi disposita fuerunt, apprimè conscius, Officium perperam occupatum nunquam dimisit. Rebusque aliis in Processu, & Processibus Causæ, & Causarum hujusmodi latiùs deductis, ad quos &c. prædicta omnia committentes, ac temerè, & sacrilegè patrantes contra Immunitatem, Jurisdictionem, & Libertatem Ecclesiasticam, ac Interdictum in præfatis Civitatibus, ac Diœcesibus Catanensi, & Agrigentina, ac etiam Liparensi de Ordine Sanctitatis Suæ appositum, non solùm violantes, sed etiam acerrimè oppugnantes, & ad illius violationem cum maximo Fidelium scandalo, ac Pontificiæ authoritatis contemptu, sivè mandando, committendo, & compellendo, sivè consulendo, instigando, & aliàs quomodo libet cooperando urgentes, tam directè, quàm indirectè, tam conjunctim, quàm divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo, non solùm &c. sed & omni &c. super quibus &c. Quamobrem ad instantiam, & pro parte Domini Procuratoris Fiscalis fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenus de opportuno Juris remedio providere, & Monitorium extra Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur. Quare præsentato, & exhibito Nobis Chirographo, manu ejusdem Sanctissimi Domini Nostri die 26. Martii 1715. signato tenoris sequentis, videlicet:

Archidiaconus Carnevale ad instantiam Laicalis potestatis constitutus Vicarius Generalis Liparensis, & à Pontifice excommunicatus, nisi Vicariatum dimisisset, officium temerè exercet.

Processus omnium præmissorum delictorum à Pontifice committitur per speciale Chirographum Tribunali A. C.

Tenor Chirographi Pontificii.

Monsignor Arcivescovo di Tebe, Auditor Generale della nostra Camera Apostolica. Con altro nostro precedente Chirografo, spedito dal nostro Palazzo di Monte Cavallo in data delli 30 Novembre 1714. vi ordinammo, che atteso l'accrescersi sempre più nel Regno di Sicilia le violazioni dell'Immunità, giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, e specialmente le Compulsioni, Consulte, ed Instigazioni all'inosservanza degl' Interdetti di nostr'ordine apposti nella Città, e Diocesi di Catania, e Girgento, Voi, ed il vostro Tribunale dovestе procedere alla formazione de' Processi, e trasmissione de' Monitori contro quelli, che fossero risultati Violatori, come sopra, Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, ed in qualunque modo Cooperanti alla contravenzione di detti Interdetti, tanto direttamente, quanto indirettamente, concedendovi a tal'effetto le facoltà necessarie, e quantunque, voi, & il vostro Tribunale, come Essecutor Generale delle Lettere Apostoliche, avereste potuto procedere in questa Causa, e Cause con le vostre ordinarie facoltà; Nondimeno à maggior cautela, e di nostro proprio moto, certa scienza, e pienezza della Nostra Potestà assoluta, preservando primieramente tutte, e singole ragioni, che intorno à ciò avessero potuto in qualunque modo, e tempo competere al nostro Fisco, & avocando à Noi, in quanto avesse fatto di bisogno, questa Causa, e Cause da qualunque Tribunale, Congregazione, e Giudice, come anche havendo per espresso il contenuto del Processo, ò Processi fabricati d'ordine nostro, come se di parola in parola vi fossero stati inseriti: Con detto Nostro Chirografo le commetteßimo à Voi, ed al vostro Tribunale con li suoi annessi, connessi, emergenti, e dipendenti, anche con la clausola quam, & quas, commandandovi espressamente, che non solo in virtù delle vostre facoltà generali, mà anche in vigore delle particulari con detto nostro Chirografo concedutevi, dovestе procedere alla trasmissione de' Monitorii, e Citazione contro tutti quelli, che da Processi nel vostro Tribunale formati sufficientemente fossero restati indiziati per Violatori dell' Immunità, Giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, Mandanti, Compulsori, e Consultori, Instigatori, & in qualsivoglia modo tanto direttamente, quanto indirettamente Cooperatori al' inosservanza dell' Interdetti di nostro ordine apposti nelle Diocesi di Catania, e di Girgento, e contro qualsivoglia Persona, tanto Laici di qualsivoglia grado, preeminenza, e dignità, quanto Ecclesiastici Secolari, e Regolari di qualsivoglia Ordine, Congregazione, & Instituto, & anche della Compagnia di Gesù, e quantunque si trattasse di Consultori, Qualificatori, ò altri simili Ministri del Sant'Officio di quel Regno e di ogni altra Persona di speciale, specialissima, & individua nota degna, ed insieme vi concedemmo tutte le facoltà di procedere à suo tempo contro li sudetti, benche da Noi non nominati, e dichiararli incorsi in tutte, e singole censure, che sono prescritte da sacri Canoni, Decreti de' Concili Generali, e Constituzioni Apostoliche, come meglio in detto Chirografo, che abiamo quì per espresso, come fusse registrato di parola in parola, quale non solo confermiamo in tutto, e per tutto, mà ampliamo in modo, che espressamente di simil nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra potestà assoluta, concediamo à Voi, e vostro Tribunale, dopo avere una, e più volte proceduto alle dichiarazioni, e condanne contro li Violatori sudetti, senza bisogno d'altro Chirogafo possiate, e possa il vostro Tribunale continuare, e nuovamente formare Processi contro li sudetti Violatori de medesimi in detto Regno di Sicilia, e particolarmente nelle Città, e Diocesi di Catania, e Girgento, compresevi ancora la Città, e la

Diocesi di Lipari, e dichiararli incorsi nelle pene, che di ragione saranno competenti in esecuzione de' sacri Canoni, Decreti de' Concilii Generali, Constituzioni, e Brevi Apostolici, e particolarmente del nostro Breve emanato sotto li 6. Novembre 1714. *super omnimoda, & inviolabili observantia Ecclesiastici Interdicti &c. senza pregiudizio d'altre pene, che de Jure competessero; Ed affinche più facilmente possiate ciò eseguire in avvenire, e quante volte ocorrerà, senz'altro Nostro Chirografo, vi concediamo ancora la facoltà, rimossa ogni appellazione, richiamo, ricorso, opposizione di nullità etiam ex tribus, & altre ordinarie, e straordinarie di poterli citare per Editto, constandovi anche sommariamente, & estragiudicialmente, e quanto vi parerà che basti del non tutto accesso, volendo, e decretando, che il Monitorio, ò Monitorii, che intorno à ciò si spediranno da voi, e vostro Tribunale, affissi che saranno in Roma alla Basilica di San Pietro, alla Curia Innocentiana, & in Campo di Fiore, & alle Chiese Cathedrali, ò maggiori delle Nostre Città, Terre, & Luoghi di Terracina, Nettuno, Porto d'Anzio, Fiumicino, Civita Vecchia & Ancona, vagliano, & habbiano la loro forza, e vigore contro chi si sia, come se personalmente fossero stati citati, moniti, & intimati, derogando in quanto sia di bisogno à questo effetto, e per questa volta solamente alle Constituzioni Apostoliche fatte, & ordinate anche ne' Concilii Generali, e particolarmente à quelle delli Nostri Predecessori Bonifazio Ottavo de una, & d'Innocenzo Terzo nel Concilio Generale Lateranense de duabus Dietis, & ogni altra cosa, che facesse in contrario, ancorche havesse bisogno d'espressa specifica, & individua menzione, li tenore delle quali tutte, e singole vogliamo, che si abbia quì per espresso, & inserto di parola in parola, e che il presente nostro Chirografo vaglia, & habbia il suo pieno effetto, vigore, & esecuzione con la nostra sola sottoscrizione, benche non sia registrato nelli Libri della nostra Camera, nè in alcun' modo sia servata la forma della Costituzione di Pio Quarto parimente Nostro Predecessore de registrandis, alla quale perciò per questa volta sola deroghiamo, e che contro di esso non si possa in alcun tempo opporre di obrezzione, ò subrezzione mancanza della nostra volontà, & intenzione, nè qualsivoglia altro difetto, benche degno di espressa, speciale, & individua menzione, e che non si possa diversamente interpretare, ò giudicare, dichiarando nullo & irrito tutto ciò, che in contrario da qualunque persona scientemente, ò ignorantemente si facesse, ò si attentasse. Non ostante quanto à tutte, e singole cose premesse qualsivoglia Constituzioni, & Ordinazioni Apostoliche, Concilii, anche Generali, Statuti, Usi, Consuetudini, Decreti, Indulti, e Privilegii sotto qualunque forma, e tenore, etiam con derogatorie di derogatorie, etiam concessi motu proprio, e per rimunerazione di servizii resi alla Religione Cattolica, e alla Santa Sede, e con qualsivoglia altre clausole, e decreti; Alle quale tutte, e singole, etiamdio più volte confermati e benche ricercassero speciale, & individua menzione, havendo li loro tenori per espressi, di simil moto proprio, e pienezza della nostra assoluta potestà, espressamente per questa volta sola, e per gli effetti sudetti pienamente deroghiamo, perche tale è la nostra certa, espressa, e determinata mente. Dato dal nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo di* 16. *Marzo* 1715.

CLEMENS PAPA XI.

Petiit, & summâ cum instantiâ postulavit, sine præjudicio tamen procedendi suis loco, & tempore contra alios in præsenti Monitorio non expressos, & in præmissis, vel circa ea huc usque repertos, vel in posterùm reperiendos culpabiles tam ex causis prædictis, quàm cujuscumque alterius læsionis immunitatis, jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ, ac omnium, & singulorum jurium hactenus quomodolibet, & qualitercumque Fisco acquisitorum, & competentium suis loco, & tempore deducendorum, de quibus omnibus, & aliis de jure, & de stylo protestandis expresè protestatur, ita ut protestatio hujusmodi intelligatur facta, & repetita in qualibet parte harum nostrarum literarum Monitorialium, & in toto Processu desuper in posterùm fabricando, & non aliàs &c. quatenus sibi literas Monitoriales ad Partes per Edictum publicum in locis in præinserto Chirographo designatis affigendas, exequendas, & publicandas, cum pro illis exequendis in Regno Siciliæ tutus non pateat accessus, in formâ solitâ decernere, & concedere, & aliàs de opportuno juris remedio providere dignaremur. Nos igitur Nicolaus Spinula Archiepiscopus Thebarum, Judex Executor, & Auditor prædictus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam in vim ordinariæ nostræ auctoritatis, præinsertoque Chirographo Nobis, ut præfertur, præsentato inhærentes, ac etiam facultate in illo Nobis, nostroque Tribunali attributa utentes, constitoque Nobis per Testes fide dignos de mandato nostro jam examinatos ad dictum Regnum Siciliæ &c. in quo moram trahunt, & morari solent citandi, & monendi, pro præsentibus nostris Monitorialibus literis exequendis tutum non patere accessum, petitas literas Monitoriales concedendas, & in locis infradicendis exequendas, & publicandas fore, & esse duximus, & mandamus per præsentes.

§. 21. Quo circa vobis omnibus, & singulis supradictis, ac vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus visis iisdem præsentibus per præsens publicum nostrum Edictum in Romana Curiâ in Audientiâ publicâ literarum contradictarum Sanctissimi Domini Nostri Papæ legen. & ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & extra eam in Confinibus Maritimis hujus Status Ecclesiastici, nempe in Civitatibus, Terris, & Locis Terracinæ, Neptuni, Portus Antii, Flumicini, Civitatis Vetulæ, & Anconæ per affixionem, publicationem, & exequutionem ad valvas Cathedralium, & Majorum Ecclesiarum respectivè, ex parte nostrâ, imò veriùs Apostolicâ authoritate pro nunc, & sine præjudicio facultatis procedendi suis loco, & tempore contra alios, ac etiam contra prædictos gravioribus pœnis repertos, vel reperiendos culpabiles, (quorum aliqui iterum incurrerunt in censuras, licet aliàs excommunicati declarati extiterint) quam facultatem Nobis expresè reservamus, supradictos *Josephum Fernandez Præsidentem Tribunalis Magnæ Curiæ, Antoninum Negri Præsidem Tribunalis Consistorii Sacræ Conscientiæ, Comitem Borda Consultorem, Nicolaum Pensabene Præsidem Advocatum Fiscalem Magnæ Curiæ, Franciscum Mariam Cavallaro Judicem Magnæ Curiæ Civilis, Ignatium Perllongum Advocatum Fiscalem Tribunalis Patrimonii, Dominicum Piccione Fiscalem abolitæ assertæ Monarchiæ, Mattheum nuncupat. lo Velchio Porterium, seu Satellitem, N. alterum Porterium, seu Birruarium, Doctorem Dominicum Ondars Auditorem à Studiis d. Perlongi, N. Taurinensem Conservatorem Regni, Nicolaum Ardizzone Delegatum, Notarium Philippum Gumena, N. N. N. N. N. N. Milites Sabaudos cum dicto Delegato transmissos, N. N. duos famulos Canonici Roccaforte, N. Castri Orsini Præfectum, Dominicum Constantino Judicem Cataniæ, Franciscum*

Nomina Violatorum Interdicti, & Ecclesiasticæ Immunitatis & Pontificiæ authoritatis

Mari-

Marino Ducem Juſtitiæ Cataniæ N. N. N. N. N. N. Milites Portæ Meſſanæ nuncupat. della Guardia, N. Caput dd. Militum, N. Giovanninum Sabaudorum Militum Capitaneum, Petrum Angelum Canizzaro Ducem Juſtitiæ Barræ Francæ, Joannem Schirò Ducem Armorum, N. ejus Locumtenentem, Paulum Spada illius Militem, Joſephum Galiano Magiſtrum Notarium, N. N. N. N. N. N. uſque ad numerum ſexdecim circiter dicti Ducis Armorum Milites, Hieronymum Angioenum Duca d'Angiò nuncupatum, Chriſtophorum la Puma carcerum Epiſcopalium Agrigenti Cuſtodem, Ignatium Marigo Porterium, ſeu Birruarium Agrigenti, Franciſcum la Pedura Secretum Civitatis Caltaniſettæ, Julium Scavone Porterium, Petrum la Pedura ejuſdem Secreti filium, Vincentium, aliàs l'Intronato de Bivona, Antonium Greſca Græci, Demetrium de Plana Græcorum, N. Præfectum Caſtri Columbariæ Drepani N. N. N. N. Vigiles Cuſtodiæ Religioſorum in dicto Caſtro appoſitos, Eraſmum Mandria Birruarium Civitatis Saccæ, Vitum Palermo Ducem Juſtitiæ dictæ Civitatis, Onuphrium Celeſti Ducem Juſtitiæ Civitatis Leucatæ, Hectorem Antinoro Ducem Armorum, N. N. N. N. ejus Equeſtres Milites in numero quatuordecim circiter, Franciſcum Ingaſtone Commiſſarium Generalem, Franciſcum Baldanza ejus Magiſtrum Notarium, Joannem Mendozza de Plazza Ducem Armorum Vallis notæ, N. N. N. Milites ſociantes, N. Margaria, qui dicitur Commandante della Città, Carolum Alconada nuncupat. l'Ajutante, Franciſcum Hernandez dictum Sargente Maggiore Archidiaconum Emanuelem Carnovale Vicarium Generalem Liparen. intruſum, Magiſtrum Pizzolante Provincialem Ordinis Carmelitarum Panormi, & Fratrem Antonium de Fuſa Guardianum Capuccinorum Liparæ, citetis, moneatis, & requiratis, prout Nos eoſdem harum ſerie citamus, monemus, & requirimus primo, ſecundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra duorum menſium ſpatium, quorum priores viginti dies pro primo, alii viginti dies pro ſecundo, poſteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione aſſignamus, & vos aſſignetis, debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit, debeat Romæ in judicio coram Nobis, vel infraſcripto Perilluſtri, & Excellentiſſimo Domino Dominico Ceſare Florello, Locumtenente Noſtro in Criminalibus Generali legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam quare non debeat ipſos, & eorum quemlibet in omnes, & ſingulas cenſuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolitâ contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas incidiſſe, & incurriſſe declarari, ac ſine præjudicio aliarum pœnarum in eos, vel eorum ſingulos irrogandarum contra illos, & illorum quemlibet literas quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni, & relaxari, ac ad omnes, & ſingulos actus de, & ſuper præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſarios, & opportunos procedi, nec non reſpectivè ad videndum ſe ſe in cenſuras, & pœnas hujuſmodi incidiſſe, & incurriſſe declarari, ipſique Domino Procuratori Fiſcali Generali Jus, & Juſtitiam miniſtrari. Certificantes eoſdem *Joſephum Fernandez, Antoninum Negri, Comitem Borda, Nicolaum Penſabene, Franciſcum Mariam Cavallaro, Ignatium Perlongo, Dominicum Piccione, Mattheum nuncupat. lo Vecchio, N. alterum Porterum, Doctorem Dominicum Ondars, N. Taurinen. Conſultorem Regni, Nicolaum Ardizzone, Notarium Philippum la Gumena, N. N. N. N. N. N. Milites Sabaudos cum Delegato tranſmiſſos, N. duos famulos Canonici Roccaforte, N. Caſtri Orſini Præfectum, Dominicum Conſtantino, Franciſcum Marino, N. N. N. N. N. N. Milites Portæ Meſſanæ, N. Caput dictorum Militum, N. Gioannini Sabaudorum Militum Ducem, Petrum Angelum Canizzaro Ducem Juſtitiæ Barræ Francæ, Joannem Schirò, N. ejus Locumtenentem, Paulum Spadam illius Militem, Joſephum Galiani, N. N. N. N. N. N. uſque ad numerum ſexdecim Milites, Hieronymum Angioenum nuncupat. Duca d'Angio, Chriſtophorum la Puma, Ignatium Marigò, Franciſcum la Pedura, Julium Scavone, Petrum la Pedura, Vincentium aliàs l'Intronato, Antonium Greſca Græci, Demetrium de Plana Græcorum, N. Præfectum Caſtri Columbariæ Drepani, N. N. N. Vigiles Cuſtodiæ Religioſorum in dicto Caſtro appoſitos, Eraſmum Mandria, Vitum Palermo Ducem Juſtitiæ Civitatis Saccæ, Onuphrium Celeſti, Hectorem Antinori, N. N. N. Equeſtres, Milites in numero quatuordecim circiter, Franciſcum Ingaſtone, Franciſcum Baldanza, Joannem Mendozza, N. N. N. Milites Sociantes, N. Margaria, qui dicitur Commandante della Città, Carolum Alconada nuncupatum l'Ajutante, Franciſcum Hernandez dictum Sargente Maggiore, Archidiaconum Emanuelem Carnevale, Magiſtrum Pizzolante Provincialem Ordinis Carmelitarum Panormi, & Fr. Antonium de Fuſa Guardianum Cappuccinorum Liparæ,* ſic citatos, & monitos, quod ſi in dicto termino ipſis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, Nos, vel dictus Locumtenens Criminalis infraſcriptus, ſervatis terminis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, ad omnium, & ſingularum cenſurarum, & pœnarum prædictarum (ultra aliàs de jure competentes reſervatas) incurſus declarationem, & executionem, Cedulonumque dictæ Excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque reſpectivè, & ad omnia alia neceſſaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, ſive deveniet, & procedet juſtitiâ mediante, eorum abſentiâ, & contumaciâ non obſtante. In quorum fidem &c Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1715. Indictione octavâ, die verò 9. menſis Decembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ Undecimi Anno decimo ſexto.

Citantur, & monentur omnes ſupranominati ad comparendum & allegandum cauſam quare declarari non debeant incidiſſe in Cenſuras & pœnas &c.

Dominicus Cæſar Florellus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

Die 17. Martii 1716. Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra omnes citatos Contumaces Sententia declaratoria incurſus in omnes, & ſingulas cenſuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis edita, & conſuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula Cedoloni nuncupata, qua univerſis Chriſtifidelibus denunciati fuerunt Excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Eccleſiaſtica Sepultura ii omnes, & ſinguli, contra quos præfata Sententia lata fuit.

XI.

MONITORIUM

Die 9. Decembris 1715. vigore ſpecialis Chirographi Pontificii expeditum contra Compulſores, & violatores Immunitatis, Juriſdictionis, & Libertatis Eccleſiaſticæ in Civitate Meſſanæ, ac in Civitate, & Diœceſi Catanien., nec non Eccleſiaſtici Interdicti, eidem Civitati, & Diœceſi Catanien. appoſiti, & præſertim contra Eccleſiaſticos earumdem Civitatis, & Diœceſis Catanien.

Nicolaus Spinula Archiepiſcopus Thebarum, Pontificii Solii Aſſiſtens, Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius; Sententiarum quoque, ac Cenſurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extrà eam latarum, ac Literarum Apoſtolicarum quarumcumque Univerſalis, ac merus Exequutor, nec non Judex à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa in infraſcripta Cauſa per ſpeciale Chirographum Deputatus, ac Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, Parochialiumque, & Collegiatarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino.

§. 1. Noveritis, quod hac infraſcriptâ die comparuit coram Nobis Perilluſtris, & Excellentiſſimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ejuſque Reverendæ Camecæ Apoſtolicæ Generalis Procurator Fiſcalis, & expletâ jam relatione eorum, quæ ab Adminiſtris Sæcularis Poteſtatis Regni Siciliæ, eique adhærentibus, impiè non minus, quàm ſacrilegè perpetrata fuerunt, tam in Civitate Panormi, quàm in Civitate, & Diœceſi Agrigentin. contra Immunitatem, Juriſdictionem, & Libertatem Eccleſiaſticam, ac reſpectivè contra Interdictum, cui Civitas, & Diœceſis Agrigentin. præfatæ juſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ ſubjectæ reperiebantur, & adhuc reperiuntur, nec non relatis inſuper nonnullis exceſſibus, qui ex deteſtabili quorumdam Laicorum temeritate in Civitate, & Diœceſi Catanien., pari Interdicto ſuppoſitis, eâdem de causâ contigerunt, ut ex diſtinctis petitionibus hodiernâ die factis latius apparet: Modò fuſiùs commemorando ea, quæ ex damnatâ potiſſimùm operâ quorumdam Virorum Eccleſiaſticorum in Civitate, & Diœceſi Catanien. hujuſmodi admiſſa fuerunt, narravit, ex aliis noſtris monitoriis Literis die duodecima Januarii proximè præteriti expeditis ſatis innotuiſſe miſerrimum, & deplorabilem ſtatum Civitatis, & Diœceſis præfatarum, & quàm graves illic violationes Eccleſiaſticum Interdictum uſque ab initio ſuſtulerit. Cùm enim eam præ aliis calamitatem Civitas, & Diœceſis prædictæ infeliciter ſortitæ fuerint, ut Joannes Baptiſta Pariſius Eccleſiæ Catanienſis tunc Vicarius Generalis, non minus ſui muneris, quàm ſui Epiſcopi Proditor factus, in proprium Antiſtitem, & in Gregem ſuæ curæ commiſſum arma converterit, eo adnitente, nec non accedente auctoritate poteſtatis ſæcularis, cujus partes nefariè tunc explebat Franciſcus Barbara Abbas Sanctæ Luciæ nuncupatus, uti aſſertæ, & abrogatæ Monarchiæ Delegatus, factum fuit, ut Eccleſiæ tam Civitatis, quàm Diœceſis apertæ fuerint, & ferè ubique divina Officia publicè celebrarentur. Adhuc tamen memoratum Apoſtolicum Interdictum ſuos habuiſſet Cultores, & plures, dirâ licet, ac ſævâ ejuſmodi tempeſtate nullatenus commoti, conſtantes permanſiſſent in obedientiâ Apoſtolicorum mandatorum, præſertim, quia etiam multi Prævaricatores redeuntes ad cor, ipſius Interdicti obſervantiam in dies repetebant, niſi ex illiſmet, qui ſcientiam legis ſe habere promittebant, inſurrexiſſent Viri fabricatores mendacii, qui auditum à veritate avertentes, etiam poſtquam verus Apoſtolicæ Sedis ſenſus multifariam eis innotuerat, poſuerunt in mendacio ſpem ſuam, & ſub inani metus obtentu latiſſimam aperuerunt viam Interdicti everſioni. Plurimi igitur, etiam ex iis, quibus eadem Sancta Sedes confiſa fuerat, ut pro ſui officii, vel gradus debito aſcenderent ex adverſo, ac ſtarent in prælio, & murum opponerent pro domo Iſrael, ſuſceperunt vocem mendacii, & Prophetis prophetantibus de corde ſuo applauſerunt manibus ſuis; Eccleſiaſtici ſcilicet, tam Sæculares, quàm Regulares, qui aquam hanc turbidam falſæ doctrinæ ebibentes, primi confregerunt obedientiæ jugum, ruperunt vincula, & receſſerunt de viâ, errantes ac in errorem mittentes, & ſcandalizantes plurimos, & irritum facientes mandatum Apoſtolicæ Sedis. Horum porrò exemplo, nec non ſupradicti Pariſii ſuaſionibus, ac minis, & terroribus, poteſtatis Sæcularis Populi Catanienſes abducti, omnes ferè declinaverunt, ac ſimul inutiles facti ſunt, adeò ut in Civitate, & Diœceſi Catanien. vix Interdicti umbra remanſerit.

§. 2. Intereà è ſublimi Apoſtolorum Principis Sede exurgens Sanctiſſimus Dominus Noſter, ac zelando honorem Domus Dei, quæ eſt Eccleſia, per ſuas Apoſtolicas literas in formâ Brevis die ſextâ Novembris anni proximè præteriti expeditas exaltavit in fortitudine vocem ſuam; Voci autem ejus dedit Deus vocem virtutis apud Populos, unde in luce ſagittarum ſuarum lux orta eſt eis. Damnavit quippe Sanctitas Sua, ut in alia contemporanea inſtantia dictum eſt, ac rejecit uti falſas in caſu, de quo agebatur, doctrinas allatas: Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia declarationibus à Sanctitate Sua toties factis non crediderunt: Præcepit omnimodam, & exactam Interdicti obſervantiam, ſublato tam metus, quàm alio quovis contraveniendi prætextu, vel colore: Diſtrinxit demùm contra Refractarios ſpiritualem Eccleſiæ gladium, interminatis Eccleſiaſticis cenſuris, innovatis Sacrorum Canonum pœnis, & aliis etiam ex integro cumulatis. Porrò, ubi primùm evulgatæ fuerunt præfatæ Pontificiæ literæ per earum affixionem in civitate, & in aliis locis Diœceſis Catanienſis ſequenti menſe Januarii factam, ad ſonitum Apoſtolicæ vocis commota fuit in contritione multitudo copioſa tam Eccleſiaſticorum, quàm Laicorum, ubereſque, ac ſaluberrimi fructus illicò apparuerunt; ſtarim enim Interdicti obſervantiam reaſſumpſerunt Patres Societatis Jeſu, & Patres Carmelitæ Diſcalceati, hac ſubinde de cauſa in exilium acti: Sex Monaſteria Monialium Civitatis Cataniæ, paucis exceptis Monialibus, ab interventu, ac reſpectivè publicâ Divinorum Officiorum celebratione abſtinuerunt. In Terra Barræ Francæ clauſa fuit Eccleſia Matrix, illiuſque exemplum ſecuti fuerunt Fratres Minores Ordinis Reformatorum S. Franciſci. In Civitate Plazzæ, Oppido Petræ Perſiæ, & aliis locis ejuſdem Diœceſis ſimiliter Interdictum ex parte reintegratum fuit. Innumeri demum, ad plurima Hominum millia, ex omni genere, & ſexu, tam Eccleſiaſticorum Sæcularium, & Regularium, quàm Laicotum, impetratâ ex indulgentia piæ Matris Eccleſiæ abſolutione, ad Interdicti obſervantiam redierunt, quos omnes expanſis ulnis, & in latitudine

Ejus ſuaſionibus, & minis Sæcularis poteſtatis abducti plurimi Eccleſiaſtici utriuſque Cleri, & Populi Catanienſis Interdictum ubique violant.

Summus Pontifex per ſuas literas ejuſmodi Violatores objurgat, falſas diſſeminatas doctrinas damnat, Interdictum exactè ab omnibus obſervari præcipit.

Pontificiis commoti vocibus plurimi Interdicti obſervantiam reaſſumunt in Civitate, & Diœceſi Catanien.

Joannes Baptiſta Pariſius Vicarius generalis Catanien. proditor ſui Præſulis & ſubditorum, & manifeſtus Interdicti violator, & hoſtis.

cordis Apoſtolica Sedes excepit, opportunè hunc in finem delegata in partibus facultate eos abſolvendi præſtito tamen priùs ab illius juramento de non contraveniendo ampliùs in poſterùm memorato Interdicto, adeò proinde ex evulgatione dicti Brevis invaluerunt vires obſequentium mandatis Sanctæ Sedis, ut plures ex Adverſariis à voce Apoſtolici tonitrui formidantes, quaſi ſubmiſſis alis, ei apertò obſiſtere minimè auſi fuerint. Sed adhuc non defuerunt perverſi homines, qui pœnis Eccleſiaſticis in nihilum correcti, quinimò adjicientes in dies peccatum ſuper peccatum, majori quàm unquamſtudio conati ſunt, utInterdictum præfatum penitus everterent.

Nec tamen deſunt, qui in contumacia perſiſtentes illud evertere conantur.

§. 3. Præ aliis verò idem Dominus Procurator Fiſcalis narravit, quod Sacerdos Innocentius Roccaforte Bonadies Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Catanienſis, ac ſupradicti Abbatis Barbaræ aſſertæ, & abrogatæ Monarchiæ Delegati, non tam in munere, quàm in iniquitate ſucceſſor, ad affixionem dictarum literarum Apoſtolicarum excandeſcens, eaſque contumelioſis verbis irridens, ſtatim ac intellexit eaſdem literas fuiſſe affixas in Civitate Plazzæ, ac Nicolaum Ardizone ibidem pro eadem aſſerta, & abrogata Monarchia ſimiliter Delegatum, illas minimè laceraſſe, aut quidquam contra eas egiſſe, illius negligentiam graviter increpavit, eumque ſtatim illuc remiſit cum aliis in ſeparata Inſtantia nominatis, ut eaſdem literas refigeret nec non diligenter inquireret, ac ſeverè in eos animadverteret, qui illas affixerant, vel Interdictum ſervaſſent. Subinde idem Innocentius Roccaforte, adjuvantibus Subdiacono Innocentio Patti ejus Nepote, Sacerdote Franciſco Viola, aliiſque Laicis in contemporanea petitione recenſitis, die nona Februarii proximè præteriti manus injecit in Sacerdotes Lucianum de Philippis Canonicum Secundarium Eccleſiæ Cathedralis Catanienſis, Franciſcum Lauriam, & Hieronymum Gemellarium, non alia de cauſa, niſi quia abſolutione impetrata Interdictum obſervabant, ejuſque obſervantiam verbo, & exemplo apud alios promovebant, ac inſuper, quia juſſi contra ipſum Interdictum prædicare, conſtanter abnuerant; Illos itaque detruſit in carceres Regii Caſtelli Cataniæ Caſtri Urſini nuncupati, ubi plura pro Eccleſiæ cauſa ſuſtinuerunt; ſtatim enim incluſi fuerunt in ſeparatis manſionibus, ſeu veriùs cryptis, intercluſo eis undequaque, ac diſtrictè prohibito quolibet humano commercio, adeò ut vix poſtea ob loci humiditatem, & hyemalis temporis rigorem impetrare valuerint facultatem morandi antè carceris januas adſtantibus excubiis; Cumque ejuſmodi ærumnarum cauſâ in adverſam valetudinem incidiſſent ſupradicti Hieronymus Gemellarius, & Franciſcus Lauria, nonniſi poſt biduum permiſſum fuit Medico, ut eumdem Gemellarium, ſub oculis tamen dicti Subdiaconi Patti, inviſere poſſet: Lauria verò, tametſi graviter ægrotaret, ac pro eo inſtarent, ac rogarent tam Medicus, quàm Nobiles Catanienſes è carceribus emitti, neque etiam ſub fidejuſſione de illuc redeundo, poſtquam convaluiſſet, obtinere potuit, repulſis ſemper Interceſſoribus à Roccaforte aſſerente indignos eſſe nedum gratiâ, ſed vitâ Seductores Civitatis, & Regni: repetitis tandem clamoribus, cum propter morbi contumaciam, ac etiam ob fumum, & gravem odorem è virentibus, & putridis lignis, quæ à Vigilibus intra carceres concremabantur, productum, inhabitatio ejuſdem carceris intolerabilis evaſiſſet, idem Lauria transferri obtinuit ad carcerem, ubi detinebatur alter Sacerdos Lucianus de Philippis, quem tamen cum primo dereriorem expertus fuiſſet, eo quia undique imbribus patebat, ad priorem locum unà cum dicto Luciano reductus fuit. Interim obturatis ad eorum preces auribus. ac ſenſim carceris anguſtiis in dies adauctis, quotidie ſollicitabantur, libertate etiam, & muneribus oblatis, ad Interdicti violationem, ſæpiùs ad Caſtellum hac de cauſâ accedente dicto Innocentio Patti nepote Canonici Roccaforte; omni tandem amiſsâ ſpe illorum conſtantiam flectendi, notificatum eis fuit præceptum exulandi à Primario Regni Siciliæ Miniſtro tranſmiſſum, datâ tamen eis optione, vel ejuſmodi exilii pœnam ſubeundi, vel publicè celebrandi; Cumque illi pro conſtanti Interdicti obſervantiâ exilium elegiſſent, die decimâ Martii exulare juſſi fuerunt, ac ſerò ſequentis diei ad navim deducti ab ipſis Roccaforte, Innocentio Patti, & aliis in contemporanea Inſtantia nominatis, & ad Gubernatorem Meſſanæ directi, ibique poſt varias injurias, & contumelias in aliam naviculam ſuperimpoſiti, indictâ Principis indignationis, & exilii pœnâ, extra Regnum fuerunt amandati.

Narrantur plura ſcelera à Canonico Roccaforte patrata in contemptum Pontificiæ authoritatis, ejuſque dira perſecutio in Obſervantes Interdictum.

Eamdem ob cauſam duo Sacerdotes in carceres conjecti, & poſtea in exilium à toto Regno ejecti.

§. 4. Præterea dicti Roccaforte, Joannes Baptiſta Pariſius, & alii in ſeparatâ Inſtantiâ nominati ſe contulerunt ad Monaſteria Monialium SS. Juliani, & Placidi Civitatis Cataniæ, quæ, ut dictum fuit, ad Interdicti obſervantiam cum aliis laudabiliter redierant, eorumque muros Militibus circumvallarunt, & ne, quæ eis ad victum neceſſaria erant, illic introducerentur, prohibuerunt, exinde januas earum Eccleſiarum temerè aperuerunt, ſeque illas ad alia, & remotiora loca ſore traducturos minati fuerunt. Cùm autem, his omnibus contemptis, eædem Moniales à conſtanti cuſtodiendi Interdicti propoſito divelli non valuiſſent, miſſus fuit à præfato Roccaforte ad Monaſterium Sancti Placidi Frater Franciſcus Malavigna Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Reformatorum, Vir impius, & ſæculari poteſtati contra Apoſtolicam Sedem obſequentiſſimus, qui illuc accedens, & Eccleſiam ingreſſus, horrendo, & nefario auſu ſtatim aperuit oſtiolum Tabernaculi Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, ac contemptâ Divinæ Majeſtatis præſentiâ, ſacrilegè arripuit ipſum tremendum Sacramentum, illudque præ manibus tenens, converſus ad Moniales aperuit os ſuum in blaſphemias, ac ipſum Dominum in caput ſuum invocans, ſi falſum eſſet dicturus, contra Interdictum, ejuſque validitatem, & obſervantiam plura execrabilia evomuit, ipſaſque Moniales obteſtando, ut idem Interdictum contemnerent, & ſæcularis poteſtatis mandatis obedientiam exhiberent, affirmare perrexit eas lethaliter peccare obſervando Interdictum, ſupremamque Veritatem in teſtem ſui mendacii, & hæreticalis aſſertionis advocare non timuit. Quinimò parùm reputans ſolas Moniales ad Interdicti violationem adegiſſe, ad ulteriora progrediens, ne dum ſimilibus blaſphemiis ad parem inobedientiam impellere contendit Religioſos ſui Ordinis, ſed tentavit inſuper totum Siciliæ Regnum, imò univerſum Terrarum Orbem, ſi fieri potuiſſet, peſtifero ſacrilegarum ſuarum propoſitionum halitu inficere: In hunc enim finem libellum quemdam conſcripſit contra jura Sedis Apoſtolicæ, & obedientiam divino jure eidem Sanctæ Sedi debitam, amaritudinibus, & maledictionibus plenum, à ſupradicto Roccaforte Panormum tranſmiſſum, ut typis evulgaretur: credibile tamen eſt, quod ad ejus lecturam ipſorum Sanctæ Sedis Inimicorum aures exhorruerint, & petitæ illius evulgationi non annuerint, licèt quid inde verè ſecutum ſit, hactenus ignoretur.

Alia attentata Canonici Roccaforte in Moniales Catanien.

Horrendum ſcelus Fr. Franciſci Malavigna, ejuſque nefarius libellus quo dictas Monia. les, ac omnes Siculos ad Interdicti violationem adigere tentavit

§. 5. Ad hæc graviſſima fuerunt vulnera Immunitati, Juriſdictioni, Libertatique Eccleſiaſticæ, ac præfato Interdicto illata à ſupradicto Joanne Baptiſta Pariſio Theſaurario Cathedralis Eccleſiæ Catanienſis, quippe qui, licèt à Reve-

Canonicus Parisius ob sua scelera amotus à Vicariatu Generali ab Episcopo Catanien. confirmationem petit, & obtinet à Potestate Sæculari, & in officio temere continuat.

rendissimo Domino Episcopo fuisset ab Officio Vicariatus Generalis amotus, suffecto in ejus locum Canonico Petro Lauria, de quo inferiùs dicetur atque ejusmodi remotio eidem Parisio innotuisset, delato ad illius manus uno ex pluribus originalibus Edictis super eâdem remotione subscriptis propriâ manu prædicti Reverendissimi Domini Episcopi, ejusque sigillo munitis, ac in Civitate Cataniæ affixis eodemmet tempore, quo illic affixæ fuerant enunciatæ literæ Apostolicæ super omnimodâ observantiâ Interdicti, præter Epistolam ab eodem Reverendissimo Antistite hac de re scriptam Confessario ipsius Parisii; Nihilominus, remotione ejusmodi ab initio dissimulatâ, mox ab eâ sine causâ, & injustè (ut jactabat) secuta, recursum habuit ad Primarium Potestatis Sæcularis illius Regni Ministrum, transmissis interim per universam Diœcesim literis incyclicis, seu circularibus, quibus præcipiebat, ut quousque non rediret responsum dictæ Sæcularis potestatis nullatenus sibi obedientia subtraheretur, reportataque (quod planè incredibile videtur) ab eodem Ministro confirmatione in Vicariatus Generalis Officio, auctoritate ejusdem Sæcularis Potestatis contra tot notissima Sacrorum Canonum & Conciliorum Decreta, ac contra tot Pontificias Constitutiones in eodem Officio, licèt insuper excommunicatus, ac publicè postea denunciatus fuisset, detestabiliter, & pertinaciter perseveravit, & perseverat, non sine maximo Animarum periculo, in rebus præsertim Sacramentorum administrationem concernentibus, & cum gravissimâ Interdicti læsione, quod totis viribus evertere non prætermittit.

Plures Canonici Cathedralis Catanensis Interdictum apertè violant & ab aliis violari curant.

§. 6. Complures itidem alii, veritati resistentes, etiam post evulgatas supradictas literas Apostolicas, non destiterunt verbo, & exemplo promovere inobservantiam ejusdem Interdicti, inter quos numerantur Joannes la Valle, Petrus Gullotta, & Joannes Giuffrida Canonici Cathedralis Ecclesiæ Catanensis, nec non Archangelus Caruso, Erasmus Barbagallo, & Fabritius Strano ejusdem Ecclesiæ Canonici Secundarii, ac Sacerdos, Petrus Scoto Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Montis Serrati Cataniæ: Sed præ cæteris nonnulli ex Regularibus, videlicet supradictus Fr. Franciscus Malavigna, & Frater Illuminatus Scoto Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum, Frater Bonaventura Campanelli, & Frater Vincentius pariter Campanelli germani fratres, Minores Conventuales ejusdem Sancti Francisci, & Pater Franciscus Maria Asmondo Congregationis Clericorum Regularium Minorum, qui profitentes se esse legis Doctores, sed veriùs erroris, ac mendacii Magistros se ostendentes, facti sunt acerrimi Persecutores jurium Apostolicæ Sedis, falsis eorum doctrinis abducentes Populos ab obedientiâ eidem debitâ, ac Refractarios in propriâ pertinaciâ obfirmantes, & contra præfatum Interdictum inflammantes. Cæterùm hisce doctrinis magis obdurata fuerunt corda filiorum iniquitatis, qui in suâ obstinatione perseverantes, studia omnia adhibuerunt, ut eos inquirerent qui Interdictum observabant, & præsertim Sacerdotes, qui illud etiam ab aliis, ut par erat, observari curabant; illos propterea, veluti Seditiosos, Rebelles, & publicæ pacis Perturbatores apud omnes proclamare ausi sunt, ut eos penitus perderent. Præ aliis autem contumeliosè è Regno Siciliæ ejecerunt Sacerdotem, Petrum Lauriam Canonicum Cathedralis Ecclesiæ Catanensis, & in Officio Vicariatus Generalis ejusdem Ecclesiæ in locum memorati Parisii à Reverendissimo Domino Episcopo, ut superiùs dictum fuit, subrogatum, qui cum operâ ejusdem Parisii, & Canonici Rocaforte, longè ante mox dictam suam subrogationem jam loco carceris detineretur in Civitate Messanæ unà cum Sacerdote Carolo Colli, in quam ut paratum declinarent carcerem, è Civitate Cataniæ aufugientes se receperant, ac in eâdem Civitate Messanæ sui muneris partes pro loci, & temporis conditione explendo, obsequentes Interdicto confirmare; aliosque ad ejus observantiam revocare non prætermitterent, in id etiam cooperante præfato Sacerdote Carolo Colli, extemplò die 11. Septembris proxime præteriti, instigante supradicto Roccaforte, ambo à Comite Vianzini Gubernatore Messanæ acciti, & confestim in manus Custodis Portus Messanensis traditi, & ab eo, Militibus adstantibus, recta in paratam naviculam impositi, & à Regno expulsi fuerunt. Prætereà in Civitate Paternionis, ubi pro Seculari potestate vigili, & improbâ sollicitudine incumbebant contra Ecclesiasticum Interdictum Sacerdos Josephus Sparpaglia Vicarius Foraneus, & Joseph Gargia Ayello Dux Justitiæ dictæ Civitatis ab eisdem circa mensem Aprilis labantis anni in carceres conjecti fuerunt Canonicus Antoninus Santangeli, & Pater Lector Dominicus Diamenti Ordinis Prædicatorum, nec non sequenti mense Junio in Conventu S. Mariæ Gratiarum procurata fuit captura P. Josephi è Plazza Congregationis Italiæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Excalceatorum nuncupat. quam tamen ille non sine vitæ suæ discrimine è speculâ se projiciendo evasit, licèt eum Miles armatâ manu insequeretur. Nec sanè dissimilia passi fuissent Sacerdotes Stephanus Asmetto Cantor, & Sebastianus Scandura Cappellanus Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ *dell'Alto*, nec non Alfius Rosso, & Salvator Rosso Cappellani in alia Ecclesiâ sub invocatione S. Barbaræ ejusdem Civitatis Paternionis, ac Sacerdos Fortunatus Papalardo, qui religiosè abnuerant violare Interdictum, ad quod jussu, & minis prædictorum Josephi Sparpagliæ Vicarii Foranei, & Josephi Gargiæ Ayello Ducis Justitiæ pluries compulsi fuerant, nisi, cum se ad vincula conquiri intellexerunt, aliorum exemplo cautiores redditi, arreptâ è Regno fugâ mensibus Julio, & Augusto proximè præteritis, Adversariorum consilia elusissent. Hanc quoque Persecutorum iram pari fugâ declinarunt Sacerdotes Gaspar Cantarella, & Laurentius de Amico è Civitate Jacis Sancti Antonii, quos in carcerem conjicere curaverat N. N. Natione Sabaudus, Capitaneus Militum Armorum Civitatis Jacis Realis, nec non Sacerdos Laurentius Vattiatus Cappellanus in Ecclesiâ Matrice ejusdem Loci Jacis Sancti Antonii, contra quem odio exarserat memoratus Roccaforte, instigante Josepho Maria Foraneo Jacis Realis, qui ulteriùs minis, & carceris terrore compellere tentaverat Sacerdotem Marium Gulli Cappellanum in Ecclesiâ Sancti Sebastiani dictæ Civitatis Jacis Realis, ut facultatem audiendi Sacramentales Confessiones à supradicto Parisio, licèt jamdiu ab Officio Vicariatus Generalis depositò acciperet; Unde omnes prænominati, ne iniquis Compulsorum mandatis obtemperando, Dei, & Ecclesiæ Ordinationi resisterent, Patriâ relictâ, è toto Siciliæ Regno de mense Septembris, proximè præteriti aufugerunt. Non impari virtute eligentes Deo potiùs, quàm hominibus placere, Sacerdotes Christophorus Sanchez Cappellanus Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Cataniæ, Bartholomeus Petralia Beneficiatus Secundarius Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ Montis Serrati, P. Franciscus Balestrerius Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & Clericus Joseph Finocchiaro Sacrista in Ecclesiâ nuncupatâ *delli morti* dictæ Civitatis, impiorum

Idem agunt complures Sacerdotes Sæculares, & Regulares, qui præterea Pontificiam autoritatem impiè infectantur.

Fervet persecutio in Observantes Interdictum, & plures carceribus mancipantur.

Alii in exilium è toto Regno ejiciuntur.

Alii ad evitandas persecutionis ærumnas fuga ex illis Partibus sibi consulunt.

Parisii, & Roccaforte vocem contemnentes, ut eorum indignationem evaderent, è Regno pariter circa idem tempus abierunt: Illorum tamen manus non evitarunt Sacerdotes Horatius Polverenti, & Petrus Margariti, qui culpabiles apud eosdem Compulsores indicati, ex quo Interdicto, ut æquum erat, obtemperando, clausis januis in dicta Ecclesia *delli morti* Sacrum faciebant, de mense Junio proximè elapso carceribus mancipati, & subinde pœnâ exilii è Civitate, & Diœcesi Catanien. mulctati fuerunt.

Recensentur plures alii Regulares, & Sacerdotes Sæculares, qui Interdictum violarunt, & ab aliis violari curarunt in Civitate, & Dioœsi Catanien.

§. 7. Demum silentio prætereunda non sunt, quæ idem Dominus Procurator Fiscalis prosequendo addidit patrata fuisse in eadem Civitate Cataniæ contra Ecclesiasticum Interdictum à P. Lucio Bonanno Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis Abbate Monasterii Sancti Nicolai de Arena, & à Fr. Raymundo Bonfiglio Ordinis Prædicatorum degente in Conventu Sanctæ Catharinæ Senensis, aliisque Ecclesiasticis mox nominandis. Dictus enim Pater Bonannus haud satis egisse reputans Religiosos sibi Subditos pravo suo exemplo ad Interdicti violationem adigendo, reseratis etiam Ecclesiæ januis, ut omnibus opportunitas daretur publicæ Divinorum Officiorum celebrationi interessendi, proprià authoritate abuti pergens, eos, qui iniquo præcepto parere detrectarunt, ad ejusmodi obedientiam sibi exhibendam minis coegit, & P. Alexandrum Pilo in recto observantiæ proposito perseverantem, tentavit primò parata carceratione terrere, & subinde mense Martio proximè præterito, injuncta exilii pœna, è Monasterio ejecit: Frater verò Bonfiglio Consiliarius supradicti Canonici Roccaforte, nedum ejus animum malignantibus consiliis obduravit, & magis in dies obdurat, sed insuper suasionibus æquè perversis ab observando Interdicto avertit Matronas Civitatis, easque falsa illius religione deceptas in viam perditionis adduxit. Horum iniquitatem consectati fuerunt Sacerdotes Augustinus Manduca Primarius Cathedralis Ecclesiæ Sacrista, & præfati Canonici Roccaforte Confessarius, qui pervicaciter persistens in violatione Interdicti, pluries, & palàm in Ecclesiæ Sacrario contra Observantes oblocutus fuit, impiè etiam in Summi Pontificis potestatem blasphemans: Nec non Antonius Tropea ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, qui in præmium improbi laboris verbo, & exemplo impensi, ut alios ad Interdictum violandum induceret, promeruit in Rectorem Seminarii à Parisio constitui ut Alumnos ejus curæ, & educationi commissos ad parem inobservantiam erudiret. Nec à prædictis dissensit alter Sacerdos Martinus Maria: Declamavit enim in Civitate Jacis Realis contra Interdicti observantiam: Sollicitavit alios ad illud contemnendum: Et in Ecclesia sui juris patronatus sub Invocatione Sancti Martini, publicæ commoditati hac de re aperta, celebravit, cæteraque Divina Officia peregit; Rebusque aliis in Processu, & Processibus Causæ, & Causarum hujusmodi latiùs deductis, ad quos &c. præmissa omnia, & singula committentes, ac temerè, & sacrilegè patrantes contra Immunitatem, jurisdictionem, & Libertatem Ecclesiasticam, ac Interdictum in præfatis Civitate, ac Diœcesi Catanien. de ordine Sanctissimi Domini Nostri appositum, non solùm violantes, sed etiam acerrimè oppugnantes, ad illius violationem cum maximo Fidelium scandalo, ac Pontificiæ Authoritatis contemptu, sive mandando, committendo, compellendo, sive consulendo, instigando, & aliàs quomodolibet cooperando urgentes, tam directè, quàm indirectè, tam conjunctim, quàm divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo non solùm &c. sed omni &c. super quibus &c. Quamobrem ad Instantiam, & pro parte præfati Domini Procuratoris Fiscalis fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenùs de opportuno Juris remedio providere, & Monitorium extrà Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur, quare præsentato, & exhibito Nobis Chirographo manu ejusdem Sanctissimi Domini Nostri die vigesima sexta mensis Martii currentis anni signato, tenoris sequentis, videlicet:

Ejusmodi delictorum causa à Pontifice per speciale Chirographum delegatur A. C.

Monsignor Arcivescovo di Tebe, Auditor Generale della nostra Camera Apostolica. Con altro nostro precedente Chirografo, spedito dal nostro Palazzo di Monte Cavallo in data delli 30. Novembre 1714. vi ordinammo, che atteso l'accrescersi sempre più nel Regno di Sicilia le violazioni dell' Immunità, giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, e specialmente le Compulsioni, Consulte, ed Instigazioni all' inosservanza degl' Interdetti di nostr' ordine apposti nella Città, e Diocesi di Catania, e Girgento, Voi, ed il vostro Tribunale dovesse procedere alla formazione de' Processi, trasmissione de' Monitori contro quelli, che fossero risultati Violatori, come sopra, Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, ed in qualunque modo Cooperanti alla contravenzione di detti Interdetti tanto direttamente, quanto indirettamente; concedendovi à tal' effetto le facoltà necessarie: E quantunque Voi, & il vostro Tribunale, come Esecutore Generale delle Lettere Apostoliche, avereste potuto procedere in questa Causa, e Cause con le vostre ordinarie facoltà; nondimeno à maggior cautela, & di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Potestà assoluta, preservando primieramente tutte, e singole altre ragioni, che intorno à ciò havessero potuto in qualunque modo, e tempo competere al nostro Fisco, & avocando à Noi, in quanto haveste fatto da bisogno, questa Causa, e Cause da qualunque Tribunale, Congregazione, e Giudice, come anco avendo per espresso il contenuto del Processo, ò Processi fabricati di ordine nostro, come se di parola in parola vi fossero stati inseriti, con detto nostro Chirografo le commettessimo à Voi, ed al vostro Tribunale con li suoi annessi, connessi, emergenti, e dipendenti, anche con la clausola quam, & quas, comandandovi espressamente, che non solo in virtù delle vostre facoltà generali, mà anche in vigore delle particolari con detto nostro Chirografo concedutevi, doveste procedere alla trasmissione de' Monitorii, e citazioni contro tutti quelli, che da Processi nel vostro Tribunale formati sufficientemente fossero restati indiziati per Violatori dell' Immunità, giurisdizione, e libertà Ecclesiastica, Mandanti, Compulsori, Consultori, Instigatori, & in qualsivoglia modo tanto direttamente, quanto indirettamente Cooperatori all' inosservanza degl' Interdetti di nostro ordine apposti nelle Diocesi di Catania, e Girgento, e contro qualsivoglia Persona, tanto Laici di qualsivoglia grado, preeminenza, e dignità, quanto Ecclesiastici, e Secolari, e Regolari di qualunque Ordine, Congregazione, Instituto, & anche della Compagnia di Giesù, e quantunque si trattasse di Consultori, Qualificatori, ò altri simili Ministri del Sant' Offizio di quel Regno, & d'ogni altra Persona di speciale, specialissima, & individua nota degni, ed insieme vi concedemmo tutte le facoltà di procedere à suo tempo contro li sudetti, benche da Noi non nominati, e dichiararli incorsi in tutte, e singole censure, che sono prescritte da sacri Canoni, Decreti de Concilii Generali, e Costituzione Apostoliche, come meglio in detto Chirografo, che habbiamo qui per espresso, come fusse registrato di parola in parola, quale non solo confermiamo in tutto, e per tutto, ma ampliamo in modo, che espressamente di simile nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Potestà assoluta concediamo à

Voi, e voſtro Tribunale, doppo haver una, ò più volte proceduto alle dichiarazioni, e condanne contro li Violatori ſudetti ſenza biſogno di altro Chirografo poſſiate, e poſſa il voſtro Tribunale continuare, e novamente formare Proceſſi contro li ſudetti Violatori dell' Imunità, Giuriſdizione, e Libertà Eccleſiaſtica, Conſultori, Inſtigatori, ed in qualunque altro modo Cooperatori direttamente, ò indirettamente all'inoſſervanza degl' Interdetti come ſopra, e contro li Violatori de medeſimi in detto Regno di Sicilia, e particolarmente nelle Città, e Dioceſi di Catania, e Girgento, compreſovi ancora la Città, e la Dioceſi di Lipari, e dichiararli incorſi nelle pene, che di ragione ſaranno competenti in eſecuzione de ſacri Canoni, Decreti de' Concilii generali, Conſtituzioni, e Brevi Apoſtolici, e particolarmente del noſtro Breve emanato ſotto li 6. Novembre 1714. ſuper omnimoda, & inviolabili obſervantia Eccleſiaſtici Interdicti &c., ſenza pregiudizio di altre pene, che de Jure competeſſero. Et affinche più facilmente poſſiate ciò eſſeguire in avvenire, e quante volte occorrerà ſenza altro noſtro Chirografo, vi concediamo ancora la facoltà, rimoſſa ogni appellazione, rachiamo, ricorſo, oppoſizione di nullità, etiam ex tribus, & altre ordinarie, & eſtraordinarie, di poterli citare per Editto, coſtando anco ſommariamente, & eſtragiudicialmente, e quanto vi parerà che baſti, del non tuto acceſſo; volendo, e decretando, che il Monitorio, ò Monitorii, che intorno à ciò ſi ſpediranno da Voi, e voſtro Tribunale, affiſſi che ſaranno in Roma alla Baſilica di S. Pietro alla Curia Innocentiana, & in Campo di Fiore & alle Chieſe Catedrali, ò maggiori delle noſtre Città, Terre, e Luoghi di Terracina, Nettuno, Porto d' Anzio, Fiumicino, Civitavecchia, & Ancona, vagliano, & habbiano la loro forza, e vigore, contro chi ſi ſia, come ſe perſonalmente foſſero ſtati citati, moniti, & intimati, derogando, in quanto ſia di biſogno à queſto effetto, e per queſta volta ſolamente, alle Conſtitutioni Apoſtoliche, fatte, & ordinate anche ne Concilii Generali, e particolarmente à quelle delli noſtri Predeceſſori Bonifatio VIII. de una, & Innocenzo III. nel Concilio Generale Lateranenſe de duabus dietis, & ogn'altra coſa, che faceſſe in contrario, ancorche haveſſe biſogno d'eſpreſſa, ſpecifica, & individua mentione, li tenori delle quali tutte, e ſingole vogliamo, che ſi abbino qui per eſpreſſi, & inſerti di parola in parola, e che il preſente Noſtro Chirografo vaglia, & abbia il ſuo pieno effetto, vigore & eſſecuzione con la noſtra ſola ſottoſcrizzione, benche non ſia regiſtrato nelli Libri della noſtra Camera, nè in alcun modo ſia ſervata la forma della Coſtituzione di Pio IV. parimente noſtro Predeceſſore de regiſtrandis, alla quale per ciò per queſta volta ſola deroghiamo, e che contro di eſſo non ſi poſſa in alcun tempo opporre di obrezione, ò ſubrezione, mancanza della noſtra volontà, & intenzione, nè di qualſivoglia altro difetto, benche degno di eſpreſſa, ſpeciale, & individua mentione, e che non ſi poſſa diverſamente interpretare, ò giudicare; dichiarando nullo, e irrito tutto ciò, che in contrario da qualunque perſona ſcientemente, ò ignorantemente ſi faceſſe, ò ſi attentaſſe. Non oſtante quanto à tutte e ſingole coſe premeſſe, qualſivoglia Coſtituzione, & Ordinazione Apoſtoliche, Concilii anche Generali, ſtatuti, uſi, conſuetudini, Decreti, Indulti, e Privilegii ſotto qualunque forma, e tenore, etiam con derogatorie di derogatorie, etiam conceſſi motu proprio, e per rimunerazione di ſervizii reſi alla Religione Catolica, & alla Santa Sede, e con qualſivoglia altre Clauſole, e Decreti: A quali tutti, e ſingoli etiandio più volte confermati, e benche ricercaſſero ſpeciale, & individua mentione, havendo li loro tenori per eſpreſſi, di ſimil moto proprio, e pienezza della noſtra aſſoluta Poteſtà eſpreſſamente per queſta volta ſola, e per gli effetti ſudetti pienamente deroghiamo, perche tale è la noſtra eſpreſſa, e determinata mente. Dato nel noſtro Palazzo Apoſtolico di Monte Cavallo queſto dì 26. Marzo, 1715.

CLEMENS PAPA XI.

Petiit, & ſumma cum inſtantia poſtulavit, ſine præjudicio tamen procedendi ſuis loco, & tempore contra alios in præſenti Monitorio non expreſſos, & in præmiſſis, vel circa ea huc uſque repertos, vel in poſterum reperiendos culpabiles, tam ex cauſis prædictis, quàm cujuſcumque alterius læſionis Immunitatis, Juriſdictionis, & Libertatis Eccleſiaſticæ, ac omnium, & ſingulorum Jurium hactenus quomodolibet, & qualitercumque Fiſco acquiſitorum, & competentium ſuis loco, & tempore deducendorum, de quibus omnibus, & aliis de jure, & de ſtylo proteſtandis, expreſsè proteſtatur, itaut proteſtatio hujuſmodi intelligatur facta, & repetita in qualibet parte harum noſtrarum literarum Monitorialium, & in toto proceſſu deſuper in poſterum fabricando, & non aliàs &c. quatenùs ſibi Literas Monitoriales ad Partes per Edictum publicum in locis in præinſerto Chirographo deſignatis, affigendas, exequendas, & publicandas, cum pro illis exequendis in Regno Siciliæ tutus non pateat acceſſus, in formâ ſolitâ decernere, & concedere, & alias de opportuno juris remedio providere dignaremur. Nos igitur Nicolaus Spinula Archiepiſcopus Thebarum, Judex Executor, & Auditor prædictus attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam in vim ordinariæ noſtræ Authoritatis, præinſertoque Chirographo Nobis, ut præfertur, præſentato inhærentes, ac etiam facultate in illo Nobis, noſtroque Tribunali attributâ utentes, conſtitoque Nobis, per Teſtes fide dignos de mandato noſtro jam examinatos ad dictum Regnum Siciliæ, in quo moram trahunt, & morari ſolent citandi, & monendi, pro præſentibus noſtris Monitorialibus Literis exequendis tutum non patere acceſſum, petitas Literas Monitoriales concedendas, & in locis infradicendis exequendas, & publicandas fore, & eſſe duximus, & mandamus per præſentes.

§. 8. Quo circa vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, ac veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus viſis iiſdem præſentibus per præſens publicum noſtrum Edictum in Romanâ Curiâ in Audientiâ publicâ Literarum Contradictarum Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ legendum, & ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, & extra etiam in Confinibus maritimis hujus Status Eccleſiaſtici, nempe in Civitatibus, Terris, & Locis Terracinæ, Neptuni, Portus Antii, Flumicini, Civitatis Vetulæ, & Anconæ per affixionem, publicationem, & executionem ad valvas Cathedralium, & majorum Eccleſiarum reſpectivè ex parte noſtrâ, immò veriùs Apoſtolicâ Authoritate pro nunc, & ſine præjudicio facultatis procedendi ſuis loco, & tempore contra alios, ac etiam contra prædictos gravioribus pœnis repertos, vel reperiendos culpabiles, (quorum aliqui iterum incurrerunt in cenſuras, licet aliàs excommunicati declarati extiterint) quam facultatem Nobis expreſsè reſervamus, *ſupradictos Sacerdotem Innocentium Roccaforte, Bonadies Canonicum Cathedralis Eccleſiæ Catanien. Subdiaconum Innocentium Patti Nepotem dicti Canonici Roccaforte, Sacerdotem Franciſcum Viola, Sacerdotem Joannem Baptiſtam Pariſium Theſaurarium Eccleſiæ Cathedralis Catanien., olim Vicarium Generalem, & jam ab ejuſmodi Officio depoſitum, Fr. Franciſcum Malavigna Ordinis Minorum Reformatorum S. Franciſci, Joannem la Valle, Petrum Gullotta, & Joannem*

Nomina omnium prædictorum Violatorum Interdicti hoſtium Pontificiæ authoritatis.

Giuffrida Canonicos Cathedralis Eccleſiæ Catanien., Archangelum Caruſo, Eraſmum Barbagallo, & Fabritium Strano Canonicos Secundarios ejusdem Eccleſiæ, Sacerdotem Petrum Scoto Canonicum Collegiatæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Montis Serrati dictæ Civitatis Cataniæ, Fr. Illuminatum Scoto Ordinis Minorum Reformatorum Sancti Franciſci, Fr. Bonaventuram Campanelli, & Fr. Vincentium Campanelli germanos fratres Minores Conventuales ejusdem Sancti Franciſci, P. Franciſcum Mariam Aſmondo Congregationis Clericorum Regularium Minorum, Comitem Vianzini Gubernatorem Civitatis Meßanæ, N. N. Cuſtodem, ſeu Capitaneum Portus ejusdem Civitatis Meßanæ, & N. N. N. N. Milites, Sacerdotem Joſephum Sparpaglia Vicarium foraneum Civitatis Paternionis, Joſephum Garzia Ayello Ducem Juſtitiæ ejusdem Civitatis N. N. Natione Sabaudum Capitaneum Militum Armorum Civitatis Jacis Realis, & Joſephum Maria Vicarium foraneum hujus Civitatis, P. Lucium Bonannum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſſinenſis Abbatem Monaſterii Sancti Nicolai de Arena Civitatis Cataniæ, Fr. Raymundum Bonfiglio Ordinis Prædicatorum degentem in Conventu S. Catharinæ Senenſis Cataniæ, Sacerdotem Auguſtinum Manduca Primarium Sacriſtam Eccleſiæ Cathedralis Cataniæ, Sacerdotem Antonium Tropeam Canonicum ejusdem Eccleſiæ Cathedralis, & Sacerdotem Martinum Maria è Civitate Jacis Realis, (cùm quoad alios Laicos in præmiſſis repertos culpabiles in ſeparatâ Inſtantiâ agatur) citetis, moneatis, & requiratis, prout Nos eoſdem harum ſerie citamus, monemus, & requirimus, primo, ſecundo, & tertio peremptorio termino, quatenùs infra duorum menſium ſpatium, quorum priores viginti dies pro primo, alios viginti dies pro ſecundo, poſteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione aſſignamus, & vos aſſignetis, debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit, debeat Romæ in Judicio coram Nobis, vel infraſcripto Perilluſtri, & Excellentiſſimo D. Dominico Cæſare Florello Locumtenente noſtro in Criminalibus Generali legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam, quare non debeat ipſos, & eorum quemlibet in omnes, & ſingulas cenſuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bullâ die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolitâ, nec non quoad Eccleſiaſticos Sæculares, in Dignitatum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum cujuſvis generis, ſeu naturæ ſint, quò vero ad Regulares, in Officiorum, Dignitatum, & graduum Regularium quorumcumque per eos reſpectivè obtentorum privationis, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcunque in poſterùm quomodolibet obtinenda, pœnas, aliaſque in ſupradictis Literis Apoſtolicis in formâ Brevis Sanctiſſimi Domini Noſtri die ſextâ Novembris anni milleſimi ſeptingenteſimi decimiquarti expeditis ſuper omnimodâ, & inviolabili Interdicti obſervantiâ contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas, incidiſſe, & incurriſſe declarari, ac ſine præjudicio aliarum pœnarum in omnes prædictos, vel eorum ſingulos irrogandarum, contra illos, & illorum quemlibet literas quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni, & relaxari, ac ad omnes, & ſingulos actus, de, & ſuper præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſarios; & opportunos procedi, nec non reſpectivè ad videndum ſeſe in cenſuras, & pœnas hujuſmodi incidiſſe, & incurriſſe declarari, ipſique D. Procuratori Fiſcali Generali Jus, & Juſtitiam miniſtrari; Certificantes eoſdem *Innocentium Roccaforte Bonadies, Innocentium Patti, Franciſcum Viola, Joannem Baptiſtam Pariſio, Fr. Franciſcum Malavigna, Joannem la Valle, Petrum Gullora, Joannem Giuffrida, Archangelum Caruſo, Eraſmum Barbagallo, Fabritium Strano, Petrum Scoto, Fr. Illuminatum Scoto, Fr. Bonaventuram Campanelli, Fr. Vincentium Campanelli, P. Franciſcum Mariam Aſmondo, Comitem Vianzini Cubernatorem Civitatis Meſſanæ, N. N. Cuſtodem, ſeu Capitaneum Portus Meſſanæ, & N. N. N. N. Milites, Joſephum Sparpaglia, Joſephum Garzia Ayello, N. N. Natione Sabaudum Capitaneum Militum Armorum Civitatis Jacis Realis & Joſephum Maria, P. Lucium Bonannum, Fr. Raymundum Bonfiglio, Auguſtinum Manduca, Antonium Tropea, & Martinum Maria* ſic citatos, & monitos, quòd ſi in dicto termino ipſis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, Nos, vel dictus Locumtenens Criminalis infraſcriptus, nihilominus, ſervatis terminis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, ad omnium, & ſingularum cenſurarum, & pœnarum prædictarum reſpectivè (ultra alias de Jure competen. reſervatas) incurſus declarationem, & executionem, Cedulonumque dictæ Excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque reſpectivè, & ad omnia alia neceſſaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, ſivè deveniet, & procedet, juſtitiâ mediante, eorum abſentiâ, & contumaciâ non obſtante. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimoquinto, Indictione octavâ, die verò 9. menſis Decembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentia Papæ XI. Anno decimo ſexto.

Monentur, & citantur ad comparendum, & allegandum cauſam quare declarari non debeant incidiſſe in Cenſuras, & pœnas &c.

Dominicus Cæſar Florellus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

Die 17. Martii 1716. Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra omnes citatos Contumaces Sententia declaratoria incurſus in omnes, & ſingulas Cenſuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impreſſa, & conſuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula Cedoloni-nuncupata, qua univerſis Chriſtifidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Eccleſiaſtica Sepultura ii omnes, & ſinguli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

MONITORIUM XII.

Die 6. Junii 1716. vigore ſpecialis Chirographi Pontificii expeditum contra plures, qui communicare auſi fuerunt in Divinis cum Excommunicatis vitandis in Regno Siciliæ cum præfixione termini ad legitimè comparendum ſub cenſuris, & pœnis in Sacris Canonibus, & Conciliis contentis, ac monitione ad omnes Chriſtifideles, ut à quocumque prohibitæ cum illis communionis genere ſe abſtineant.

Nicolaus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Spinula Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Pro-Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, ac Cenſurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac literarum Apoſtolicarum quarumcumque Univerſalis, ac merus Executor.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis,

Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis, quod hac infrascriptâ die comparuit coram Nobis Perillustris, & Excellentissimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Procurator Fiscalis, & exposuit non defuisse in Civitate Panormi pervicaces Homines, qui non erubescentes peccata sua, nec formidantes Ecclesiastica vincula, quibus ob violatam Immunitatem, Jurisdictionem, & Libertatem Ecclesiasticam obstricti fuerant, prolatam in eos recto Ecclesiæ judicio Excommunicationis sententiam indurato corde sustinuerunt, & adhuc pertinaciter sustinent. Extitisse insuper plures perditionis filios, qui illorum partes sequentes, & nihil attendentes, quinimò despicientes salutaria monita publicis nostris schedulis editis diebus 23. Januarii anni 1714. & 5. Aprilis anni proximè elapsi cunctis Christifidelibus data, ut eosdem Excommunicatos palam denunciatos; nempè Josephum Fernandez Præsidem, Ignatium Perlongo, Nicolaum Ardizzone, aliosque nominatim expressos, tanquam putrida membra ferro Excommunicationis ab Ecclesiæ corpore abscissa, aufugerent, hæc, inquam, salutaria monita, seu potius canonica præcepta spernentes pernicioso communionis solatio illorum contumaciam confoverunt, majoremque eis insolentiæ fomitem subministrarunt. Nonnulli siquidem Ecclesiastici, ac præsertim Sacerdotes, qui fuerunt Vasa Domini, adnitente etiam Laicali Potestate illius Regni, in id gravissimum scelus devenerunt, ut in ipsam Dei gloriam effundentes malitiam, veniam quippe peccatorum, & pœnarum remissionem, sivè Indulgentiam supplices ante faciem Domini petentes, Deum verò ad iracundiam provocantes, Sacrum facere, & Altari ministrare solemni ritu ad nominatorum Excommunicatorum præsentiam, & interessentiam sacrilegè præsumpserunt.

Excommunicati in Civitate Panormitana Censuras palam contemnunt, & nonnulli Sacerdotes Laicali Potestate adnitente, coram ipsis Sacrum facere audent.

§. 2. Hæc profectò pluries in Civitate Panormitanâ accidisse exposuit, præcipuè diebus 15. Julii, 25. Decembris, & 26. Februarii proximè præteritorum in illius Metropolitanâ Ecclesiâ, ubi Inventionis Corporis Sanctæ Rosaliæ Virginis, ac Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi festos dies celebrantes, & Ecclesiastico ritu Cinerum solemnitatem, juxta Sanctæ Matris Ecclesiæ morem, colentes, fusis ad Deum precibus, Altare ejus introiverunt, Sacrum faciens Canonicus ejusdem Ecclesiæ Metropolitanæ Mamilianus Cozzo, ac Sacerdotes ei ministrantes dictâ die 25. Decembris Canonicus Didacus Sciacca in Officio Diaconi, & N. N. in altero Subdiaconi; aliâ verò die 26. Februarii idem Sciacca Diaconi, & Sacerdos Petrus Guagenti Subdiaconi officia præstantes; Iniquo pariter ausu, & religiosâ disciplinâ neglecta, celebratis Missæ Sacrificiis ad eorumdem Excommunicatorum præsentiam interfuerunt Canonici Augustinus Perez de Alba, Emanuel Tiganus, Antoninus Scoma, Andreas Marini Caffarelli, Albertus Bartolotta, Paulus Pinnisi, Augustinus Passalacqua, & N. Finocchiaro, nec non Beneficiati Philippus Scolare nuncupatus l'Abbate Corda Fradixa, Benedictus Leonti, Joseph Papalardo, & Nicolaus Martorana.

Id accidisse narratur in Metropolitana Ecclesia, & personæ explicantur.

§. 3. Id ipsum etiam occasione Solemnitatum Sanctissimæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorumque Francisci, Augustini, Teresiæ, Thomæ Aquinatis, ac Francisci de Paula factum fuisse narravit idem Procurator Fiscalis in Regularium Ecclesiis, nempè Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini die 28. Augusti proximè præteriti, Patrum Minorum Conventualium Sancti Francisci 4. Octobris, & 8. Decembris subsequentis; Patrum Carmelitarum Discalceatorum die 15. dicti mensis Octobris, Patrum Ordinis Prædicatorum die 7. Martii proximè elapsi, ac demum Fratrum Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula die 2. subsequentis mensis Aprilis: Inibi namque, Excommunicatis vitandis pari iniquitate, & scandalo assistentibus, Divina celebrarunt Officia, nempe Missæ Sacrificium ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini Fr. Cajetanus Lombardi, Diacono ministrante Fr. Petro Moncillo, & Subdiacono Fr. Augustino lo Monaco: Ex Ordine Minorum Conventualium Fr. Magister Antonius Maria lo Monaco, Ministerium Diaconi, & Subdiaconi respectivè eidem præbentibus dictâ die 4. Octobris Fratribus Leonardo Tomassini, & Vincentio Bocchi, ac 8. die Decembris Fratribus Petro Paulo Termine, & Baccalaureo Bellona: Ex ordine Carmelitarum Discalceatorum Frater Stephanus à Sancto Josepho, & ei ministrantibus Diacono Fratre Hiacyntho à Spiritu Sancto, & Subdiacono Fratre Angelico à Sancto Cajetano: Ex Ordine Prædicatorum Magister Hiacynthus Ruscianus, eidem ministrantibus Diacono Fratre Gervasio Azzaretti, & Subdiacono Mariano Ferrara de Bivona: Et demùm ex Ordine Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula ad Altare introiverunt Sacrum faciens Frater Joannes Baptista Prioli, nec non Fratres Antoninus Cona, & Deodatus Firrera Diaconi, & Subdiaconi ministerium respectivè exercentes: Singulis verò Sacrificiis in qualibet Regularium Ecclesia solemniter, ut præmittitur, celebratis, astiterunt quoque Sacerdotes Jo. Baptista Martinez, & Joseph Cozzo pro eorum Magisterii munere Sacras ceremonias dirigentes; Rebusque aliis, prout ex Processu, & actis Causæ ad quæ &c. congrua congruis &c. super quibus &c. Quæ omnia, & singula, Potestate Laicali cooperante, maligno corde gesta fuisse commemoravit coram Nobis, legitimisque Juribus comprobavit d. Dominus Procurator Fiscalis. Quamobrem ad instantiam, & pro parte ejusdem fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenus de opportuno Juris remedio providere, & Monitorium extra Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparen. decernere, & concedere, dignaremur, sine tamen præjudicio suis loco, & tempore ad alia Juris remedia, & contra alios in præsenti Monitorio non expressos procedendi.

Id ipsum contigisse narratur etiam in pluribus aliis Ecclesiis Regularium præfatæ Civiats.

§. 4. Nos igitur Nicolaus Cardinalis Spinula Pro-Auditor Generalis, & Judex à Sanctissimo Domino Nostro Papa specialiter deputatus, attendentes requisitionem hujusmodi fore, & esse justam, & rationi consonam, hancque damnatam, detestabilemque communionem in Divinis cum Excommunicatis vitandis in spretum Potestatis Clavium habitam sedulò spectantes, & intento animo considerantes grandem Sacerdotum ruinam, quantò grandis est Dignitas, in qua peccarunt, petitas literas monitorias, pro nunc, & sine præjudicio ad graviora remedia, juxtà Canonicas Sanctiones in futurum deveniendi, concedendas, & in locis infrà dicendis, constito jam Nobis de non tuto accessu ad Regnum Siciliæ: exequendas, & publicandas fore, & esse duximus, & per præsentes mandamus. Quocircà vobis omnibus, & singulis supradictis, ac vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute S. Obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenùs visis eisdem præsentibus, per præsens publicum

noſtrum Edictum in Romanâ Curiâ in audientiâ publicâ literarum Contradictarum SS. Domini Noſtri Papæ legen., & ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ & extra eam in confinibus Mariimis hujus Status Eccleſiaſtici, nempè in Civitatibus, Terris, & Locis Terracinæ, Neptuni, Portus Antii, Flumicini, Civitatis Vetulæ, & Anconæ per affixionem, publicationem, & executionem ad valvas Cathedralium, & Majorum Eccleſiarum reſpectivè, ex parte noſtrâ, imò veriùs Apoſtolicâ Authoritate pro nunc & ſinè præjudicio facultatis procedendi ſuis loco, & tempore contra alios, ac etiam contra prædictos gravioribus pœnis repertos, vel reperiendos culpabiles, quàm facultatem Nobis expreſsè reſervamus, ſupradictos *Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ Panormi Mamilianum Cozzo, Didacum Sciacca, Auguſtinum Perez de Alba, Emanuelem Tiganum, Antoninum Scoma Andream Marini Caffarelli, Albertum Bartolotta, Paulum Pinniſi, Auguſtinum Paſſalacqua, & N. Finocchiaro; nec non ejusdem Metropolitanæ Eccleſiæ Beneficiatos Philippum Scolare nuncupatum l'Abbate Corda Fradixa, Benedictum Leonti, Joſephum Papalardo, & Nicolaum Martorana, Sacerdotes quoque Petrum Guagenti, Jo. Baptiſtam Martinez, Joſephum Cozzo & N.N. qui dicta die 25. Decembris in officio Subdiaconi miniſtravit, prout etiam Fratres Eremitas Sancti Auguſtini Cajetanum Lombardi, Petrum Moncillo, Auguſtinum lo Monaco, Fratres Minores Conventuales Antonium Mariam lo Monaco, Leonardum Tomaſſini, Vincentium Bocchi, Petrum Paulum Termine, Baccalaureum Bellona: Fratres Carmelitas Diſcalceatos Stephanum à ſancto Joſepho, Hyacinthum à Spiritu Sancto, Angelicum à Sancto Cajetano, Fratres ex Ordine Prædicatorum Hyacinthum Ruſcianum, Gervaſium Azzaretti, Marianum Ferrara de Bivona, & Fratres ex Ordine Minimorum Jo. Baptiſtam Prioli, Antoninum Cona, ac Deodatum Firrera*, citetis, moneatis, & requiratis, prout Nos eoſdem harum ſerie citamus, monemus, & requirimus, primo, ſecundo, & tertio peremptorio termino, quatenùs infra duorum menſium ſpatium, quorum priores viginti dies pro primo, alios viginti dies pro ſecundo, poſteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione aſſignamus, & vos aſſignetis, debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit, debeat Romæ in Judicio coram Nobis, vel infraſcripto Perillustri, & Excellentiſſimo D. Dominico Cæſare Florello Locumtenente noſtro in Criminalibus Generali legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam, quare non debeat ipſos, & eorum quemlibet in omnes, & ſingulas cenſuras, pœnas contra prædicta, & ſimilia committentes, ac præſertim in contemptum, ut præmittitur, Communionem in Divinis cum Excommunicatis vitandis habentes, in Sacris Canonibus, & Conciliis contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas, incidiſſe declarari, ac ſine præjudicio aliarum pœnarum in omnes prædictos, vel eorum ſingulos irrogandarum, contra illos, & illorum quemlibet literas quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni & relaxari, & ad omnes, & ſingulos actus, de, & ſuper præmiſſis, & circa ea quomodolibet neceſſarios, & opportunos procedi, ipſique Domino Procuratori Fiſcali Jus, & Juſtitiam miniſtrari. Certificantes eoſdem Canonicos Metropolitanæ Eccleſiæ Panormi *Mamilianum Cozzo, Didacum Sciacca, Auguſtinum Perez de Alba, Emanuelem Tiganum, Antoninum Scoma, Andream Marini Caffarelli, Albertum Bartolotta, Paulum Pinniſi, Auguſtinum Paſſalacqua, & N. Finocchiario; nec non ejusdem Metropolitanæ Eccleſiæ Beneficiatos Philippum Scolare nuncupatum l'Abbate Cordafradixa, Benedictum Leonti, Joſephum Papalardo, & Nicolaum Martorana; Sacerdotes quoque Petrum Guagenti, Jo. Baptiſtam Martinez, Joſephum Cozzo, & NN. qui dicta die 25. Decembris in officio Subdiaconi miniſtravit; prout etiam Fratres Eremitas Sancti Auguſtini Cajetanum Lombardi, Petrum Moncillo, Auguſtinum lo Monaco: Fratres Minores Conventuales Antonium Mariam lo Monacho, Leonardum Tomaſſini, Vincentium Bocchi, Petrum Paulum Termine, Baccalaureum Bellona: Fratres Carmelitas Diſcalceatos Stephanum à Sancto Joſepho, Hyacinthum à Spiritu Sancto, Angelicum à Sancto Cajetano: Fratres ex Ordine Prædicatorum Hyacinthum Ruſcianum, Gervaſium Azzaretti Marianum Ferrara de Bivona, & Fratres ex Ordine Minimorum Jo. Baptiſtam Prioli, Antoninum Cona, ac Deodatum Firrera* ſic citatos, & monitos, quod ſi in dicto termino ipſis præfixo legitimè, non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, Nos, vel dictus Excellentiſſimus D. Locumtenens Generalis infraſcriptus, nihilominus, ſervatis terminis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, ad omnium, & ſingularum cenſurarum, & pœnarum prædictarum incurſus declarationem, & executionem, Cedulonumque dictæ Excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque reſpectivè, & ad omnia alia neceſſaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, ſive deveniet, & procedet, Juſtitiâ mediante, eorum abſentiâ, & contumaciâ non obſtante.

Nomina eorum, qui communicare auſi ſunt in divinis cum Excommunicatis vitandis.

Monentur ii omnes ad comparendum, & dicendum cauſam quare declarari non debeant incidiſſe in Cenſuras, & pœnas &c. infra terminum ipſis præfixum.

§. 5. Interim verò Nos vehementer cupientes, ut prænominati, cæterique excommunicationis Sententiâ innodati, tandem erubeſcentes agnoſcant peccata ſua, & ad ſinum Sanctæ Matris Eccleſiæ humili, & contrito corde revertantur: Idcircò, ne illorum contumaciam in pejus enutriat pernicioſum communionis ſolatium, neve Animarum periculum ex eâ Communicantibus immineat, Vobis omnibus, & ſingulis ſuperiùs nominatis committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ expreſsè mandamus, quatenus vigore præſentium moneatis, ſeu moneri faciatis, prout Nos, ſic inſtante dicto Domino Procuratore Fiſcali, per easdem præſentes noſtras literas, juxtà canonica Inſtituta, monemus omnes, & ſingulos Chriſtifideles, eiſdemque inhibeatis, prout Nos pariter illis inhibemus, ne ſub quovis prætextu, & quæſito colore, audeant, vel præſumant quodcumque prohibitæ communionis genus cum illis habere, ſed omninò ab hujuſmodi damnato participio abſtinere ſe debeant ſub cenſuris, & pœnis in Sacris Canonibus contentis, ad quarum quidem incurſus declarationem, & executionem, ac ad omnia alia neceſſaria, & opportuna, præmiſſis de jure præmittendis, Nos procedemus, ſivè infraſcriptus Dominus Generalis Locumtenens, Juſtitia mediante, procedet contra quoſcumque de prædictis reperiendos culpabiles, atque punibiles. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſexto, Indictione nona, die verò ſexta menſis Junii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimo ſexto.

Dominicus Cæſar Florellus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Cauſarum Camera Apoſtolicæ Notarius.

Die 10. *Octobris* 1716. *Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra omnes citatos Contumaces Sententia declaratoria in-*

Omnes Chriſti fideles admonentur, ne quodcumque communionis genus ſub quovis prætextu habere audeant cum prædictis Excommunicatis ſub Cenſuris, & pœnis.

cursus in omnes, & singulas Censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula Cedoloni-nuncupata, qua universis Christifidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura ii omnes, & singuli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

Postquam è Tribunali A. C. pro tuitione Immunitatis Ecclesiasticæ, Apostolicæque authoritatis in Regno Siciliæ tam graviter læsæ, & pro observatione potissimum Ecclesiastici Interdicti Civitatibus, & Diœcesibus Catanien., Agrigentin., & Liparitan. ab illarum Episcopis de speciali mandato Sanctissimi appositi, & deinde à Sanctitate Sua amplissimè confirmati, Monitoria, Sententiæ, & publicæ Anathematis Schedulæ superiùs relata, ac inserta prodierant: æquum, justumque imò etiam maximè necessarium visum est rationem inire, qua Ecclesiæ satisfieret, spirituali illorum populorum saluti summum in discrimen adductæ consultum esset, sublatisque è medio scandalis, pristina tandem, ac bonorum omnium votis tantoperè exoptata tranquillitas Siciliæ restitueretur. Hunc igitur in scopum Summo Pontifice, & qui tunc prædictam Insulam obtinebat, Hispaniarum Rege Catholico Philippo V., pro insita utrique eximia pietate, ac prudentia laudabiliter conspirantibus, à Majestate Sua primùm Eminentissimus Dominus Cardinalis Franciscus de Aquaviva, Regius apud Sanctam Sedem Administer, & mox à Sanctissimo R. P. D. Vincentius Alamannus utriusque Signaturæ Referendarius, & ab arcanis notis Sanctitatis Suæ, ad ejusmodi negotium honestis conditionibus transigendum delecti fuere. Pluribus itaque à Pontificio Deputato cum prædicto D. Cardinali, atque etiam cum R. P. D. Herrera, Sacræ Rotæ Romanæ Auditore, ab Eminentia Sua subrogato habitis colloquiis, & tractationibus, etsi multiplices, nec levis momenti difficultates intercessissent, tandem, benedicente Domino, felicem ad exitum perducta res est, communi consensu firmatis decem Articulis, quorum tenor hic subjicietur.

I. Che rimossi tutti gl'impedimenti frapposti all'intiera osservanza dell'Interdeto nelle trè Diocesi di Catania, di Girgento, e di Lipari, e rivocati, & aboliti tutti gl'Atti, Decreti, & Ordinazioni fatte in contrario, si osservi in avvenire nelle dette trè Diocesi pienamente l'Interdetto.

II. Che tutti gl'Esuli, fuggitivi, rilegati, ò anco carcerati, tanto Laici, che Ecclesiastici, e Regolari per l'osservanza dell'Interdetto, ò per qualsivoglia altra causa in odio della giurisdizione Ecclesiastica, ò dell'obbedienza præstata alla Sede Apostolica, siano richiamati, e scarcerati respettivamente, e rimessi in quell' istesso stato, e grado, in cui erano prima della loro espulsione, fuga, rilegazione, ò carcerazione.

III. Che si rimuovano tutti, e singoli sequestri appositi per le cause sopra espresse, con doversi restituire dal presente Governo à chi è di ragione, tuttociò, che si trovasse in mano, ò che avesse percetto de' frutti sequestrati; restando poi semper à peso de' particolari il restituire quello, in che si fossero utilizzati sotto in presente, e passato Governo.

IV. Che tutte le privazioni di Dignità, ò Benefizii Ecclesiastici, ò di qualunque grado, offizio, ò prerogativa, in cui sono stati dichiarati respettivamente incorsi dalla Santa Sede, ò in esecuzione degl' Ordini della medesima, varii Ecclesiastici, ò Regolari, abbiano il loro effetto, sin tanto che non vengano reintegrati dalla somma pietà di Nostro Signore, il quale per grazia speciale reintegrarà tutti quelli, che daranno veri segni di pentimento, à sola riserva di quei pochi, li Benefizii, ò gradi de' quali saranno stati già legitimamente disposti in altri Soggetti, à quali non si dovrà impedirne il pacifico possesso, ò se qualcheduno si stimasse gravato, Nostro Signore gli farà amministrare tutta la giustizia.

V. Che essendo nulli tutti li Capitoli Regolari celebrati contro la forma de' Sacri Canoni, ò delle Costituzioni particolari di ciaschedun' Ordine; ò contro il divieto della Sede Apostolica, e per consequenza, essendo di niun valore tutti gl' atti fatti in essi Capitoli, dovranno li Superiori Generali degl' Ordini dare il necessario riparo, e rimedio à gl' inconvenienti seguiti. Quanto poi all' elezzioni fatte in essi Capitoli, essendo similmente di niun valore, rimossi li Superiori intrusi, saranno riconosciuti per legitimi quelli, che sono stati eletti per Breve, ò che hanno havute le facoltà di governare dalla Sacra Congregazione, ò da' loro legitimi Superiori Generali, sin à tanto che per li primi spiri il tempo del Breve, e per gl' altri, che si celebri il nuovo legitimo Capitolo convocato dal vero Superiore.

VI. Che tutti gli Scommunicati dichiarati per le cause sopra espresse debbano riputarsi, e portarsi come tali, e domandare l'assoluzione, dando le dovute sodisfazioni alla Chiesa.

VII. Che li Cadaveri di Monsignor Patriarca Vescovo di Catania, e di Monsignor Vescovo di Girgento, si trasportino nelle loro Catedrali, con esservi ricevuti con quelle dimostrazioni, che si convengono, nella forma concertata per il trasporto del Cadavere del Vescovo dell' Aquila.

VIII. Che li due Vicarii Apostolici di Catania, e di Girgento, ritornati che siano al governo di quelle Diocesi, possano liberamente senza alcuna opposizione essercitarvi il loro Offizio, finche quelle Chiese non siano provviste di un nuovo Pastore, ò che Sua Santità permetta à quei Capitoli, assoluti che saranno li Canonici, di procedere all' elezzione di un Vicario Capitolare.

IX. Che essendo nulli tutti gl atti spettanti sì al Foro di conscienza, che al contentioso fatti da' Vicarii intrusi, ò da qualunque altro Superiore Ecclesiastico non legitimo, darà Sua Santità le sufficienti facoltà a' Vicarii Apostolici di Catania, e di Girgento, ed al Vicario Generale di Monsignor Vescovo di Lipari, perche possano provedere à gl' innumerabili disordini seguiti per nullità de' sudetti atti, con dar loro le opportune instruzzioni, ad effetto di evitare al possibile ogni disturbo, e scandalo, e lo stesso à proporzione si fatà co' Regolari, dando le facoltà a' Superiori Generali.

X. Adempite che siano le sudette sodisfazioni, e costando à Nostro Signore del loro intiero adempimento, dira Sua Santità le facoltà necessarie a' Vicarii Apostolici di Catania, e di Girgento, ed al Vicario Generale di Lipari, tornati che siano al Governo delle loro Diocesi, per rimuovere l'Interdetto.

Die 7. Aprilis 1719, Summus Pontifex omnes præinsertos Articulos benignè probavit, eosque à R. P. D. Alamanno perlegi, ac recitari mandavit Eminentissimis DD. Cardinalibus Tanario, Paulutio, de Aquaviva, Corradino, & Albano, nec non RR. PP. DD. Alexandro Albano Sanctitatis Suæ Nepoti; & Scipioni de Ricciis Sac. Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ Secretario, ad Palatium Apostolicum Vaticanum jussu Sanctitatis Suæ ad hoc specialiter vocatis. Expleta lectione Eminentissimus D. Cardinalis de Aquaviva nomine Regis Catholici

tolicam plenam, integram, ac omnimodam octo priorum Articulorum executionem pollicitus fuit; Et vicissim reliqui quatuor Eminentissimi Cardinales noni, & decimi Articulorum adimplementum Pontificio nomine spoponderunt.

Subindè mandato Sanctissimi per encyclicas literas Sac. Congregationis Immunitatis Ecclesiasticæ universis Siciliæ Ordinariis missa fuerunt exempla prædictorum decem Articulorum cum opportuna Instructione; Nec non Vicariis Apostolicis Catanien., & Agrigent., ac Vicario Generali Liparitan. injunctum fuit, ut postquam illis exploratum, compertumque esset integrum, atque omnimodum adimplementum satisfactionum à Regis Officialibus præstandarum, Interdictum memoratis Civitatibus, & Diœcesibus appositum removerent. Eisdem præterea Vicariis, ac reliquis omnibus Siciliæ Ordinariis tributa fuit facultas absolvendi in forma Ecclesiæ consueta à censuris omnes, & singulos, qui illis innodati reperirentur ob violationem Interdicti, ac læsam Immunitatem, liberatemque Ecclesiasticam, sive ob alium quemcumque actum ab ipsis gestum in odium Jurisdictionis Ecclesiasticæ, vel obedientiæ præstitæ mandatis Sanctæ Sedis Apostolicæ, ejusdem Interdicti observationem respicientibus; Ac insuper dispensandi cum illis, qui irregularitatem contraxissent, dummodò tamen iidem Excommunicati, ac irregulares absolutionem, & dispensationem respectivè debita humilitate postularent, partibusque læsis satisfacerent, & à similibus in futurum abstinere pollicerentur.

Intereà Eminentissimus D. Cardinalis de Aqua viva liberam potestatem fecit omnibus Siculis expulsis, & profugis tam in Urbe, quàm extra eam degentibus, in ipsam Insulam ad propria revertendi, concesso singulis petentibus amplo Salvo Conductu-Passaporto nuncupato: Et postmodum ex literis prædictorum trium Vicariorum certus allatus fuit Nuncius, quòd cum Regii Officiales stabilitas conventiones bona fide adimplevissent, ipsi vicissim Interdictum à præfatis Civitatibus, & Diœcesibus authoritate à Sanctissimo eis benignè tributa sustulerant.

MONITORIUM

Vigore specialis Chirographi Pontificii die 29. Julii 1715. expeditum contra Carolum Joseph Juniperum Præpositum Curatum Odalengi Casalen. Diœcesis, ob recursum ab eodem Præposito habitum ad Laicalem Potestatem, ad effectum impediendi executionem Decretorum Episcopi Casalensis, nec non contra Officiales, ac alios ejusdem Laicalis Potestatis Ministros, qui Ecclesiasticam Immunitatem, & ordinariam Domini Episcopi jurisdictionem multipliciter eâ occasione violarunt.

Nicolaus Archiepiscopus Thebarum, Pontificii Solii Assistens, Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanaque Curiæ Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, ac Censurarum, tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, & Literarum Apostolicarum quarumcumque Universalis, ac merus Executor, nec non Judex à Sanctissimo Domino Nostro Papa in infrascripta Causa per speciale Chirographum Deputatus, ac Delegatus.

UNiversis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ Literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

§. 1. Noveritis, quòd hac infrascriptâ die comparuit coram Nobis Per-Illustris, & Excellentissimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Generalis Procurator Fiscalis, & exposuit, Illustrissimum, & Reverendissimum Episcopum Casalen. variis recursibus postulatum usque ab anno 1711. ad normam Sacrorum Canonum, & præcipuè Sacri Concilii Tridentini, plures, ac providas fecisse Ordinationes ad consulendum Spiritualibus Indigentiis Animarum, ac Fidelium habitantium in Villis Odalengi magni, nempè in Valle Sturæ, Casalegii, & Rivæ pro commodâ Sacramentorum receptione, Divinorum Officiorum participatione, aliisque respectivè Parochialibus muneribus ad eorum commodum exercendis in Ecclesiâ Sancti Grati dictis Incolis magis congruenti tanquam sita ferè in medio dictarum Villarum forrogat. in locum antiquæ Ecclesiæ Parochialis Sancti Quilici, ob temporum injuriam, Bellorumque incursiones derelictæ, initis etiam inter dictarum Villarum Incolas ex unâ, & Parochum, seu Præpositum Matricis Ecclesiæ dicti Loci Odalengi magni conventionibus sub die 29. Junii 1712. seu &c. cum reservatione Jurium prætensi Patroni, & Præpositi, ad cujus Ecclesiam prædictarum Villarum Habitatores ob Loci distantiam, & difficultatem itineris sine magno incommodo, præcipuè senio affectorum, Puerperarum, Mulierum lactantium, ac malè valentium accedere non poterant.

Episcopus Casalensis decernit munia Parochialia exerceri in Ecclesia S. Grati subrogatæ in locum Parochialis de consensu Partium.

§. 2. Contra disposita per Episcopum, ac subscriptas pactiones hodiernus idem Præpositus Curatus Carolus Joseph Juniperi recursum habuit ad Potestatem Laicam, nolens in Ecclesiâ destinatâ prædictâ occasione Paschatis Sacramenta ministrari, & de facto Paschali tempore proximè elapsi anni 1714. ab eâdem Laicâ Potestate transmitti obtinuit ad Villas præfatas Equitem Lambertum cum suâ Cohorte in numero sexaginta circiter Militum ad hospitandum in Domibus Privatorum, illorumque expensis, ut eosdem per vim adigeret ad Paschale Præceptum adimplendum in dictâ Præposituali Ecclesiâ Odalengi, quemadmodùm tali urgente insistentiâ post vexationes octo dierum spatio passas, multaque damna, ac dispendia illuc accedere coacti fuerunt cum maximâ, ac scandalosâ Jurisdictionis Ecclesiasticæ læsione. Quibus concussionibus, & violentiis altera non minor accessit; Etenim ad dictam Civitatem Casalis advocati fuerunt Franciscus Bencius, & Joannes Baptista Serenus coram Civitatis Præfecto nuncupat. *il Commandante*, & præcipuè coacti fuerunt ad præfatas Villas redire, ibique Instrumentum Unionis eorumdem Particularium conficere coram eodem Duce, & Militibus inibi, ut supra, residentibus. Deinde ad eamdem Civitatem remissi, adhuc compulsi fuerunt quandam conventionem favore præfati Præpositi dispositam, ac ipsis penitùs læsivam approbare, imposito etiam Causæ silentio: Quam conventionem sic coactè initam Particulares læsi ferre non valentes, novum recursum ad Reverendissimum Episcopum habuerunt, constanter protestantes se nolle eidem conventioni acquiescere; Pervenerunt ad aures Præpositi, & Præfecti Civitatis novissimæ Popularium preces Episcopo porrectæ, & fuerunt in causâ, ut prædicti Bencius, & Serenus, tanquam ditiores in Populo, iterùm vexarentur. Etenim ad Civitatem revocati, priùs in Arce fuerunt inclusi, inde per Civitatem longo tempore detenti, ut detegerent, & referrent eos, qui ad Reverendissimum Episcopum noviter

Parochus contra Decretum Episc., & subscriptas pactiones recurrit ad Laicam Potestatem, ejusque brachio Decreti executionem impedit.

Et vexat Incolas Villæ S. Grati.

recur-

recursum habuissent, supradictos etiam vexantes, & retinentes ad extorquendam declarationem ab eis, quod Milites, licèt ad gravandum transmissi, damnum Villicis prædictis minimè intulissent. Obstitit semper Præpositus dispositionibus per Episcopum præordinatis ad commodiorem Sacrorum Populo ministrationem etiam per Concordiam firmatis, & in praxim redactis; imò demùm vetuit Vice-Curato ab Episcopo deputato in Ecclesiâ Divi Grati quamcumque munerum Parochialium administrationem, Missæ celebratione exceptâ; Undè, attentâ diffidentiâ Populi, ac semper increscente temeritate Parochi, magis excitata fuit Episcopi vigilantia, & propterea ad occurrendum Præpositi machinationibus, consulendum Populo quoad Spiritualia, simulque Ecclesiasticam Immunitatem, ac Jurisdictionem tuendam, deputavit, ac respectivè confirmavit Sacerdotem Blasium Pastore in Vicarium dictæ Ecclesiæ Sancti Grati cum omnibus facultatibus Parochialibus, adjecto eidem Præposito onere illi subministrandi duos saccos frumenti, & uvæ rubra centum; Justis de causis eidem Junipero inhibendo, ne ad Loca Vallis Sturæ sine novâ licentiâ accederet: frustra instetit coram Episcopo pro hujus Decreti revocatione; numquam tamen, licèt requisitus, taxatam congruam Vicario deputato subministravit; imò per novum recursum ad Potestatem Laicam directæ fuerunt molestiæ præfato Vicario Blasio Pastori, cui fuit exhibita quædam Epistola ad Testium præsentiam per manus Alberti Allera Vice-Prætoris ejusdem Loci, illi per Equitem Crevacore Casalis Præfectum directa sub datâ 16. Augusti proximè præteriti, in quâ eidem injungebat, ut quâmprimùm ad dictam Civitatem se conferret pro pravi negocio sibi conferendo; Cumque illùc se contulisset, & coram eo se præsentasset, ei exulationis negocium indixit infra tres dies à toto Statu, ac Dominio illius Principis exequen.

Negat Vice-Curato subsidium ab Episcopo præscriptum, & in exilium ejici curat.

§. 3. Intereà Episcopus, ne Ecclesia Sancti Grati destituta remaneret Vicario, in illius locum subrogavit Sacerdotem Michaelem Germanum Cloverio; Prædictus tamen Blasius Pastore, nesciens quo verteret ad Incolatum, præsertim ob ejus paupertatem, licèt exilio mulctatus, nondùm discesserat, elapso jam per dies termino præfixo, propterea rediit ad ea Loca præfatus Eques Lamberto, qui cum Famulo, ac duobus Militibus sub die Veneris 31. mensis Augusti anni præteriti pervenit ad Vallem Sturæ, & præcisè ad Domum Ecclesiæ S. Grati, in quâ degere solebat prædictus Vicarius Pastore, factaque diligenti perquisitione etiam in absconditis Domus, & Ecclesiæ pro illo carcerando, eoque non reperto, cum in antecedenti die, ad obedientiam præstandam cœpisset iter ipsum successivè insecuti fuerunt, ac arrestarunt die Sabbati prima Septembris, seu alio veriori tempore in ipso itinere, quod à Cesareto prosequebatur ultra Padum, fuitque eodem die per duos Milites translatus ad dictam Civitatem Casalen., & in militari Statione Portæ Castelli nuncupat. usque ad vespertinam Portarum clausuram fuit detentus, & posteà de ordine dicti Præfecti Civitatis, ut dicitur *il Commandante*, ductus ad Domum N. Ponsani nuncupat. l'*Ajutante*, ibique tota nocte per Excubias custoditus, rursus de mane eidem Præfecto exhibitus, præceptum habuit de discedendo, nec amplius accedendo ad loca Dominantis sub pœnâ indignationis ejusdem, fuitque statim Equo immissus, quem paratum habebant, & per tres Equestres milites associatus per Portam nuncupat. *Cittadelle*, deportatus fuit successivè usque ad fines Status Mediolanensis; rebusque aliis in processu, & in processibus Causæ, & Causarum hujusmodi latiùs deductis, ad

Item Vice-Curatus à Laicali Potestate comprehensus exulare compellitur.

quos &c. prædicta omnia, committentes, ac temerè, & sacrilegè patrantes contra Immunitatem, jurisdictionem, & Libertatem Ecclesiasticam instando, mandando, committendo, compellendo, consulendo, instigando, & quomodolibet respectivè cooperando tam directè, quàm indirectè, tam conjunctim, quàm divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo non solùm &c. sed omni &c. super quibus &c.; Quamobrem ad Instantiam, & pro parte præfati Domini Procuratoris Fiscalis fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenùs de opportuno Juris remedio providere, & Monitorium extrà Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur, quare præsentato, & exhibito Nobis Chirographo manu ejusdem Sanctissimi Domini Nostri sub die 16. currentis mensis Julii signato, tenoris sequentis, videlicet:

Instantia Procuratoris Fiscalis.

Monsignor Arcivescovo di Tebe, Auditor Generale della nostra Camera Apostolica. Essendo stato rappresentato dal Procurator Fiscale Generale della nostra Camera, che Monsignor Vescovo di Casale havendo composte alcune differenze trà il Sacerdote D. Carlo Giuseppe Giuniperi Curato, e Prevosto di Odalengo grande, con li Particolari, & Huomini delle Ville di Stura, Casaleggio, e Riva membri di detto luogo d'Odalengo sopra la necessità, che havevano degli Esercizii degl'atti Parocchiali nella Chiesa di S. Grato à loro vicina senza essere obligati à trasferirsi in lontananza con strade disastrose alla Chiesa di detto Prevosto in detto Odalengo grande con pregiudizio dell' Infermi, Vecchi, e Donne lattanti, come per il passato, almeno in alcuni giorni destinati, erasi praticato dalli Antecessori di detto Prevosto, che esercitavano le funzioni Parocchiali anche in detta Chiesa, con haver detto Prelato precedentemente proveduto di un Sacerdote, che in detta Chiesa di S. Grato per modo di provisione somministrasse loro i Sacramenti, e concluso anche il trattato con concordia, e Capitoli sottoscritti tra le Parti, e deputato per ultimo, doppo altre provisioni, per Vice-Curato con dipendenza da detto Prevosto il Sacerdote Don Biagio Pastori con somministrazione di qualche stipendio, supplendo all' altro il Popolo, prevalendosi delle facoltà del Sacro Concilio di Trento in occorenze simili, ed essendo mancato detto Prevosto alla Contribuzione della congrua à detto Vice-Curato tassata, ed avendo anche proibito à detto Vice-Curato ogn'altra funzione Parochiale, toltane la celebrazione della Messa, fosse da Monsignor Vescovo ordinato il pagamento di ciò, che il Prevosto à detto Vice-Curato Pastori doveva; E correndo all' hora i tempi della Pasqua, pretese di più con contravenire alle Provisioni del Prelato accordate, che detti Particolari degl' accennati Cantoni onninamente si trasferissero alle funzioni Sagre, e Precetto Pasquale alla sua Chiesa Parocchiale di Odalengo, e per tal fine ricorresse alla Potestà Laica, e specialmente al Commandante di Casale, e da quello nella Settimana doppo l'ottava di Pasqua fosse mandato à quei Cantoni il Cavalier Lamberto Capitano con Campagnia de Soldati Granattieri, e fossero posti, e distribuiti à discrezione nelle Case di detti Particolari à spese de medemi con molti danni, & mali trattamenti ad effetto di obligarli, come l'obligarono, doppo la tollerenza di queste violenze per otto giorni, à trasferirsi in detta Parocchia d'Odalengo per sodisfare al Precetto, tutto con manifesto disprezzo, e lesione della Giurisdizione Ecclesiastica. Nè questi soli furono gl'aggravii, perche con la chiamata in Casale di alcuni Particolari più benestanti di detti Cantoni, ò Ville fù loro ordinato di ritornare alle proprie Case, con fare un Atto di unione, come li convenne fare alla presenza del Capitano, e Soldati, e ritornare poi in Casale, ove furono astretti à fare una concordia tutta in loro damno, e che s'imponesse

Tenor Chirographi Pontificii, quo Causa A. C. specialiter delegatur.

fine à queſta cauſa. Eſſendo intolerabili a quei Popoli dette violenze, fecero ricorſo à Monſignor Veſcovo, rappreſentandole la concordia leſiva, alla quale erano ſtati violentemente aſtretti, del qual ricorſo havutoſi notitia dalla Poteſtà Laica, richiamò novamente in Caſale li due Particolari ſudetti de Cantoni, quali furono poſti in Caſtello, e poi ritenuti in Città, à fine di ſapere chi haveſſe fatto l'ultimo ricorſo al Veſcovo, e per ottenere dichiaratione, che li Soldati mandati ne medemi Cantoni non havevano recato alcun danno à i Particolari de i medemi. Non deſiſteva il Prevoſto d'Odalengo ſudetto dalla di lui aderenza alla Poteſtà Laica, particolarmente per eſſer ſtata dal Veſcovo decretata la ſomminiſtrazione della porzione della congrua al Vice-Curato Paſtori, e di eſſere ſtato inibito da Monſignor Veſcovo di trasferirſi à quei Cantoni, ò Ville ſenza licenza, perilche con lettera, e con preteſto in eſſa di havere à parlargli per coſe rilevanti, il Commandante di Caſale ſcriveſſe al ſopradetto Don-Biagio Paſtori Vice-Curato di trasferirſi in detta Città; Che avendo egli obbedito, gli foſſe dal medeſimo intimato l'eſilio da i Stati del Dominante ſotto pena della di lui indignazione in termine di trè giorni, il quale havendo procraſtinata l'obedienza per non ſapere dove prender recovero per la di lui povertà, fuſſe ſpedito il ſudetto Cavaliere Lamberto con due Soldati, e ſuo Servitore, quali ſi portarono à detti Cantoni, ed alla Chieſa di San Grato, e fatta diligente perquiſizione nella caſa di detto Vice-Curato proſſima alla Chieſa, e dentro la Chieſa medeſima per carcerarlo, e non avendolo trovato per eſſere il giorno precedente partito, lo inſeguiſſero, e trovato lo fermaſſero, mentre partiva da Ceraſeto oltre Pò, e lo conduceſſero à Caſale, ove doppo haverlo trattenuto nel corpo di guardia, e poi cuſtodito la notte in caſa dell' Ajutante Ponzano, la mattina dal detto Commandante le fuſſe rinovato il ſopradetto eſilio, e poſto à cavallo fuſſe accompagnato da trè Soldati, e condotto ſino al Confine dello Stato di Milano, & altro, come meglio, e più chiaramente, e diſtintamente dal Proceſſo, ò Proceſſi ſopra di ciò formati. E non potendo, nè dovendo Noi comportare violazioni così ſacrileghe della Giuriſdizione, Immunità, e Libertà Eccleſiaſtica, vogliamo, che ſi proceda onninamente alla traſmiſſione de' Monitorii contro tutti quelli, che in queſti fatti riſultaranno Rei, e ſe bene Voi, & il voſtro Tribunale, come Eſecutore Generale delle lettere Apoſtoliche, potreſte procedere in queſta Cauſa, e Cauſe in vigore delle voſtre facoltà, nondimeno à maggior cautela di noſtro moto proprio, certa ſcienza, e pienezza della noſtra poteſtà aſſoluta, preſervando primieramente tutte, e ſingole altre ragioni, che intorno à ciò poteſſero in qualunque modo, e tempo competere al noſtro Fiſco, avocando à Noi, in quanto faccia di biſogno, queſta Cauſa, e Cauſe da qualunque Curia Tribunale, Congregazione, e Giudice, & havendo qui per eſpreſſo il contenuto del Proceſſo, ò Proceſſi come di parola in parola foſſero ſtati inſcriti: Con il preſente noſtro Chirographo la commettiamo a Voi, & al voſtro Tribunale nello ſtato, e termini nelli quali ſi trova con li ſuoi anneſſi, conneſſi, emergenti, e dependenti, anche con la clauſula quam, & quas, commandandovi eſpreſſamente, che dobbiate non ſolo in virtù delle voſtre facoltà generali, mà anche in vigore di quelle, che vi concediamo con queſto noſtro Chirografo, procedere alla traſmiſſione de' Monitorii, e Citazioni contro tutti quelli, che dal Proceſſo, ò Proceſſi formati reſtaranno ſufficientemente indiziati delle ſudette violazioni di giuriſdizione, immunità, e libertà Eccleſiaſtica di qualunque ſtato, grado, preeminenza, e dignità foſſero, ed inſieme vi concediamo, tutte le facoltà di procedere à ſuo tempo contro li ſudetti Violatori, e dichiararli incorſi in tutte, e ſingole cenſure, che ſono preſcritte da ſacri Canoni, Decreti de' Concilii Generali, e Coſtituzioni Apoſtoliche, ſenza pregiudizio di altre pene, che de jure competeſſero; Et affinche più facilmente poſſiate ciò eſſeguire vi concediamo ancora la facoltà, rimoſſa ogni appellazione, richiamo, ricorſo, oppoſizione di nullità etiam ex tribus, & altre ordinarie, & eſtraordinarie di poterli citare anche per editto, coſtando vi anche ſommariamente, & eſtragiudicialmente, e quanto vi parerà, che baſti, del non tutto acceſſo; Volendo, e decretando, che il Monitorio, ò Monitorii, che intorno à ciò ſi ſpediranno da Voi, e voſtro Tribunale, affiſſi che ſaranno in Roma nella Baſilica di San Pietro, nella Curia Innocenziana, & in Campo di Fiore, & alle Chieſe Catedrali delle noſtre Città di Bologna, e Ferrara, vagliano, & abbino la loro forza, e vigore contro chi ſi ſia, come ſe perſonalmente foſſero ſtati citati, moniti, & intimati, derogando in quanto ſia di biſogno à queſto effetto, e per queſta volta ſolamente, alle Coſtituzioni Apoſtoliche, fatte, & ordinate anche ne Concilii Generali, e particolarmente à quelle delli noſtri Predeceſſori Bonifazio VIII. de una, e d'Innocenzo III. nel Concilio Generale Lateranenſe de duabus dietis, & ogni altra coſa, che faceſſe in contrario, ancorche haveſſe biſogno d'eſpreſſa, ſpecifica, & individua menzione, li tenori delle quali tutte, e ſingole vogliamo, che ſi abbiano qui per eſpreſſi, & inſeriti di parola in parola, e che il preſente noſtro Chirografo vaglia, & abbia il ſuo pieno effetto, vigore, & eſecuzione con la noſtra ſola ſottoſcrizione; benchè non ſia regiſtrato nelli libri della noſtra Camera, nè in alcun modo ſia ſervata la forma della Coſtituzione di Pio IV. parimente noſtro Predeceſſore de regiſtrandis, alla quale perciò per queſta volta ſola deroghiamo, e che contro di eſſo non ſi poſſa in alcun tempo opporre di obrezione, ò ſubrezione, mancanza della noſtra volontà, & intenzione, nè di qualſivoglia altro difetto, benche degno di eſpreſſa, ſpeciale, & individua menzione, e che non ſi poſſa diverſamente interpretare, ò giudicare, dichiarando nullo, & irrito tutto ciò, che in contrario da qualunque perſona ſcientemente, ò ignorantemente ſi faceſſe, ò ſi attentaſſe; Non oſtante quanto à tutte, e ſingole coſe premeſſe qualſivoglia Coſtituzioni, & Ordinazioni Apoſtoliche, Concilii, anche Generali, Statuti, Uſi, Conſuetudini, Decreti, Indulti, e Privilegii ſotto qualunque forma, e tenore, etiam con derogatorie di derogatorie, etiam conceſſi motu proprio, e per rimunerazione di ſervizii reſi alla Religione Catolica, & alla Sante Sede, e con qualſivoglia altre clauſule, e decreti; A' quali tutti, e ſingoli, etiamdio più volte confermati, e benche ricercaſsero ſpeciale, & individua menzione, havendo li loro tenori per eſpreſſi, di ſimil moto proprio, e pienezza della noſtra aſſoluta poteſtà, eſpreſſamente per queſta volta ſola, e per gli effetti ſudetti pienamente deroghiamo, perche tale è la noſtra eſpreſſa, e determinata mente. Dato nel noſtro Palazzo Apoſtolico di Monte Cavallo queſto dì 16. Luglio 1715.

CLEMENS PAPA XI.

Petiit, & ſummâ cum inſtantiâ poſtulavit, ſine præjudicio tamen procedendi ſuis loco, & tempore contra alios in præſenti Monitorio non expreſſos, & in præmiſſis, vel circa ea huc uſque repertos, vel in poſterum reperiendos culpabiles, ac omnium, & ſingulorum jurium hactenus quomodolibet, & qualitercumque Fiſco acquiſitorum, & competentium ſuis loco, & tempore deducendorum, de quibus omnibus, & aliis de jure, & de ſtylo proteſtandis expreſse proteſtatur, itaut proteſtatio hujuſmodi intelligatur facta, & repetita in qualibet parte harum noſtrarum literarum Monitorialium, & in toto Proceſſu deſuper, & quatenus opus ſit, in poſterùm fabricando, & non aliàs &c., quatenus ſibi literas Monitoriales ad Partes per Edictum publicum in locis in præinſerto Chirographo deſignatis affigendas, exequendas, &

pu-

publicandas, cum pro illis exequendis in Civitate Casalis, cæterisque illius Dominii locis tutus non pateat accessus, in formâ solitâ decernere, & concedere, & alias de opportuno juris remedio providere dignaremur.

§. 4. Nos igitur Nicolaus Archiepiscopus Thebarum Judex Executor, & Auditor prædictus attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam in vim ordinariæ nostræ auctoritatis, præinsertoque Chirographo Nobis, ut præfertur, præsentato inhærentes, ac etiam facultate in illo Nobis, nostroque Tribunali attributâ utentes, constitoque Nobis per Testes fide dignos de mandato nostro jam examinatos ad dictam Civitatem Casalis, aliaque loca illius Dominii, in quibus moram trahunt, & morari solent citandi, & monendi, pro præsentibus nostris Monitorialibus literis exequendis tutum non patere accessum, petitas literas Monitoriales concedendas, & in locis infradicendis exequendas, & publicandas fore, & esse duximus, & mandamus per præsentes. Quo circa vobis omnibus, & singulis supradictis, ac vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus visis iisdem præsentibus per præsens publicum nostrum Edictum in Romanâ Curiâ in Audientiâ publicâ literarum Contradictarum Sanctissimi Domini Nostri Papæ legen., & ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, ac in Cathedralibus nostrarum Civitatum Bononiæ, & Ferrariæ per affixionem, publicationem, & executionem ad valvas Cathedralium ex parte nostrâ, immò veriùs Apostolica Auctoritate pro nunc, & reservatis, ut supra, Juribus supradictos, *Præpositum Carolum Josephum Juniperi, Equitem Crevacore Præfectum Civitatis Casalis Commandante nuncupat., Equitem Lambertum Ductorem Militum nuncupat. Granatieri, Albertum Allera Vice Prætorem Odalengi, N. Ponzano, ut dicitur, Ajutante in Civitate Casalis, N. N. N. N. N. N. Milites Granaterios ad gravandum transmissos in numero sexaginta circiter, N. N. duos Milites, qui Sacerdotem Pastore arrestarunt, & ad Civitatem Casalen. adduxerunt. N. N. N. tres Milites, qui eundem Sacerdotem Pastore exulatum extra Statum associarunt*, citetis, moneatis, & requiratis, prout Nos eosdem hatum serie citamus, monemus, & requirimus, primo, secundo, & tertio peremptorio termino, quatenus infra duorum mensium spatium, quorum priores viginti dies pro primo, alios viginti dies pro secundo, posteriores verò viginti dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione assignamus, & vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ in Judicio coram Nobis, vel infrascripto Perillustri, & Excellentissimo Domino Antonio Sabaino Locumtenente nostro in Criminalibus Generali legitimè comparuisse, & comparere ad deducendum, & allegandum causam, quare non debeat ipsos, & eorum quemlibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solitâ, contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, ac sine præjudicio aliarum pœnarum in eos, vel eorum singulos de jure irrogandarum, contra illos, & illorum quemlibet literas quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, ac ad omnes, & singulos actus, de, & super præmissis, & circa ea quomodolibet necessarios, & opportunos procedi, nec non respectivè ad videndum sese in censuras, & pœnas hujusmodi incidisse, & incurrisse declarari, ipsique D. Procuratori Fiscali Generali jus, & justitiam ministrari. Certificantes eosdem *Præpositum Carolum Josephum Juniperi, Equitem Crevacore Præfectum Civitatis Casalis, Equitem Lambertum Ductorem Militum, Albertum Allera Vice Prætorem, N. Ponzani, ut dicitur Ajutante, N. N. N. N. N. N. Milites Granaterios ad gravandum transmissos in num. 6. circiter, N. N. duos Milites, qui Sacerdotem Pastore arrestarunt, & ad Civitatem Casalen. adduxerunt, N. N. N. tres Milites, qui eumdem Sacerdotem Pastore exulatum extrà Statum associarunt, sit citatos, & monitos*, quòd si in dicto termino ipsis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, Nos, vel dictus Locumtenens Criminalis infrascriptus, nihilominus, servatis terminis de stylo Curiæ servari solitis, ad omnium, & singularum censurarum, & pœnarum prædictarum (ultra alias de Jure competen. reservatas) incursus declarationem, & executionem, Cedulonumque dictæ Excommunicationis relaxationem, affixionem, publicationemque respectivè, & ad omnia alia necessaria, & opportuna deveniemus, & procedemus, sive deveniet, & procedet, justitiâ mediante, eorum absentiâ, & contumaciâ non obstante. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimoquinto, die verò 29. mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divinâ Providentia Papæ XI Anno decimoquinto.

Antonius Sabainus Locumtenens, & Judex Deputatus.

Paulus Fatius Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Notarius.

Nomina Citatorum, & monitorum ad comparendum, & allegandum causam quare &c.

In Nomine Domini Amen. Præsenti publico relationis Instrumento Cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum quod Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo quinto, Indictione octava, die verò juridica octava mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimo quinto. In Mei, ac Testium infrascriptorum præsentia præsens, & personaliter constitutus Paulus Braci publicus Cursor Curiæ Episcopalis Ferrariæ retulit mihi Notario infrascripto se sub hodierna die coram infrascriptis Testibus retroscriptum Monitorium contra Sacerdotem Carolum Josephum Juniperi Curatum, & Præpositum Matricis Ecclesiæ Loci Odalengi magni Casalensis Diœcesis, Equitem Crevacore Præfectum Civitatis Casalis Commandante nuncupatum, Equitem Lambertum Ductorem Militum nuncupat. Granatieri. Albertum Allera Vice-Prætorem Odalengi, N. Ponzani, ut dicitur, Ajutante in Civitate Casalis. N. N. N. N. N. N. Milites in numero sexaginta circiter, & alios quinque Milites N. N. N. N. N. primò duos, ac deinde tres in retroscripto Monitorio specificatos exequutum fuisse ad valvas Cathedralis Ecclesiæ Civitatis Ferrariæ sub Invocatione S. Georgii, affixa ibidem copia, & dimissa præsentibus Domino Ignatio Garani, ac Joseph Lorenzoti testibus &c. aliaque fecisse, & dixisse, prout habuit in mandatis, & ita tactis &c. juravit &c. non solùm &c. sed & omni &c. super quibus &c. Actum Ferrariæ in Cancellaria Criminali Curiæ Episcopalis ejusdem Civitatis, præsentibus ibidem Domino Ignatio Garani Filio quondam Julii Fersen de Cura Sancti Jacobi, ac Joseph Lorenzotii filio Alberti pariter Fersen de Cura

Sanctæ Mariæ Novæ teſtibus anteſcriptis ad præfata omnia habitus ſpecialiter, atque rogatis. Ego Antonius Odoardus Valentus Notarius publicus, & Curiæ Criminalis Epiſcopalis Ferrarien. Cancellarius de prædictis rogatus fui. In quorum fidem hic me ſubſcripſi, & ſolito mei Tabellionatus ſigno requiſitus ſignavi die, menſe, & anno ſupraſcriptis &c.

Thaddæus, Miſeratione Divina Tituli S. Alexii, S. R. E. Presbyter Card. à Verme Epiſcopus Ferrarienſis &c. Univerſis &c. fidem facimus, & atteſtamur ſupradictum Dominum Antonium Odoardum Valenti eſſe Notarium publicum hujus Civitatis, Curiæque noſtræ Notarium, & Cancellarium ad Criminalia, ejuſque ſimilibus hic, & ubique locorum in judicio, & extra fidem adhiberi plenam. In quorum &c. Dat. Ferrariæ ex Palatio Epiſcopali die 13. Auguſti 1715.

Carolus Quercius Notarius, & Canc. Epiſcopalis.

Deventum poſteà non fuit ad Sententiam declaratoriam incurſus cenſurarum, aliarumque pœnarum in antedicto Monitorio contentarum, & comminatarum, quia Carolus Joſeph Juniperi Præpoſitus Curatus Odalengi pœnitentia ductus veniam humiliter poſtulavit ab Epiſcopo Caſalenſi, ejuſque Decretis, atque mandatis ſe debitam obedientiam præſtiturum ſpopondit. Quibus ab eodem Epiſcopo Sacræ Congregationi Immunitatis Eccleſiaſticæ ſignificatis, eadem Sac. Congregatio, Sereniſſimo annuente, die 21. Decembris 1716. ipſimet Epiſcopo facultatem conceſſit abſolvendi etiam in forma privata memoratum Præpoſitum à cenſuris, in quas ob præmiſſa inciderat, facta tamen prius per eum obligatione reficiendi omnia damna, quæ Vice-Curatus Eccleſiæ S. Grati, & Incolæ Villæ Valdiſtura paſſi fuerant, nec non abſtinendi à ſimilibus in futurum.

MONITORIUM

Quo Cenſuræ à Domino Cardin. Archiepiſcopo Januen. juſſu Summi Pontificis promulgatæ contra P. Thomam Granellum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantiâ nuncupatorum ob non paritionem Pontificio præcepto confirmantur, & aggravantur, ac omnibus Chriſtifidelibus ſub gravibus pœnis mandatur, ut à qualibet cum ipſo converſatione, atque commercio abſtineant.

Nicolaus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Spinula Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Pro-Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, Sententiarum quoque, ac Cenſurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac literarum Apoſtolicarum quarumcumque Univerſalis, ac merus Executor.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, Parochialiumque, & Collegiatarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino &c.

Fr. Thomas Granellus ob inobedientiam præcepto Pontificio declaratur Excommunicatus à D. Card Archiepiſcopo Januen.

§. 1. Noveritis, quod hac infraſcriptâ die comparuit coram Nobis Perilluſtris, & Excellentiſſimus Dominus Nicolaus Jacobatius Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ejuſque Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Procurator Fiſcalis, & expoſuit Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Archiepiſcopum Januen. die 29. Octobris anni 1712. ſtatim, ut par erat, exequendo ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Apoſtolica mandata proceſſiſſe ad declaratoriam excommunicationis Sententiam contra Fratrem Thomam Granellum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, eumque Eccleſiaſticis cenſuris innodatum à Fidelium conſortio disjunctum, ſegregatum, & ſeparatum publicis ſchedulis in ſui, ac Cleri Metropolitanæ Eccleſiæ Januen., nec non frequentis Populi præſentia ad valvas ejuſdem Eccleſiæ denunciaſſe, ex quo Supremi Pontificis Præcepto, quo illi dudum ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda injunctum fuerat, ut à Civitate Januen. diſcederet, & ad Conventum Sanctiſſimæ Annunciationis Civitatis Bononien. dicti Ordinis ſe conferret, elapſo termino ſibi ad id præfixo, non paruerat, ſeu potiùs parere contempſerat.

Excommunicatio ejuſdem Fratris Granelli ſpecialiter confirmatur à Summo Pontifice, ejuſque commercium prohibetur ſub gravibus pœnis.

§. 2. Hanc autem excommunicationis Sententiam, ſeu denunciationem vigore prædictarum ſchedularum ſecutam, exinde Sanctiſſimum Dominum Noſtrum ſuis literis in forma Brevis editis die 3. Decembris antedicti Anni 1712. pro ritè, legitimè, & validè facta declaraſſe, proindeque eumdem Fratrem Thomam Granellum ſic denunciatum excommunicatum ab omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus habendum eſſe, ac uti talem ſub cenſurarum, & pœnarum Eccleſiaſticarum à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis contra eos, qui cum Excommunicatis commercium, vel conſortium habent inflictarum, & inſuper quoad Regulares etiam perpetuæ privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac munerum, & officiorum Regularium per eos obtentorum, perpetuæque pariter inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcumque in poſterum quomodolibet obtinenda ipſo jure abſque alia declaratione incurrendis pœnis vitari omninò debere eiſdem literis pariter decreviſſe, ac declaraſſe.

Idem tamen Fr. Granellus cenſuris neglectis, pro non Excommunicato palam temerè ſe gerere audet.

§. 3. Prædictis tamen cenſuris penitus neglectis dictum Fratrem Thomam Granellum, licèt merito facinorum ſuorum juſtè ab Eccleſia pulſum, contemnendo præterea Eccleſiaſtica vincula per inſolentem inſultationem in Eccleſiæ opprobrium, & ſpretum Poteſtatis Clavium temerè, & ſacrilegè à prænotata die 29. Octobris anni 1712. ſe geſſiſſe, & adhuc ſe gerere, tamquam non excommunicatum in grave Animæ ſuæ præjudicium, & Fidelium ſcandalum, pertinaciter in tantâ contumaciâ perſeverando, & excommunicationis ſententiam, qua ligatus eſt, indurato animo ſuſtinendo, alioſque per communicationem ad peccatum inducendo, pluraque ex illis, quæ ab Excommunicatis exerceri non poſſunt, ſacrilegè quoque attentando, rebuſque aliis, prout latiùs ex proceſſu, & actis cauſæ, ad quæ &c. ſingula ſingulis &c. ſuper quibus &c.

Inſtantia Procuratoris Fiſcalis, ut contra d. Fr. Granellum ad gravatoriam cenſurarum procedatur, ejuſque commercium omnibus Chriſtifidelibus interdicatur.

§. 4. Quamobrem ad inſtantiam, & pro parte præfati Domini Procuratoris Fiſcalis fuimus inſtanter, & debitè requiſiti, quatenus de opportuno juris remedio providere, & gravatorias literas extra Romanam Curiam, & ad Partes contra prædictum Fratrem Thomam Granellum, & reſpectivè monitorias, ſive inhibitorias de non communicando cum eo pro omnium Chriſtifidelium ſalute, ejuſdemque Fratris Granelli exoptata reſipiſcentiâ, decernere, & concedere dignaremur. Nos igitur Nicolaus Cardinalis Spinula Judex, & Pro-Auditor prædictus, nec non ſententiarum,

ac

ac cenſurarum, literarumque Apoſtolicarum univerſalis; ac merus Executor optimè agnoſcentes ad ordinariam noſtram jnrisdictionem pertinere, ut prædicta excommunicationis Sententia ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Archiepiſcopo Januen. legitimè prolata, Apoſtolicâ etiam auctoritate fulcita, literiſque Pontificiis pariter, ut præmittitur, confirmata ſuam obtineat executionem, dictusque Frater Thomas Granellus Eccleſiaſticis pœnis correctus, quid Deo humiliato corde, quidque ejus Eccleſiæ debeat, tandem agnoſcat, omneſque, & ſinguli Chriſtifideles, ut Canonica docet auctoritas, ab illius communione pro eorum Animarum ſalute ſe abſtineant, petitas literas gravatorias, & monitorias reſpectivè concedendas, publicandas, & exequendas, prout inferiùs decernitur, fore, & eſſe duximus, & per præſentes mandamus.

§. 5. Quo circa, ne ipſe Frater Thomas de ſuâ contumaciâ gloriari poſſit, & valeat, neve adeò ſcandaloſa, & execrabilis pertinacia tranſeat præſumptoribus in exemplum, ſed potiùs pœna illius ſit aliorum metus, dictam excommunicationis ſententiam aggravandam eſſe duximus, prout juxta S. Matris Eccleſiæ morem, licèt ad graviora remedia in caſu, de quo agitur, ob diutinam nimis Excommunicati proterviam procedere debuiſſemus, illam pro nunc aggravamus, antedictasque cenſuras aggravatas eſſe volumus, proindeque pro præſentium noſtrarum literarum debitâ executione vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, ad quos, ſeu quem præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu aliàs quomodolibet præſentabuntur, expreſsè mandamus, & diſtrictè præcipimus ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis in caſu inobedientiæ, quatenus prædictum Fr. Thomam Granellum ſic excommunicatum ſingulis diebus Dominicis, & aliis feſtis, in veſtris quiſque Eccleſiis, Candelis accenſis, & pnlſatis Campanis poſt Divina Officia, vel ſtatim Miſſa Conventuali, aut privatâ reſpectivè terminatâ, publicè, & ſolemniter excommunicatum, & aggravatum denuncietis, & publicetis, donec aliud à nobis datum vobis fuerit in mandatis, ut ſic dictus Frater Thomas pro merito culpæ adeò publici contemptus publicæ quoque confuſionis pœna plectatur.

A. C. mandat Fr. Granellum ſolemniter excommunicatum, & aggravatum publicé denunciari.

§. 6. Interim verò exoptantes, ut omninò idem Frater Thomas Granellus, debitâ ſatisfactione præmiſsâ, ad ſinum S. Matris Eccleſiæ pœnitens, & contrito corde revertatur, & intento animo conſiderantes, quantò majorem illi generet inſolentiæ fomitem, & contumaciam delinquendi in pejus enutriat, pernicioſum illud communionis ſolatium, & quam grave Animæ periculum ex eâ Communicantibus immineat; Idcircò vobis omnibus, & ſingulis ſuperius nominatis committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ expreſsè mandamus, quatenus omnes Chriſtifideles ſedulò moneatis, prout nos per præſentes ſic eos monemus, eiſdemque pariter juxta Sacrorum Canonum Inſtituta inhibeatis, prout quoque illis inhibemus, ne de cætero aliquis ipſorum audeat, vel præſumat ſub quovis prætextu, & quæſito colore cum dicto Fratre Thoma Granello ſolemniter excommunicato quodcumque prohibitæ converſationis genus habere, ſed omninò ab illius damnato participio abſtinere. Certificantes, & vos prænominati omnes, & ſinguli certificare quoque curetis cunctos Chriſtifideles, quod ſi quis præſentibus noſtris literis, ſeu veriùs ſacris Canonibus, & Pontificiis ſanctionibus temerè contravenire auſus fuerit, ſciat ſe incurſurum cenſuras, & pœnas omnes Eccleſiaſticas quocumque jure contra Communicantes cum Excommunicatis indictas, & præſertim, ſi Regulares fuerint, etiam perpetuæ privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac

Et fideles admoneri, ut ejuſdem Fr. Granelli conſortium evitent ſub pœnis cenſurarum, & aliis hic præſcriptis.

munerum, & officiorum regularium per eos obtentorum, perpetuæque pariter inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcumque in poſterùm quomodolibet obtinenda, ut ſtatuitur in memoratis literis in forma Brevis Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ die 3. Decembris anni 1712. editis, & legitimè publicatis: Ad quarum qui. dem cenſurarum, pœnarumque iucurſus declarationem, & executionem, ac ad omnia alia neceſſaria, & opportuna, Nos præmiſſis de jure præmittendis, ſivè infraſcriptus Perilluſtris, & Excellentiſſimus Dominus Noſter in Criminalibus Locumtenens Generalis deveniet contra omnes, & ſingulos de ſimilibus culpabiles repertos, ac de jure punibiles.

§. 7. Demum ne quis de prædictis omnibus, & ſingulis ignorantiam aliquam allegare unquam poſſit, & valeat, decernimus, & mandamus præſentes noſtras literas affigi, & publicari ad valvas Curiæ noſtræ Innocentianæ, aciei Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuecis Urbis, nec non ad majorem cautelam ad confinia Status Eccleſiaſtici, nempe in Civitatibus Bononien., & Ferrarien., haſque ſic affixas, & publicatas quemlibet ad exactam obſervantiam ita arctare, ac ſi cuique perſonaliter intimatæ, atque executæ fuiſſent, In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſexto. Indictione 8. die verò menſis Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Clementis Divinâ Providentiâ Papæ Undecimi anno decimo ſexto.

Decernit præſentis Monitorii affixionem, & publicationem in urbe, & in Civitatibus Bonon. Ferrarien. factam omnes arctare perindè ac ſi unicuique fuiſſet perſonaliter intimatum.

Dominicus Cæſar Florellus Locumtenens.

Paulus Fatius Cur. Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

Antedictum Monitorium juſſu Sanctiſſimi ob rationes in eo explicatas paratum fuerat anno 1716., *ſed illius executio ſuſpenſa deinde fuit, quoniam Frater Thomas Granellus reverſus ad cor, Sanctitati Suæ humiliter ſupplicavit, ut ex Apoſtolica clementia ipſum à cenſuris, in quas ob inobedientiam Pontificio Præcepto inciderat, abſolvi facere dignaretur, ſeque ad debitam obedientiam Pontificis mandatis præſtandam promptum exhibuit. Sua Sanctitas illius precibus benignè annuens, ei primum abſolutionem ad tempus cum reincidentia, ac deinde etiam plenariam conceſſit, injuncta tamen lege, ut loco Conventus Sanctiſſimæ Annunciationis Civitatis Bononien. ipſe ad Almam Urbem accedere teneretur. Venit itaque Romam idem Religioſus vir circa initium menſis Junii* 1719., *& ſupplici libello ſua propria manu ſubſcripto die nona ejuſdem menſis, debitam ſubmiſſionem, ac obedientiam Apoſtolicis mandatis humiliter profeſſus eſt, præteritarum culparum veniam à Sanctiſſimo obſequentiſſimè poſtulavit, ac demum petiit, ut R. P. D. Viceſgerenti, ſivè alteri Præſuli ipſum rurſus abſolvendi à cenſuris: in quas ob præmiſſam cauſam inciderat, facultatem tribuere dignaretur. Sua Sanctitas ejuſmodi ſupplicationibus inclinata, per literas Sac. Congregationis Immunitatis Eccleſiaſticæ datas die decima præfati menſis Jnnii* 1719. *petitam facultatem delegavit R. P. D. Viceſgerenti, à quo idem Frater Thomas Granellus, prævia obligatione de ſe à ſimilibus in futurum abſtinendo, in forma privata ritè tandem abſolutus fuit.*

MONITORIA MEMORABILIA

Illustriss., & Reverendiss. D. Thesaurarii Generalis Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Juxtà temporis seriem disposita.

MONITORIUM

I. Die 6. Octobris 1711. expeditum contra Auditorem Patrimonialem Gen. Cameræ Computorum & plures Officiales, Administros, & Executores Serenissimi Ducis Sabaudiæ ob violentam occupationem jurisdictionis temporalis, & fructuum vacantium Abbatiæ Sancti Benigni Fructuarien. Nullius, seu Hypporegien., aut alterius Diœcesis, ad Cameram Apostolicam pertinentium, & alia multiplicia gravissima attentata in Subditos, Colonos, atque etiam Ecclesiasticas Personas ejusdem Abbatiæ cum violatione Immunitatis Ecclesiasticæ, Supremique Dominii S. Sedis Apostolicæ usurpatione.

Joannes Patritius Archiepiscopus Seleuciæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & ejus Reverendæ Cameræ Apostolicæ Thesaurarius Generalis & quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium in tota Italia Collector Generalis, & specialiter à Sanctissimo Domino Nostro Delegatus.

UNiversis, & singulis RR. PP. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, tam Parochialium, quàm Collegiatarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis fuisse nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad instantiam Illustrissimi D. Gasparis Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis omni meliori modo Principalis, & præviis probationibus assumptis expositum, & deductum, quod cum die prima Augusti 1710. seu &c. per mortem bon. mem. Joannis Francisci Carron ex Marchionibus Sancti Thomæ, dum vixit, Abbatis perpetui Abbatiæ S. Benigni Fructuarensis, Nullius, seu Hipporegien., vel alterius Diœcesis non longè à Civitate Taurini existentis, eadem Abbatia, seu Commenda vacaverit, & jure notorio dictâ vacatione, & cessatione attentâ in eadem Abbatiâ, ejusque jurisdictione, bonorum administratione, fructuum perceptione, nemo quicumque fuerit, & sit, manus apponere potuisset, vel debuisset præter Reverendam Cameram Apostolicam, ejus Collectores, Subcollectores, & Ministros, nihilominus ad instantiam D. Fecciæ de Cossato Auditoris Patrimonialis Generalis Cameræ Computorum Serenissimi Ducis Sabaudiæ, non minus nulliter, quàm injustè super jurisdictione temporali, & bonorum dictæ Abbatiæ administratione, & fructuum exactione eadem Cameræ Computorum se ingesserit, imò, ut omnibus innotesceret hoc prætensum, & usurpatum Jus, & Bona ejusdem Abbatiæ, seu Monasterii esse sub administratione ejusdem Serenissimi Ducis Cameræ Computorum in iisdem Bonis, seu illorum aliquibus mandavit apponi, prout fuerunt appositi pannoncelli, seu salvæguardiæ cum stegmate ejusdem Serenissimi Ducis etiam cum deputatione Oeconomi in personam Josephi Antonii Rogerini de Chivasso, & successivè die 2. Augusti prædicti ad instantiam Josephi Bargnia Notarii Collegialis nomine dicti Patrimonialis Generalis, Balthazar Ferrerius Notarius pariter Collegialis, & Actuarius ejusdem Cameræ cum prætensâ speciali delegatione sibi factâ à Camerâ Computorum prædictâ Edictum publicaverit, in quo præcipiebatur eumdem Rogerinum ab omnibus in Oeconomum prædictum recognoscendum esse, inhibendo cuicumque Personæ cujusvis status, gradus, & conditionis, ne quocumque modo auderet se ingerere in dicta Abbatiâ, ejus Bonis, & jurisdictione sub pœnâ aureorum centum Fisco dicti Serenissimi Ducis applicandorum, ac aliis eidem Cameræ Computorum arbitrariis. Et deinde instante eadem Camerâ Computorum, seu Rombelli illius Patrimonialis Generalis alias ejusdem Serenissimi Ducis emanaverint Edicta jurisdictioni Reverendæ Cameræ Apostolicæ, & supremo Dominio Sedis Apostolicæ valdè præjudicialia occasione vacationis dictæ Abbatiæ. Verùm cum fructus Abbatiarum, Commendarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum tempore vacationum, seu cessationum ad Reverendam Cameram Apostolicam spectent, & spectare debeant, & tali jure in retroactis vacationibus dictæ Abbatiæ, & Commendæ S. Benigni à Nunciis Apostolicis, aliisque S. Sedis Officialibus, & Ministris in Ditione ejusdem Serenissimi Ducis eò tunc existentibus dicti fructus recollecti, & pro eadem Reverendâ Camerâ custoditi, & eidem Cameræ Apostolicæ incorporati fuerint, & interea Officiales, & Judices pro Justitiâ administrandâ Vassallis, & Subditis in Oppidis, Castris, & Locis eidem Abbatiæ, ejusque existenti Abbati Commendatario etiam in temporalibus subjectis à Romanis Pontificibus, seu Nunciis, aut aliis Ministris Apostolicis præfatis constitui; ac deputari consueverint, & debeant, cum jurisdictio sit in fructu, & quemadmodum Reverenda Camera Apostolica juxtà Constitutiones Summorum Pontificum est Domina, & administrat fructus omnium vacantium per san. mem. Joannem XXI., & alios Romanos Pontifices applicatos indigentiis Romanæ Ecclesiæ, & Cameræ Apostolicæ, ita jurisdictiones omnes ad hujusmodi Abbatias vacantes spectantes, quæ sunt in fructu, ad eamdem Cameram pertinere debent, præsertim cum ipsa Oppida, Castra, & Loca sub alto, & supremo dominio pro tempore existentis Romani Pontificis, ac S. R. E. privativè quoad alios quicumque fuerint, & sint, & censeri debeant, ideòque Vassalli, Universitates, & Homines eorumdem Oppidorum, Castrorum, & Locorum soli Sanctæ Sedis superioritati fuerint, & sint verè subjecti, & propterea dicto Serenissimo Duci, seu ejus Magistratibus, vel Ministris tempore vacationis, seu cessationis Commendæ, seu Monasterii prædicti, Judices constituere, aut alios jurisdictionales actus exercere, & multò minùs fructus Bonorum ad Monasterium, seu Abbatiam spectantium sub quocumque prætextu colligere, seu custodire, aut Oeconomos deputare, & sic res ad Ecclesias spectantes perturbare licuerit, nec liceat in præjudicium Sanctæ Sedis, & Cameræ prædictarum; Nihilominus à die vacationis ejusdem Abbatiæ per obitum dicti Abbatis à S. Thoma non solùm, ut dictum est, fuerunt appositæ Salvæguardiæ Ducales in Bonis dictæ Abbatiæ, & Deputatus Oeconomus, sed etiam ab eadem Camerâ Computorum fuerunt electi Judex, aliique Ministri, tum pro administrandâ Justitiâ (licet nulliter, & absque ulla jurisdictione); Tum pro recollectione, &

Camera Computorum Ducis Sabaudiæ usurpat administrationem bonorum Abbatiæ vacantis S. Benigni, ejusque jurisdictionem ad Cameram Apostolicam notorio Jure spectantes. Deputat Oeconomum, Judicem, & alios Ministros.

per-

perceptione fructuum, & redituum ejusdem Abbatiæ, prout hucusque armatâ manu, violentiis, & carcerationibus adhibitis, jurisdictio fuit administrata, & etiam aliqui reditus tam inexacti, quàm tempore vocationis maturati à Subditis, & Vassallis dictæ Abbatiæ nulliter, attentatè, ac injuste ab iisdem Ministris Ducalibus exacti fuerint, non obstantibus Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, & præsertim Bullæ in Cœna Domini, sanctionibus, & posthabitis etiam, ac rejectis pluribus edictis de mandato nostro, aliorumque Officialium Sanctæ Sedis in illa regione existentibus, publicatis, imò non obstante Breve Sanctissimi D. N. Papæ super hoc emanato varia, & multifariè in oppressionem Subditorum Sanctæ Sedis, in prejudicium Reverendæ Cameræ, & in contemptum supremi Dominii ejusdem Sanctæ Sedis attentarunt, & attentant, & signanter sub die 30. Septembris præteriti anni 1710.

§. 2. Jacobus Rogerinus tamquam Agens Josephi Antonii Rogerini de Chivasso prætensi Oeconomi Bonorum dictæ Abbatiæ à Camera Computorum deputati associatus à quatuor, vel quinque Lictoribus Senatus Taurinensis se contulit ad Aream Castri Terræ Montanarii, & ab ea abripuit eminas decem, & septem panici, ut dicitur, *Melga bianca*, recollecti in Bonis dictæ Commendæ vacantis, & ad Reverendam Cameram Apostolicam spectantis, & illas sic ablatas reposuit in eodem Castro.

§. 3. Postridie, nempè primâ Octobris ejusdem anni, Advocatus Octavius Felix Battaglionus ab Eugenia prætensus Judex in eadem Abbatiâ vacante deputatus in dictâ Camera Computorum dicti Serenissimi Ducis, Joseph Antonius Rogerinus prætensus Oeconomus, Bernardus Vayra Notarius Loci Foglissi associati à quinqne ejusdem Speciei Satellitibus accesserunt ad Molendinum dictæ Terræ Montanarii, & ab illo abripere fecerunt frumenta pro trituratione relicta *Molituras* nuncupata, quæ successivè surripere continuavit Laurentius Caffo, alio nomine, Capitaneus Alexandrinus prætensus Minister, seu Agens Antonii Battuelli, Joseph Mariæ Galimberti, & Georgii Boggi prætensorum Conductorum redituum dictæ Abbatiæ sibi à dicto Abbate de S. Thoma, dum viveret, locatorum: Et successivè etiam alia frumenta, seu molituras modo per unum, modò per alium ex predictis Ministris, aliquando divisim, & quandoque conjunctim, & ut plurimùm ope Satellitum dicti Serenissimi Ducis adhibitâ usque ad diem decimamtertiam Aprilis præteriti ablata fuerint in præjudicium Reverendæ Cameræ, ad quam dicta frumenta spectabant, & spectant.

§. 4. Supervenit dies quarta Novembris, in qua dictus Laurentius Caffo, duobus associatus Justitiæ Militibus dicti Serenissimi Ducis ab altero ex eis Benedicto Trosia nuncupato, advocari sibi fecit de domo Josephi Ferrarii in Terrâ S. Benigni, Felicianum Saudinum Procuratorem Fiscalem Abbatialem pro Reverenda Camera Apostolica deputatum, quem de domo egressum comprehendere fecit, & sic comprehensum arundine, seu bacillo ter in spatulis verberavit, ipsumque Saudinum de percussionibus reclamantem, idem Capitaneus evaginato ense ad festinandum versus carceres compulit, superadditis minis, quod si non festinasset, ipsum gladio transfixisset, injuriis una simul afficiendo, & gravando, & signanter, quòd de Molendino Capones, & frumenta furatus fuisset, & deinde eumdem Saudinum prope carceres adducere, & demùm ad Cauponam sub signo Coronæ traducere fecit, & taliter comprehensum, verberatum, minis affectum, & traductum, licentiavit, hæc omnia perpetrando, ex quo tamquam Fiscalis pro tuendis Juribus Reverendæ Cameræ in eadem Abbatiâ sedulam operam navabat.

§. 5. Sequenti die 5. ejusdem Mensis Novembris idem Capitaneus dictorum prætensorum Conductorum Agens, fretus assistentiâ quatuor, vel quinque ex consuetis armatis Apparitoribus deliberatâ per ipsum usurpatione omnium frumentorum, & leguminum repositorum in Horreis conjunctis, & connexis Ecclesiæ, & Monasterio dictæ Abbatiæ, & in illius bonis recollectorum, ad Rev. Cameram spectantium, quorum Horreorum claves per Ministros dictæ Rev. Cameræ retinebantur, versùs dictum Monasterium processit, & cum in itinere invenisset Antonium Morellum Servientem Curiæ Abbatialis pro Rev. Camera, & Michaelem Violonum, illos à dictis Satellitibus intercipere fecit, & secum ad dictum Monasterium adduxit, quò ubi pervenerint, & præsertim ante unum ex dictis Horreis cum reperiissent illius Ostium clausum, & munitum, per vim aperuerunt, repertisque in illo pluribus diversorum leguminum acervis, absque ulla mensuratione quantitatem singulorum, dictus Laurentius Caffo ad sui libitum adnotabat, & nova Ostio Horrei appositâ serâ, illoque reaptato, & clauso, clavem sibi retinuit. Postea cum iisdem associatus se contulit ad aliud Horreum in loco Immuni, & Sacrario ejusdem Ecclesiæ contiguum, cujus Ostium reseratum repertum fuit, tamen cum violentiæ signis, quod per antea ab ipsis Satellitibus factum fuisse deprehendebatur, & adinventis in illo frumentis, & secalibus, Ostium ad commodum usum restituerunt, novis pariter seris in eo appositis, illoque sit clauso, & clave sibi retenta, prædictus Laurentius Caffo recessit, & ad sui diversorium se contulit, & illuc etiam traducere curavit dictos Morellum, & alium Adjunctum, quibus imposuit, & gravioribus minis coëgit, ut cruce signarent quoddam folium suo cerebroso marte semiscriptum super occupatæ Annonæ quantitate, & ab illis absque aliqua scripti narratione de re ignota Testimonium extorsit.

§. 6. Se receperat ad evitandas oppressiones in Ecclesiâ Terræ Montanarii unius ex Castris Abbatialibus, Antonius Ferrerus ejusdem Universitatis Syndicus, & sub die 12. dicti mensis Advocatus Battaglionus, ut supra prætensus Judex, Joseph Ombertus Notarius Ducalis, Joseph Antonius Rogerinus prætensus Oeconomus associati à quatuor, vel quinque ex consuetis Militibus, adivere Domum præfati Ferrerii Syndici, & de ordine ejusdem Advocati, de illa Milites subtraxerunt duas arcas nuceas, variæ Annonæ quantitatem, ac duas Juvencas, quæ omnia per dictos Executores fuerunt asportata, & respectivè adducta ad Castrum dictæ Terræ.

§. 7. Sequenti die 13. Novembris cumulatæ fuerunt violentiæ contra Sanctæ Sedis Subditos in dicto loco Montanarii; Nam prædictus Advocatus Battaglionus, Joseph Ombertus prætensus ejus Locumtenens, seu à secretis, Rogerinus prætensus Oeconomus, & Capitaneus Caffo nomine dictorum prætensorum Conductorum una cum decem vel duodecim armatorum Satellitum turmâ, impetum ostiatim fecerunt in dictorum Subditorum, seu Vassallorum Domus, ac prædicta die, & per totum mensem, & quando eis videbatur ad libitum singulos requirendo, ut vigesimam panicorum (*Melga bianca* nuncupatam) traderent, & licèt omnes contradicerent, & adversùs talem requisitionem protestarentur, nolle illam consignare nisi Oeconomo, seu Subcollectori Rev. Cameræ Apostolicæ, cui erat debita, nihilominus

prædicti Officiales aliquando omnes, multoties eorumdem aliqui, & sæpissimè violenter fractis etiam januis, nullâ adhibitâ mensurâ prædictas vigesimas usurparunt.

§. 8. Retinuerat Michael Cenna Coloniam cujusdam Abbatialis Prædii nuncupati *La casina dell'Airale*; Hunc Colonum Capitaneus Caffo, ut supra, assertus Agens dictorum prætensorum Conductorum; debitorem supponebat quorumdam caponum, & carnis suillæ, propterea die 7. Decembris die Dominico sub tali prætextu illum à duobus Satellitibus comprehendere, & ad carceres Castri Terræ Montanarii adducere fecit, in quibus quatuordecim dierum spatio retentus fuit.

§. 9. Sub eodem prætextu succedente nocte subsequentis diei 8. Decembris, alterum Prædium Abbatiale adivit nuncupatum *la Casina delle mura*, novem, vel decem stipatus ex dictis Exequutoribus, & in somno repertis Dominico, & Joanne, Francisci Tessuti Coloni filiis, illos capere, & adducere fecit ad eosdem carceres, ex quo eorum Pater non tradiderat, ut prætendebat, suillam carnem, neque capones, in quibus carceribus fuerunt retenti decem dies circiter.

§. 10. Nondum satis erat dictis Laicis Ministris perturbare, & lædere jurisdictionem Sedis Apostolicæ, & dictos Subditos Abbatiales vexare, & opprimere, sed etiam loca Sacra ausi sunt perturbare; Nam prævià publicatione proclamatis per Cameram Computorum dicti Serenissimi Ducis super reparatione in Ædificiis Bonorum Abbatialium facienda, destinati fuerunt Artifices, & die undecima Decembris Antonius Belminus de Lugano prætensus operi Præfectus, Dominicus Furno, & Carolus Mussa Fabrimurarii, & prætensi Partitantes dictæ Cameræ Computorum, authoritate nulliter, & perperam ipsis commissa, se contulerunt ad Monasterium Abbatiale, & cum aliis Mercenariis, illius tectum conscenderunt agendo, operando, & ut eis videbatur, prosequendo circa ejusdem Monasterii regulamenta, absque ulla legitima facultate, parvipendendo Loci Immunitatem.

§. 11. Adhuc ulteriùs spretæ fuerunt Ecclesiæ, & Cameræ Apostolicæ Ministri. Etenim illamet die undecima Decembris, in qua Fabrimurarii Monasterium manumiserant, cum Marcus Aurelius Carlevaris Judex, seu Locumtenens Locorum dictæ Abbatiæ in Causis Sæcularibus, seu Laicalibus pro Rev. Camera deputatus ad evitandas pro sui posse personales violentias confugisset ad Ecclesiam Sanctæ Marthæ Terræ Montanarii, ad eam se contulit dictus Capitaneus Caffus cum Satellitibus, eidemque Marco Aurelio Judici Rev. Cameræ Apostolicæ injunxit de ordine prætensi Judicis Battaglioni, ut ad ipsum se conferret sub pœnâ aureorum quinquaginta, cui dictus Locumtenens binas illi exprobavit præcepti nullitates, defectum nempe Jurisdictionis, & Territorii.

§. 12. Postridiè idem Caffo cum Lictoribus adivit molam frumentariam Loci S. Benigni pariter ad dictam Commendam, seu Abbatiam spectantem, & extractione seræ, violenter aperuit magnam Arcam, ubi molturæ frumentorum asservabantur, illaque in saccis reposita, unà cum duobus animalibus suinis asportare, & adducere fecit, ut priùs factum fuerat de Molendino Montanarii.

§. 13. Conspirabant in dictum Marcum Aurelium Carlevaris tanquam Rev. Cameræ Apostolicæ Locumtenentem, & pro administratione Justitiæ in Causis Laicalibus durante vacatione dictæ Abbatiæ deputatum, licet in Ecclesiâ refugiatum, propterea ad eumdem in janua Ecclesiæ morantem die 18. Decembris prætensus Judex Battaglionus unum ex Apparitoribus transmisit, ut illi quamdam Præcepti copiam traderet, quam cum dictus Marcus Aurelius recusavisset, Apparitor ad illius pedes projecit, nec illam voluit recolligere, licèt postea sciverit, fuisse copiam Præcepti, quo sibi imponebatur quorumdam actorum Civilium consignatio.

§. 14. Nulla ferè currebat dies sine gravamine, quoniam sub die 19. Decembris memoratus Capitaneus Caffo rediit cum Exequutoribus ad Prædium nuncupatum *la Casina delle murà*, & ad superiora Ædium Francisci Coloni ascensus, ubi propriam annonam retinebat, mensurari fecit eminas quinquaginta quinque frumenti, quas ablatas ad occupata Horrea Monasterii asportari fecit, prævia declaratione, quod sibi dictum triticum assumpserat loco caponum, & carnis suillæ à dicto Colono (prout aiebat) debitorum, ultra expensas factas tempore, quo filiis ejusdem Francisci per plures dies fuerant carcerati.

§. 15. Nec etiam Tiburtio Cinnæ alteri Colono pepercit, nam eadem die 19. Decembris sub prætextu, quòd ille in societate Thomæ, & Michaelis Cinnæ Colonus extitisset Prædii Abbatialis nuncupati *la Casina dell'Airale*, assumpto prætextu, quòd & ipse esset debitor caponum, & suillæ carnis, applicando etiam illi prætensum debitum expensarum pro recensita carceratione Michaelis Cinnæ, pariter ejusdem Tiburtii domum cum Satellitibus visitavit, & ab illa asportari fecit eminas quinquaginta panici, ut dicitur *Melga bianca*, ac eminas sexdecim aliorum leguminum.

§. 16. Supersunt alia in præsentis anni curriculo, etenim sub die 12. Januarii ipse Capitaneus Caffo, & dictus Antonius Belmino, & Dominicus Furno prætensi partitantes pro Camerâ Computorum, se contulerunt ad Prædium nuncupatum *la Casina delle mura*, & sub prætextu, quod inibi facienda esset reparatio domus Colonicæ, seligere curarunt duodecim arbores quercus, & quatuor alterius speciei, & ille de ordine ejusdem Capitanei sub die 14. fuerunt succisæ.

§. 17. Hac eadem die 14. dictus Laurentius Caffo una cum duobus ex dictis Justitiæ Militibus, sclopis instructis, & secum adducens Magistros partitantes nuper recensitos; accessit ad Castrum Lombardori pariter de juribus ejusdem Abbatiæ in Spiritualibus, & Temporalibus, repertoque Loci ostio munito; illud per vim aperuerunt, & sic ingressi cum vidissent Rev. Matthiam Vacca Ecclesiæ dicti Loci Præpositum, & Curatum, qui ad violentiæ strepitum accurrerat, bis ab eis fuit monitus, ut sisteret, qui tamen pavidus ad suam properavit Ecclesiam, quem statim etiam insecuti fuere prædicti Caffo, & Satellites armati unà cum Antonio Belmino operum Præfecto, & Dominico Furno Fabromurario à dictâ Camerâ Computorum deputatis; Qui Capitaneus Caffo assistentibus Executoribus visitare fecit à nominatis singulas Ecclesiæ partes inferiùs, & superiùs, ac etiam exteriora loca Castri prædicti. Quæ violentiæ eapropter fuerunt adhibitæ, quia pridie supradicti Belminus, & Furno, ut supra deputati, se contulerunt ad requirendum eumdem Præpositum, ut illos tanquam deputatos à dicta Camera Computorum ad invisendam Ecclesiam pro illius reparatione admitteret, quod tamen permittere noluit dictus Præpositus, summè abhorrens exercitium jurisdictionis Laicalis Magistratus in suâ Ecclesiâ.

§. 18. Die verò 22. ejusdem mensis Januarii idem Battaglionus se Judicem subscribendo pro Camerâ Computorum dicti Serenissimi Ducis, dictæ Abbatiæ vacatione pendente, Præceptum expedivit, seu manum Regiam contra Syndicos, & Administratores Universitatis Loci Fletti ad instantiam dicti Capitanei Laurentii Caffo tanquam

Agen-

Agentis assertorum Conductorum super solutione Canonis à dicta Communitate, ut asserebatur debiti pro annis 1707., 1708., 1709., 1710. in summâ aureorum quatuor centum sub pœna aliorum aureorum centum Fisco Abbatiali applicandorum, cujus Præcepti copia projecta fuit ad pedes Joannis Petri Gamera Syndici, & Joannis Antonii Constantini Consiliarii dictæ Communitatis per quemdam Inservientem, seu Bajulum Communitatis Lusighè..

§. 19. Adveniente die 27. Februarii dictus Advocatus Battaglionus eodem asserto titulo alteram Præcepti, seu requisitoriæ copiam transmisit, qua præcipiebat prædictam solutionem cum effectu fieri debere, & faciendam fuisse per eamdem Communitatem infra terminum decem dierum sub pœna viginti quinque aureorum, ut supra, applicandorum, cujus Præcepti copia per eumdem inservientem, & Bajulum pariter projecta fuit penes dictum Joannem Petrum Gamera illam recipere recusantem.

§. 20. Advenit exequutionis dies, quæ fuit 24. Martii, in qua alias recensitus Notarius Joseph Ombertus de Chivasso, qui se gerebat pro Locumtenente, & à secretis prædicti Battaglioni in Abbatiali Territorio, & Laurentius Caffo cum quindecim Justitiæ Ministris armatis ingredientes per apertas januas Domorum, Arearum, seu Stabulorum Incolarum Terræ Sancti Benigni, aliasque clausas per vim aperientes pro supradicto prætenso Communitatis debito, multa utensilia, mobilia, semoventia, aliaque bona abstulerunt; Etenim in damnum Petri Benedicti Syndici duos Boves: In damnum Joannis Petri Gamera alterius Syndici, Currum ferratum, duos alios Boves una una cum Vitula: In damnum Martini Oberti pariter duos Boves, ac Juvencam, & prævaluit mox fuisse illi etiam alia bona subtracta: In damnum Joannis Guglielmetti, & Augustini Jordani pariter de Consilio, Juvencam unam pro quolibet: In damnum Joannis Matthæi Oberto Apothecarii, quædam ponnera Tabacci, alia pondera Olei ad comedendum, & Piscium salitorum cum aliis Domus, & Coquinæ utensilibus. Ultimò occuparunt integram Annonam Joannis Antonii Constantini, quam tamen eò tunc non extraxerunt, sed apposuere custodias, & habitâ commoditate exterorum curruum de loco Boschi Nigri sub die 26. ejusdem mensis ad Terram Sancti Benigni fuerunt omnia adducta, & asportata, postquam nonnullarum aliarum ædium januas per vim aperuissent, nullâ in eis reperta re subtrahendâ, & postquam dictorum Bonorum facta fuisset publica licitatio nullo Oblatore reperto.

§. 21. In Terra Sancti Benigni die 28. Martii iterum prædicta omnia fuerunt voce Præconis subhastationi exposita in albo Prætorio, proclamante uno ex dictis Justitiæ Militibus nuncupato Bartholomæo Martelli, & licitante, oblationem augendam supra duplas viginti tres, altero ex eisdem Militibus nuncupato Luca Garone offerente duplas trigintaquatuor, & prosequuta proclamatione usque ad horam 16. fuit eadem dimissa, & omnia supradicta exequuta in odium dictæ Communitatis Fletti, ipsisque discedentibus, fuerunt allata, & adducta versus Civitatem Taurini.

§. 22. Ad compescenda, modo quo poterat, hujuscemodi violenta attentata, ac tuendum Jura Rev. Cameræ Apostolicæ, & Jurisdictionem, ac supremum Dominium Sanctæ Sedis, Abbas Flavius Barbarossa Generalis Superintendens Feudorum Ecclesiasticorum pro Sanctâ Sede Apostolica in Principatu Messerani, & Crevacorii, aliorumque Locorum Commissarius, ac Gubernator, & in dicta Abbatiâ Sancti Benigni, ac ejus Abbatialium Terrarum subjectarum alto dominio dictæ Sanctæ Sedis cum Spirituali, ac Temporali Jurisdictione specialiter delegatus, efformaverat die 20. Decembris 1710. in Terrâ Messerani Edictum postmodum die 8. Aprilis decurrentis anni affixum in dictâ Abbatiali Jurisdictione, & Territorio, & præsertim in Januâ principali ejusdem Abbatialis Ecclesiæ Sancti Benigni, in quo Edicto, inhærendo aliis de nostro ordine emanatis, & inibi publicatis, ac affixis, idem Abbas delegatus, reprobabat omnes actus turbativos usque tunc à Magistratibus Taurini, & eorum Deputatis nulliter, illegitimè, sine Jurisdictione, & attentatè factos in præjudicium Subditorum Jurisdictionis, & alti Dominii Sanctæ Sedis, non sine Censurarum à Sacris Canonibus & Bullis Pontificiis indictarum incursu, præcipiendo, & committendo eisdem Subditis, ut constanter, & fideliter etiam in futurum se gererent erga Sanctam Sedem, & in defensione, ac conservatione Jurium Rev. Cameræ Apostolicæ, seque abstinerent à recognoscendis prædictis Magistratibus, eorumque assertis Ministris, nullamque eisdem obedientiam exhiberent, quinimmò pro viribus eorum attentatis contradicerent, illaque quoad fieri poterat impedirent. Hoc Edictum, ut supra Januæ Ecclesiæ Abbatialis affixum sub die 11. Aprilis dictus Capitaneus Caffo cum assistentia quinque Militum Justitiæ defixit, & secum asportavit.

§. 23. Eodem mense, die vero 14., Joannes Dominicus Battuellus alter ex prætensis Conductoribus, ut suprà, una cum Joanne Dominico de Mattheis de Vulpiano, adivit Prædium Abbatiale, nuncupatum *la Casina delle Mura*, ubi retinebantur fœna recollecta, quæ mensurare fecit à Perito ad hunc effectum adducto, & dum Mensurator à Ministro Rev. Cameræ transmissus ad eumdem finem illuc pervenerat, dictus Battuellus, vendidit dicta fœna eidem Joanni Dominico, & ob timorem forsan, quòd illa subtraherentur, illuc se contulit Capitaneus Caffo sclopo armatus cum tribus de consuetis Executoribus pariter armatis, & tota nocte inibi adstiterunt ad Custodiam.

§. 24. Successivè die 7. Mensis Maii præteriti, idem Capitaneus Laurentius adivit Ecclesiam Sancti Bernardini Loci Montanarii, & cum vidisset illius ostium munitum, per vim aperuit, & ingredi mandavit duos Fabros Murarios, quos secum adduxerat, affirmantes fuisse transmissos à Dominico Furno, ut supra, partitante, qui de ordine ejusdem Capitanei Caffo in dicta Ecclesiâ se se operibus applicarunt.

§. 25. Nec omittendum, quod idem Capitaneus, Vir violentus, maximè fretus usurpatâ authoritate dictorum Ministrorum Ducalium, nec Ecclesiasticis pepercerit, quoniam illis assiduò minabatur, jactitans velle illos appendi facere per guttura, & præsertim Rev. Priorem Franciscum Faraglio, & Andream Frola Sacerdotes, quibus etiam non semel minabatur velle illorum Animas intra Corpus adurere.

§. 26. Demum post alia attentata, violentas exactiones, & carcerationes Laicorum in dictâ Abbatiali Jurisdictione Sanctæ Sedis Apostolicæ Subditorum, manus in Ministrum Altaris injecerunt; Etenim cum die 4. mensis Julii circa horam decimam quartam Rev. Sacerdos Jo: Dominicus Passera Subcollector, & Oeconomus Deputatus pro Rev. Camerâ Apostolicâ recollectione redituum dictæ Abbatiæ vacantis, dum extabat in Loco Montanarii dictæ Abbatiæ subjecto, & præcisè in Atrio Domus Jo: Dominici Caffaro, supervenerunt Officiales Militares Garel, & Borrel cum aliis Militibus Equestribus Regimenti nuncupati

pati *Genuè* Sereniſſimi D. Ducis Sabaudiæ, qui priùs officioſam ſalutationem erga dictum Rev. Paſſeram exhibuerunt, illumque interpellarunt, ut equum, quem inſtructum, & vacuum conduxerant ad deambulandum, unà cum ipſis conſcenderet, illum quodammodò illudentes, per quæ verba nondum violentiam comprehendens dictus R. Paſſera, modeſtè renuit; At illi ſtatim indixerunt, ut jamdudum paratum equum aſcenderet nullâ morâ, & ſic militibus circumdatus, & conſtipatus, illicò agnovit non officioſam ſalutationem, & deambulationem exhibuiſſe, ſed grave imperium ſibi injunxiſſe, ideòque timore perculſus paruit, & dum in equum aſcendere parabat, alter adſtantium Militum breviores ſclopos, qui ephippio anteriori equi erant appenſi, de ſuis receptaculis ſubtraxit, & alter ad nutum dicti Officialis Garel habenas ejuſdem equi apprehendit, ne fugam ſibi parare poſſet, ſed certior factus dictus Miles à Rev. Paſſera, quod ab eorum manibus nec evadere, nec fugam arripere propoſuerat, dictus Miles habenas dimiſit, & ad liberum uſum dicti Sacerdotis reliquit, quem cum ſic arreſtatum militari more vidiſſent, & in magnâ anguſtia poſitum agnoviſſent nonnulli ex Conterraneis Civibus, eidem ſuaſerunt, ut conſtanti animo injurias, & ſacrilegas oppreſſiones toleraret, quapropter dicti Officiales, & Milites eumdem Sacerdotem Paſſeram circumdatum, & conſtipatum traduxerunt versùs Terram Chivaſſi, & deinde mutatis equis veloci curſu traductus fuit uſque ad confinia Dominii Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, ubi cum Ducatu Mediolanenſi conterminat, ibique fuit à Militibus dimiſſus, ſibi injuncto de ordine Sereniſſimi Ducis prædicti præcepto, ne inpoſterùm auderet pedes apponere in Locis ejuſdem Sereniſſimi Ducis, & ſub ejus Dominio exiſtentibus.

Rebuſque aliis, prout in Proceſſu, & Proceſſibus deſuper conſtructis prædicta omnia memorati.

Fecia de Coſſato Auditor Patrimonialis Generalis.
Rombelli Patrimonialis Generalis.
Balthaxar Ferrerius, &
Joſeph Bargnia Notarii Collegiales.
Advocatus Octavius Felix Battaglionus ab Eugenia.
Joſeph Omberto Notarius de Chivaſſo.
Joſeph Antonius Rogerinus.
Et Jacobus Rogerinus pariter de Chivaſſo.
Prior Antonius Battuelli.
Joſeph Maria Galimberti.
Georgius Boggio.
Laurentius Caffo nuncupatus il Capitano Aleſandrino.
Bernardus Vayra Notarius de Fogliſſo,
Garel, & / *Borrel* — *Officiales Militares.*
Antonius del Mino de Lugano.
Dominicus Furno.
Carolus Muſſa.
N. N. N. Milites Equeſtres, qui præſtiterunt aſſiſtentiam, & aſſociationem in arreſto, & traductione dicti R. Sacerdotis Jo. Dominici Paſſera.
N. Scrviens, ſeù Bajulus Communitatis Luſighè.
Benedictus Troyſe.
Bartholomæus Martelli.
Lucas Garrone, &
N. N. N. alii Juſtitiæ Milites, quocumque nomine nuncupentur uſque ad numerum duodecim.

Commiſerunt, & perpetrerunt inſtando, mandando, committendo, juſdicendo, actu ſcribendo, exequendo, adhærendo, aſſiſtendo, auxilium præſtando, Inſtantias fieri committendo, vel permittendo, adminiſtrando, Juriſdictionem exercendo, fructus exigendo, alienando, iu Eccleſiis manus apponendo, Immunitatem Eccleſiaſticam violando, aliaque attentata committendo, & ſemper Juriſdictionem, altumque dominium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Jura Rev. Cameræ lædendo, & uſurpando tam conjunctim, quàm ſeparatim, & diviſim, & aliàs omni &c. ſingula ſingulis congruè referendo, ita ut utile per inutile non vitietur, nec è contra, non ſolùm &c., ſed & omni &c. ſuper quibus &c. pœnas propterea ac Cenſuras in Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi ſolita, damnabiliter incurrendo. Fuimus propterea pro parte ſupradicti Illuſtriſſimi D. Gaſparis Turchi SS. D. N. Papæ, & R. C. A. Commiſſarii Generalis inſtanter, & debitè requiſiti, quatenùs ſibi in præmiſſis de opportuno Juris remedio providere; Monitoriumque ad partes ad perſonaliter, vel legitimè comparendum ſibi decernere, & concedere dignaremur.

§. 27. Nos itaque petitioni hujuſmodi, tamquam juſtæ annuentes, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & Veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium, committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs ſtatim viſis, & receptis, præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum requiſitus fuerit, ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolica authoritate antedictos,

Feciam de Coſſato Auditorem Patrimonialem Generalem.
Rombelli Patrimonialem Generalem.
Balthaxarem Ferrerium, &
Joſephum Bargniam Notarios Collegiales.
Advocatum Octavium Felicem Battaglionum ab Eugenia.
Joſephum Omberto Notarium de Chivaſſo.
Joſephum Antonium Rogerinum.
Et Jacobum Rogerinum pariter de Chivaſſo.
Priorem Antonium Battuelli.
Joſephum Mariam Galimberti.
Georgium Boggio.
Laurentium Caffo nuncupat. il Capitano Aleſandrino.
Bernardum Vayra Notarium de Fogliſſo.
Garel, & / *Borel* — *Officiales Militares.*
Antonium Delmino de Lugano.
Dominicum Furno.
Carolum Muſſa.
N. N. N. Milites Equeſtres, qui præſtiterunt aſſiſtentiam, & aſſociationem in arreſto, & traductione dicti R. Sacerdotis Jo. Dominici Paſſera.
N. Servientem, ſeù Bajulum Communitatis Luſighè.
Benedictum Froiſe.
Bartholomæum Martellum,
Lucam Garone, &
N. N. N. alios Juſtitiæ Milites quocumque nomine nuncupatos uſque ad numerum duodecim.

Nomina citatorum ad comparendum & allegandum cauſam quare &c.

Moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, eiſdemque, & cuilibet ipſorum præcipiatis, & mandetis, prout nos eoſdem harum ſerie citamus. monemus, & requirimus, eiſdemque, & cuilibet eorum præcipimus, & mandamus per præſentes primo, ſecundo, & tertio peremptorio termino, quatenùs infra quadragintaquinque dierum ſpatium ab exequutione præſentium computandorum, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro ſecundo, & alios quindecim pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ Canonicâ monitione aſſignamus, & vos aſſignetis, debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit debeat Romæ coram nobis perſonaliter, vel legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam

ſam quare non debeant ipſi, & eorum quilibet in omnes, & ſingulas Cenſuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolita contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas, incidiſſe, & incurriſſe, declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni, & relaxari, & reſpectivè ipſi non debeant condemnari ad damna, expenſas, & intereſſe, & ſuper præmiſſis cum dicto Illuſtriſſimo D. Commiſſario Generali, & aliis cum quibus opus fuerit Juri ſtetiſſe, deque eorum Innocentiâ, ſi quæ ſit, legitimè docuiſſe, præſentique noſtro Monitorio omninò paruiſſe.

28. Certificantes eoſdem ſic monitos, requiſitos, citatos, & eorum quemlibet, quod ſi in prædicti Monitorii termino non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, ſeu comparationem diſtulerint, vel diſtulerit, nos nihilominùs ad ulteriora Juris, & facti remedia, & ad declarationem incurſus pœnarum prædictarum uſque ad Sententiam, illiuſque exequutionem incluſivè, prout Juris fuerit, per contradictas per Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel abſentiâ, & aliis quibuſcumque non obſtantibus. Et cum exceſſus prædicti patrati fuerint in Juriſdictione, & Territorio Abbatiali S. Benigni, & valdè notoria ſit violenta occupatio Juriſdictionis S. Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ, & nihilominùs ad ſupererogationem ex pluribus etiam Teſtium depoſitionibus hæc omnia comprobata remaneant; Cumque pro præſenti noſtro Monitorio exequendo tutus non pateat acceſſus, propterèa volumus, & authoritate noſtra decernimus idem noſtrum Monitorium contra omnes ſupranominatos exequi mediante affixione, & demiſſione ejuſdem copiarum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum S. Petri in Vaticano, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, nec non ad valvas Eccleſiarum Terrarum, & Locorum Abbatialium S. Benigni, quo ſic exequuto, & in actis infraſcripti noſtri Secretarii legitimè reproducto, ita eoſdem monitos, & eorum ſingulos arctare, & adſtringere perinde valeat, ac ſi perſonaliter & magis legitimè exequutum foret contrariis quibuſcumque non obſtantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo undecimo Indictione quarta, die verò 6. Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ providentiâ Papæ XI. Anno undecimo.

Jo: Patricius Archiepiſcopus Seleuciæ Theſaurarius Gener. & ſpecialiter Delegatus.

Pro D. Jo: Antonio Tartaglia R. C. A. Secretario.

Aſtulphus Galluppus Conſecrarius.

Die 17. Februarii 1712. Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra omnes Citatos Contumaces Sententia declaratoria incurſus in omnes, & ſingulas Cenſuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas: Eademque die decreta, relaxata, typis impreſſa, & conſuetis locis Urbis palam affixa fuit publica Schedula-Cedoloni-nuncupata, qua ipſi univerſis Chriſtifidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitandi, tenoris ſequentis videlicet.

Hic authoritate Apoſtolica Nobis delegata *Fecia de Coſſato Auditor Patrimonialis Generalis Cameræ Computorum Sereniſs. Ducis Sabaudiæ, Rombelli Patrimonialis Generalis, Baltaxar Ferrerius, & Joſeph Bargna Notarii Collegiales, Advocatus Felix Battaglionus ab Eugenia, Joſeph Omberto Notarius de Chivaſſo, Joſeph Antonius Rogerinus, & Jacobus Rogerinus pariter de Chivaſſo, Prior Antonius Battuelli, Georgius Boggio, Laurentius Caſſo nuncupatus il Capitano Aleſandrino, Bernardus Vayra Notarius de Fogliſſo, Garel, & Borel Officiales Militares, Antonius del Mino de Lugano, Dominicus Furno, Carolus Muſſa N. N. N. Equeſtres, N. ſerviens, ſeu Bajulus Communitatis Luſighe Benedictus Troiſe, Bartholomæus Martelli, Lucas Garone, & N. N. N. alii Juſtitiæ Milites quocumque nomine nuncupati uſque ad numerum duodecim*: declarantur excommunicati, & innodati omnibus, & ſingulis Cenſuris, & pœnis in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bulla in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolita contentis, & à Fidelium conſortio disjuncti, ſegregati, & ſeparati, à quibus nonniſi à Sanctiſſimo Domino Noſtro, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præter quam in mortis articulo conſtituti, & tunc cum reincidentia eò ipſo, poſtquam convaluerint, abſolvi poſſint, ex quo vacante Ven. Abbatia, ſeu Commenda Sancti Benigni Fructuarienſis Diœceſis non longè à Civitate Taurini exiſtente à die 1. Auguſti 1710. ſeu &c. per obitum bo: mem: Joannis Franciſci Carron inſurrexerint omnes ſupra nominati, uſurpando Jus, & Bona ejuſdem Abbatiæ ſeſe ingeſſerint in adminiſtrationem, & fructuum perceptionem cum deputatione Oeconomi, Edictorum publicatione, Judicis, aliorumque Miniſtrorum electione tam pro adminiſtranda Juſtitia, quam pro recollectione, & perceptione nonnullorum fructuum ejuſdem Abbatiæ, prout huc uſque armata manu violentiis, & carcerationibus adhibitis, juriſdictio adminiſtrata fuit, fructuſque nonnulli recollecti, non obſtantibus ſanctionibus Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, & reſpectivè Bullæ in Cœna Domini, & pluribus Edictis de mandato noſtro publicatis, immò non obſtante Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ ſuper hoc emanato, vanè, & multifariè in oppreſſionem ſubditorum S. Sedis, in præjudicium Reverendæ Cameræ attentarunt, ſingula ſingulis congruè referendo, & aliàs prout latiùs in Sententia per nos lata continetur, ad quam &c. Ideoque tamquam excommunicati, & ſupradictis Cenſuris Eccleſiaſticis innodati, & illaqueati, ab omnibus Chriſtifidelibus evitentur, quouſque abſolutionis Beneficium ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro ſive à Romano Pontifice pro tempore exiſtente obtinuerint. Inſtante Illuſtriſſimo Gaſpare Turchi Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſario Generali.

Joannes Patricius Archiepiſcopus Seleuciæ Theſaurarius Generalis, & ſpecialiter Delegatus.

Jo: Antonius Tartaglia R. C. A. Secr.

Amoventes, lacerantes, ſeu quomodolibet deturpantes ſint ipſo facto iiſdem Cenſuris innodati, & excommuuicati, ut ſupra.

Joannes Patricius Archiepiſcopus Seleuciæ Theſaurarius Generalis, ſpecialiter Delegatus.

Jo: Antonius Tartaglia R. C. A. Secr.

MONITORIUM

Die 20. Junii 1713. expeditum contra plures alios Officiales, Adminiſtros, & Executores Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ ob juriſdictionales actus violenter exercitos in loca, incolas, & bona ſubjecta vacanti Abbatiæ S. Benigni, ac occupationem proventuum ejuſdem Abbatiæ, cum violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ, contemptu Cenſurarum, & uſurpatione Supremi Dominii ſuper dictis locis, perſonis, & bonis ad ſummum Pontificem, & S. Sedem Apoſtolicam pertinentis.

Joannes Patricius Archiepiſcopus Seleuciæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & ejus Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarius Generalis, & quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantium in tota Italia Collector Generalis & ſpecialiter à Sanctiſſimo Domino Noſtro Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Parochialium, quàm Collegiatarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Vice-plebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino.

§. 1. Noveritis fuiſſe nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad inſtantiam Illuſtriſſimi D. Gaſparis Turchi Sanctiſſimi D. N. Papæ, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis omni meliori modo Principalis, & præviis probationibus aſſumptis expoſitum, & deductum, quod quamvis ſub die 17. Februarii anni præteriti deventum fuiſſet ad Sententiam declaratoria Cenſurarum etiam publicis Cedulonibus publicatam, & à conſortio fidelium ſegregati, & ſejuncti fuiſſent, & fuerint nonnulli, qui occaſione vacationis Abbatiæ, ſeu Commendæ Sancti Benigni Fructuarienſis Nullius Diœceſis à die prima Auguſti 1710. per obitum bo: me: Joannis Franciſci de Carron ex Marchionibus Sancti Thomæ, dum vixit, Abbatis dictæ Abbatiæ auctoritate publicâ Laicali ſuffulti, licèt perperam, & nulliter uſurpando jus, & facultatem ſuper adminiſtratione, & fructuum perceptione cum deputatione Oeconomi, Edictorum publicatione, Judicis, aliorumque Miniſtrorum electione, & exercitiis reſpectivè tam pro adminiſtrandâ Juſtitiâ, quàm pro recollectione, & perceptione nonnullorum fructuum ejuſdem Abbatiæ, prout verè armatâ manu, violentiis, & carcerationibus adhibitis Juriſdictio adminiſtrata fuit, fructuſque nonnulli recollecti, quando attenta dictæ Abbatiæ vacatione, & ceſſatione, nemo quicumque eſſet, & ſit, quomodocumque manus apponere debuiſſet, & potuiſſet præter Rev. Cameram Apoſtolicam, ejus Collectores, Subcollectores, & Miniſtros in maximum dictæ Rev. Cameræ præjudicium, & directam læſionem Juriſdictionis, & ſupremi Dominii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui immediatè Terræ, loca, bona, & Incolæ, ſeu Vaſſalli ejuſdem Abbatiæ ſubſunt. Nil profuit medela ad reſipiſcentiam, immo ad majora attentata, & pejora ſcandala deventum fuit, quoniam inter cætera contra dictas Eccleſiaſticas cenſuras eadem inſurrexit Poteſtas Laica, & publicis, ac impreſſis Edictis auſa fuit eaſdem cenſuras nullas, injuſtas, & invalidas declarare, illaſque ſub pœnis injunctis obſervari vetuit, & quod etiam admiratione dignum eſt, contra pauperes, & inermes locorum dictæ Abbatiæ, & ſanctæ Sedis ſubditos, qui Miniſtris Sedis Apoſtolicæ paruiſſent, militaris adhibita fuit vis.

Refertur occupatio à Laica Poteſtate facta fructuum & Juriſdictionis Abbatiæ S. Benigni, & Excommunicatio pronunciata contra occupatores quæ tamen ab eadem Poteſtate nulla tenore declarata fuit.

§. 2. Et ad nova ſpecialia attentata, & ſcandala procedendo, ſub die 9. Januarii 1712. prodiit Edictum ſub nomine Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ ad inſtantiam, & relationem Cameræ computorum ſubſcriptum: *Nicola*: & per collationem cum originali factam ſubſcriptum: *Umberto Secretario*; cujus Edicti diſpoſitio continebat, quod vacante officio Judicis in temporalibus in Terris, & Caſtris Sancti Benigni, Montanarii, Lombardorii, & Feletti ſubjectis dictæ Abbatiæ redactis, ut aſſerebatur, ad manus ejuſdem Celſitudinis, conſtituit, & elegit de conſilio dictæ Cameræ computorum in Judicem, ut ſupra, Advocatum Collegiatum Joannem Paulum Blanchiardi Vicarium Civaſii cum omnibus honoribus, auctoritatibus, utilibus, juribus, emolumentis, ac omnibus aliis ad dictum munus ſpectantibus, & cum ſalario ſibi ad partes aſſignato &c. imponendo omnibus, & præſertim Syndicis, Conſiliariis, & Particularibus dictorum locorum, ut pro tali illum recognoſcerent, ac obedientiam præſtarent.

Narrantur nova attentata d. Laicæ Poteſtatis.

§. 3. Eodem menſe Januarii, & ſub die 12. non minus attentatè Capianeus Laurentius Caſſo, tanquam prætenſus Agens Affictuariorum bonorum dictæ Abbatiæ, tunc à dicto Abbate Joanne Franciſco de Carron poſſeſſæ, unus de excommunicatis recenſitis comparuit coram dicto Blanchiardi Judice prætenſo, & nomine, quo ſupra, ſe Creditorem expoſuit Joannis Baptiſtæ Veccæ de Montanaria, Michaelis Sandini, & Jacobi Bertini de Lombardore in ſummâ librarum Ducalium 750. pro affictu omnium bonorum dictæ Abbatiæ exiſtentium in finibus dicti loci Lombardore, comprehenſo Prato nuncupato *della Sella*, ſito in confinibus loci S. Benigni pro annis 1709., 1710., 1711. ad rationem librarum 250. annuarum; Et ulteriùs eodem titulo eſſe Creditorem ejuſdem Joannis Baptiſtæ Vaccæ de Montanario, Georgii Bertini, Michaelis Sandini, Petri Ferrarii de Lombardore in alia ſumma librarum 2600. pro reſponſione cum prædictis Affictuariis conventa ad rationem librarum 1300, quolibet anno pro fruitione redituum Molendini Loci Lombardori vigeſimis Tritici, ac aliorum frumentariorum, & ſegetum ad dictam Abbatiam ſpectantium, & de mandato ejuſdem prætenſi Judicis Blanchiardi contra prædictos commiſſa fuit citatio, & injunctio, qua iis præfigebatur terminus decem dierum ad ſolvendum ſub pœna ſcutorum viginti quinque auri Fiſco Abbatiali ſolvendorum, & executionis realis, & perſonalis, cum ſubſcriptione *Umberto*. Eadem die ſimilem citationem relaxavit ad inſtantiam ejuſdem eodem, quo ſupra, nomine cum ſimili præfixione termini, & pœna contra Communitatem, Syndicos, & Conſiliarios Sancti Benigni iis comminando pariter executionem realem, & perſonalem pro libris 1203. & ſolidis 10. cum ſubſcriptione ejuſdem *Umberto Secretario*.

Alia attentata.

§. 4. Ulterius eodem prætenſo Agente inſtante ſequenti die 13. Januarii aliam citationem, & injunctionem cum præfixione termini, & comminatione pœnæ, ac executionis realis, & perſonalis relaxavit contra Molitores, & Maſſarios reſpectivè Locorum Montanarii, & Sancti Benigni, & præſertim contra Alexandrum, & fratres de Anſelmis Maſſarios Prædii nuncupati Ayralis Montanarii pro conſignatione Panici albi vulgò *Melga bianca* pro prætenſa portione dominicali, & in defectum ad ſolutionem valoris una cum expenſis, ſubſcriptum pariter loco dicti Judicis: *Umberto*.

§. 5. Similem injunctionem, & citationem ſub eademmet die, & ad ejuſdem inſtantiam dictus prætenſus Judex relaxavit cum iiſdem comminationibus contra Dominicum Furnum Affictuarium Molendini nuncupati: *Piſta della Canepe* Montanarii, injunctâ etiam conſignatione duorum ſuum ponderis ruborum duodecim pro quolibet, & quadraginta ruborum Canapis, & nonnullorum Caponum, additâ comminatione ſolutionis pecunisrum pro valore hujuſmodi ſpecierum, quatenuſ pecies hujuſmodi non reperirentur, nec conſignari potuiſſent.

§. 6. Item aliam exequi curavit citationem cum præfixione termini, & ſimilibus comminationibus ad inſtantiam dictorum prætenſorum Affictuariorum contra Molitores, & Maſſarios tam Loci Montanarii, quàm Prædii, ut dicitur, *delle Mura*, & Molendini Sancti Benigni pro nonnullis prætenſis obligationibus, & præſertim contra Bartholomæum, & fratres de Boggio pro conſignatione, & traditione eminarum quinquaginta Panici, ut dicitur *Melga bianca* pro reſiduo portionis dominicalis anni 1711. vel illius valoris cum ſolitâ ſubſcriptione: *Umberto loco Judicis.* In declinatione ejuſdem menſis Januarii Carolus Philippus Boggio prætenſus Oeconomus Joſephi Mariæ Galimberti, & Georgei Boggio prætenſorum Conductorum redituum dictæ Abbatiæ eodem Abbate de Carron tunc vivente cum aſſiſtentia quatuor armatorum Militum Juſtitiæ Senatus Taurini, quorum duo denominantur Joannes Rapeto, & Freſcia, ſe contulit ad Molendinum Montanarii, & violenter arripere fecit eminas tres Tritici, ſexdecim Panici albi, & duas Secalis de molituris, quæ ad Rev. Cameram Apoſtolicam ſpectabant, quas tranſportare fecit ad Caſtrum dicti loci Montanarii.

§. 7. Poſt hujuſmodi executiones proceſſum fuit contra Syndicos, & Particulares Terræ Sancti Benigni pro ſumma librarum 1203. cum dimidiâ pro prætenſis Canonibus, ut prætendebatur, debitis pro ultimo ſemeſtri Anni 1711.; Die etenim 15. Februarii elapſi Anni 1712. idem Advocatus Blanchiardi prætenſus Judex Ducalis, *Franciſcus Joſeph Umberto* Notarius de Civaſſio aſſertus Locumtenens, ſeu Secretarius, *Joſeph Antonius Rogerinus* pariter de Civaſſio, qui ſe jactabat dictæ Abbatiæ Oeconomum pro Sereniſſimo Duce, *Carolus Philippus Boggio* de Sancto Georgeo, ut aſſerebatur, ſubrogatus in locum Joannis Dominici Battuelli unius ex prætenſis Affictuariis, *Capitaneus Laurentius Caffo* unà cum armatis Juſtitiæ Militibus *Antonio Barchetto*, *Bernardo Valino*, *Bartholomæo Martello*, & *Dominico Umberto* ſe contulerunt ad plures Domos, & Stabula Syndicorum, & Incolarum Terræ Sancti Benigni, & in eorum præjudicium ab iis extraxerunt duos ferratos Currus quatuor Rotarum, decem Boves, ſex Juvencos, & quatuor Vaccas, quæ omnia ſub haſta vendiderunt, tanquam majori oblatori, cuidam ex forenſibus oblatoribus pretio librarum 1355. qui eas res ſecum aſportavit, & extra Territorium traduxit.

§. 8. Poſt prædictos actus tam violentos uſurpatæ Juriſdictionis ſupervenerunt ſpretus Cenſurarum in Sententia, de qua ſupra, & violentiæ contra ſpiritualia remedia; Etenim die 9. Martii ſubſequentis affixum fuit in Abbatiæ Terris Edictum impreſſum ad inſtantiam Cameræ Computorum tenoris infraſcripti ---- *ALTEZZA REALE* --- *Sendoſi vociferato alcuni meſi ſono, che dal Teſoriere Generale de Spogli Monſignor Patrizio Arciveſcovo di Seleucia, tanto in qualità ſudetta, che di ſuppoſto Delegato di Suà Santità, foſſero per laſciarſi qualche citazione in odio d'alcuni di quelli Officiali, Miniſtri, Operarii, e Famegli, che doppo la vacanza dell' Abbazia di San Benigno eranſi di ſpeciali commiſſione, e commando adoperati in diverſi affari, & atti tutti tendenti alla riſtorazione delle Fabriche, & Beni, raccolta, e conſervazione de frutti, ſoſtentamento, & eſercizio della Giuriſdizione temporale d'eſſa Abbazia, come ridotta, durante la vaccanza, ſotto la ſpecial protezione di Voſtra Altezza Reale, dal di cui Regio Patronato dipende; Si compiacque Voſtra Altezza Reale con publico Manifeſto, o ſia Editto delli 13. del ſcorſo Novembre à relazione della ſua Camera con eſſo proibire, e ſtrettamente à tutti gli Offiziali, Miniſtri, Operarii ſudetti, e chiunque altro, che poteſſero venire eſpreſſamente, ò genericamente citati, ò moleſtati per tali fatti, ò dipendenti da eſſi, di mai comparire perſonalmente, meno in qualunque maniera avanti detto Monſignor Patrizio, nò altro qualunque preteſo Giudice d'aliena Giuriſdizione, per riſpondere de fatti ſudetti, ò conſimili ſotto graviſſime pene corporali, e meg'io come dal ſudetto Editto appare: Ciò tutto non oſtante hà nuovamente perinteſo il Patrimoniale Generale di Voſtra Altezza Reale, che da Monſignore ſudetto ſiaſi preteſo, e ſi pretenda paſſar tant'oltre di proferire, e publicare aſſerta Sentenza di Scommunica maggiore contro diverſi de Particolari ſudetti, & etiamdio contro due de Patrimoniali Generali di Voſtra Altezza Reale ſotto pretesto ſiino li medeſimi, e ciaſcheduno di eſſi incorſi nelle Cenſure ſolite fulminarſi ſi contro gli Uſurpatori de beni, e redditi della Chieſa nella Bolla, qual ſi publica in ogn'anno in die Cœnæ Domini. E perche quando ciò ſiaſſi fatto, ò veniſſe farſi, verrebbero ad eſſere evidentemente pregiudicate le prerogative di un' Abbazia, ch'è di Regio Patronato di V. A. R., e nell'iſteſſo tempo violati li dritti, che alla medeſima competiſcono sì per la Regia Protezione, che per altri titoli, e ragioni, e che di più verrebbero ad eſſere ingiuſtamente, e con notorio evidente gravame cenſurate, e ſcommunicate Perſone, quali non ſolamente non ſono ſtate legitamente citate, ma che etiamdio furono notoriamente impedite, anzi eſpreſſamente proibite ſotto graviſſime pene di comparire avanti del Citante, e che per niſſuna maniera poſſino mai dirſi compreſe nelle Cenſure fulminato contro degl'Uſurpatori de beni della Chieſa, mentre con la da eſſi procurata, e fatta raccolta, & eſazzione de frutti, non hanno già mai preteſo applicarli à ſe, ma di conſervarli, ò convertirli in ſola utilità della Chieſa ſteſſa, alla quale appartengono, rendendoſi tanto più chiaramente nulla, & ingiuſta tal preteſa Sentenza, e publicazione di Scommunica, quando paſſaſſe tant'oltre a comprendere quei ſteſſi Officiali, e Perſone, che per indiſpenſabil obbligo del loro Offizio non v'hanno avuta altra parte, che d'ubbidire à Magiſtrati e ſoſtenere le ragioni, e dritti del loro Sovrano. Ch perciò ad effetto d'oviare à tanti, e così rilevanti pregiudizii di V. A. R., e ſuoi Sudditi ricorre à piedi della medeſima.*

Umilmente ſupplicandola, che atteſa l'evidente nullità, ingiuſtizia, e ſurrezione, a cui non potrebbe, ſe non chiaramente ſoggiacere qualunque ſimile Sentenza, chè ſi foſſe proferta, ò foſſe per proferirſi, e publicarſi in odio de ſudetti, ſi compiaccia V. A. R. commandare a chi che ſia, e ſpecialmente all' Abitanti nelle Terre di detta Abbazia di non permettere la publicazione, diſſeminazione, & etiamdio la lettura d'alcun'Ordine, Manifeſto, Stampa, o Scritti continente tal preteſa Sentenza, e publicazione di Scommunica in odio di chi che ſia degli Uffiziali ſudetti, Agenti, e Particolari ſudetti, e per cauſe ſopra eſpreſſe, e quand'anche foſſe ſeguita qualche publicazione, quella non oſtante ſi proibiſca à chiunque ſi ſia, neſſuno eccettuato, d'evitare il commercio, ò conſortio d'alcuno di eſſi, ſotto preteſto, che ſiano cenſurati, meno motteggiare li medemi, come tali, nè inferire loro alcuna reale, o verbale moleſtia, ingiuria, ò danno di

Nova laicæ poteſtatis attentata in ſpretum Cenſurarum.

qual-

quasi voglia sorte per causa, ò fatti dependente da quanto sopra, non ostante qualunque publicazione, che fosse già fatta, ò si ardisse di fare di tal pretesa Scommunica, come evitendimente nulla & iagusta; Il tutto sotto gravi, e gravissime pene corporali, con dichiarar la publicazione di queste da farsi ne Luoghi soliti in qualunque delle Terre d'essa Abbazia valere, e che alla copia stampata dal Stampatore Valletta debba prestarsi la stessa fede, che all'originale.

Il Patrimoniale Generale *di V. A. R.*

Vittorio Amadeo II. per grazia di Dio Duca di Savoia, Prencipe di Piemonte, Rè di Cipro.

Veduta per la Camera nostra de Conti l'alligata Supplica sottoscritta dal Patrimoniale nostro Generale suo tenore considerato; Per le presenti col parere à partecipazione della predetta Camera nostra (atteśa l'evidente nullità, ingiustizia, e surrezione, a cui non potrebbe, se non chiaramente soggiacere qualunque simil Sentenza narrata, che si fosse proferta, ò fosse per proferirsi, e publicarsi in odio delli nominati in detta Supplica) abbiamo commandato, e commandiamo à chi che sia, e specialmente all' Abitanti delle Terre dell' Abbazia supplicata di non permettere la publicazione, disseminazione, & etiamdio la lettura d'alcun Ordine, Manifesto, stampa, ò scritti continente tal pretesa Sentenza, ò publicazione di scommunica in odio di chi che sia dell Uffiziali, Sudditi, Agenti, e Particolari, de' quali si tratta, e per le cause narrate, e quando anche fosse seguita qualche publicazione, quella non ostante proibiamo à chiunque si sia nessuno eccettuato d'evitare il commercio, ò consortio d'alcuno di essi, sotto pretesso, che siano censurati, meno motteggiare li medesimi, come tali, nè inferire loro alcuna reale, ò verbale molestia, ingiuria, ò danno di qualsivoglia sorte per causa, o fatti dependenti da quanto si supplica, non ostante qualunque publicazione, che fosse già fatta, ò s'ardisse di fare di tal pretesa scommunica, come evidentemente nulla, & ingiusta, il tutto sotto gravi, e gravissime pene corporali; Dichiarando la publicazione di queste da farsi ne' luoghi soliti in qualunque delle Terre di essa Abbazia valere, & alla copia stampata dal Stampatore nostro Valletta doversi prestare l'istessa fede, come all'originale, che tale è nostra mente. Dat. in Torino li 9. Marzo 1712.

Per Sua Altezza Reale à relazione di detta Camera. *Castiglione.*

In Torino per Gio. Battista Valletta Stampatore di Sua Altezza Reale 1712.

§. 9. Undequaque Ministri Laici Jurisdictionem usurpabant in præjudicium Sanctæ Sedis, & damnum Reverendæ Cameræ Apostolicæ; Quippè sub die 22. Martii 1712. Comes Foschieri, ut asserebatur, Gubernator, seu *Commandante* Civitatis Taurini, scripsit epistolam Antonino Costæ Terræ Lombardori Syndico tenoris, ut sequitur: *Signor mio: Alla ricivuta di questa non mancherà far penetrare à Valentino Fiorito, Antonio Costa, e Bertolotto Segretario esser mente di S. A. R., che tutti trè unitamente à lei si debbino per tutto dimani ritrovare in questa Città, ove giunti subito si portino da me per ricever gli ordini, che per parte di detta Altezza Reale li devo communicare, avvertendogli à non differrire l'ubbidire per non essere severamente bastigati alla forma, e mente dell'ordine di detta Altezza Reale, è quì persuadendomi eseguiranno pontualmente il commando fattoli mi rassegno. Torino li 22. Marzo* 1712. *Di V. S. Affettionatissimo, & Obligatissimo per servirla---Conte Foschieri Commandante della presente Città.*

Al Signor Antonino Costa Sindico del Luogo di Lombardore.

§. 10. Rationabili minarum metu Antoninus Costa Syndicus, Jacobus Antonius Bertolottus Communitatis Secretarius, & Antonius Costa prædicti, se contulerunt ad Civitatem Taurini, & ad dictum Comitem, à quo fuerunt moniti, prout ipsi occasione, quâ de metu protestati sunt, retulerunt per hæc verba: *Che teneva ordine*, nempe dictus Comes Foscherius, *da S. A. R. di farli sapere, qualmente ove in avvenire veniśe à seguire, ò à farsi qualche insulto, ò al Signor Avvocato Blanchiardi Giudice Ducale, ò alli Soldati di Giustizia, ò altri Deputati dell' Eccellentissima Camera di Torino, mentre si fossero fatti atti di giurisdizione nel Luogo di Lombardore, si sarebbe messo il Luogo tutto à fuoco, e sangue, e che voleva portarsi lui Signor Conte Foschieri in persona, soggiungendo, che non voleva, che due, ò trè Paesani glie la facessero stravedere, e che il sudetto Signor Blanchiardi si sarebbe portato à publicare cert'ordine il Sabbato alloro prossimo, e che si pigliasse-ro (guarda) li venisse fatto alcun insulto:* Illisque respondentibus hoc non esse in eorum posse, dictus Comes respondit: *Che lasciascero la disputa trà S. A. R. & il Papa, e che loro facessero li loro affari.*

§. 11. Idem Comes Foscherius novas dedit literas sub die 18. Maii Syndicis ejusdem Loci Lombardori, quas sub eadem die dictus Advocatus Blanchiardi prætensus Judex (prout dictus Comes in præcedenti epistolâ prædixerat) præsentavit Joanni Ludovico Chiara Syndico tunc Domi ægrotanti, & recusanti, quibus sic præcipiebatur: *Magnifici Signori Gio. Battista Vacca, Giorgio Bertine, Pietro Ferreo, Michel Sandino, e Giacomo Bertino, come meglio resta espresso qui sotto tutti Affituali de' Redditi di cotesto Luogo, hanno trascurato, e trascurano il pagamento di quanto devono all' Abbazia di San Benigno, restando anco-r Reliquatori delle somme infranotate, e volendo, che sodisfaccino à quanto devono, mi hà ordinato di farli penetrare esser mente sua, che faccino chiamare avanti loro li sudetti Signori Vacca, Bertino &c., à quali intimeranno per parte di detta Reale Altezza di dover pagare frà gierni dieci prossimi le somme infraseritte in mani del Signor Carlo Filippo Boggio, ò chi farà per esso, de' quali vanno in debito sotto pena dell'esecutione militare, alla quale si procedera detto termine spirato, e pagamento non fatto senz'altra dilazione, & avendo cause giuste in contrario, quelle verranno ad allegare avanti me in questa Città personalmente frà detto termine. Questo è quanto m'occorre suggerire, à loro Signori in esecuzione de Reali comandi, e persuadendomi eseguiranno quanto sopra, attendendo risposta del loro operata, mi confermo. Torino le 18. Maggio* 1712.

Gio: Battista Vacca)
Giorgio Bertino) Di Lambardore Affittavoli
Pietro Ferrara) de rendite di Lambardore.
Michele Sandino)

Per il Fitto annuo di lire 1306. devono di reliquato.

Cioè dell' Anno 1710. ——————— *lire* 428.
Nell' Anno 1711. ——————— *lire* 1300.

——————— *lire* 1728.

Gio: Battista Vacca)
Michel Sandino) Affittavoli dell' Abbatia in
Giacomo Bertino) Lombardore.

Devono à ragione di lire 250. l'Anno di Fieto somma di lire 500.

Affettionatissimo per servirli
Conte Foschieri.

Foris; *A' Signori Sindici di Lombardore.*

§. 12. Sub eâdem die 18. mensis Maji dictus assertus Judex Blanchiardi consignavit Petro Philippo Avenato Syndico Communitatis Fletri aliam epi-

epistolam sub eâdem Datâ ab eodem Comite scriptam Syndicis dicti Loci directam, qua eidem Communitati injungit solutionem lib. 551. 8. 6. sub comminatione militaris executionis. Advocatus Blanchiardi prædictus sub hac die aliam similem epistolam consignare tentavit Joanni Francisco Francono Communitatis Montanarii Syndico, at hic notitiam habens de aliâ præcedenti consignatâ Syndico Communitatis Fletti, abhorrens quamcumque aliam prætensam jurisdictionem præter illam Sanctæ Sedis, ejusque Ministrorum, renuit, & aufugit, & consignare tentantem delusit. Itidem die 21. Maii uniformem epistolam dimisit ad pedes renuentis Eleonoræ Conjugis Dominici Furni Subconductoris Molendini Loci Montanarii, qua epistola præcipiebatur Syndicis Communitatis, quod eumdem Dominicum admonerent, ut frumentarias responsiones sub executionis militaris pœna traderet in manibus assertorum Affictuariorum: At Molitor nolens alios præter Ministros Sedis Apostolicæ, & Reverendæ Cameræ recognoscere, executionem militarem fuit passus.

Novæ Violentiæ à laica potestate illatæ Incolis S. Benigni.

Quamobrem sub die 26. dicti mensis Maii ad Locum Montanarii se contulerunt duæ Legiones, ut dicitur *Regimenti* Equitum Suæ Celsitudinis: Altera nuncupata *Dragoni:* Altera *Cavallaria di Savoia* sub directione Domini Marchionis de Garezzo Ductoris Generalis, & adveniente die 11. sequentis mensis Junii Advocatus Blanchiardi duos ex dictis Militibus unum ex Legione Genuæ militari nomine *Vin nuovo* ex Centuria Philippi, & alium nuncupatum Raymundum ex Centuria Trotti ex Legione equestri dominata *di Savoia* illos misit ad propriam domum dicti Furni, ut ab illa victum eorum arbitratu exigerent protestantes ab illa non posse discedere nisi de ordine dicti Blanchiardi, ad quem (renuente eodem Furno) recurrere, steterunt usque ad diem 14., & ultra, & cibariis consumptis, unus ex dictis Militibus *Vin nuovo* nuncupatus discedens secum asportavit quatuor lintea nova, & duos saccos pariter novos valoris librarum viginti circiter, & continuante altero Milite Raymundo nuncupato successit alter nuncupatus *Beller* de Summariva de Cohorte Principe, & in eâdem domo dicti Furni steterunt, & victualia usurparunt usque ad diem vigesimam dicti mensis, & discedentes secum detulerunt aliud linteum cum Rubo *di Coccheti* valoris in totum librarum viginti unius circiter.

§. 13. Supervenerunt postmodùm majora excidia in prædictis locis Abbatialibus, quandoquidem exhaustis, & consumptis ferè omnibus facultatibus Incolarum dictæ Abbatiæ ob frequentes, & continuatos transitus, & stationes Militum Imperialium, & dicti Serenissimi Ducis Sabaudiæ, tandem sub die 12. Maii dicti anni 1712. duæ Militum Legiones dicti Serenissimi Ducis Castra posuerunt in dicto Loco Abbatiali Montanarii, & deinde auctis novis copiis suppletitiis, die 29. ejusdem mensis Milites prædicti per domos, & habitacula Incolarum distributi fuerunt Ductore Domino Marchione de Garezzo Locumtenente Generali pro eadem Celsitudine, & in dicto Loco Montanarii permanserunt usque ad diem 14. Junii, & deinde se contulerunt ad alium Locum Abbatialem Fletti, ubi pariter castrametati sunt.

§. 14. Verumtamen ad desolationem Terræ, & Loci Montanarii non defuit aliarum Turmarum copia: etenim sub die 18. ejusdem mensis Junii pervenere decem Agmina peditum sub Generali Duce Vallis ducta per quemdam *Commissarium Carera*, & perstiterunt in eodem Loco usque ad diem vigesimam, & inde recedentes locarunt Castra in Loco S. Benigni. Quæ Militum Turmæ Territoria, agrosque jam satos, & pascua devastarunt, & recedentes plusquam viginti juga Bovum cum curribus, & plaustris secum pro eorum usu traduxerunt, aliaque notabilia præjudicia dictis Incolis intulerunt. Nec defuere alia damna, & incommoda; nam sub die 17. prædicti mensis Junii coacti fuerunt Subditi prædicti Sanctæ Sedis construere Pontem, ut facile apparatus militaris Suæ Celsitudinis expedite transiret; & sub die 19. ejusdem coacti fuerunt transmittere octo currus cum belluis pro transportandis militaribus impedimentis.

Narrantur aliæ vexationes.

§. 15. Jam Castra tenebant in Loco, & Territorio Fletti à die 12. Junii aliæ Militum copiæ, & dum Populus congregatus erat in Ecclesiâ ad horas vespertinas, Officialis nuncupatus *Garello* aliàs excommunicatus cum manipulo viginti quatuor equitum post occupatam publicam ejus Loci Plateam se contulit domum Petri Philippi Avennatti Syndici, & deinde alii Commilitones plures alias domos Consiliariorum dicti Loci Sedi Apostolicæ subjectorum invaserunt, & in illis steterunt, & deinde Hospitium verterunt in rapinam, subripientes Dominis domorum victualia, animalia mactantes, pluraque alia damna inferentes, ita ut dictæ duæ Legiones, quæ prius castrametatæ fuerant in Terrâ Montanarii, & deinde à die 14. Junii usque ad diem 18. ejusdem mensis invaserunt ejusdem Loci Fletti Territorium, dum ab illo recedebant, vastarunt vites & arbores, ac subripuerunt etiam octo currus cum jugatis Bovibus dictorum Incolarum, ut apparatum rei militaris traducerent ad Locum Borgarii, quos quidem currus, & boves sic traductos ad Civitatem Civassi dicto prætenso Judici Blanchiardi tradiderunt, & iste sub die 20. dicti mensis illos vendidit pretio librarum 1006. pro prætensis vigesimis, ac laudemiis à dictâ Communitate Loci Fletti debitis. Antequam prædictus N. Garello aliàs excommunicatus è dicto Loco una cum aliis discederet, se ad Ecclesiam Parochialem contulit, in cujus valvis affixi erant Cedulones Censurarum per ipsum, & alios incursarum, & gestatoria arundine ipsius nomen in Cedulonibus impressum laceravit, & postea illos defixos ausu temerario in Terram projecit. Nec prætermittendum, quod hiscemet diebus & præsertim sub die 13. Junii ab Officiali nuncupat. *Rivetti* Militibus stipato de ordine, & præsente dicto Blanchiardi in Loco S. Benigni arrestatus fuit Carolus Gamarra, & adductus ad carceres Taurini.

Excommunicatus Cedulones in Terra producit.

§. 16. Hac eadem die, dum Sacerdos Joannes Victorius Aliberti ejusdem Loci S. Benigni intra ejusdem Terræ ambitum morabatur in Loco nuncupat. *Contrada Großa* per Tormenti ænei Præfectum vulgò *Brigadiere* Legionis Genuæ Matthæum Brunum nuncupatum, & militari nomine Laffuer fuit apprehensus per transversum carceratione sibi nunciata per hæc verba *braccio forte d'ordine di Sua Altezza Reale*, ad quæ verba quatuor Milites ejusdem Legionis Archibusiis brevioribus, & Acinacibus armati eidem Officiali auxilium præbuerunt, eumdem Sacerdotem in brachiis apprehensum manu dextera armata eum sic detentum adduxerunt ad custodias, quas in domo Communitatis Prussianæ Militiæ tenebant, eumq; Sacerdotem collocarunt in quadam mansione à tribus eorumdem Militum custoditum. Undecimâ die dicti mensis Junii se contulit ad Terram Lombardorii Decuria undecim Militum equestrium una cum Præfecto Tormenti ænei, qui hos Milites ducebat, nuncupato *Cacciatore*, qui eosdem Milites locavit in domibus Jacobi Bertini hæredis Georgei Michaelis Sandini, & Petri Ferrera, quos itidem coegit Militibus subministrare victualia usque ad diem 18. ejusdem mensis.

Violentia Sacerdoti illata.

§. 17. Intereà, & antequam prædicti Militi-

tes

tes discederent, & signanter sub die 16. ejusdem Junii Turma Equitum centum quadraginta circiter, cujus Doctores erant Eques Casilinardus Legionis vulgò dictæ *Drago Major*, & Eques Sancti Martini Centurio ulterius Legionis jussu Marchionis de Govezzo occupavit prædictam Terram Lombardorii, & manu militari subripuit Incolis viginta sex Boves aratorios, vaccas quadraginta sex, sex juvencos, totidemque vitulos, jumenta tria, duosque mulos, quæ quidem animalia traducta ad Civitatem Civassi, pariter dictus Blanchiardus prætensus Judex palàm vendidit, pretiumque illorum recepit.

§. 18. Diebus autem 7., & 22. mensis Julii per Justitiæ Militem Senatus Taurini fuerunt exequutæ in odium Communitatis S. Benigni quædam assertæ copiæ intimationum, seu injunctionum in personam Mariæ Uxoris Antonii Farnenghi Syndici dictæ Communitatis subscriptarum, *Umberto*, quibus de ordine dicti prætensi Judicis in prima præcipiebatur solutio librarum 1203. in manibus Caroli Philippi Boggi prætensorum Affictuariorum Agentis intra terminum decem dierum sub pœna executionis realis, & personalis, & in secundâ injungebatur solutio in manibus Joannis Mariæ Roccha prætensi Oeconomi Ducalis infra terminum quinque dierum sub eadem pœna. Quarum injunctionum vigore sub die 13. Augusti per duos ejusdem Legionis Milites, alterum vocatum Joannem Baptistam Abbate, & alterum Castlone violenter fuerunt extracti, & subtracti de stabulis Syndicorum, & Consiliariorum sexdecim boves præsentibus, & auctorizantibus dictis Blanchiardo prætenso Judice, Francisco Josepho Umberto ejusque Officiali, & Notario, & Joanne Maria Roccha, ut supra, prætenso Oeconomo, quæ animalia fuerunt vendita in eodem Loco cuidam Advenæ tanquam majori Oblatori pretio librarum 1344. 15. 10.

§. 19. Dum alii vexabantur, aliis Incolis ejusdem Abbatiæ non dabatur requies, etenim publicatum, & respectivè intimatum fuit quoddam præceptum de mandato dicti prætensi Judicis sub Dat. 19. Julii cum assueta subscriptione Umberto Secretario, qua notificabatur omnibus Syndicis Agentibus debitoribus Massariis, Molitoribus, & quibuscumque aliis Abbatiæ debiroribus eisdem præcipiebatur; ut in Abbatiæ Oeconomum recognoscerent tanquam à Sua Celsitudine deputatum ad relationem Cameræ Computorum D. Joannem Mariam Roccha de Taurino, & in ejus manibus quæcumque fieri debuisset solutio omni alio excluso Exactore sub pœnis indignationis Suæ Celsitudinis, reiteratæ solutionis, & exequutionis militaris.

§. 20. Incœpta jam post messem triturationc frumenti per Franciscum Tessutum Colonum, & Massarium Prædii nuncupati *Casina delle mura* nè Ministri Reverendæ Cameræ partem Dominicalem exigerent, ad custodiam fuit transmissus Bartholomæus Guglielmettus de Sancto Georgeo, & sub die 20. Julii dictum Prædium adivit Joannes Maria Roccha prætensus Ducalis Oeconomus associatus duobus Armatis Militibus cum sagulis viridis coloris Ducali stemmate discriminatis, & injuncta divisione frumenti (licèt Colono reluctante, & protestante ad Reverendam Cameram spectare) abstulit eminas 110. frumenti, quæ asportare curavit super curribus dicti Coloni, & ad Castrum dicti Loci Montanarii, & ad Terram S. Benigni.

§. 21. Præmissa sub eâdem die 20. Julii executione alterius consimilis intimationis saper deputatione prædicti Oeconomi, illiusque recognitione facienda contra Bernardinum Boggium, & Alexandrum Anselmum Colonos, & Massarios Prædii nuncupat, *l'Airale* dicti Loci Montanarii sub die 3. Augusti dictus assertus Oeconomus Roccha ad dictum Prædium duobus similibus Militibus associatus se contulit, & interpellatis iisdem Colonis pro divisione frumenti, illisque renuentibus, & declarantibus portionem Dominicalem debitam esse Ministris Reverendæ Cameræ Apostolicæ tanquam pendente vacatione maturatam, quam unicè recognoscebant. Idem Oeconomus violentias jactans, & Colonorum carcerationem incutiens subripuit eminas 160. tritici, quæ cum curribus, & bobus dictorum Colonorum per vim cogentibus, & associantibus dictis Militibus, traducta, & asportata fuerùnt ad Castrum prædictum. Rediit sub die prima Septembris, ipse Ducalis Oeconomus ad idem Prædium unico associatus Milite, & non obstante simili contradictione Colonorum, qui unicè Rev. Cameræ Apostolicæ Ministros recognoscere protestati fuerant, violenter abstulit eminas 78. secalis, 24. fabarum, & 9. cicerum. Die verò quinta Novembris idem Roccha, associantibus Bernardino, & Stephano fratribus Bianna de Castronovo, se transtulit ad Molendinum Montanarii, & in illo repertis Josepho, & Jacobo Molitoribus, qui nomine Reverendæ Cameræ Apostolicæ dictum Molendinum retinebant, eidemque certam portionem frumenti tradere tenebantur, prout protestati fuerunt, quibus non obstantibus timore carcerationis eisdem incusso ad ministerium dicti Molendini pro Camerâ Ducali supradictos Fratres intrusit.

§. 22. Fuerat jam de ordine dicti Blanchiardi prætensi Judicis sub datum 6. Aug. cum subscriptione Umberto exequuta quædem copia Intimationis, seu injunctionis in odium Communitatis Lombardorii de mandato Gubernatoris Taurini, & ad instantiam dicti prætensi Ducalis Oeconomi Roccha super solutione librarum 485. pro residuali summa debita pro Annis 1710., & 1711., non obstante exequutione factâ super belluis, ex quarum venditione non potuit consequi integra satisfactio. Item super solutione librarum 1550. pro debito anni tunc decurrentis 1712. sub pœnâ dictæ exequutionis militaris. In cujus comminationis exequutionem die 2. Novembris ingressi fuerunt, & tenuerunt Locum prædictum centum quinquaginta circiter Ducales Milites equestres sclopis, & acinacibus armati, partim Legionis ut dicitur *Regimento Birago*, partim *Cavaglia*: Quibus omnibus præerat Comes de Permon, cum quo alii Officiales, nempe Comes Benzo equestris Turmæ Ductor, Monsieur de S. Georgeo Turmæ Ductoris Legatus, seu Locumtenens, Monsieur de Vansi pariter Locumtenens, Monsieur Ceruto, & Eques *della Villa* Equites Vexillarii omnes de Legione Cavaglia, Comes *della Manta* Equestris Turmæ Ductor, Monsieur Mussetto similis Ductoris Locumtenens, Monsieur Longaray, & Eques Burghesius signiferi Equestris omnes de Legione Biraho. Qui milites de ordine supra dictorum Officialium respectivè priùs pedester dispositi ad obsidionem stabulorum, ab illis extraxerunt, & comprehenderunt Boves aratorios triginta sex, juvencos, & vaccas decem, & octo, quas belluas eodem die adduxerunt ad Civitatem Civassi, & consignarunt Advocato Blanchiardi prætenso Judici, de cujus ordine fuerunt venditæ pretio librarum 2235.

Aliæ vexationes.

§. 23. Pro effectu alterius similis intimationis, & injunctionis sub eâdem die 6. Augusti in odium Communitatis Loci Montanarii relaxatæ, & pro eo, quod Ministri Ducales ab illâ exigere prætendebant die 26. Octobris ejusdem anni 1712. se contulerunt ad dictum Locum Montanarii duæ Legiones equestres Suæ Celsitudinis, altera

nun-

nuncupat. *Birago*, altera *Piemonte Reale*, seu *Cavaglia* sub ductu Marchionis de Birago Magistri Equitum Legionis sui nominis, qui inibi Castra tenuit per totam diem prædictam Novembris cum maxima Loci, Territorii, & Incolarum damnificatione ob consumptionem præsertim fœni, aliorumque straminum, lignorum, & victualium; Præparati tamen ad discessum ante lucem subsequentis diei 2. Novembris juxta Officialium ordinationes à dictis Militibus occupata fuit Platea, & Loci annexi, acieque disposita, transmissi fuerunt Excubitores ad proprias domos, & stabula Incolarum dicti Castri, distributis aliis Militibus per vicos, & demùm orta luce de ordine dicti Marchionis, juncta assistentia dicti Advocati Blanchiardi, impetum fecerunt in stabula, & domos dictorum Incolarum: De stabulis fuerunt subtracta duocenta circiter capita Belluarum de Bovinis, equinis, & suinis, quæ eadem die fuerunt adductæ ad Civitatem Civassi, & prosequendo executiones ex ædibus Joannis Dominici Caffari abstulerunt eminas 120. tritici, 24. secalis, 6. ordei, 18. avenæ, & 18. panicii albi: Ex ædibus Joannis Baptistæ Clara eminas 50. tritici, 24. secalis, 24. panicii albi; De domo Syndici Joannis Francisci Franconi eminas 69. tritici, 22. secalis, 6. fabarum: De domo Phisici Nicolai Francisci Fiola eminas 50. tritici, 16. secalis, 10. fasolorum, 9. fabarum, 40. panicii albi, 4. cicerum, & 14. avenæ: De Domo Sindici Joannis Malani Petitti eminas 33. panicii albi; de domo Petri Pauli Rimaudo eminas 276. tritici, 35. secalis: De domo Notarii Francisci Antonii Petitti eminas 50. panicii albi. De Molendino ejusdem Loci Montanarii de victualibus dictorum Incolarum saccos 52. ex variis frumenti speciebus, quæ omnia fuerunt asportata, & consignata prædicto Rocchæ prætenso Oeconomo.

Noviæ violentiæ.

Incolarum Abbatiæ S. Benigni constantia, & fides erga Sedem Apostolicam.

§. 24. Quæ omnes recensitæ violentiæ, & attentata facta, & executa fuerunt, legitimè contradicentibus, & impugnantibus Communitatibus dictæ Abbatiæ, illarumque Particularibus qui licèt oppressi, & sæpè sæpiùs in Ecclesias, & Loca immunia ob timorem carcerationis recepti, nunqam tamen consensum præstarunt, & semper protestati fuerunt de vi injustâ illis illata, declarando semper, & in quolibet actu repetendo eos esse unicè subjectos sub Dominio Sanctæ Sedis, & Abbatiæ fructus consignandos, & persolvendos esse Ministris, & Officialibus dictæ Sanctæ Sedis, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ, nec velle, nec posse alios recognoscere, vacatione durante, quàm eosdem Ministros Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Rebusque aliis, prout in Processu, & Processibus desuper constructis prædicta omnia memorati.

Nomina singulorum qui attentata, & violentias prædictas admiserunt, aut mandarunt.

Mr. di S. Georgio.
Mr. di Vansi.
Mr. Ceruto.
Eques della Villa.
Comes della Manta.
Mr. Mosetto.
Mr. Longarais.
Eques Borgheſe.
Eques Casalinardo.
Eques S. Martino.
Matthæus Bruni nuncupat. la Fleur.
N. Cacciatore.
N. Rivetti.
N. Garello.
N. Nomine militari Vin nuovo,
Raimundo.
N. Beller.
Patrimonialis Generalis.
N. Castilione.
Joannes Baptista Valetta.
Nicola.
Joannes Paulus Blanchiardi.
Franciscus Joseph Umberto.
Laurentius Caffo.
Carolus Philippus Boggio.
Joseph Antonius Rugerino.
Joannes Maria Rocca.
Bartholomæus Guglielmetti.
Bernardinus, *Stephanus*) *Fratres de Bianna.*

Justitiæ Milites.

Joannes Andreas Rapeto.
N. Frescia, & duo alii N. N.
Antonius Barchetto.
Bernardus Valino.
Bartholomæus Martello.
Dominicus Umberto.
Joannes Baptista Abbate.
N. Castlone.

Commiserunt & perpetrarunt instando, mandando, committendo, Jus dicendo, actus scribendo, exequendo, adhærendo, assistendo, auxilium præstando, instantias fieri committendo, vel permittendo, administrando, jurisdictionem exercendo, fructus exigendo, alienando, Immunitatem Ecclesiasticam violando, aliaque attentata committendo, & semper jurisdictionem, supremumque Dominium Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Jura Reverendæ Cameræ lædendo, usurpando tam conjunctim, quàm separatim, & divisim, & aliàs omni &c. singula singulis congruè referendo, itaut utile per inutile non vitietur, nec è contra, non solùm &c., sed & omni &c., super quibus &c., pœnas propterea, ac censuras in Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi solitâ damnabiliter incurrendo. Fuimus propterea pro parte supradicti Illustrissimi Domini Gaspari Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis instanter, & debitè requisiti, quatenùs sibi in præmissis de opportuno Juris remedio providere, Monitoriumque ad partes ad personaliter, vel legitimè comparendum sibi decernere, & concedere dignaremur.

§. 25. Nos itaque petitioni hujusmodi tanquam justæ annuentes Vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenùs statim visis, & receptis præsentibus, & post quam præsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum requisitus fuerit ex parte nostrâ, imò veriùs Apostolicâ authoritate antedictos.

Mr di S. Georgio.
Mr. di Vansi.
Mr. Ceruto.
Equitem della Villa.
Comitem della Manta.
Mr. Mosetto.
Mr. Longarais.
Equitem Borgheſe.
Equitem Casalinardo.
Equitem S. Martino.
Matthæum Bruni nuncupat. la Fleur.
N, Cacciatore.
N. Rivetti.
N. Garello.
N. Nomine Militari Vin nuovo.
Raymundum N.
N. Beller.
Patrimonialem Generalem.
N. Castilione,
Joannem Baptistam Valetta.

N. Nicola.
Joannem Paulum Blanchiardi.
Franciſcum Joſeph Umberro.
Laurentium Caſſo.
Carolum Philippum Boggio.
Joſephum Antonium Rugerino.
Joannem Mariam Rocca.
Bartholomeum Guglielmetti.
Bernardinum,)
& Stephanum) *Fratres de Bianna.*

Juſtitiæ Milites.

Joannem Andream Rapeto.
N. Freſcia, & duos alios N. N.
Antonium Barchetto.
Bernardum Valino.
Bartholomeum Martello.
Dominico Umberto.
Joannem Baptiſtam Abbate.
N. Caſtlone.

Citantur omnes nominati & monentur ad comparendum & allegandum cauſam quare &c.

Moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, eiſdemque, & cuilibet ipſorum præcipiatis, & mandetis, prout Nos eosdem harum ſerie citamus, monemus, & requirimus, eiſdemque, & cuilibet eorum præcipimus, & mandamus per præſentes primo, ſecundo, & tertio, & peremptorio termino, quatenùs infra quadraginta quinque dierum ſpatium ab exequutione præſentium computandorum, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro ſecundo, & alios quindecim pro tertio ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione aſſignamus, & Vos aſſignetis debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit, debeat Romæ coram Nobis, perſonaliter, vel legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam, quare non debeant ipſi, & eorum quilibet in omnes, & ſingulas cenſuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bullâ in Cœnâ Domini quotannis legi, & publicari ſolitâ, contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas incidiſſe, & incurriſſe declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni, & relaxari, & reſpectivè ipſi non debeant condemnari ad damna, expenſas, & intereſſe, & ſuper præmiſſis cum dicto Illuſtriſſimo Domino Commiſſario Generali, & aliis, cum quibus opus fuerit, Juri ſtetiſſe, deque eorum innocentiâ, ſi quæ ſit legitimè docuiſſe, præſentique noſtro Monitorio omninò paruiſſe.

§. 26. Certificantes eoſdem ſic monitos, requiſitos, citatos, & eorum quemlibet, quodſi in prædicti Monitorii termino non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, ſeu comparitionem diſtulerint, vel diſtulerit, Nos nihilominus ad ulteriora juris, & facti remedia, & ad declarationem incurſus pœnarum prædictarum uſque ad Sententiam, illiuſque exequutionem incluſivè, prout juris fuerit, per contradictas per Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel abſentiâ, & aliis quibuſcumque non obſtantibus; Et cum exceſſus prædicti patrati fuerint in juriſdictione, & Territorio Abbatiali Sancti Benigni, & valde notoria ſit violenta occupatio jurisdictionis Sedis, & Cameræ Apoſtol. nihilominus ad ſupererogationem ex pluribus etiam Teſtium depoſitionibus hæc omnia comprobata remaneant; Cumque pro præſenti noſtro Monitorio exequendo tutus non pateat acceſſus, propterea volumus, & authoritate noſtra decernimus idem noſtrum Monitorium contra omnes ſupra nominatos exequi mediante affixione, & dimiſſione ejusdem copiarum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Sancti Petri in Vaticano, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, nec non ad valvas Eccleſiarum, Terrarum, & Locorum Abbatialium Sancti Benigni, quo ſic exequuto, & in actis infraſcripti Noſtri Secretarii legitimè reproducto ita eoſdem monitos, & eorum ſingulos arctare, & aſtringere perinde valeat ac ſi perſonaliter, & magis legitimè exequutum foret, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta; die verò 20. Junii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Clementis Divinâ Providentia Papæ Undecimi Anno decimo tertio.

Jo. Patritius Archiepiſcopus Seleuciæ Theſaurarius Gener., & ſpecialiter Delegatus.

Jo. Antonius Tartaglia Rev. Cam. Apoſtol. Secretarius.

Die 26. Septemb. 1713. Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra omnes citatos Contumaces Sententia declaratoria incurſus in omnes, & ſingulas Cenſuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impreſſa, & conſuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula Cedoloni-nuncupata, qua univerſis Chriſtifidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitandi, ac in eventum mortis privati Eccleſiaſtica Sepultura illi omnes, & ſinguli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

MONITORIUM

Die 3. Auguſti 1714. expeditum contra Canonicum Joannem Blanciardum, Sacerdotem Joſephum Blanciardum, & Sacerdotem Ludovicum Pomano ob ſacrilegam communicationem cum Advocato Joanne Paulo Blanciardo prætenſo Judice Cameræ Computorum Taurini excommunicato palam declarato, & alia ab ipſis geſta in contemptum cenſurarum, & Apoſtolicæ authoritatis.

Joannes Patritius Archiepiſcopus Seleuciæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & ejus Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarius Generalis, & quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantium in tota Italia Collector Generalis, & ſpecialiter à Sanctiſſimo Domino Noſtro Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Parochialium, quàm Collegiatarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis fuiſſe nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad inſtantiam Illuſtriſſimi D. Gaſparis Turchi Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis omni meliori modo Principalis

Nonnulli Canonici Abbatialis Ecclesiæ S. Benigni metuentes appositionem Interdicti, quia in dicta Ecclesia divina celebrarunt præsente Jo. Paulo Blanciardo publico Excommunicato, in Collegiali congressu deputenda absolutione à censuris deliberant.

cipalis, & præviis probationibus assumptis expositum, & deductum inde, & super eo quòd suspicantibus, vel timentibus R R. Canonis Ven. Ecclesiæ Abbatialis S. Benigni Fructuariensis Nullius Diœcesis, eâdem Abbatiâ vacante, appositionem Interdicti Ecclesiastici, ex eo quod in dicta Ecclesia Divina fuerant celebrata præsente, & assistente Advocato Joanne Paulo Blanciardo prætenso Judice Cameræ computorum Taurini in locis ejusdem Abbatiæ vacantis nulliter intruso, ac publico excommunicato, & per Nos per Cedulonum affixionem declarato, ob tunc timorem sic consulti nonnulli ex dictis Canonicis coram Nobis recurrere, & humilibus precibus supplicare decreverunt, ut ab hac Ecclesiastica censura illos eximere dignaremur, exponendo non dolose, vel temerè id fuisse sequutum. Quo audito in Collegiali Congressu per Canonicum Joannem Blanciardum supradicti Excommunicati Patruum, iste obloquendo contra Canonicum Petrum Antonium Passaro, qui propositionem fecerat in Capitulo, & referendo ad ejusdem, & aliorum machinationes honestos hos ad superioris recursus, eum simul, ac alios verbalibus injuriis affecit, eisdem præsertim exprobando, quod ipsi Excommunicati extiterant, & non Advocatus ejus Nepos, quem pro tali nunquam reputaverat, nec reputabat, quam declarationem non minùs temere confirmaverunt, ac eidem pariter adhæserunt Sacerdos Joseph Blanciardus prædicti Advocati Frater, & Sacerdos Ludovicus Pomano in eodem loco Ludi Magister, quarum censurarum præfato modo contemptum, non solùm eò tunc verbis expresserunt, verùm etiam præcedenter, & subsequenter factis comprobarunt; privatim enim, ac publice eorum singuli cum dicto Excommunicato publicè per Nos declarato tractarunt, & familiariter versati sunt, imò cohabitarunt, & convixerunt, Ludovicus verò non solùm in Civilibus cum prædicto Excommunicato verùm etiam in Divinis communicavit, Sacrum in Ecclesia celebrando præsente, & assistente Excommunicato prædicto, & prout latius in Processu, & Processibus desuper constructis, prædicta omnia memorati Canonicus Joannes Blanciardus, Sacerdos Joseph Blanciardus, & Sacerdos Ludovicus Pomano commiserunt, & perpetrarunt in gravem censurarum contemptum, & vilipendium tam conjunctim, quàm divisim, ac alias omni &c. singula singulis congruè referendo, ita ut utile per inutile non vitietur, nec è contra &c. non solùm &c. sed & omni &c. super quibus &c.; pœnas propterea, ac censuras in Sac. Canonibus contentas damnabiliter incurrendo, fuimus propterea pro parte supradicti Illustrissimi Domini Gaspari Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis instanter, & debitè requisiti, quatenùs sibi in præmissis de opportuno Juris remedio providere, Monitoriumque ad partes ad personaliter, vel legitimè comparendum sibi decernere, & concedere dignaremur.

Qui deinde cum præfato Excommunicato palam communicare audent in publicum contemptum censurarum.

Instantia Commissarii Cameræ Apostolicæ, ut procedatur contra præfatos censurarum Contemptores.

§. 2. Nos itaque petitioni hujusmodi tanquam justæ annuentes vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet insolidum committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus statim requisiti, seu aliquis vestrum requisitus fuerit ex parte nostrâ, imò veriùs Apostolicâ authoritate antedictos *Canonicum Joannem Blanciardum, Sacerdotem Josephum Blanciardum & Sacerdotem Ludovicum Pomano*, moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, prout Nos eosdem, & eorum quemlibet harum serie citamus, monemus, & requirimus, primo, secundo, tertio, & peremptorio termino, quatenus infra quadraginta quinque dierum spatium ab executione præsentium computandorum, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro secundo, & alios quindecim pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ monitione canonicâ assignamus, & vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ coram Nobis personaliter, vel legitimè comparuisse, & comparere ad deducendum, & allegandum causam quare non debeant ipsi, & eorum quilibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas in Sac. Canonibus contentas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, & contra eos, & quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, & respectivè non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, & super præmissis cum d. Illustrissimo D. Commissario Generali, & aliis cum quibus opus fuerit Juri stetisse, deque eorum innocentiâ si quæ sit, legitimè docuisse, præsentique nostro Monitorio omninò paruisse.

Nomina citatorum ad comparendum, & allegandum causam quare declarari non debeant incidisse in censuras, & pœnas &c.

§. 3. Certificantes eosdem sic monitos, requisitos, & citatos & eorum quemlibet, quodsi in prædicti Monitorii termino non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, seu comparitionem distulerint, vel distulerit; Nos nihilominus ad ulteriora juris, & facti remedia, & ad declarationem incursus pœnarum prædictarum usque ad Sententiam, illiusque exequutionem inclusivè, prout Juris fuerit, per contradictas, per Edictum publicum procedemus, eorum contumacià, vel absentià, & aliis quibuscumque non obstantibus. Et cum excessus prædicti patrati fuerint in jurisdictione, Abbatiali Sancti Benigni, & valde notoria sit violenta occupatio jurisdictionis Sanctæ Sedis, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ & pro præsenti nostro Monitorio exequendo tutus non pateat accessus, propterea volumus, & authoritate nostra decernimus idem nostrum Monitorium contra omnes supra nominatos exequi mediante affixione, & dimissione ejusdem Copiarum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Sancti Petri in Vaticano, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, nec non ad valvas aliquarum Ecclesiarum, Terrarum, seu Locorum Abbatialium Sancti Benigni, quo sic exequuto ita eosdem monitos, & eorum singulos arctare, & adstringere perinde valeat ac si personaliter, & magis legitimè exequutum foret, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ hac die tertiâ Augusti 1714.

Ob nonnullum accessum ad Abbatiam Sancti Benigni mandatur præsens Monitorium Romæ, & alibi affigi, & sic affixum omnes arctare, perinde ac si personaliter singulis intimatum fuisset.

Jo. Archiepiscopus Seleuciæ Thesaurarius Gen., & specialiter Delegatus.

Jo. Antonius Tartaglia Rev. Cam. Apostol. Secretarius.

Die 3. Septembris 1714. supradictum Monitorium affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in nova Curia Montis Citatorii per me Sebastianum Vasellum D. N. Papæ Cursorem.

Die 17. Maij 1715. Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curiæ servari solitis, lata, & publicata fuit contra omnes citatos Contumaces Sententia declaratoria incursus in omnes, & singulas Censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula-Cedoloni-nuncupata, qua universis Christifidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitan-

di, ac in eventum mortis privati Eccleſiaſtica ſepultura illi omnes, & ſinguli, contra quos prædicta ſententia lata fuit.

MONITORIUM

Die 3. Auguſti 1714. expeditum contra Dominicum Rufina, & N. nuncupat. *il Zoppo Satellites*, & Dominicum Gamarra Brunettum Procuratorem Fiſcalem localem Cameræ Computorum Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ ob violatam Juriſdictionem, & Immunitatem Eccleſiaſticam, & gravia vulnera reſpectivè inflicta Rev. Petro Franciſco Dalmatio Præpoſito Terræ Abbatialis S. Benigni Fructuarien. Nullius Diœc.

Joannes Patritius Archiepiſcopus Seleuciæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & ejus Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarius Generalis, & quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantium in tota Italia Collector Generalis, & ſpecialiter à Sanctiſſimo Domino Noſtro Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Parochialium, quàm Collegiatarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Vice-plebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ Literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino &c.

§. 1. Noveritis fuiſſe nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad inſtantiam Illuſtriſſimi D. Gaſparis Turchi Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis omni meliori modo Principalis, & præviis probationibus aſſumptis expoſitum, & deductum, quòd cum Felicianus Saudinus Fiſcalis pro Reverendâ Camerâ Apoſtolicâ in Terra Abbatiali Sancti Cenigni Fructuarienſis Nullius Diœceſis, eadem Abbatia vacante; extaret in confugio Eccleſiæ Parochialis Sanctæ Crucis ejusdem Terræ ob timorem violentiarium, quas inferre ſoliti erant Miniſtri Poteſtatis Laicæ, & Cameræ computorum Taurini, licèt nulla penitus authoritate ſuffulti, & præcisè ſub die 27. Aprilis proximè præteriti cum circa horam decimam ſeptimam egreſſus fuiſſet de dictâ Eccleſiâ, & propè, ac ante illam in Plateolâ alloqueretur cum Rev. Præpoſito Petro Franciſco Dalmatio, qui pariter de Domo Parochiali contiguâ eo tunc exierat, & cum aliis ejusdem Loci Incolis, idem Saudinus cum ex improviſo ſibi proximum vidiſſet Dominicum Rufina Satellitem, illicò verſus dictam Eccleſiam convolavit, fuit tamen propè ejuſdem ſchalas apprehenſus, & ad invicem colluctando, idem Felicianus prævaluit ſecum trahendo dictum Dominicum Birruarium ad ſchalas Eccleſiæ, dumque primum earundem gradum præfatus Saudinus teneret, & de manibus dicti Dominici penitùs tentaret ſe eximere, ſupervenit aliter Birruarius nuncupat. *il Zoppo* in adjutorium Socii, & aggrediendo, ac inſimul amplectendo eumdem Felicianum de loco immuni, & primo Eccleſiæ gradu, in quo inſiſtebat, abduxerunt. Dum hæc patrarentur in præjudicium Immunitatis Eccleſiaſticæ, & Rev. Dalmatius prædictus admoneret adſtantes, ut eſſent ad teſtificandum parati ſuper violentâ extractione prædictâ, Dominicus Gamarra Brunettus prætenſus Fiſcalis Localis pro præfatâ Camerâ computorum, qui prædictæ carcerationi præſidebat, & Satellitibus adſtabat, ægrè ferens dictum Reverendum Præpoſitum Teſtes advocaviſſe pro Eccleſiæ Immunitate, in eumdem irruit, dicens: *Retirati Prevoſto*: quibus verbis prolatis, impugnato ſtylo ferreo, ſeù alio cultro, quem præ manibus gerebat, tria id dictum Præpoſitum injecit vulnera, unum ſuperficiale ſuper mandibula ſuperiori cum membranarum læſione, alterum ſuper mandibula inferiori penetrans uſque ad os ex parte ſiniſtrâ cum magnâ ſanguinis effuſione, & alterum in digito medio manus ſiniſtræ cum parva læſione; Quibus patratis ſceleribus dictus Reverendus Præpoſitus ſic vulneratus, & ſanguinem effundens domum translatus fuit, & dictus Felicianus ad carceres adductus in grave eorumdem Reverendi Præpoſiti Petri Franciſci Dalmatii, & Feliciani Saudini damnum, & præjudicium, ac Immunitatis Eccleſiaſticæ vilipendium tam conjunctim, quàm diviſim, & aliàs omni &c. ſingula ſingulis congruè referendo, itaut utile per inutile non vitietur, nec è contra, non ſolùm &c., ſed & omni &c.; ſuper quibus &c.; pœnas propterea, ac Cenſuras in Sacris Canonibus contentas damnabiliter incurrendo. Et quamvis adversùs dictum Dominicum Gamarram Brunettum tanquam adversùs notorium Clerici percuſſorem à Rever. Domino Canonico Carolo Antonio Gamarra Vicario Abbatiali pro Sede, & Camerâ Apoſtolicâ in dictâ Abbatiâ deputato relaxatæ fuerint Cenſuræ, & affixi Cedulones: Nihilominùs, cum præter vulnerationem dicti Reverendi Præpoſiti Dalmatii perturbaverit unâ cum dictis duobus Birruariis Juriſdictionem Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ in dictâ Abbatiâ; Fuimus propterea pro parte ſupradicti Illuſtriſſimi D. Gaſpari Turchi Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis inſtanter, & debitè requiſiti, quatenùs firmis remanentibus Cenſuris, ut ſupra, à prædicto Rev. Vicario Abbatiali fulminatis adversùs dictum Dominicum Gamarram Brunettum, ſibi in præmiſſis de opportuno juris remedio providere, Monitorium ad Partes ad perſonaliter, vel legitimè comparendum ſibi decernere, & concedere dignaremur; Nos itaque petitioni hujuſmodi tanquam juſtæ annuentes Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, ac Veſtrum cuilibet inſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeu alter Veſtrum requiſitus fuerit ex parte noſtrâ, imò verius Apoſtolicâ authorirate ſupra nominatos *Satellites Dominicum Rufina, & N. nuncupatum il Zoppo, & Dominicum Gamarra Brunettum prætenſum Fiſcalem localem Camera computorum* moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, eiſdemque, & cuilibet ipſorum præcipiatis, & mandetis, primò, ſecundò, & tertiò, & peremptoriè, prout Nos eoſdem harum ſerie monemus, citamus, & requirimus, eiſdemque & eorum cuilibet præcipimus, & mandamus per præſentes quatenus infra quadraginta quinque dierum ſpatium ab executione præſentium computandorum, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro ſecundo, & alios quindecim pro tertio, ultimo & peremptorio termino, ac trinâ canonica monitione aſſignamus, & Vos aſſignetis, debeant, & quilibet ipſorum, prout eos tangit, debeat Romæ perſonaliter, vel legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam, quare non de-

beant

beant ipsi, & eorum quilibet in censuras, & pœnas in Sacris Constitutionibus Apostolicis contentas incidisse, & incurrisse declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, & respectivè non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, & super præmissis cum d. Illustrissimo D. Commissario Generali, & aliis cum quibus opus fuerit Juri stetisse, deque eorum innocentiâ si quæ sit, legitimè docuisse, præsentique nostro Monitorio omninò paruisse.

Certificantes eosdem sic monitos, requisitos, & citatos, & eorum quemlibet, quod si in prædicti Monitorii termino non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, seu comparitionem distulerint, Nos nihilominus ad ulteriora juris, & facti remedia, & ad declarationem incursus pœnarum prædictarum usque ad Sententiam, illiusque exequutionem inclusivè, prout Juris fuerit, per contradictas, per Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel absentiâ, & aliis quibuscumque non obstantibus. Et cum delicta prædicta patrata fuerint in jurisdictione, & Territorio Abbatiali Sancti Benigni, & valde notoria sit violenta occupatio jurisdictionis Sedis, & Cameræ Apostolicæ & propterea pro præsenti nostro Monitorio exequendo tutus non pateat accessus, volumus, & authoritate nostra decernimus idem nostrum Monitorium contra omnes supra nominatos exequi mediante affixione, & dimissione ejusdem Copiarum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Sancti Petri in Vaticano, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, nec non ad valvas Ecclesiarum, Terrarum, & Locorum Abbatialium Sancti Benigni, quo sic exequuto & in actis infrascripti nostri Secretarii legitimè reproducto, ita eosdem monitos, & eorum singulos arctare, & adstringere perinde valeat ac si personaliter, & magis legitimè exequutum foret, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Magnâ Curiâ Innocentianâ hac die tertiâ Augusti 1714.

Jo. Archiepiscopus Seleuciæ Thesaurarius Gen., & specialiter Delegatus.

Jo. Antonius Tartaglia Rev. Cam. Apostol. Secretarius.

Die 17. *Maii* 1715. *Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curiæ servari solitis, lata, & publicata fuit contra præfatos Citatos Contumaces Sententia declaratoria incursus in omnes, & singulas Censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.*

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula-Cedoloni-nuncupata, qua universis Christifidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitandi, & in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura illi omnes, & singuli, contra quos prædicta Sententia lata fuit.

MONITORIUM

Die 22. Junii 1716. expeditum contra Petrum Ghiò, seù Ghiliò, & Quiricum Antonium Testam, propterea quòd à Laicali Potestate Taurinensi conducere ausi fuerint Terras, atque proventus Abbatiæ S. Benigni Fructuarien., ab ipsamet Laicali Potestate temerè usurpatos in grave præjudicium, & maximum contemptum Jurium, & Jurisdictionis S. Sedis Apostolicæ.

Joannes Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Patritius, Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ejusque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Pro-Thesaurarius Generalis, & quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium in tota Italia Pro-Collector Generalis, & specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Delegatus.

UNiversis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, tam Parochialium, quàm Collegiatarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino.

§. 1. Noveritis fuisse nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad instantiam Illustrissimi D. Gasparis Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis omni meliori modo Principalis, & præviis probationibus assumptis expositum, & deductum, quòd usurpata à Laicali Potestate Taurinensi temporali Jurisdictione ac administratione Bonorum Ecclesiasticorum vacantis Abbatiæ Sancti Benigni, eorumque fructuum, atque proventuum exactione, pluribusque enormibus attentatis ab ejusdem Laicalis Potestatis Ministris iniquè patratis in grave præjudicium, & maximum contemptum Jurium ac Jurisdictionis Apostolicæ Sedis, ut latè aliis nostris monitoriis Literis editis die 6. Octobris anni 1711., seu &c. commemoratum fuit, ad quas &c. illorum partes quoque sequuti fuerunt Petrus Ghiò, seù Ghiliò, & Quiricus Antonius Testa, qui falsò putantes utile sibi esse alterius incommodo, eorum commodum augere, Terras ejusdem Abbatiæ Sancti Benigni à prædictâ Laicali Potestate conduxerunt, illarumque proventus ex avidæ mentis impetu sibi usurparunt, & adhuc pari iniquitate sibi usurpant, non formidatâ excommunicationis sententiâ contra hujusmodi Usurpatores per Sacros Canones, atque Apostolicas Constitutiones lata, prædicta omnia, & singula temerè, & dolosè committentes, rebusque aliis, prout ex processu, & actis causæ ad quæ &c. pœnas propterea, ac censuras in Sacris Canonibus, & Constitionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solita damnabiliter incurrendo. Quocirca fuimus pro parte & ad instantiam supradicti Illustrissimi D. Gasparis Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis instanter, & debitè requisiti, quatenus sibi in præmissis de opportuno juris remedio providere, Monitoriumque ad Partes ad personaliter, vel legitimè comparendum sibi decernere, & concedere dignaremur. Nos itaque petitioni hujusmodi tanquam justæ annuentes, Vobis omnibus, & singulis supradictis, & Vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenùs statim visis, & receptis præsentibus, & postquam præsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum requisitus fuerit ex parte nostrâ, imò verò Apostolicâ authoritate supradictos *Petrum Ghiò, seu Ghiliò, & Petrum Antonium Testa*, moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, eisdemque, & cuilibet ipsorum præcipiatis, & mandetis, prout Nos eosdem harum serie citamus, monemus, & requi-

rimus, eisdemque, & cuilibet eorum præcipimus, & mandamus per præsentes primo, secundo, & tertio, peremptorio termino, quatenùs infra quadraginta quinque dierum spatium ab exequutione præsentium computandorum: quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro secundo, & alios quindecim pro tertio ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione assignamus, & Vos assignetis, debeant, & quilibet ipsorum, prout eos tangit, debeat Romæ coram Nobis, personaliter, vel legitimè comparuisse, & comparere ad deducendum, & allegandam causam, quare non debeant ipsi, & eorum quilibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Constitutionibus Apostolicis, & præsertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari solitâ, contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse, & incurrisse declarari, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas decerni, & relaxari, & respectivè ipsi non debeant condemnari ad damna, expensas, & interesse, & super præmissis cum dicto Illustrissimo Domino Commissario Generali, & aliis, cum quibus opus fuerit, Juri stetisse, deque eorum innocentiâ, si quæ sit, legitimè docuisse, præsentique nostro Monitorio omninò paruisse. Certificantes eosdem *Petrum Ghio, seu Ghiliò & Quiricum Antonium Testa* sic monitos, requisitos, citatos, & eorum quemlibet, quòd si in præsenti Monitorii termino non comparuerint, vel aliquis eorum non comparuerit, seu comparitionem distulerint, vel distulerit, Nos nihilominus ad ulteriora juris, & facti remedia, & ad declarationem incursus pœnarum prædictarum usque ad sententiam, illiusque exequutionem inclusivè, prout Juris fuerit, per contradictas, vel Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel absentiâ, & aliis quibuscumque non obstantibus; Et cum excessus prædicti patrati fuerint in jurisdictione, & Territorio Abbatiali Sancti Benigni, & valde notoria sit violenta occupatio jurisdictionis Sedis, & Cameræ Apostolicæ, nihilominus ad super erogationem ex pluribus etiam Testium depositionibus omnia comprobata remaneant. Cumque pro præsenti nostro Monitorio exequendo tutus non pateat accessus, propterea volumus, & auctoritate nostrâ decernimus idem nostrum Monitorium contra omnes supranominatos exequi mediante affixione, ejusdem Copiarum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Sancti Petri in Vaticano, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, nec non ad valvas Ecclesiarum, Terrarum, & Locorum Abbatialium Sancti Benigni, quo sic exequuto, & in actis infrascripti nostri Secretarii legitimè reproducto, ita eosdem monitos, & eorum singulos arctare, & adstringere perinde valeat, ac si personaliter, & magis legitimè exequutum foret, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo sexto, Indictione 9., die verò 22. mensis Junii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimo sexto.

Joannes Cardinalis Patritius Pro-Thesaurarius Generalis, & specialiter Delegatus.

Jo. Antonius Tartaglia Cam. Apostol. Secretarius.

Die 22. Septembris 1716. Elapsis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliisque servatis de stylo Curiæ servari solitis, lata, & publicata fuit contra præfatos Citatos Contumaces Sententia declaratoria incursus in omnes, & singulas Censuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.

Eademque die decreta, relaxata, typis impressa, & consuetis locis Urbis palàm affixa fuit publica Schedula-Cedoloni-nuncupata, quâ universis Christifidelibus denunciati fuerunt excommunicati vitandi ac in eventum mortis privati Ecclesiastica Sepultura iidem, contra quos præfata Sententia lata fuit.

MONITORIUM VI.

Die 29. Septembris 1716. expeditum, quo prævia declaratione nullitatis omnium gestorum, & gerendorum à Doctore Victorio Amedeo Trona Taurinensi asserto Judice à Laicali Potestate perperàm deputato ad exercendam temporalem Jurisdictionem vacantis Abbatiæ S. Benigni, ipse Trona citatur ad comparendum, & allegandum causam, quare declarari non debeat excommunicatus &c.

Joannes Tituli Sanctorum Quatuor Martyrum Coronatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Patritius, Sanctissimi D. Nostri Papæ, ejus-que Reverendæ Cameræ Apostolicæ Pro-Thesaurarius Generalis, & quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium in tota Italia Pro-Collector Generalis, & specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Delegatus.

UNiversis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurariis, Sacristis, tam Parochialium, quàm Collegiatarum Rectoribus, seu earundem Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino. Noveritis fuisse nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad instantiam Illustrissimi D. Gasparis Turchi Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis omni meliori modo Principalis, & præviis probationibus assumptis expositum, & deductum, quòd nondum à ratione perversâ desistens Laicalis Taurinensis Potestas adhuc usurpationem Jurisdictionis vacantis Abbatiæ Sancti Benigni, quantumvis per præteritas nostras monitoriales Literas improbatam, persequitur, nec intermittit. Hæc incepta proinde continuando sacrilega attentata, ipsis etiam Sæculi Legibus execrata, quotidiè, quæ in Locis, & Terris præfatæ Abbatiæ ad Apostolicæ Sedis jura pertinent, violenter invadit. Hinc Judicis officio dimisso ab Advocato Jo. Paulo Blanchiardo olim similibus nostris Literis monito, elegit in successorem Doctorem Victorium Amedeum Trona Taurinensem, qui prætensis facultatibus sibi nulliter, & à non habente potestatem collatis utens, temporalem in prædictæ Abbatiæ Locis, & Terris Jurisdictionem ad Apostolicam Sedem pertinentem exercet, ejusque Jura circa præmissa sacrilegè, & in contemptum usurpat, rebusque aliis, prout ex Processu, & actis Causæ, ad quæ &c., pœnas propterea, ac Censuras in Sacris Canonibus,

& Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bullâ die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolitâ contentas damnabiliter incurrendo. Fuimus proinde pro parte, & ad inſtantiam ſupradicti Illuſtriſſimi Domini Gaſparis Turchi Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis inſtanter, & debitè requiſiti, quatenùs ſibi in præmiſſis de opportuno juris remedio providere, ad ſententiam ſcilicet declaratoriam nullitatis omnium & ſingulorum à præfato aſſerto Judice Victorio Amedeo Trona hactenùs geſtorum, ac in futurum, ab ipſo, ſive aliis quibuſcumque ſimilibus Uſurpatoribus iniquè gerendorum devenire, Literaſque monitorias contra eumdem Victorium Amedeum ad perſonaliter vel legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur. Nos itaque petitioni hujuſmodi tanquam juſtæ & rationi conſonæ annuentes, vigore præſentium, nulla, irrita, inania, nulliuſque roboris, & momenti juxta Sacrorum Canonum, Conciliorum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum ſtatuta declaramus, ac publicè denunciamus omnia, & ſingula per dictum aſſertum Judicem uſque nunc de facto, ut præmittitur, geſta, ac in futurum, etiam ab aliis gerenda, Literaſque monitorias contra eumdem, ut petitur, decernimus, & relaxamus. Quocirca vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum tenore præſentium committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquam præſentium vigore fueritis requiſiti, ſeù alter veſtrum requiſitus fuerit, ex parte noſtrâ, immò veriùs Apoſtolicâ auctoritate ſupradictum *Victorium Amedeum Trona* moneatis, citetis, & requiratis, ac moneri, & requiri faciatis, eidemque præcipiatis, & mandetis, prout Nos eumdem harum ſerie citamus, monemus, & requirimus, eique præcipimus & mandamus per præſentes primo, ſecundo, & tertio peremptorio termino, quatenùs infra quadraginta quinque dierum ſpatium ab executione præſentium computandorum, quorum quindecim pro primo, alios quindecim pro ſecundo, & alios quindecim pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ Canonicâ monitione aſſignamus, & vos aſſignetis, debeat Romæ coram Nobis perſonaliter, vel legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam quare non debeat in omnes, & ſingulas cenſuras, & pœnas in Sacris Canonibus, Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Bullâ in die Cœnæ Domini quotannis legi, & publicari ſolitâ contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas incidiſſe, & incurriſſe declarari, & contra eum literas declaratorias quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas decerni, & relaxari. Certificantes eumdem *Victorium Amedeum Trona* ſic monitum, requiſitum, & citatum, quòd ſi in præſentis Monitorii termino non comparuerit, ſeu comparere neglexerit, vel diſtulerit, Nos nihilominus ad declaratoriam ſententiam incurſus in cenſuras, & pœnas prædictas, illiuſque executionem incluſivè, prout Juris fuerit, per Contradictas, vel Edictum publicum procedemus, ejus contumaciâ, vel abſentiâ, & aliis quibuſcumque non obſtantibus. Et cum exceſſus prædicti patrati fuerint, & ſint in juriſdictione, & Territorio Abbatiali Sancti Benigni, & valde notoria ſit violenta occupatio juriſdictionis Sedis, & Cameræ Apoſtolicæ, quæ nihilominùs ad ſupererogationem comprobata remanet; cumque pro præſenti noſtro Monitorio exequendo tutus non pateat acceſſus ad perſonalem executionem faciendam; propterea volumus, & authoritate noſtrâ decernimus hoc idem Monitorium contra prænominatum *Victorium Amedeum Trona* per affixionem, & dimiſſionem ejus copiarum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum S. Petri in Vaticano, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, nec non ad valvas Eccleſiarum Terrarum, & Locorum Abbatialium Sancti Benigni exequi, & publicari, quo ſic exequuto, publicato, & in actis infraſcriptis noſtri Secretarii legitimè reproducto, ita eumdem monitum arctare, & adſtringere perinde valeat, ac ſi perſonaliter, & magis legitimè executum foret contrariis quibuſcumque non obſtantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ hac die 29. Septembris 1716.

Jo. Cardinalis Patritius Pro-Theſaurarius Generalis, & ſpecialiter Delegatus.

Jo. Antonius Tartaglia R. C. A. Secr.

Die 10. *Aprilis* 1717. *Elapſis terminis in antedicto Monitorio præfixis, aliiſque ſervatis de ſtylo Curiæ ſervari ſolitis, lata, & publicata fuit contra præfatum Victorium Amedeum Trona contumacem Sententia declaratoria incurſus in omnes, & ſingulas cenſuras, ac pœnas in eodem Monitorio contentas, & comminatas.*

Eademque die decreta, relaxata, typis impreſſa, & conſuetis locis Urbis affixa fuit publica Schedula-Cedoloni-nuncupata, qua idem Victorius Amedeus Trona univerſis Chriſtifidelibus denunciatus fuit excommunicatus vitandus, ac in eventum privatus Eccleſiaſtica ſepultura.

MONITORIUM VII.

Die 17. Maii 1719. expeditum contra Antonium Bontempo aſſertum Fiſcalem Curiæ Abbatialis S. Benigni, Dominicum Ruffina, Georgium ejus filium, & Ignatium Bontempo Juſtitiæ Executores ob læſam Immunitatem Eccleſiaſticam, ac violatam juriſdictionem, & Authoritatem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Carolus Collicola Protonotarius Apoſtolicus Sanctiſſ. Domini Noſtri Papæ, & ejus Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Pro-Theſaurarius Generalis, & quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantium in tota Italia Collector Generalis & ſpecialiter à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Parochialium, quàm Collegiatarum Rectoribus, ſeu earumdem Plebanis, Vice-plebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuſcumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſeu quomodolibet præſentabuntur, ſalutem in Domino &c. Noveritis fuiſſe nuper coram Nobis comparitum pro parte, & ad inſtantiam Illuſtriſſimi D. Joannis Caroli Piancaſtelli Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarii Generalis omni meliori modo Principalis, & præviis probationibus aſſumptis expoſitum, & deductum, quod præter ea, quæ Adminiſtri Laicæ Poteſtatis Taurinenſis contra Immunitatem Eccleſiaſticam attentarunt,

& in aliis noſtris Monitoriis literis contemporaneè expeditis expreſſa leguntur, alia quoque ab eiſdem, cæteriſque nominandis perpetrata fuerunt. Acceſſit enim die 2. Junii anni 1718. ad locum Felecti juriſdictionis vacantis Abbatiæ S. Benigni Antonius Bontempo aſſertus Fiſcalis Curiæ Abbatialis, qui utens uſurpatâ authoritate improbè ſibi collatâ per Taurinenſem Poteſtatem pluribus armatis Hominibus eum comitantibus, nempè Dominico Ruſſina, Georgio ejus filio, & Ignatio Bontempo Juſtitiæ Executoribus, nonnulliſque Militibus inſecutus fuit Joannem Avenatum prætenſum delinquentem, in quem eò tunc fugientem iidem Birruarii, & Milites plures archibuſiatas exploderunt, ipſumque lethalibus vulneribus ſauciarunt, qui tamen ſic vulneratus ad Eccleſiam Parochialem confugit. Verùm præfatus aſſertus Fiſcalis Antonius Bontempo dedit in mandatis eiſdem Juſtitiæ Executoribus, ac Militibus nondum notis, ut januas dictæ Eccleſiæ obſiderent, prout illicò Homines præfati januas illius Eccleſiæ, ne cuiquam in eam ingreſſus, vel egreſſus ab ea peteret, ſub cautâ cuſtodiâ tenuerunt uſque ad ſequentem diem tertiam dicti menſis Junii, qua dictus Joannes Avenatus omni humano auxilio deſtitutus causâ receptorum vulnerum ex hac vitâ in eodem immuni loco deceſſit: Eamdemque cuſtodiam uſque ad aliam ſequentem diem continuarunt in maximam injuriam, & contemptum Eccleſiaſticæ Immunitatis, rebuſque aliis; prout ex Proceſſu deſuper conſtructo, ad quem &c. ſingula ſingulis &c. ſuper quibus &c. Quamobrem ad Inſtantiam, & pro parte dicti Illuſtriſſimi Domini Joannis Caroli Piancaſtelli Commiſſarii Generalis fuimus inſtanter, & debitè requiſiti, quatenus de opportuno juris remedio providere, & monitoriales literas extra Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur. Nos igitur Carolus Collicola Pro-Theſaurarius, & Judex Delegatus ſedulò ſpectantes eam execrabilem læſionem Eccleſiaſticæ Immunitatis, per excubias militares ante fores Eccleſiæ, ut præmittitur commiſſam, proindeque attendentes requiſitionem hujuſmodi Nobis factam fore, & eſſe juſtam ac rationi conſonam, cumque juſta petenti non ſit denegandus aſſenſus, prædictas literas monitorias contra delinquentes concedendas fore, & eſſe duximus, & per præſentes mandamus. Quocirca committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ ſtrictè præcipiendo mandamus vobis omnibus, & ſingulis, ac veſtrum cuilibet inſolidum tenore præſentium, quatenus viſis iiſdem præſentibus &c. ſupradictos *Antonium Bontempo aſſertum Fiſcalem Curiæ Abbatialis, Dominicum Ruffina, Georgium ejus filium, & Ignatium Bontempo Juſtitiæ Executores* citetis, moneatis, & requiratis ac moneri, citari, & requiri faciatis, prout nos eoſdem, & eorum quemlibet harum ſerie citamus, monemus, & requirimus, quatenus infra ſexaginta dierum ſpatium ab executione præſentium computandum, quorum viginti pro primo, alios viginti pro ſecundo, & alios viginti pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione aſſignamus, & vos aſſignetis, debeant, & ipſorum quilibet, prout eos tangit, debeat Romæ coram Nobis perſonaliter, vel legitimè comparuiſſe, & comparere ad deducendum, & allegandum cauſam, quare non debeamus ipſos, & eorum quemlibet in omnes, & ſingulas cenſuras, & pœnas contra prædicta, & ſimilia committentes in ſacris Canonibus, Conciliis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus contentas, inflictas, impoſitas, & comminatas incidiſſe declarare, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quaſcumque deſuper neceſſarias, & opportunas, decerni, & relaxari, deque eorum Innocentiâ, ſi quæ ſit, legitimè docuiſſe, præſentique noſtro Monitorio omninò paruiſſe. Certificantes *eoſdem Antonium Bontempo, alioſque prædictos* ſic citatos, & monitos, quòd ſi in dicto termino ipſis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis ipſorum non comparuerit, Nos nihilominus ad ulteriora ad declarationem ſcilicet incurſus pœnarum prædictarum uſque ad ſententiam, illiuſque executionem incluſivè, prout juris fuerit, per Contradictas, vel Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel abſentiâ, aliiſque quibuſcumque non obſtantibus. Et cum, ut notorium eſt, non ſit tutus acceſſus ad effectum perſonaliter citandi omnes, & ſingulos in præſenti Monitorio nominatos: Proinde volumus, quòd præſens Monitorium contra omnes in eo expreſſos expeditum, ac executum mediante affixione, & dimiſſione ejuſdem copiarum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum S. Petri in Vaticano, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, nec non ad valvas ſupradictæ Parochialis Eccleſiæ loci Felecti, ita eoſdem monitos, & eorum ſingulos arctet, & adſtringat perinde, ac ſi perſonaliter, & magis legitimè executum foret. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo nono, Indictione duodecimâ, die verò decima ſeptima menſis Maii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimo nono.

Carolus Collicola Pro-Theſaurarius, Collector Gen., & Judex Delegatus.

Antonius Cajetanus Froſius R. C. A. Sec.

Die, Menſe, & Anno, quibus ſupra, ſupradictæ literæ Monitoriales affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, ac aliis locis conſuetis Urbis per me Franciſcum Baldum Apoſtolicum Curſorem.

Joannes Triphellius Magiſter Curſ.

VIII.

MONITORIUM

Die 17. Maii 1719. expeditum contra Advocatum Victorium Amadeum Trona aſſertum Judicem temporalis juriſdictionis Abbatiæ S. Benigni, Notarium Vincentium Ferretum, Dominicum Ruffina, Georgium ejus filium, & Andream Freſia Birruarios, N. Fratrem d. Advocati Trona, N. Officialem Militum, Notarium Franciſcum Antonium Joſephum Umberto, & aſſertum Fiſcalem Antonium Buontempo ob læſam Eccleſia ſticam Immunitatem, & turbatam juriſdictionem locorum ejuſdem Abbatiæ ad S. Sedem Apoſtolicam, Summumque Romanum Pontificem pertinentem.

Carolus Collicola Prothonotarius Apoſtolicus Sanctiſſ. Domini Noſtri Papæ, & ejus Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Pro-Theſaurarius Generalis, quorumcumque Spoliorum, & Jurium Abbatiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum vacantium in tota Italia Collector Generalis, & ſpecialiter à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Delegatus.

UNiverſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Parochialium, quâm Collegiatarum

Rec-

Rectoribus, seu earumdem Plebanis, Vicepleba-nis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, nec non Clericis, & Tabellionibus quibuscumque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur, salutem in Domino &c. Noveritis fuisse nuper cor. Nobis comparitum pro parte, & ad instantiam Illustrissimi D. Joannis Caroli Piancastelli Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Cameræ Apostolicæ Commissarii Generalis omni meliori modo Principalis, & præviis probationibus assumptis expositum, & deductum, quod exul à Ditione Serenissimi Sabaudiæ Ducis, & Principis Pedemontis morabatur in loco Felecti jurisdictionis Temporalis Abbatiæ Sancti Benigni ad Apostolicam Sedem pertinen. D. Comes Joannes Baptista Valperga de loco Corguati Taurinensis Diœcesis, qui, etsi tutus, ut justè putabat, moram ibidem traheret extra jurisdictionem, & Territorium sui originarii Principis, contrarium nihilominus expertus fuit, quia laicalis Potestas Taurinensis in usurpatione jurisdictionis, & jurium Sanctæ Sedis in locis d. Abbatiæ Sancti Benigni per alias monitorias literas exposita perseverans, misit Ministros, & Officiales Curiæ, militesque armatos ad præfatum locum Felecti, ut dictum Comitem Valperga, ac si in vetito loco velut exul versaretur, illicò mancipassent, & in carcerem conjecissent. Id promptæ executioni dare satagerunt laici Administri, sed quod gravius est, ac dolentius exposuit d. D. Commissarius Generalis, eò devenerunt, ut in ipsam Dei Domum, Ecclesiam scilicet Parochialem Felecti armata manu Hostium more irrumpentes vim pluribus intulerint, pluresque jurisdictionales actus Ecclesiasticæ Immunitatis læsivos inibi exercuerint. Etenim die decimâ mensis Septembris Anni proximè præteriti ad eum præmissum finem se contulit ad locum Felecti Advocatus Victorius Amedeus Trona intrusus Judex Temporalis dictæ Abbatiæ, qui nondum à sua perversâ ratione desistens, nec ab hujusmodi attentatis deflectens, propter quæ publicè denunciatus excommunicationis Sententiam, in quam incidisse declaravimus, adhuc indurato corde substinet, hæc sacrilegè cum prænominatis in crimine Sociis attentavit contra Ecclesiasticam Immunitatem. Confugerat enim dictus Comes Valperga in præfatam Ecclesiam Parochialem, & armatis Hominibus in eum irruentibus, se receperat in Sacrarium, cujus ostium claudere curaverat. Vim autem armatâ manu inferentibus Notario Vincentio Ferreto, Dominico Ruffina, & Andrea Fresia Birruariis, eodemque Advocato Trona, ejusque fratre, ac Officiali Militum non potuit dictus Comes illorum impetum substinere. Sic itaque per vim ostio Sacrarii aperto, d. Trona ingressum in illud habuit, & illicò extra Immunem locum violenter expulit Æmilianum Guglianettum, qui inibi adstabat, & præventivè d. Comitem monuerat de adventu prædictorum Officialium. Successivè mandavit Notario Francisco Josepho Umberto, ut ipsi Comiti Præceptum injungeret de discedendo intra triduum à loco Felecti, prout idem Notarius, iniquum mandatum eo in Immuni loco exequendo, hujusmodi Præceptum d. Comiti intimavit. His omnibus peractis in contemptum Ecclesiasticæ Immunitatis discessum illinc habuerunt. Iterum verò die 16. mensis Octobris subsequentis armati Homines ad eumdem præmissum finem reditum fecerunt ad locum Felecti; Ast subitò de his monitus d. D. Comes in eamdem Parochialem Ecclesiam aufugit, in quam proinde ingressum habuerunt d. Notarius Ferreto parvum sclopum præmanibus gestans, Georgius filius d. Dominici Ruffina ensem evaginatum manutenens, qui assistentibus etiam dictis Dominico Ruffina, & Andrea Fresia Birruariis, nec non Antonio Buontempo asserto Fiscali Curiæ Abbatialis, minitati fuerunt d. Comiti violentam ejus extractionem à loco Immuni, etsi inde fortiter pro Domo Dei se opponente illius Parochialis Ecclesiæ R. D. Præposito, executi non fuerint: Adveniente tamen d. Advocato Trona, de ejus mandato, eodem Notario Ferreto in Immuni loco scribente, & jurisdictionem exercente, renovatum fuit Comiti Valperga antedictum Præceptum de discedendo è loco Felecti, rebusque aliis, prout in Processu desuper constructo, ad quem &c. singula singulis &c. super quibus &c. Quamobrem ad Instantiam, & pro parte d. Illustrissimi D. Joannis Caroli Piancastelli Commissarii Generalis fuimus instanter, & debitè requisiti, quatenus de opportuno juris remedio providere, & monitorias literas extra Romanam Curiam, & ad Partes ad legitimè comparendum decernere, & concedere dignaremur. Nos igitur Carolus Collicola Pro-Thesaurarius, & Judex delegatus sedulò spectantes damnatam, detestabilemque usurpationem jurisdictionis, & jurium Sanctæ Sedis, ac violationem Ecclesiasticæ Immunitatis, ut præmittitur commissam, proindeque attendentes requisitionem hujusmodi nobis factam fore, & esse justam, ac rationi consonam, cumque justa petenti non sit denegandus assensus prædictas literas monitorias contra delinquentes concedendas fore, & esse duximus, & per præsentes mandamus. Quo circa committimus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ strictè præcipiendo mandamus vobis omnibus, & singulis, ac vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium, quatenus visis iisdem præsentibus &c. supradictos *Advocatum Victorium Amadeum Trona*, *Notarium Vincentium Ferreto*, *Dominicum Ruffina*, *Georgium ejus filium*, & *Andream Fresia Birruarios*, *N. fratrem d. Advocati Trona*; *N. Officialem Militum*, *Notarium Franciscum Josephum Umberto*, *ac assertum Fiscalem Antonium Bontempo* citetis, moneatis, & requiratis ac moneri & requiri faciatis, prout nos eosdem, & eorum quemlibet harum serie citamus, monemus, & requirimus, quatenus infra sexaginta dierum spatium ab executione præsentium computan., quorum viginti pro primo, alios viginti pro secundo, & alios viginti pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac trinâ canonicâ monitione assignamus, & vos assignetis, debeant, & ipsorum quilibet, prout eos tangit, debeat Romæ coram Nobis personaliter, vel legitimè comparuisse, & comparere ad deducendum, & allegandum causam, quare non debeamus ipsos, & eorum quemlibet in omnes, & singulas censuras, & pœnas contra prædicta, & similia committentes in sacris Canonibus, Conciliis, & Apostolicis Constitutionibus contentas, inflictas, impositas, & comminatas incidisse declarare, & contra eos, & illorum quemlibet literas declaratorias quascumque desuper necessarias, & opportunas, decerni, & relaxari, deque eorum Innocentiâ, si quæ sit, legitimè docuisse, præsentique nostro Monitorio omninò paruisse. Certificantes *eosdem Advocatum Victorium Amadeum Trona*, *aliosque prædictos* sic citatos, & monitos, quòd si in dicto termino ipsis præfixo legitimè non comparuerint, vel aliquis ipsorum non comparuerit, Nos nihilominus, ad ulteriora, ad declarationem scilicet incursus pœnarum prædictarum usque ad Sententiam, illiusque executionem inclusivè, prout juris fuerit per Contradictas, vel Edictum publicum procedemus, eorum contumaciâ, vel absentiâ, aliisque quibuscumque non obstantibus. Et cum, ut notorium est, non

sit tutus accessus ad effectum personaliter citandi omnes, & singulos in præsenti monitorio nominatos: Proinde volumus, quòd præsens nostrum Monitorium contra omnes in eo expressos expeditum, ac executum mediante affixione, & dimissione ejusdem copiarum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Sancti Petri in Vaticano, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, nec non ad valvas supradictæ Parochialis Ecclesiæ loci Felecti, ita eosdem monitos, & eorum singulos arctet, & adstringat perinde, ac si personaliter, & magis legitimè executum foret. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Magnâ Curiâ Innocentianâ Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo nono, Indictione duodecimâ, die verò decima septima mensis Maii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno decimo nono.

Carolus Collicola Pro-Thesaurarius, Collector Gen., & Judex Delegatus.

Antonius Cajetanus Frosius R. A. C. Sec.

Die, Mense, & Anno, quibus supra, supradictæ literæ Monitoriales affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, ac aliis locis consuetis Urbis per me Franciscum Baldum Apostolicum Cursorem.

Joannes Triphellius Magister Curs.

EDICTUM.

Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi, quo jussu Sanctitatis Suæ omnibus Romanæ Curiæ Judicibus præcipitur, ut Mandata personalia contra debitores relaxent, quotiescumque ab initio debuerint summam majorem scutis octo, & obulis quadraginta, licèt eam postmodum unâ, vel pluribus solutionibus, imminuerint, ut comprehendatur sub reformatione san. mem. Pauli V., cui, cæterisque contrariis quibuscumque derogatur.

Pietro del Titolo di San Giovanni ante Portam Latinam Prete Cardinale Corradini Pro-Auditore della Santità di N. Sig.

ORdinando la Riforma della santa memoria Paolo Quinto, che per debito, che non eccede la somma di scudi otto bajocchi quaranta non possa venirsi alla cattura personale, nè spedirsi il Mandato contro la persona mà solamente contro li beni, si è riconosciuto in prattica, che molti Debitori di maggior somma pagano à conto in una, ò più volte tanta rata di debito, quanta è necessaria, perche resti la residuale rata del loro debito sotto la somma, che da detta Riforma si richiede per potere ottenere il Mandato personale, per lo che molti poveri Creditori, anche Mercenarii non possono ottenere, se non doppo lunghe liti, e gravi dispendii la sodisfazione, anzi molti restano affatto desperati di poter essere sodisfatti, difendendo li Debitori le persone colla disposizione della Rifore le robbe con inibizioni dotali, e con altri impedimenti; Perciò la Santità Sua, che commisera infinitamente li poveri, a' quali, come Creditori di somme picciole, suole sempre avvenire ciò, che è di sopra espresso, per togliere quest'inconveniente, che per lo più succedere per malizia de' Debitori, si è risoluta ordinare, come per il presente Editto ordina, che in avvenire tutti li Giudici tanto ordinarii, che Delegati, e Deputati della Curia Romana, non ostante la disposizione della sudetta Riforma, debbano in tal caso rilassare li mandati anche personali, e che detti Mandati possano liberamente eseguirsi contro la persona senza tema di nullità, derogando la Santità Sua nel caso, e casi sudetti alla detta Riforma, & ad ogn'altra Costituzione, e legge, che facesse in contrario. Dato dalle Stanze della nostra habitazione questo dì 7. Decembre 1712.

P. Card. Corradini Pro-Auditore di Nostro Signore.

Die, mense, & anno quibus supra, Supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ Montis Citatorii, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Bartolottum Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Sebastianus Vasellus Pro Mag. Curs.

DECRETA MEMORABILIA Congregationum Particularium à Clemente XI. Pont Max. deputatarum quæ deinde Sua Sanctitas comprobavit, & observari mandavit.

Juxtà temporis seriem disposita.

DECRETUM I.

Quo omnibus Confessariis, etiam Pœnitentiariis Basilicarum Urbis, & aliis privilegiatis interdicitur, ne Pœnitentes à quibusdam Censuris, & Casibus Apostolicæ Sedi reservatis absolvant, & absolutiones, si fortè obtentæ fuerint, nullæ, ac irritæ declarantur.

QUoniam Sanctissimus D. N. Clemens XI. pro Pastorali in commissum sibi Gregem zelo, & pro Ecclesiasticæ disciplinæ rectâ ratione conservandâ, deputavit Congregationem particularem Eminentissimorum DD. S. R. E. Cardinalium Sancti Clementis, Paulutii Majoris Pœnitentiarii, & Fabroni, nec non RR. PP. Corradini Sanctitatis Suæ Auditoris, mei infrascripti S. Congregationis Concilii, & hujus deputatæ Secretarii, ac PP. Damasceni Consultoris Sancti Officii, & Alfari Consultoris Theologi Sacræ Pœnitentiariæ. Eadem Congregatio, consideratâ reformatione facultatum Officii Sacræ Pœnitentiariæ à fel. record. Innocentio XII. in ejus Constitutione edita 3. Septembris 1692. Censuit, si Sanctissimo placuerit, præcipiendum esse omnibus, & quibuscumque Presbyteris tam Sæcularibus, quàm Regularibus in Urbe ad Confessiones audiendas deputatis, ne imposterùm etiam in foro conscientiæ absolvant extra mortis articulum quoscumque Pœnitentes tam Incolas Urbis, quàm ad eam confluentes ab infrascriptis Casibus, nempe à Casu publico violatæ Clausuræ Monialium ad malum, seu inhonestum finem, à Presbytericidio publico, & à casu publico violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregorii XIV. incipientis, *Cum alias nonnulli*, & etiam à casu occulto dictæ violationis Immunitatis, si fuerit secuta auctoritate publica, idque omninò

ser-

ſervari ab omnibus, & quibuſcumque Confeſſariis in Urbe degentibus cujuſcumque Religionis, Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, ac Congregationis, quacumque ſpeciali nota explicandis, prout explicati latius fuere in Decreto Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium die 9. Menſis Januarii 1602. ſub fel. record. Clemente VIII., ac illius confirmatoriis, & innovatoriis ſub fel. record. Paulo V. die 7. Januarii 1617., & Urbano VIII. die 17. Novembris 1628. editis. Ac ſub præſenti prohibitione comprehendi etiam Pœnitentiarios Baſilicarum Urbis, & ab omnibus Confeſſariis prædictis, eam obſervari ſub iiſdem pœnis, & cenſuris eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis, quæ continentur in præfatis Decretis. Noverintque Pœnitentes abſolutionem, ſi quam impoſterum obtinuerint à præfatis Caſibus in præſenti Decreto expreſſis, eſſe nullam nulliuſque roboris, & momenti, eaque omnia obſervari. Non obſtantibus quibuſcumque Privilegiis abſolvendi à prædictis Caſibus, ſub quibuſcumque tenoribus tam ante, quàm poſt dicta Decreta tam particularibus perſonis, quàm ratione Religionis, Societatis, vel Inſtituti obtentis, & juxta latam Ierogationis formam in iiſdem Decretis contentam, quæ in præſenti repetita cenſeatur, & non obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII., Paulus V., & Urbanus VIII. voluerunt non obſtare; Rurſus declarando, prout declaratum fuit in præfatis Decretis, quod circa alios Caſus Sanctæ Sedi Apoſtolicæ reſervatos non expreſſos in præſenti Decreto (exceptis illis, quæ continentur in Bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta) ita intelligatur præſervata facultas abſolvendi Confeſſariis Privilegiatis in Urbe degentibus, quatenus tamen eam habeant ex legitimis Privilegiis non revocatis, & in uſu exiſtentibus, ac juxta eorum tenorem tantum exequendis. Aliis verò in Urbe Confeſſariis Privilegia non habentibus nihil de novo, ſicuti per præfata Decreta, ita per præſens cenſeatur conceſſum.

Factâ per me infraſcriptum hac die decima tertia menſis Maii 1711. relatione prædictæ reſolutionis Sanctiſſimo D. N. Sanctitas Sua eam, omniaque, & ſingula in ea contenta cum omnibus Clauſulis derogatoriis benignè probavit, ac inviolabiliter impoſterum ſervari præcepit ab omnibus, ut ſupra expreſſis, præſenſque Decretum in forma ſolita publicari juſſit, atque mandavit.

Vincentius Petra S. C. Concilii, & dicta Deputata Secretarius.

II. DECLARATIO

Officialium, & Miniſtrorum Cameralium, quibus permittitur facultas deferendi Sclopettos parvos, & longiores, non tamen prohibitos, intus, & foris, oneratos, intra Civitates, & loca Status Eccleſiaſtici muris, & foſſis, ſeu vallo circumdata.

Die 28. Septembris 1714.

IN Congregatione à Sanctiſſimo deputata, in qua interfuerunt Illuſtriſſimi Domini Theſaurarius Generalis, Marefuſcus Auditor Sanctiſſimi, Bancherius Secretarius Sacræ Conſultæ, de Moralia Cameræ Apoſtolicæ Clericus, Liccius, & de Afflictis ejuſdem Sacræ Conſultæ Ponentes, ſeu Relatores, Advocatus Fiſcalis, Procurator Fiſcalis Generalis, & Commiſſarius Rev. Cameræ, examinatum fuit de mandato Sanctiſſimi Dubium, an, & quibus Officialibus, & Miniſtris Cameralibus competat facultas deferendi Sclopettos parvos, & longiores (non tamen prohibitos) intus, & foris oneratos intra Civitates, & Loca Status Eccleſiaſtici muris, & foſſis, ſeu vallis circumdata, fuitque declaratum, quod præter Officiales, & Miniſtros Camerales, quibus ad præſcriptum Bannimenti Cardinalis Pamphilii anno 1645. editi expreſsè permittitur facultas deferendi intra Civitates, & loca prædicta muris, & foſſis, ſeu vallo circumdata arma prædicta intus, & foris onerata, fuiſſe etiam comprehenſos.

Judices, & Fiſcales, & Subcollectores, ſeu Commiſſarios Spoliorum.

Nec non aſſociantes pecunias Fiſcales, ſeu Appaltatorum fiſcalium in actu illarum aſſociationi, & tranſmiſſionis tantùm.

Item Bullatores, ſeu Ponderatores, ſeu Reviſores deputatos pro gabella carnis.

Ac demum Salnitrarios, ſeu conficientes Nitra in actu eorum exercitii tantùm.

Die 4. Octobris 1714. Facta relatione Sanctiſſimo per me infraſcriptum Auditorem, Sanctitas Sua approbavit ſuprarelatas reſolutiones Congregationis Particularis, & ita ſervari mandavit.

P. Epiſcopus Cyrenen. Auditor.

III. DECLARATIONES

Proviſiones, & Decreta ſuper Sportulis, quæ Judicibus, Commiſſariis, Rotæ, aliiſque Tribunalibus perſolvi debent.

CUm ad aures Sanctiſſimi Domini Noſtri plurimæ pervenerint Litigantium querelæ ſuper inobſervantia Reformationis Tribunalium Urbis à felicis recordationis Paulo Papâ V. editæ, nec non Literarum Apoſtolicarum rec. mem. tum Innocentii Papæ XI. Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexenteſimo octuageſimo nono, quarto Kalendas Julii: tum Innocentii Papæ XII. pridiè nonas Decembris Anno præfatæ Incarnationis milleſimo ſexenteſimo nonageſimo tertio expeditarum, in ea præſertim parte, in quâ Judicibus Commiſſariis, Rotæ, & aliis Tribunalibus ejuſdem Urbis taxantur Sportulæ: Simulque delatum fuerit, quod eâ de causâ germanum præfatarum Reformationis, & Literarum Apoſtolicarum intellectum, & claram Romanorum Pontificum mentem fallacibus argumentis, & minùs veris interpretationibus, vaniſque ſubterfugiis, ac prætextibus, non ſine maximo ipſorum Litigantium, & præſertim Pauperum diſpendio, everti, eludi, & retardari contingit. Cumque Sanctitas Sua, eâ, quâ, cæteris indeſinenter præeſt, pervigili curâ, & eximiâ, qua pauperes proſequitur, charitate, Congregationem particularem plurium Prælatorum ex Senioribus Romanæ Curiæ, nec non de ſtylo, ſeu praxi ejuſdem Curiæ apprimè inſtructorum ſpecialiter (ut infra) ad id deputaverit, attributâ eis facultate, quibuſcumque minùs veris interpretationibus, in ſubſiſtentibus titulis, & prætextibus penitus ſublatis, & rejectis, præfatorum Pontificum literas juxta eorum mentem, & ſenſum, declarandi, interpretandi, & debitæ, prout par eſt, executioni demandandi, reſervatâ tamen ſibi facultate eaſdem Declarationes, Proviſiones, & Decreta approbandi, & confirman-

di ; Eadem Congregatio , re maturè discussâ, sub diebus decimâ, & decima octavâ Februarii proximè præteriti, & secundâ Junii currentis, infrascriptas edidit Declarationes, Provisiones , & Decreta.

Primò. In Causis , in quibus Judices Delegati , & Urbis Tribunalia procedunt vigore unius dumtaxat Commissionis , non liceat eis exigere , nisi unicam tantùm propinam juxta Taxam in dictâ Reformatione Pauli V, editam , ac in literis Innocentii XI. , & Innocentii XII. confirmatam , etiamsi in Commissionibus fuerint expressa , & inclusa diversa credita , seu bona , diversæ actiones , & diversæ personæ. Ac etiam non obstante , quòd ad instantiam Collitigantium , vel alterius ipsorum fuerint divisa , & disputata diversa dubia , separatæ prodierint Decisiones , latæque separatæ Sententiæ.

II. In Causis, in quibus fuit in Sententiâ declaratum constare de credito unius ex Collitigantibus in aliquâ certâ , & determinatâ summâ, reservatâ aliâ majori summâ in Monitorio , seu Commissione , petitâ , discutiendâ in aliâ instantiâ, seu judicio, taxatio Sportularum erit regulanda à ratâ summæ in Sententiâ definitæ, non autem à totâ summâ in Monitorio , seu Commissione petita.

III. In Causis concursus Creditorum non percipiatur , nisi unica propina , habito respectu ad totam summam , solvenda tamen proportionabiliter ab omnibus Creditoribus per contributum.

IV. In Causis , in quarum Commissionibus fuit demandatum, ut docto de paupertate unius ex Collitigantibus , Judex procedat absque solutione sportularum , seu propinæ , nullo modo liceat exigere sportulas , seu propinam ab ullâ ex Partibus , quamvis divite , aut sponte dante.

V. In expeditionibus Causarum servetur in Rotæ Auditorio antiquus stylus; Nec cogantur Partes eâdem die , quâ instant pro expeditione , tradere Judici , vel Notario cedulam Sententiæ , vel citationem pro Decreto definitivo , ut statim , & contemporaneè in eâdem Rotâ , quâ fuerit decreta expeditio causæ , subscribatur Sententia seu Decretum definitivum hujusmodi : minusque cogantur ante emanatam resolutionem Rotalem pro expeditione Causæ solvere , aut deponere sportulas , sed liberum sit Collitigantibus instare in Rotâ pro expeditione Causæ , etiam nullâ traditâ cedulâ , nec reproducta , imò nec executâ citatione pro habendo Decreto definitivo , nec ullo sportularum facto deposito , itaut Victori , seu Victoribus , etiam post editam resolutionem Rotalem pro Causæ expeditione , liceat citare , & reproducere citationes in die , quâ illæ cadunt , ac tradere cedulam infra terminum *Pro servato* , & solvere , seu deponere Sportulas pro obtinendis subscriptione ejusdem Cedulæ Sententiæ , seu Decreto definitivo , prout juxta antiquum laudabilem stylum , seu consuetudinem practicari consuevit , dummodò tamen Parti victæ post decretam expeditionem Rotalem semper , & in quocumque casu remaneat tempus congruum saltem tridui ad renunciandum , non obstantibus quocumque Decreto contrario etiam ejusdem Rotæ , & contrariâ praxi novissimâ introductâ.

VI. Facta renunciatione liti , non liceat recipere quidquam pro sportulis , seu propinâ sub quovis prætextu , etiam taxationis expensarum , sublatis , ac penitus revocatis quocumque Decreto ejusdem Rotæ , usu , seu consuetudine contrariâ , & quibuscumque aliis in contrarium facientibus.

VII. Quamvis in præinsertis Innocentii XII. Literis dispositum sit , ubicumque in hac sportularum materiâ quæstio aliqua emergeret super interpretatione , declaratione , aut executione suarum , & dictorum Pauli V. , ac Innocentii XI. Literarum , standum esse judicio , & declarationi Gubernatoris Urbis pro tempore , & duorum in ordine succedentium ex Congregatione Reformationis Tribunalium Urbis. Nihilominùs , quia experientia compertum est , quàm rarò præfati Gubernator , & alii duo in ordine succedentes ex Congregatione Reformationis convenire , & congregari valeant ; Ideo pro majori , & faciliori Litigantium commoditate visum fuit consulendum Sanctissimo , ut prævià revocatione , & abrogatione in hac dumtaxat parte suprarelatæ Constitutionis Innocentii XII. , tam præmissorum , quàm aliorum in præfatis literis Pauli V. , Innocentii XI. , & Innocentii XII. dispositorum , executionem mandet , deleget , & committat suo , & Pontificum Successorum pro tempore Auditori , ad quem facilior , & quotidiè patet aditus ; Quò verò ad earumdem literarum declarationem , & interpretationem mandet stari judicio , & declarationi ejusdem Auditoris , nec non Decani pro tempore tum Signaturæ Gratiæ , tum Signaturæ Justitiæ , quovis alio recursu , & appellatione penitùs sublatis.

Et factâ Sanctissimo Domino Nostro Declarationum , Provisionum , & Decretorum præmissorum relatione , Sanctitas Sua ea approbavit , & ab omnibus Judicibus Commissariis , Rotâ , aliisque Tribunalibus Urbis omninò servari mandavit , revocatis , & reprobatis quocumque decreto , etiam ejusdem Rotæ , usu , & consuetudine contrariâ , & aliis quibuscumque in contrarium facientibus ; Ac insuper , prævià derogatione literis Innocentii XII. in hac parte tantùm , Suo , & Pontificum Successorum pro tempore Auditori illarum executionem , prout etiam eidem Auditori , & Decanis pro tempore Signaturæ Gratiæ , & Justitiæ earumdem interpretationem , ac declarationem specialiter commisit , & delegavit , omni , & quacumque appellatione , & recursu rejectis , & sublatis ; eâ tamen adjecta declaratione , quòd Sanctitas Sua non intendit per hujusmodi Declarationum , Provisionum , & Decretorum approbationem , seu confirmationem , quoquo modo liberare , seu eximere eos , qui in aliquo contrafecerunt , seu contravenerunt dispositis in Reformatione Pauli V. & memoratis suorum Prædecessorum literis , à restitutione summæ , si quæ ab illis foret indebitè exacta , nec ab aliis pœnis per eos quomodolibet incursis. Datum hac die 22. Junii 1715.

Prosper Episcopus Cyrenen. Sanctissimi Domini Nostri Auditor.

Nomina autem eorum , qui prædictæ Congregationi interfuerunt , sunt hæc.

R. P. D. Ferdinandus Nuptius Archiepiscopus Nicenus Sac. Congr. Episcoporum , & Regularium Secr.

R. P. D. Vincentius Petra Archiepiscopus Damascenus , Sacræ Congregationis Concilii Secretarius.

R. P. D. Silvius de Cavaleriis Archiepiscopus Athenarum , Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide Secr.

R. P. D. Prosper Marefuscus Episcopus Cyrenen. SS. Domini Nostri Auditor.

R. P. D. Fattinellus de Fattinellis R. C. A. Clericus.

R. P. D. Prosper de Lambertinis Utriusque Signaturæ Referendarius , & Promotor Fidei.

R. P. D. Gaspar Turchus R. C. A. Commissarius Gener.

Salvator Paparozzius A. C. , & Sacri Palatii Apost. Notarius.

Die 26. Junii 1715. supradictæ Declarationes, Provisiones, & Decreta affixa, & publicata fuerunt ad valvas Curiæ Innocentianæ Montis Citatorii, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Thomam de Unionibus Apostolicum Cursorem.

Ludovicus Cappelli Magister Curs.

DECRETUM.

IV.

Pro tollendis abusibus per eos invectis, qui ubi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam justitiam, sese à Locis immunibus, ad quæ confugerant, dolosè extractos fuisse, frequenter allegare solent.

CUm ad aures Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Papæ XI. delati fuerint graves abusus in plurimis locis, ac præsertim in Provinciis Italiæ, & Insulis eidem adjacentibus atque etiam in Regnis Hispaniarum, à plerisque eorum invecti, qui ubi de mandato Judicum capti fuerint, & carceribus mancipati pro causis Civilibus, vel criminalibus, ad eludendam justitiam, allegare frequenter solent sese ab Ecclesiis, aliisve Locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel aliàs dolosè extractos fuisse, & ad propriam allegationem comprobandam non solùm in suis depositionibus facilè pejerant, sed falsos insuper inducunt Testes, adhibitâque Consanguineorum, vel Amicorum suorum operâ, etiam alia non minùs damnabilia patrare non erubescunt; Quinimò aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum liberè vagandi, & forsan etiam impunè delinquendi, per Baroncellos, & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, datâ operâ, ab Ecclesiis, Lociśve immunibus prædictis sese extrahi curarunt, eâ spe freti, quòd interim Ecclesiasticæ Immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est, quod Sanctitas Suas ejusmodi malis, quibus Justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus magnum in discrimen adducitur, pro eximiâ suâ Pastorali solicitudine, ac zelo occurrere intendens, exquisivit à Congregatione Particulari nonnullorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, ac Illustrissimorum, & Reverendissimorum Romanæ Curiæ Prælatorum, ad hunc effectum deputatâ, quomodò, & qua ratione provideri posset, ut tam graves abusus è medio tollerentur. Habitâ itaque Congregatione prædicta sub die 5. Octobris 1716., cui interfuerunt DD. Cardinales Tanarius, Spinula S. R. E Camerarius, Vallemanus, Grimaldus, & Origus, ac RR. PP. Prosper Marefuschus Episcopus Cyrenensis ejusdem Sanctitatis Suæ Auditor, Antonius Bancherius Protonotarius Apostolicus, ac Sacræ Consultæ Secretarius, Carolus Cerrus Rotæ Romanæ Auditor, Scipio de Ricciis præfatæ Congregationis Secretarius, Prosper de Lambertinis Consistorialis Aulæ Advocatus, ac Fidei Promotor, & Nicolaus Jacobatius R. C. A. Procurator Fiscalis Generalis, re maturè discussâ eadem Congregatio censuit.

Consulendum Sanctissimo, quòd omnibus Ordinariis tam Italiæ, Insularumque illi adjacentium, quàm etiam Hispaniarum, scribantur literæ, per quas illis injungatur, ut publico Edicto notificent, ac moneant omnes, & singulos, qui ad Ecclesias, aliave Loca immunia confugerunt, vel in posterum confugient, ut quatenus gaudere velint beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ localis, curent in eisdem Ecclesiis, & Locis immunibus permanere, caveantque, ne ullo prætextu, causâ, vel quæsito colore ad eas, vel ea deferenda sese induci sinant; Nam si extra illas, vel illa ab Executoribus Justitiæ capti fuerint, minimè eis proderit allegare, vel etiam probare, quòd fallacibus suasionibus, blandis verbis, assecurationibus, dolosisve machinationibus extracti fuerint; Cum Animarum saluti, Justitiæ administrationi, ac publicæ etiam delictorum vindictæ, ubi de Criminalibus agitur, expediat, ut de cætero illæ dumtaxat extractiones suffragentur, quæ aut violenter patratæ, aut sub fide Salvi-Conductus ab aliquo Judice Ordinario, seu Delegato concessi, ac subscripti secutæ fuerint; qui tamen Salvus-Conductus suffragari poterit pro tempore tantùm in eo præscripto, intra quod extracti ad Loca immunia omninò reverti debebunt, si eorum Immunitate iterum gaudere intendant. Prætereà iidem Ordinarii moneant, atque notificent in ejusmodi Edicto, quòd, si quis verè extractionem dolosè, ut supra, commissam ante promulgationem Edicti passus fuerit, ac Immunitatis Localis beneficio gaudere velit, Ecclesiasticum confugium repetere omninò debeat intra mensem à die promulgationis ejusdem Edicti numerandum, petito etiam, quatenus opus sit, ad hunc effectum Salvo-Conductu ab ipsis Ordinariis gratis concedendo, ita tamen, ut eo tempore elapso, si extra locum immunem deprehensus fuerit, perinde habeatur, ac si voluntariè, spontèque suâ inde recessisset, nec audiri possit super extractione dolosâ, quam de præterito se passum fuisse allegaret. Factâque eidem Sanctissimo Domino Nostro per me infrascriptum Secretarium de præmissis omnibus relatione, Sanctitas Sua Particularis Congregationis Sententiam benignè probavit, ac desuper præsens Decretum edi, illudque à Sacrâ Congregatione Immunitati Ecclesiasticæ, & Controversiis jurisdictionalibus præpositâ promulgari, & executioni mandari præcepit. Hac die 22. Decembris 1716.

S. A. Card. Tanarius.

Scipio de Ricciis Secretarius.

DECRETUM

V.

Quo declaratur Prælato Inferiori non sufficere quadragenariam præscriptionem unà cum titulo colorato ad acquirendum Territorium separatum, ac jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem in Clerum, & Populum cum Episcopi exclusione in aliquo speciali loco, sed ad id omninò requiri, aut clarum, & undequaque subsistens Apostolicum Privilegium, aut consuetudinem immemorabilem cum his omnibus requisitis ritè probatam, per quam Apostolicum Privilegium de jure præsumi valeat.

IN Congregatione Particulari à Sanctiss. Domino Nostro die tertia Augusti 1718. specialiter deputata, EE. DD. Judice, Vallemani, Parracciani Præfecti Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, Corradini Præfecti Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, Scotti Præfecti Signaturæ Justitiæ, nec non RR. PP. DD. Petræ prædictæ Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium Secretarii, Lancettæ Sacræ Rotæ Romanæ Decani, Cerri ejusdem Rotæ Auditoris, Ansidei Assessoris Sanctissimæ Inquisitionis, & mei infrascripti Secretarii memoratæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, & hujus quoque Particularis Congregationis Secretarii, ut in ea videlicet examinaretur, an ad tramites Sacrorum Canonum, Sacrique

præsertim Concilii Tridentini, possit inferior Prælatus Territorium separatum, & jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem in Clerum, & Populum, cum ipsius Episcopi exclusione, in aliquo speciali loco acquirere per quadragenariam præscriptionem unà cum titulo colorato: prædicti Eminentissimi Domini, & RR. PP. particularem Congregationem constituentes insimul congregati in ædibus Eminentissimi Judice die 3. Januarij hujus anni 1721. post maturum, & diligentissimum materiæ examen, unanimiter responderunt non posse, sed pro acquisitione Territorii separati, prædictæque jurisdictionis, omninò requiri, aut clarum, & undequaque subsistens Apostolicum Privilegium, aut consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis ritè probatam, per quam Apostolicum Privilegium de jure præsumi valeat. An autem admisso verò Apostolico Privilegio, de sui natura apto ad separationem Territorii, & concessionem jurisdictionis Ordinariæ, quasi Episcopalis in Clerum, & Populum cum exclusione Episcopi in aliquo determinato loco, sed aliquam rationabilem dubietatem, aut disputationem admittente, subsequens uniformis quadragenaria, aut per aliud legitimum tempus continuata observantia favens Prælato inferiori in qualibet actuum specie Ordinariæ, & quasi Episcopalis jurisdictionis, deservire valeat pro dicti Apostolici Privilegii interpretatione, prædicti Eminentissimi Domini, & RR. PP. dixerunt id dependere à singulis casuum, & factorum circumstantiis, & sic dandum esse responsum à suis Judicibus super hac re in casibus particularibus. Factâque per me prædictorum omnium Sanctissimo Domino Nostro relatione, die 14. Januarii hoc anno 1721., Sanctitas Sua approbare dignata est, & præsens Decretum publicari mandavit.

Prosper de Lambertinis Sacræ Congreg. Particularis Secretarius.

DECRETUM.

In Causa Vacationis Decanatus Sacri Collegii Cardinalium die 28. Februarii 1721. habita fuit Congregatio Particularis in Mansionibus R. P. D. Auditoris Sanctissimi, cui interfuerunt RR. PP. DD. Petra Secretarius Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, Marefuscus Auditor Sanctissimi, Lancetta, Cerrus, Herrera Sacræ Rotæ Auditores, Ansideus Assessor S. Officii, & Lambertinus Sacræ Congregationis Concilii, & hujus Particularis Congregationis Secretarius.

Omnesque unanimiter responderunt,

COnsulendum esse Sanctissimo, quod declarare dignetur Decanatum Sac. Collegij Cardinalium devenisse vigore Bullæ V. san. mem. Pauli Quarti ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Tanarium, uti Episcopum Cardinalem antiquiorem in Curiâ præsentem tempore vacationis dicti Decanatus sequutæ per obitum Cardinalis Fulvii Astallii, exclusis Episcopis Cardinalibus antiquioribus extra Curiam tempore dictæ vacationis commorantibus, non ex publicâ causâ, & destinatione Romani Pontificis, etsi residerent in Diœcesibus, quarum administrationem ex dispensatione Apostolicâ retinent, & ita servandum esse perpetuis futuris vacationibus.

Quo ad aliam verò controversiam inter EE. DD. Cardinalem Tanarium antiquiorem in Episcopatu, & juniorem in Cardinalatu, & Cardinalem Judicem juniorem in Episcopatu, sed antiquiorem in Cardinalatu, Causa non fuit proposita, attentâ cessione suo juri facta ab eodem Cardinali Judice, Dominique unanimiter dixerunt consulendum esse Sanctissimo, quòd declarare dignetur ex hujusmodi cessione nullum in futuris Decanatus vacationibus censeri irrogatum fuisse præjudicium Cardinalibus similia jura foventibus.

Factâque eâdem die per me infrascriptum Secretarium de præmissis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua Congregationis Sententiam quo ad utramque partem benignè approbavit, & perpetuis futuris temporibus servari mandavit.

Prosper de Lambertinis Secretarius.

PARS TERTIA.

Complectitur Edicta, Declarationes, & Decreta Memorabilia, quæ CLEMENTE XI. PONT. MAX. Ejusque auctoritate.

A' Sacris Congregationibus Urbis.

Nempè S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Concilii Tridentini, Propagandæ Fidei, Immunitatis Ecclesiasticæ, Sacrorum Rituum, Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum, Indicis librorum prohibitorum, Disciplinæ Regularis, Visitationis Apostolicæ, Rerum Cœremonialium, Consultationis super negociis Status Ecclesiastici, & Reformationis Tribunalium ejusdem Urbis prodierunt.

Edicta, Decreta, & Acta Memorabilia Sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ, ac Universalis Inquisitionis.

Juxtà temporis seriem disposita.

DECRETUM

Quo Folia, seu Summaria inscripta, *Lega spirituale de Viventi fermata co' Morti*, damnantur cum aliis Ordinationibus.

Feria V. die 12. Julij 1703.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro D. Clemente Divinâ Providentiâ Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republicâ Christianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Cum aliàs ab Innocentio X. ſub die quinta Auguſti 1653. pro Confraternitate Beatæ Mariæ, vulgò del Soccorſo in Eccleſiâ PP. Societatis Jeſu Sanctæ Fidei in Indiis Occidentalibus, & ab Innocentio XI. ſub die 20. Martij 1680. pro alia itidem Confraternitate Beatæ Mariæ Virginis Auxiliatricis in Eccleſiâ Sanctiſſimæ Trinitatis eorumdem Patrum Societatis Oeniponti, nec non ab eodem Innocentio XI. ſub die quintâ Martii 1682. pro ſimili Confraternitate Beatæ Mariæ Virginis de bono remedio in Eccleſiâ Fratrum Excalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Taurini canonicè erectis, & reſpectivè nuncupatis, de Omnipotentis Dei miſericordiâ, & Apoſtolicæ Sedis clementia nonnullæ Indulgentiæ fuerint conceſſæ, & ad notitiam ſubindè Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium Generalium Inquiſitorum pervenerint quædam folia, ſeu Summaria variis temporibus, atque in diverſis locis Italiæ, & extra Italiam relativè ad dictas indulgentias impreſſa ſub hoc titulo *Lega ſpirituale de Viventi fermata co' Morti*, quæ prævio maturo, ac diligenti examine in multis contraria, & non parùm diſſona dictorum Brevium diſpoſitionibus ab Eminentiſſimis Patribus ſunt reperta videlicet.

Primò. Quia in Titulo Summarii Taurinenſis Indulgentiæ, quæ ſolitis Chriſtifidelibus in hac vita degentibus fuerunt conceſſæ ad ipſos etiam Defunctos, & quidem principaliter extenſæ reperiuntur, & in foliis, ſeu Summariis, quæ referuntur ad Confraternitates Civitatum Sanctæ Fidei, & Oeniponti aſſumitur titulus proprio marte excogitatus, ſcilicet: *Lega ſpirituale de' viventi fermata co' morti*, contra tenorem dictorum Brevium.

Secundò. Quia Indulgentiæ quæ certis, ac determinatis perſonis, ac locis, in quibus prædictæ Confraternitates canonicè erectæ ſunt, in dictis Brevibus conceduntur, ad omnes, & quoſcumque totius Orbis Chriſtifideles, qui pro eorum libitu, nulla ſervata forma, ſeu ſolemnitate nomen dederint, & iiſdem Confraternitatibus adſcripti fuerint, Indulgentiæ prædictæ extenduntur, contra mentem Pontificum in dictis Brevibus ſatis expreſſam, in quibus præcipuæ Indulgentiæ Confraternitatum prædictarum Confratribus, & Conſororibus, hæc, vel illa opera pia exercentibus, vel certis anni diebus Eccleſias præfatas Civitatum Sanctæ Fidei, Oeniponti, & Taurini devotè viſitantibus, conceſſæ leguntur.

Tertiò demum, quia in foliis, ſeu Summariis prædictis ipſi etiam ubique locorum Defuncti Confraternitatibus hujuſmodi adſcribuntur, vel adſcribi dicuntur, poſtquam aliquis ex Fidelibus viventibus pia quædam opera pro illis expleverit, cum tamen de his nulla in dictis Brevibus mentio habeatur.

Propterea his, atque aliis attentè perſpectis, & coram Sanctiſſimo D. N. Clemente Papa XI. relatis, Sanctitas Sua de conſilio dictorum Eminentiſſimorum Patrum, nedum folia, ſeu Summaria prædicta quocumque idiomate, & quocumque loco impreſſa, veluti dictorum Brevium diſpoſitionibus contraria, prohibuit, & damnavit, ſicuti illa præſenti Decreto damnat, & prohibet; verùm etiam uti nullas, atque invalidas, nulliuſque roboris aſſertas deſcriptiones Confratrum, & Conſororum, quocumque loco extra Civitates Sanctæ Fidei, Oeniponti, & Taurini factas declaravit, prout hoc ipſo Decreto annulat, & reſpectivè prohibet, ſalvis, & firmis, atque in ſuo robore permanſuris iis omnibus, quæ in dictis Brevibus conceduntur.

Joſeph Bartolus S. Romanæ, & Univerſalis Jnquiſitionis Notarius

Die 8. *Auguſti* 1703. *ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatij S. Officij, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum SS. Inquiſitionis Curſ.*

DECRETUM.

Quo liberculus inſcriptus *Lotto ſpirituale &c.* damnatur cum aliis ordinationibus.

Feria 4. *die* 18. *Julii* 1703.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Examinatis Documentis exhibitis ad probandam validitatem Indulgentiarum, quæ ut aſſeritur conceſſæ fuerunt ab Alexandro VI. Coronis S. Brigittæ, & ab Urbano VIII. Crucibus, quas vocant S. Turribii, examinatis etiam quibuſdam foliis impreſſis Romæ, Venetiis, & forſan alibi cum titulo: *Lotto Spirituale per le povere Anime del Purgatorio molto biſognoſe di Chriſtiano ſoccorſo &c.*, in quibus præſcribitur modus ſuffragandi per quamdam ſpeciem ſortis Animabus, quæ in Purgatorio cruciantur; maturèque omnibus perpenſis, iidem Eminentiſſimi decreverunt.

Quoad Indulgentias conceſſas, ut prætenditur Coronis S. Brigittæ, declarandas eſſe apocryphas, & nullius roboris, ac momenti; ſine præjudicio tamen Indulgentiarum à Leone X. dictis Coronis conceſſarum 6. Idus Julii 1515.

Quoad indulgentias, ut prætenditur conceſſas Crucibus S. Turribii circa quas fuerunt relata Decreta aliàs edita à Sacra Congregatione, tanquam falſas eſſe prohibendas.

Quo verò ad prædicta folia impreſſa cum titulo: *Lotto ſpirituale &c.* eſſe ubique ſupprimenda, non propter ſuffragia pro iiſdem Animabus, quæ ſancta ſunt, ſed propter dictum titulum, & modum, qui eſt prophanus, & Chriſtiana pietate planè indignus.

Nemo igitur cujuſcumque ordinis, gradus, & conditionis exiſtat, Indulgentias, Summaria ipſarum, ſi quæ ſunt, & reſpectivè folia præfata promulgare, apud ſe retinere, imprimere, vel imprimi curare audeat, ſed ſtatim à præſentis Decreti notitia, quicumque eadem Summaria, & folia habuerit, locorum Ordinariis, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere teneatur, ſub pœnis in Brevibus, ſeu Conſtitutionibus Apoſtolicis contentis.

Joſeph Bartolus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

Die 8. *Auguſti* 1703. *ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatij S. Officij, ac in aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum SS. Inquiſitionis Curſorem.*

ACTA

Cauſæ Rituum, ſeu Cæremoniarum Sinenſium complectentia.

I.

Mandatum, ſeu Edictum D. Caroli Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis in Regno Sinarum, nunc Epiſcopi Cononenſis.

II.

Quæsita ex eodem Mandato, seu Edicto excepta, Sacræ Congregationi Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis proposita.

III.

Responsa data iidem Quæsitis à præfatâ Congregatione.

IV.

Decretum à Sanctissimo D. N. D. Clemente divinâ Providentiâ Papa XI. in eâdem Congregatione die xx. Novembris 1714. editum, quo dicta Responsa confirmantur, & approbantur.

MANDATUM.

Seu Edictum Domini Caroli Maigrot Vicarii Apostolici Fokiensis in Regno Sinarum, nunc Episcopi Cononensis.

CArolus Maigrot Sacerdos, Vicarius Apostolicus Fokiensis, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, Sociusque Sorbonicus omnibus Vicariatus nostri Consacerdotibus salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, appulimus, Nobis semper hæc Vicariorum Apostolicorum solicitudinis præcipua pars visa est, ut diversis quæstionibus, de quibus inter Missionarios jamdiù controvertitur, finem, si fieri posset, afferrent : Sin minùs, regulam Missionariis traderent, quæ donec Apostolica Sedes controversiam dijudicaret, æquali ab omnibus usu, & ratione servaretur. Neque enim, quod sæpiùs gementes conspeximus, sine magno Ecclesiarum istarum detrimento accidit, ut Evangelii Ministri in rebus, quæ ad Dei cultum, & Idololatriæ extirpationem attinent, inter se non consentiant; Ut quod alii sine Idololatriæ labe fieri posse non putent, hoc alii Christianos facere permittant, aut etiam ad faciendum adhortentur, utque illi ipsi, qui certos usus superstitiosos esse arbitrantur, eosdem pro bono pacis interdum tolerent. E' qua mali tolerantiâ malum radices agere, atque in dies incrementum accipere, diuturnâ experientiâ cognovimus.

Et quidem plerique Vicariatus nostri Missionarii hanc in quæstionibus tanti momenti non sententiarum modo discrepantiam, sed praxis, & usus dissimilitudinem tolli magnoperè cupientes nostram pro eo, quo indigni fungimur, Vicarii Apostolici munere sententiam scisciti sunt : ac ne continuis conscientiæ scrupulis, & angoribus premerentur, *aliquid saltem* per interim *à nobis decerni sæpiùs instarunt* : Rerum autem gravitas fecit, ut non ita citò responderimus, atque illi exoptabant : Etsi enim jam à multo tempore bon. mem. Episcopi Heliopolitani, olim Vicarii Apostolici Fokiensis, & Sinarum Missionum generalis Administratoris jussu, cum suas nobis vices demandaret, his rebus incumberemus, nova tamen, & acrior diligentia, postquam ad Apostolicum Vicariatum à S. Sede electi fuimus, adhibenda esse visa est. Quâ in re, id verè affirmare possumus, nihil à nobis sponte prætermissum fuisse, ut sive ex Sinicis fontibus, sive ex Commentariis hoc in genere Europæo Idiomate conscriptis, quoscumque habere potuerimus, sive ex eruditorum Virorum consortio, veritatem indagaremus. Et quod omnium maximè necessarium est, Deum jugi Sacrificio, & assiduis precibus obsecravimus, ut tenebras nostras illuminaret, & semitas suas, quodque placitum, & acceptum est in oculis suis, edoceret.

Cum itaque Decretis, & Constitutionibus Apostolicis sancitum sit ad Apostolicos Vicarios spectare, ut iis, quæ ad Cultum Divinum, & bonos mores pertinent, intra suorum Vicariatuum fines provideant, ut hac in parte Officio nostros faciamus satis, omnibus, & singulis Vicariatus nostri Missionariis observandâ præcipimus, quæ sequuntur, *donec aliter ab Apostolica Sede decretum fuerit.*

Primò. Exclusis nominibus Europæis, quæ nonnisi barbaro quodam modo Sinicis literis, & vocibus exprimi possunt, Deum Opt. Max. longo usu recepto nomine Tien Chu, Cœli Dominum appellandum esse statuimus, ita duæ aliæ Sinicæ Voces Tien Cœlum, & Xang Ti supremus Imperator prorsus repellantur; Multò minùs affirmetur id, quod Sinæ præfatis nominibus Tien, & Xang Ti intelligunt, Deum esse, quem Christiani colimus.

Secundò. Districtè prohibemus, ne in ullâ Ecclesiâ Tabella quædam, cui hæ duæ literæ Cœlum Colito King Tien inscriptæ sunt, appendatur, & ubicumque appensa fuerit, intra duos menses auferri mandamus, cum aliis ejusdem sensus Tabellis, & Versibus, in quibus nomina Tien. & Xang Ti Deo affiguntur, ac nostro quidem judicio, cum omnes illæ Tabellæ, tum ea in primis, quæ literas King Tien continet ab Idololatria excusari non possint. Tametsi verò non ita certa res esset, ac nobis videtur, vel ipsa periculi suspicio, ne ab Evangelii Ministris abominatio desolationis in loco sacro collocetur, nos ab ejusmodi Tabellis deterrere debet : Maximè cum experientiâ nobis constet eos Vicariatus nostri Missionarios, quorum in Ecclesiis illæ Tabellæ non habentur, nihilo ad Evangelium prædicandum imparatiores esse, nec minorem, quàm alii, laborum suorum fructum percipere.

Tertiò. Quæsita super Capitibus Summo Pontifici Alexandro VII. proposita multis in rebus non esse veridica declaramus : ac proinde Missionarios responsis ab Apostolicâ Sede, rectè quidem, & sapienter, at juxta circumstantias in dubiis expressas datis, inniti non posse, ad usitatum apud Sinas Confucii, & Progenitorum cultum permittendum.

Quartò. Missionarii nullatenùs, nullaque de causâ Christianis permittant solemnibus, quæ semel, & iterum singulis annis Confucio, & Progenitoribus offerri solent, Sacrificiis, seu oblationibus præesse, ministrare, aut interesse; quas oblationes superstione imbutas esse declaramus.

Quintò. Missionarios, qui in locis, ubi Evangelio operam navant, Tabellarum in Defunctorum honorem privatis in Domibus erectarum usum abolere studuerunt, magnoperè laudamus, atque, ut eo, quo cœperunt, pede in posterum pergant, adhortamur : Ubi verò hunc usum tollere difficilius erit, ad hoc saltem res temperamentum revocetur, ut sublatis literis Xin Chù, Xin Goei, Ling Goei; solummodò defuncti nomen Tabellæ inscribatur, aut ad summum litera Goei superaddatur : ac ne hujusmodi Tabella, quàm in prædictâ formâ, donec Apostolica Sedes de re ipsâ judicaverit, non omninò reprobamus, superstitiosè accipiatur, in loco, ubi Tabellæ privatis in domibus erigi solent, scripta majoribus characteribus declaratio apponatur, in quâ, & quæ sit Christianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac nepotum in Progenitores pietas esse debeat, enuntietur; Cujus declarationis in formam ad hujus Mandati calcem tradidimus, neque tamen prohibemus aliam ejusdem sensus apponi, si modò priùs à nobis approbata fuerit.

Sextò. Cum nonnulla, seu verbo, seu scripto evulgari animadvertimus, quæ incautos in errorem inducunt, & viam ad superstitionem patefaciunt, V. G.

Philosophiam, quam Sinæ profitentur, si benè intelligatur, nihil habere legi Christianæ contrarium.

Nomine Taii Kie ſapientiſſimos Priſcos Deum Cauſam primam rerum omnium definire voluiſſe.

Cultum, quem Confuſius Spiritibus adhibuit, Civilem potiùs, quàm Religioſum fuiſſe.

Librum, quem Sinæ Ie King appellant, ſummam eſſe optimæ doctrinæ phyſicæ, & moralis.

Hæc, & ſimilia, uti falsò, temerè, & ſcandalosè. dicta, ſcriptave, diſtrictè inhibemus, ne in toto Vicariatu noſtro diſſeminentur.

Septimò. Caveant Miſſionarii, ne qui Chriſtiani Sinicos libros in Scholis legunt; Atheiſmum, & diverſas ſuperſtitiones, quibus illi libri, tam in
IV. Textu, quàm in Commentariis, ſcatent, in Auditorum animos infundant; Sed illos Miſſionarii admoneant, ut obvios errores refutent, & errorum occaſione, quæ de Deo, de Mundi creatione, & gubernatione, Chriſtiana Religio tradit, diſcipulos diligenter edoceant, atque eoſdem Chriſtianos Miſſionarii frequenter commonefaciant, ne quod facilè contingit, ſuis in ſcriptionibus aliquid è Scholæ literariæ principiis legi Chriſtianæ contrarium admiſceant.

Sunt, & aliæ quæſtiones, quas hac vice nondum attingimus, quia cum memoratis capitibus, quæ præcipua ſunt, & è quibus alia magnâ ex parte dependent, proviſum fuerit, facilius erit, quod in cæteris tenendum ſit, præſcribere, & in uſum inducere.

Si quis autem Miſſionarius, quod abſit, nullâ habitâ hujus declarationis, & Mandati ratione, intra duos menſes, memoratas Tabellas, & verſus ab Eccleſiis ſuis, aut domibus non auferat, aut intra præfatum tempus manum operi non adhibeat, ut quas præſcribimus, regulas in uſum, & morem inducat conceſſas ei à nobis, & à quocumque alio Vicario, & Provicario Apoſtolico facultates per præſentes revocamus, ac pro tempore præfato revocatas eſſe declaramus.

Neque tamen hac præſenti declaratione, & Mandato eos culpare intendimus, qui aliter antea cenſuerunt, aliamque praxim ſecuti ſunt ab eâ, quam in poſterum ſequendam eſſe ſtatuimus; Mirum enim videri non debet, ſi in rebus hujuſmodi Miſſionarii omnes unius, ejuſdemque Sententiæ non fuerint, & eam unuſquiſque praxim amplexus ſit, quæ ſibi in Domino magis veritati conſona videbatur: Nunc verò in hoc omnes ſtudia noſtra conferamus, ut idem ſapiamus, ut unanimes uno ore exhibeamus iſtam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, ſed ut ſit Sancta, & immaculata, ac Deus pacis, & dilectionis erit nobiſcum. Datum in Oppido Changlo Provinciæ Fokienſis die 26. menſis Martii 1693.

Carolus Maigrot Presbyter Vicarius Apoſtolicus Fokienſis.

II.

QUÆSITA

In Cauſa Rituum Sinenſium ſuper Mandato, ſeu Edicto Domini Caroli Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis in Regno Sinarum, nunc Epiſcopi Cononenſis ab Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus ſpecialiter à ſanctæ memoriæ Innocentio Papa XII. deputatis, poſt varias Congregationes, ac longum Jurium hinc inde deductorum examen, confecta: primùm quidem Theologis, & Qualificatoribus ad id ſelectis propoſita, ac deinde in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis diſcuſſa, & reſoluta.

COntroverſiis in Imperio Sinico ſubortis inter Miſſionarios Apoſtolicos, iiſque ad Sanctam Sedem delatis ſub Innocentio Decimo, Alexandro Septimo, & Clemente Nono, nùm quædam, quæ à Sinis Gentilibus peraguntur præſertim erga Confucium antiquum Philoſophum, & Progenitores defunctos permitti poſſint iis, qui ad Chriſtianam Fidem converſi fuerint; propterea, quod alii ex Miſſionariis affirmarent actiones illas ſuperſtitioſas, vel Idololatricas eſſe, alii è contra civiles tantùm, & politicas.

Die 12. Septembris 1645. Quæſita quædam in Sacrâ Congregatione de Propaganda Fide propoſita, examinata, & reſoluta fuerunt, approbante ſa. me. Innocentio X.

Alia quoque in Sacrâ Congregatione Sancti Officii pariter diſcuſſa, & reſoluta die 23. Martii 1656. ſa. me. Alexander VII. approbavit: Et deinde die 20. Novembris 1669. ſa. me. Clemens IX. utraque vim habere pro diversâ facti, & circumſtantiarum expoſitione declaravit.

At verò, cum ejuſmodi controverſiæ Miſſionariorum non adhuc quiſcerent, D. Carolus Maigrot Vicarius Apoſtolicus Fokienſis, nunc Epiſcopus Cononenſis, in toto ſuo Vicariatu quædam obſervanda præcepit, donec aliter ab Apoſtolicâ Sede decretum fuerit, Edicto promulgato die 26. Martii 1693., & in ſeptem Articulos diſtributo.

Porrò petente eodem D. Maigrot ſui Mandati confirmationem, ſa. mem. Innocentius XII. rem ad Sacram Congregationem Sancti Officii diligentiſſimè diſcutiendam remiſit, deputatis ad id quatuor Theologis Qualificatoribus, videlicet Patre D. Joanne Maria Gabriellio Abbate Generali Reformatorum Sancti Bernardi, nunc S. R. E. Cardinali, Patre Nicolao Serrano Priore Generali Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, Patre Philippo à Sancto Nicolao Exgenerali Carmelitarum Diſcalceatorum, & Patre Carolo Franciſco Vareſio olim Commiſſario Generali Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantiâ Reformatorum.

Utque opportuna Quæſita proponerentur, & de facti circumſtantiis probè conſtaret, Sanctitas Sua juſſit adeſſe Patrem Joannem Franciſcum à Leoniſſa Ordinis Minorum de Obſervantiâ Reformatorum Epiſcopum Beritenſem, & Vicarium Apoſtolicum *Hù Quang*, qui poſt longam plurium annorum in Imperio Sinico moram, huc redux advenit, rerum, quæ in illis Regionibus peraguntur, oculatæ Fidei teſtis, Sinarumque Rituum apprimè inſtructus.

Igitur ſolerti curâ, & omnibns ſeriò, exactèque perpenſis, & additâ facti circumſtantiarum plenâ enarratione, infraſcripta efformata fuerunt quæſita ſuper unoquoque ex ſeptem Articulis Edicti D. Maigrot Vicarii Apoſtolici Fokienſis, videlicet:

Super primo Articulo.

Primò. Quæritur, an excludi debeant nomina Europæa ad ſignificandum Deum Optimum Maximum.

Nomen enim Deus, aliaque vocabula Europæa, quibus ſupremum Ens ſignificatur, Sinicis characteribus exprimi vix poſſe, nullamque rei ſignificatæ ideam apud Sinas excitare videntur. Videri poſſunt. (A)

(A) *Supplex libellus Procuratoris Generalis Societatis Jeſu* §. *il primo.*
Obſervationes P. Dez. in Mandatum Vicarii Maigrot à Patribus Societatis Jeſu Sacræ Congregationi exhibitæ fol. 108. §. *Prævaluit; par.* 2. *obſerv.* 1.

Secundò. Quæritur, an ad ſignificandum Deum Optimum Maximum, repellendæ ſint voces *Tien*, Cœlum, vel *Xang Ti*, Supremus Imperator.

Ratio dubitandi eſt, quia licet aliqui Miſſionarij Europæi exiſtimaverint, & exiſtiment antiquos Sinas præfatis nominibus *Tien*, & *Xang Ti* indigitaſſe Deum vivum, & verum; & nihilominùs Miſſionarij ferè omnes aſſerunt, quod Sinenſes Literati, quæ eſt præcipua Sinæ Imperio Secta, quatenus ejuſdem Sectæ doctrinam exponunt, & ſequuntur, ſaltem à quingentis annis, cum in Atheiſmum deciderint, vel omnes, vel, ut aliquibus videtur, ferè omnes nominibus *Tien & Xang Ti*, nil aliud, niſi Cœlum materiale & viſibile, vel ad ſummum quamdam Cœli virtutem eidem Cœlo inſitam, quam rerum omnium principium, ſeu potiùs conprincipium eſſe putant, deſignant. Unde Cœlo ſic ſumpto, quemadmodum & Terræ, Planetis, Montibus, & Fluviis reſpectivè ſacrificant: Et in Regiis Urbibus Peching, & Nanching Templa viſuntur, in quibus ſtatis anni temporibus, præſertim in Templo Pechinenſi, ipſemet Imperator Cœlo ſolemne Sacrificium offert. (B)

(B) *Semedo Relazione della Gran Monarchia della China par.* 1. *cap.* 17. *pag.* 105. *..qui ſolummodò teſtatur ſacrificari Cœlo.*

Maffæus Hiſtoriarum Indicarum pag. 100. *ait, quod aliqui Cœlum præcipuè omni ſtudio colendum exiſtimant.*

Joannes Guelter in Libro Italico—Notizie varie dell'Imperio della China pag. 88. *teſtatur ſacrificari Cœlo.*

Memoriale Procuratoris Generalis Societatis Jeſu Sacræ Congregationi exhibitum §. il primo.

Videantur Ludovicus le Compte in Libro Gallico—Nouveaux memoires to. 2. *pag.* 186., *& Pater à Leoniſſa in ſuis reſponſionibus ad Quæſita Sacræ Congregationis....*

Et ad Quæſita Eminentiſſimi Caſanate....

Longobardus apud Navarettam tom. 1. *pag.* 246.

Tertiò. Quæritur, an Deus Optimus Maximus ſit appellandus nomine Tien Chù, Cœli Dominus

Ratio eſt, quia ab omnibus Miſſionariis Sinenſibus vocabulum Tien Chù ad ſignificandum Deum Optimum Maximum longo uſu receptum eſt. Et in hoc Partes diſſentire non videntur. Videri poſſunt iidem Auctores, quibus additur (C)

(C) *Pater à Leoniſſa in ſuis reſponſionibus ad Quæſita Sacr. Congregationis Particularis.....*

Et ad Quæſita Eminentiſs. Caſanate.....

Quartò. Quæritur, an attentis prædictis liceat affirmare Sinas præfatis nominibus Tien, & Xang Ti intelligere Deum, quem, Chriſtiani colunt.

Super ſecundo Articulo.

Primò. Quæritur, an permitti poſſit appendi in Eccleſiis Chriſtianorum Tabellam inſcriptam King Tien: Cœlum colito.

Ratio dubitandi eſt, quia prædicta vox Tien nunc temporis à Sinenſibus Literatis accipitur pro Cœlo materiali, ut ſupra dictum eſt in ratione dubitandi ad tertium Quæſitum ſuper primo Articulo. (D)

(D) *Videri poſſunt Auctores allegati lit. B.*

Et quatenùs negativè.

Secundò: Quæritur, an ſaltem permitti poſſit cum declaratione, & quâ.

Super tertio Articulo.

Proponetur Quæſitum infra, quia pendet à decidendis in ſequentibus.

Super quarto Articulo.

Primò. Quæritur, an ſuperſtitione imbuta ſint ſolemnia, quæ ſemel, & iterùm ſingulis annis Confucio, & Progenitoribus offerri ſolent ſacrificia, ſeu oblationes, itaut iis præeſſe, miniſtrare, aut intereſſe Chriſtianis nullatenus, nullâque de causâ permitti poſſit.

Ratio dubitandi eſt, reſpectu Confucij, quia Secta Literaria, quæ primas obtinet in illo Imperio, Confucium non ſolùm uti Magiſtrum, verum etiam uti Sanctum colere videtur. (E)

(E) *Videri poſſunt Semedo Relazione della Gran Monarchia della China par.* 1. *cap.* 10. *pag.* 63.

Kircher China Illuſtrata par. 3. *cap. prim. fol.* 132., *& pag.* 137. *col.* 1.

De Marin. Hiſt. de fel. ſucc. lib. 1. *c.* 8. *pag.* 104. *qui tamen loquitur de Tunchinenſibus.*

Rhodes in Cathechiſ. pag. 113., *& in Relatione Hiſtorica de Tunchino pag.* 60.

Bartol. la Cina lib. 1. *pag.* 74. *verſ.* 12.

Prætereà in quadam oblatione faciendâ Confucio, quæ deſcribitur in Libro, ſeu Rituali Sinico, Ta Ming Hoey Tien, nonnullæ orationes ſeu offertoria præſcripta ſunt, in quibus Confucij virtus Cœlo, Terræque æquiparatur, Doctrina antiquis, moderniſque præfertur: Imò, ex quo homineſeſſe cœperunt, nemo illum æquaſſe dicitur, & quod ejus Spiritus præteritos Xing, ſeu Sanctos excellit. Quod autem hìc dictio Xing Sanctitatem potiùs, quàm Sapientiam, vel Sapientiam ſimul, & Sanctitatem ſignificet, infertur ex hoc, quod inter illos, qui Coufucium præceſſerunt, & Xing ſuperiùs appellantur, comprehenduntur ſaltem nonnulli, de quibus expreſſis verbis in claſſicis Sinarum libris dicitur, quod poſt mortem in Cœlum evolarunt, & in Cœlis poteſtatem habent favendi hominibus, eoſque, etiam Sinenſes antiquitùs, ut Sanctos venerati ſunt & hactenùs celebrant, ut tales. Inſuper alibi in libris Sinicis hæc habentur. Xing Jin Chy Chy Ye: ju Iao, Xun, Ven Vang, Cheu Kung, Kung çhu: Id eſt Sanctorum Virorum ſummitas: ut verbi gratiâ, Antiquiſſimi Imperatores Iao, & Xun, Rex Ven Vang, Princeps Cheu Kung, & Kung çhu, ſeu Confucius. Quod verò hoc etiam in loco dictio Xing. Sanctitatem potiùs, quàm Sapientiam ſignificet, inferri videtur ex eo, quod omnes ante Confucium hic nominati apud Sinas in ſuprema Sanctorum ſerie ab antiquis temporibus referantur, & ut tales ab iiſdem Sinenſibus ſemper habiti fuerint, ut conſtat ex libris eorum claſſicis; licet apud Sinenſes Atheos præfata dictio Xing in allatis Textibus perfectiſſimum, & ſapientiſſimum Virum, vel ſummum perfecttionis gradum, ad quem homines Cœlo, ſeu Naturâ favente pertingere poſſunt, ſignificare videatur.

Ipſe Confucius in ſingulis Civitatibus Ædes habet ei dedicatas, quæ Gymnaſia non ſunt, nec Aulæ tantum eſſe videntur, ſed potiùs Capellæ, eò quòd Sinicè vocentur Miao, quo vocabulo Idolorum Templa deſignantur, & à nonnullis Authoribus Ædes prædictæ Templa, ſeu Fana dicantur. Videri poſſunt. (F)

(F) *Trigantius, & Riccius de Chriſtian. expeditione lib.* 1. *pag.* 118.

Semedo par. prima cap. 10. *pag.* 63.

Kircher China Illuſtrata par. 3. *c.* 1. *pag.* 132. *col.* 1.

In quibus Ædibus extat effigies Confucii, vel ſaltem Tatella cum hâc inſcriptione — *Sedes Spiritus Sanctiſſimi, vel Sapientiſſimi Protomagiſtri Confucii*, quæ verbis Sinicis eſt hujuſmodi: Cní Xing Sien Sum Kunc çhu Xin Goey, ut teſtatur Pater à Leoniſſa, qui aſſerit dictionem Sinicam Xing non ſignificare tantummodò Sanctum, ſed aliquando etiam Sapientem. Alij præfatam inſcriptionem, ſic latinè vertunt — *Sanctiſſimi, & Super-Excellentiſſimi.*

Man-

Mandarini, seu Gubernatores, ac Magistratus Urbium una cum Literarorum Præfectis, nec non Graduatis, seu Doctoribus Literatis bis in anno, nempe circa Æquinoctium Veris, & Autumni ibidem solemnem oblationem, seu sacrificium peragunt, in quo à Ministro, & Assistentibus cum variis genuflexionibus, & inclinationibus, dirigente Cœremoniarum Magistro, ante Tabellam Confucij supra mensam, seu Altare expositam, candelis accensis, cum odorum suffitu immolati, seu immolandi Animalis sanguis, ac pili offeruntur, ac deinde terræ infodiuntur, itemque panni serici, qui posteà extra Templum, seu Ædem in proximo atrio, accenso igne, comburuntur. Item vinum libatur, occisorum Animalium, Suis videlicet. Capræ, seu Cervi, & similium carnes immolantur, quæ inter Assistentes, & alios, peractâ oblatione, seu sacrificio distribuuntur, & ab omnibus magni fiunt, & comeduntur. Ante omnia autem jam à principio Confucij Spiritus invitatur, ut adsit, immolatisque fruatur, venienseque ad oblationem certis cœremoniis recipitur, eique, quidquid in sacrificio geritur, tanquam præsenti, in Tabellâ significatur: Ministris nonnullorum ante sacrificium dierum jejunia, & à Thoro coniugali abstinentia, publico ritu præscripta sunt: Hostias immolandas, fuso in earum auriculis probandi causâ liquore quodam, seu vino calido, seligunt. Oblatio incipit post primum, aut secundum Galli cantum, & summo mane terminatur; Spiritum Confucij, finitâ oblatione, abeuntem grato animo, ac certis verborum formulis prosequuntur: & adstantibus omnibus, antequam dimittantur, ob sacrificium benè peractum, felicitates plurimæ promittuntur, prout in Rituali Ta Ming Hoei Tien, tomo, seu tractatu 91. in descriptione oblationis faciendæ Confucio apud Patrem à Leoniss. Videri possunt respectivè. (C)

(G) *Bartol. China par. 3. lib. 1. pag. 71.*

Kircher in China Illustrata par. 3. cap. 10. pag. 132.

Le Tellier tom. 2. pag. 274. &. Vous direz.

Lopez c. 5. de Confucio n. 60. circa med. p. 64.

Præter prædictas binas solemnes oblationes, aliæ minùs solemnes eodem in loco, seu quidam alij Ritus, & cœremoniæ in ejusdem Confucij honorem statutis temporibus peraguntur, tùm à Magistratibus, seu Gubernatoribus Urbium, tùm à reliquis Literatis; de quibus etsi speciatim à Vicario Apostolico Maigrot mentio facta non fuerit, nihilominùs quia in quæsitis Patris Martinij Societatis Jesu aliqua saltem exposita fuerunt, aliud quæsitum ad rem clariùs elucidandam instituitur.

Secundò. Igitur quæritur, an cæremoniæ, ritus, & oblationes minus solemnes, quæ fiunt in honorem ejusdem Confucij, à Christianis licitè exerceri, & peragi possint in loco præfato.

Ratio dubitandi, præter dicta in præcedenti ratione ad primum, est; quia bis singulis mensibus in novilunio scilicet, & plenilunio cujuscumque Urbis Mandarinus, seu primarius Magistratus, aliique Officiales, & Literati summo mane Ædem, seu Templum Confucij magnâ cum pompâ adeunt, & ante ejus Effigiem, seu Tabellam, accensis cereis, cum thuris, atque odorum suffitu, repetitis vicibus genuflectunt, toto corpore prostrati, ac terram fronte percutientes. Item quandoque præsertim in novilunio ab aliquibus vinum, & olera quædam, ac fructus offerri solent. Mandarini, seu Gubernatores Urbium, ac Magistratus, antequam dignitatem adeant, seu statim post aditam dignitatem, seu dignitatis possessionem, ad Templum, seu Ædem Confucij pergunt, ibique ante ejus Effigiem, seu Tabellam, eadem peragunt, quæ fieri ab eis in novilunio, ac pleni lunio modò dictum est; Non tamen vinum, olera, nec fructus offerunt. Videri possunt. (H)

(H) *Omnes, qui allegati sunt lit. G.*

Prætereà Literati, postquam in ampliss imo Gymnasio, seu Palatio, ubi per aliquos dies probantur, gradus literarios adepti sunt, statim ad Ædem, seu Templum Confucij se conferunt, ibique coram prædictâ Tabellâ cereis accensis, cum thuris, atque odorum suffitu, iteratis vicibus genuflectunt toto corpore ad terram prostrati, prout in aliis proximè relatis ritibus, seu oblationibus minùs solemnibus. Hæ verò in honorem Confucij oblationes tum solemniores, tum minùs solemnes, seu ritus præfati ita Sinensium Imperatorum Legibus, publicoque Regni usu stabiliti sunt, ut non liceat eos omittere, saltem absque gravi periculo respectivè amissionis Mandarinatus, graduum, aut dignitatum. Videri possunt. (I)

(I) *Lopez in Prol. dicti tractatus §. Dubia quoque circa finem.*

Pater à Leoniss in suis respons. ad quæsita.

Respectu verò Progenitorum, ratio dubitandi circa solemnes oblationes, quæ in primo quæsito proponuntur est, quia Sinæ defunctos Parentes, seu Progenitores, saltem usque ad quartum gradum, publico, ac singulari cultu prosequuntur, Ædes eis dedicant, quæ potius Cappellæ, & Templa, quàm simplices Aulæ videntur esse, tum ex his, quæ in eis geruntur: tum ex nomine Miao, quo Imperialium, aliorumque Imperij Procerum, Progenitorum defunctorum, Ædes ex antiquissimâ institutione vocantur; quo pariter nomine etiam Idolorum Templa communiter designantur, ut supra dictum est, & Animalium quoque sanguine ex antiquissimo ritu in Rituali Li Ki præscripto, uti etiam oblationum, seu sacrificiorum vasa, quæ nulli usui extra Templa predicta applicari licet, dedicari solent: Vestes verò, quibus Proceres, ac præsertim Imperatores uti solebant, aut solent in præfatis oblationibus, speciali ritu in eodem Ly Ki præscripto fieri debent, ac consumptæ, obsoletæque cremari, ne prophanis usibus inserviant.

Cæterorum autem Progenitorum defunctorum Ædes, licèt non Miao, sed çhu Tang appellentur, in re id ipsum significare, & ad eosdem cultus erga defunctorum præfatorum Spiritus exhibendo destinari videntur, quia tam in Ædibus çhung Miao dictis, quàm in çhu Tang nuncupatis, Imagines, seu Statuæ Primariorum Progenitorum reperiuntur, aut saltem, & communiter ubique Tabellæ Progenitorum asservantur supra mensam, vel altare cum hac Inscriptione-- *Sedes Spiritus N. defuncti Progenitoris*

Quæ quidem Tabellæ, saltem his temporibus, ideò fieri videntur, ut non tantummodo loco Spirituum, seu Defunctorum adhibeantur, sed etiam, ut iidem Spiritus, seu Defunctorum Animæ quodammodò in eis resideant; quia eo tempore quo Defuncti Progenitores sepeliuntur, quo etiam earundem Tabellarum incipit usus, in ipsomet Sepulturæ loco, ut ex Rituali Sinico Kia Ly nuncupato constat, ad dictas Tabellas, flexis genibus, & expressis verbis, Spiritus, seu Animæ præfatæ invitantur, ut in illis resideant, & domum revertantur, quo facto eædem Tabellæ solemniter domum deferuntur, ac statutò tempore in Ædibus præfatis, etiam solemniter collocantur: Dicitur etiam in dicto Rituali, quod quando in præfatis Tabellis aliquæ literæ mutandæ, vel addendæ sunt (quod quidem fit, quando in Ædes præfatas novæ Tabellæ introducuntur, & antiquæ, seu priores ad gradum superiorem transeunt juxta ordinem consanguinitatis,

vel quando ab Imperatore nova dignitas, seu dignitatis titulus aliquibus Progenitoribus Defunctis juxta Regni morem confertur, qui Tabellis inscribendus est) aquâ madefiant, ut abradi possint, & abrasis, lotisque, lotionis aqua in Ædis, seu Templi parietem projiciatur, quæ cœremonia summam Sinensium reverentiam erga easdem Tabellas indicare videtur. Item in eodem Rituali dicitur, quòd transacto quarto consanguinitatis gradu, quando scilicet in Ædibus, seu Templis præfatis dictas Tabellas asservari amplius non licet, hujusmodi Tabellæ Terræ infodi debent respectivè, vel in propriis sepulturis eorumdem Progenitorum, vel in parte anteriori Ædis, seu propè januam: antiquitùs autem ab Ædibus chung Miao nuncupatis ad alias Ædes transferri solebant, ibique asservari, & recondi, & in Rituali Kia Ly dicitur, quod Imperator, & Imperii Proceres id faciunt. Ad easdem Tabellas, vel ad loca, & sedilia, seu mensas, in quibus dictæ Tabellæ è suis tabernaculis cum speciali reverentiâ extractæ, expositæ jam sunt, si adhiberi debeant, eorumdem Progenitorum Spiritus, seu Animæ, præsertim solemnium oblationum tempore, invitantur, ut descendant, & in eis maneant, quod quidem fit, vel expressis verbis, constat ex formulâ descriptâ in Rituali Kia Ly, ubi de oblationibus faciendis primis familiarum Progenitoribus Xy çhu, & Sien çhu nuncupatis, qui jam quartum gradum ascendentiæ præcesserunt, fit sermo, quæ formula in medio Ædis, seù Templi ante vas ibidem cum carbonibus accensis positum, flexis genibus à Primario oblationis Ministro recitari debet, eâque recitatâ, supèr eisdem carbonibus cum speciali cœremoniâ Animalis, seù Victimæ pinguedo ponitur, seu effunditur, ut vapor ascendat; vel saltem & semper cum cœremoniâ effundendi vinum super palearum manipulis, quæ Kiang Xin, idest descensus Spirituum in eodem Rituali appellatur, quæque pariter cum solemnitate, & reverentiâ magnâ ordinariè fieri debet in medio Templi, seu Ædis ante mensam, seu Altare, ubi odores cremantur; quæ Hiang Cho, idest odorum mensa vocatur, ibique posteà fit alia similis cœremonia effundendi vinum, quæ vocatur Chy, idest oblatio, quæ loco Spirituum fit (fierique dicitur antiquis Vini Institutoribus, seù Inventoribus) Itemque Progenitores, seu Progenitorum Spiritus invitantur, ut oblatis fruantur, seu frui velint, ut in eodem Rituali præscribitur; de eodem descensu, seu adventu spirituum, etiam Primogenitorum Defunctorum; & de fruitione, seu acceptatione oblatorum pluries fit mentio in libris antiquis, & aliis Ritualibus Sinicis; unde multi Sinenses eosdem Progenitorum spiritus cœremoniis supradictis invitatos venire, & frui putant, aut credunt. Non pauci tamen ad imaginariam, vel dubiam potiùs, quàm realem Spirituum præsentiam, adventum, & fruitionem hæc omnia, ut etiam ex Libris, & Ritualibus Sinicis colligitur, reducere videntur: Confusius verò in libro Lun Yu ait: çhi ju çhai: çhu Xin ju Xin çhay, idest offerendum, seu sacrificandum est, veluti adessent, (scilicet illis, quibus offertur:) offerendum, seu sacrificandum est Spiritibus, veluti Spiritus adessent, seu, existerent. Statutis autem anni temporibus in eisdem locis, seu Templis præfatorum Progenitorum defunctorum Spiritibus solemnes oblationes, seu sacrificia offeruntur, ad quæ tantummodò cujusque familiæ Viri, ac Mulieres respectivè conveniunt, ac earumdem familiarum Primogeniti ex lege debent primaria officia in dictis oblationibus exercere, qui etiam propriis manibus Animalia offerenda occidunt in locis, ac cum cœremoniis in Ritua libus pro personarum qualitate respectivè præscriptis, omniaque peraguntur eodem ferè ritu, mutatis mutandis, qui supra in oblationibus solemnibus Confucio exhibitis descriptus est: In Templis, seu Ædibus çhu Tang nuncupatis juxta Rituale Kia Ly serica non offeruntur, nec in eodem fit mentio illius Papyraceæ monetæ, quæ nunc temporis in omnibus oblationibus, quæ Progenitoribus Defunctis à Gentilibus fieri solent, crematur, eò quod hæc cœremonia non sit propria Sectæ Literariæ: neque in fine oblationis illa verborum formula præscribitur, quâ in superioribus oblationibus abeuntes Spiritus prosequuntur, sed tantùm ad id quædam inclinationes, & prostrationes faciendæ referuntur, quibus peractis Tabellæ, si adhibitæ, & expositæ fuerint, in locum suum reportantur, & in Tabernaculis reponuntur, nec non Progenitorum nomine, seu de mandato eorundem, ut in Rituali Kia Ly dicitur, à Magistro Cœremoniarum Ministris Primariis, & implicitè Adstantibus omnibus plurimæ felicitates promittuntur, & antequam fiant nonnullæ ex prædictis solemnibus oblationibus, fortibus cum speciali cœremoniâ ante januam Ædis, seu Templi çhu Tang eligitur dies, & de felici electione monentur pariter speciali Ritu in eadem Æde, seu Templo Progenitores Defuncti, seu eorumdem Spiritus, ut videre est in dicto Rituali; in quo etiam dicitur, quòd omnes oblationes çhi consistunt tantummodò, seu principaliter in totali soliditate, & perfectione amoris, & reverentiæ; & ideò Pauperes juxta paupertatem suam, infirmi juxta vires suas, in illis faciendis se gerant; qui verò divitiis, & viribus abundant, juxta præscriptos ritus eas peragant.

Preces verò, licèt, ex antiquissimo Ritu in Libro, seu Rituali Ly Ky tantummodò certis temporibus, seu pro publicis Imperii necessitatibus in Templis Progenitorum Defunctorum çhung Miao nuncupatis peragendæ præscribantur, & non pro privatis necessitatibus, seu indigentiis, vel ad privatas felicitates postulandas - Cum è contra hoc ipsum ex eodem antiquissimo Ritu in oblationibus etiam solemnibus ordinariè offerendis interdictum videatur; nihilominus etiam ad privatas felicitates ab eisdem Progenitoribus Defuncti petendas, deprecationes, præsertim nunc temporis à Sinensibus quandoque fieri referuntur, & probantur ex alio Rituali Sinico in quatuor Tomos diviso & Kia Ly pariter dicto, quo Gentiles passim utuntur in Sinis, licèt hujusmodi deprecationes non fuerint authoritate publicâ, sed potius tacitâ permissione in eodem Rituali, & alibi à privatis Doctoribus insertæ. Communiter autem eò magis felices, ac fortunatos se fore putant, aut sperant, quo majori pietate, ac diligentiâ solitis officiis erga præfatos Defunctos functi fuerint. Ex Classico Rituali etiam habetur, quod in alendis Animalibus ad usum sacrificiorum tum Xang Ti, tum Spiritibus omnibus etiam Progenitorum in Templis, & locis eisdem respectivè dicatis offerendorum, destinatis Imperij Urbium Præfectis de mandato Regio injunctum sit, ut omnem curam adhibeant, Populisque id ipsum suadent, eo quòd ad felicitates pro eisdem Populi- petendas in dictis oblationibus offerri debeant. Item ex Classicis Ritualibus plura referuntur, unde deduci videtur, Sinenses non tantùm à Xang Ti, aliisque Spiritibus, Montium scilicet, Fluminum &c. verùm etiam à Spiritibus Defunctorum fecilitates plurimas concedi ob præfatas oblationes benè peractas docuisse, credidisse ab antiquo tempore, aut saltem finxisse.

Qui verò Atheisticam Doctrinam profitentur, & sequuntur, licèt eorumdem Spiritum existentiam negent, tamen quâdam motione sympathicâ

per dispositionem Ministris ad sacrificandum, vel offerendum præscriptam, Cœli aerem tenuissimum; in quem Defunctorum Spiritus resolvi asserunt, concitari, ac moveri, & quodammodò attrahi ad oblationem insinuant, unde beneficos influxus erga Offerentes, Adstantesque promanare docent: Quod infertur etiam ex iis, quæ habentur in extractis ex libro, cui titulus: *Confucius Sinarum Philosophus, & per Patres Societatis iterum impressis, ac in parvo libello Sac. Congregationi oblatis.* Tandem præfati Athei, prout antiqui omnes sub nomine Quey Xin Spiritibus omnes etiam Defunctorum, dum genericè eos designare, vel nominare volunt, comprehendunt; & de præfatis Quey Xin genericè multa præclara referunt, sic que Populis erga illos timorem pariter, & honorem suadent. (L)

(L) *Maffeus hist. Indic. pag.* 100.
Semed. par. 1. *cap.* 118. *pag.* 101. *ubi tamen negat esse propriè Sacrificia.*
Allexand. de Rhodes lib. 1. *cap.* 27. *pag.* 88., & 89. *qui loquitur de Tunchino.*
De Marin. lib. 1. *cap.* 14. *fol.* 155. *qui pariter loquitur de Tunchino.*

Præter prædictas solemnes oblationes, quæ fiunt in honorem Defunctorum Progenitorum, aliæ etiam minùs solemnes oblationes, nec non alii Ritus, ac cœremoniæ eisdem in Ædibus, seu Templis diversis anni temporibus, præsertim primâ die anni Sinici, in Solstitiis, ac singulis mensibus, in novilunio scilicet, & plenilunio, honorem eorundem Defunctorum fieri solent; De quibus licèt Vicarius Apostolicus Maigrot specificam mentionem non fecerit, expedire videtur, ob rationem supra allatam, ubi de oblationibus minùs solemnibus Confucio fieri solitis agitur, ut etiam speciale quæsitum hic instituatur, unde.

Tertiò. Quæritur an Christianis liceat in præfatis Ædibus, seu Templis supradictas oblationes minùs solemnes offerre, in eis ministrare, seu quomodolibet inservire, nec non alios Ritus, & Cœremonias peragere.

Ratio dubitandi, præter ea, quæ dicta sunt in superiori ratione ad Quæsitum respectu præfatorum Defunctorum est, quia supradictis temporibus uniuscujusque familiæ personæ utriusque sexus, ad quas juxta præscriptum in Ritualibus Sinicis, ac præcipuè in Rituali Kia Ly, ex officio spectat, summo mane debitis, ac speciosis vestibus indutæ, Ædes Progenitoribus dicatas, ac pridiè pro more ornatas respectivè adeunt; in eis coram Tabellis eorundem Progenitorum post ablutionem manuum, cum variis inclinationibus, & genuflexionibus, è Tabernaculis per Ministros designatos extractis, & super mensam, seu Altare collocatis, Cereis accensis, odores, ac thura cremantur, Vinum libatur, & super palearum manipulum effunditur (quæ cœremonia indicat, descensum Spirituum) fructus varij, ac potio Chà dicta offertur, seu apponitur coram quâlibet ex eisdem Tabellis, ac tandem cum aliis genuflexionibus, & inclinationibus, Spiritibus abeuntibus quodammodo vale dicitur.

In plenilunio verò juxta ea, quæ habentur in Rituali Kia Ly, Cœremonia extrahendi Tabellas è Tabernaculis non fit, vinum non apponitur, sed fructus, & potio Cha, cætera, ut in novilunio, peraguntur.

Insuper diebus quasi singulis, & in certis casibus coram Tabellis præfatis ab his, ad quos spectat, inclinationes, & prostrationes variæ fiunt, odoresque quandoque cremantur cereis accensis.

Tandem, qui sunt tenuioris fortunæ, ut non habeant Ædes, seu Templa Progenitoribus defunctis dicata, in Domibus privatis coram Tabellis eorundem in supradictis anni temporibus respectivè accensis candelis cum thuris, seu odorum suffitu offerunt, seu apponunt carnes, vinum, potionem Cha, fructus & alia hujusmodi, genuflexionibus seu inclinationibus etiam adhibitis, minori tamen cum solemnitate. Sinæ enim Domi communiter habent locum aliquem, tanquam lararium, ubi dictas Tabellas cum solitâ inscriptione asservant, easque singulis diebus sæpè salutant, ac certis temporibus, uti dictum est, coram eisdem Ritus, ac cœremonias præfatas peragunt.

Item Sinenses ferè omnes sepulchra eorundem Progenitorum, quæ in montibus, seu locis præaltis, extra mœnia sunt, semel in anno adeunt, ibi oblationem faciunt, apponendo scilicet, carnes, vinum, fructus, potionem Cha, & alia hujusmodi cum solitis genuflexionibus, & inclinationibus: aliquando autem solemniùs hæc omnia peragunt juxta Ritus, ac vires: adhibitâ etiam cœremoniâ effundendi vinum, quæ, ut supra, Kiang Xin vocatur, herbas etiam, & gramina circa sepulturas nata eradicant, purgant, plorant, mox finitis lacrymis, oblatis vescuntur.

Alias insuper oblationes tum solemnes, tum minùs solemnes Sinenses facere solent mortuis Progenitoribus præsertim à die obitus, usquequo sepulturæ tradantur, quæ exceptâ circumstantiâ Templi, seu Ædis, nec non vestium speciosarum, quia lugubribus vestimentis eo tempore utuntur, in cæteris cum supradictis respectivè concordant. Et ideò

Quartò. Quæritur, an Christianis liceat præfatas oblationes, Ritus, ac cœremonias coram supradictis Progenitorum Tabellis in privatis Domibus, vel etiam in eorundem Progenitorum sepulchris. aut antequam Defuncti prædicti sepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri consuetos, una cum Gentilibus, vel seorsim peragere, eisque ministrare, aut interesse.

Quintò. Quæritur, an Christianis liceat præfatas omnes oblationes, tum solemniores, tum minùs solemnes, nec non alios Ritus, ac cœremonias, tam in Ædibus, seu Templis Defunctorum, quàm Domi, & in sepulchris, prout supra relatæ sunt, peragere, aut eis simul cum Gentilibus interesse, vel in eis ministrare, saltem præmissâ publicâ, vel secretâ protestatione, eos non religioso, sed civili tantùm, ac publico cultu erga Defunctos Progenitores hæc omnia præstare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare.

Sextò. Quæritur, an liceat, seu permitti possit Christianis easdem omnes oblationes respectivè in locis supradictis, vel saltem Domi, ac defunctorum sepulchris seorsim, vel etiam cum Gentilibus offerre, aliosque Ritus, ac cœremonias peragere, sublatis omninò superstitiosis, vel superstitionis speciem, præseferentibus, hoc est ea tantummodò offerendo, quæ juxta Regni morem vivis offerri solent; & cum cœremoniis, ac Ritibus erga vivos fieri, vel adhiberi solitis. Et an hoc saltem liceat præmissâ, seu adhibitâ supradictâ protestatione.

Ratio est, quia nisi hæc saltem Sinensibus Christianis permittantur, valde timendum est, ne qui Christiani jam sunt, Christianam Religionem penitùs abjiciant, & qui nondum illam suscepere, in posterum nullatenus amplectentur: Imò in Christianos, tanquam in Patriorum Rituum ergà defunctos Progenitores desertores, ac destructores insurgant, eosque ac Missionarios omnes minis, ac persecutionibus exagitent, & à Regno penitùs excludant.

Ita quoad factum pertinet, testatur Pater Joannes Franciscus de Nicolais à Lecnissâ Vicarius Apostolicus *Hu Quang* Episcopus Beritensis, apud quem sunt Ritualia, aut Textus allegati, eaque exhibuit, & interpretatus est.

Super quinto Articulo.

Quæritur primò, an Christianis permitti possit dictas Tabellas Progenitorum in privatis Domibus retinere cum Inscriptione Xin Chù, Xin Goei, idest : *Thronus, seu sedes Spiritus, seu Animæ N. defuncti.*

Et quatenùs negativè.

Secundò, Quæritur, an saltem abrasâ eâ Inscriptione, solummodo defuncti nomine inscripto, aut ad summum supperadditâ literâ Goei, Sedes, seu Thronus.

Et quatenùs negativè.

Tertiò. Quæritur, an saltem cum declaratione, quâ declaretur, quæ sit Christianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac nepotum in Progenitores pietas esse debeat.

Hic quæritur quid decernendum sit circa tertium Articulum supra omissum, tenoris sequentis.

Quæsita super capitibus inter hujusce Missionis Operarios controversis, Summo Pontifici Alexandro VII. proposita, multis in rebus non esse veridica declaramus : ac proinde Missionarios, responsis ab Apostolica Sede, rectè quidem, & sapienter, at juxta circumstantias in dubiis expressas datis, inniti non posse, ad usitatum apud Sinas Confucii, & Progenitorum cultum permittendum.

Super sexto Articulo.

Quæritur, quid decernendum sit super sexto Articulo præfati Edicti D. Maigrot, tenoris sequentis.

Cùm nonnulla, seu verbo, seu scripto evulgari animadverterimus, quæ incautos in errorem inducunt, & viam ad superstitionem patefaciunt, verbi gratia : Philosophiam, quam Sinæ profitentur, si benè intelligatur, nihil habere Legi Christianæ contrarium.

Nomine Tay Kie Sapientissimos Priscos Deum causam primam rerum omnium definire voluisse.

Cultum, quem Confucius Spiritibus adhibuit, vilem potiùs, quàm religiosum fuisse.

Librum, quem Sinæ Je Hing appellant, summam esse optimæ Doctrinæ physicæ, & moralis.

Hæc, & similia, uti falsò, temerè, & scandalosè dicta, scriptave districtè inhibemus, ne in toto Vicariatu nostro disseminentur.

Super septimo Articulo.

Quæritur, an sit approbandum, quod D. Maigrot disponit in septimo Articulo, tenoris sequentis.

Caveant Missionarii, ne qui Christiani Sinicos Libros in Scholis legunt, Atheismum, & diversas superstitiones, quibus illi Libri tam in Textu, quàm in Commentariis scatent, in Auditorum Animos infundant ; sed illos Missionarii admoneant, ut obvios errores refutent, & errorum occasione, quæ de Deo, de Mundi creatione, & gubernatione, Christiana Religio tradit, Discipulos diligenter edoceant ; atque eosdem Christianos Missionarii frequenter commonefaciant, ne quod facilè contingit, suis in scriptionibus aliquid è Scholæ Literariæ principiis Legi Christianæ contrarium admisceant.

III.

RESPONSA

Quæ ad Quæsita superius relata, prævio diuturno, maturo, ac diligentissimo examine, de mandato san. mem. Innocentii XII. priùs inchoato, ac deindè jussu Sanctissimi D. N. D. Clementis PP. XI. per plures annos continuatio à Sac. Congregatione Eminentissimorum, ac Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium in totâ Republicâ Christianâ adversus Hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum à Sede Apostolicâ specialiter deputatorum, auditis Partibus, nec non Theologorum, & Qualificatorum ad id deputatorum votis, data fuerunt, ac postmodum ab eodem Sanctissimo Domino Nostro approbata, & confirmata.

Super primo Articulo.

AD primum Quæsitum Sacra Congregatio censuit non esse adhibenda nomina Europæa ad significandum Deum Opt. Max. Inutilis siquidem esset eorum usus, posito quòd illa Sinicis characteribus exprimi vix possint, nec ullam apud Sinas rei significatæ ideam excitare valeant.

Ad secundum respondit Affirmativè. Si enim illis vocibus apud præcipuam Sinensium Sectam, quæ Literatorum nuncupatur, nonnisi Cœlum corporeum, & visibile, vel quædam Cœli virtus eidem Cœlo insita designatur, quæcumque alia tandem eisdem vocibus significatio attribui valeat, abstinere ab eis prorsus debent Missionarii, ne ansam præbeant illis gentibus existimandi nihil aliud esse Deum, quem Christiani colunt, quam Cœlum corporeum, aut ejus virtutem.

Ad tertium. Similiter respondit Affirmativè, præsertim cum nulla hac in re adsit inter partes controversia.

Ad quartum. Sufficienter fuisse provisum in responsione ad secundum Quæsitum.

Super secundo Articulo.

AD primum. Attentis iis, quæ dicta sunt in responsione ad secundum Quæsitum primi Articuli, Sacra Congregatio respondit permittendum non esse in Ecclesiis Christianorum appendi tabellam, de quâ agitur, nec jam appensam retineri. Etsi enim nefas omninò sit suspicari, quòd aliqui Ministri Evangelici Tabellam hujusmodi in Ecclesiis Christianorum permittentes, alio animo id faciant, quam per inscriptionem in eâ appositam non Cœli materialis, sed Factoris, ac Domini Cœli, adeòque veri Dei cultum explicandi : abstinendum tamen omninò est ab illa praxi, quàm, juxtâ ea, quæ habentur apud S. Leonem *ser. 7. de Nativit. Domini*, cum quis in nostris invenerit, qui erroribus relictis Christianam fidem amplexus est, eam secum partem opinionis vetustæ, tamquam probabilem retinere posset, quam Fidelibus, & Infidelibus viderit esse communem.

Ad secundum. Præsuppositâ inscriptione, de quâ agitur, respondit Negativè. Quod si loco inscriptionis : *Cœlum colito* : proponeretur alia : *Dominum Cœli colito* : esset hæc subrogatio novæ Tabellæ, non declaratio antiquæ.

Super tertio Articulo

REmiſsâ ad alium locum quæſtione remittitur & ad illum reſponſio.

Super quarto Articulo.

AD ſex Quæſita hujus articuli Sacra Congregatio reſpondit: Chriſtianis nullatenùs, nullâque de causâ eſſe permittendum præeſſe, miniſtrare, aut intereſſe ſolemnibus Sacrificiis, ſeu oblationibus, quæ in utroque Æquinoctio cujuſque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri ſolent, tanquam ſuperſtitione imbutis.

Similiter nec eſſe permittendum in Ædibus Confucii, quæ eo appellari dicuntur vocabulo, quo apud Sinas Idolorum templum deſignari dicitur, exerceri, ac peragi à Chriſtianis cœremonias, Ritus, & oblationes, quæ in honorem ejuſdem Confucii fieri dicuntur tum ſingulis menſibus in novilunio, & plenilunio à Mandarinis, ſeu Primariis Magiſtratibus, aliiſque Officialibus, & Literatis, tum ab iiſdem Mandarinis, ſeu Gubernatoribus, ac Magiſtratibus, antequam dignitatem adeant, ſeu ſaltem poſt ejuſdem poſſeſſionem adeptam: tum denique à Literatis, qui poſtquam ad gradus ſunt admiſſi, è veſtigio ad Templum, ſeu Ædem Confucii ſe conferunt.

Idem non eſſe permittendum Chriſtianis in Templis, ſeu Ædibus Progenitoribus dicatis oblationes minus ſolemnes eiſdem facere, nec in illis miniſtrare, aut quomodolibet inſervire, vel alios Ritus, & cœremonias peragere.

Demùm, nec eſſe permittendum Chriſtianis præfatas oblationes, Ritus, ac cœremonias, prout in Quæſitis relatæ ſunt, coram Progenitorum Tabellis, in privatis domibus, nec in eorumdem Progenitorum ſepulchris, aut antequam Defuncti ſepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri conſuetas, unà cum Gentilibus, vel ſeorſim peragere, eiſque miniſtrare, aut intereſſe; imò prædicta omnia, tanquam à ſuperſtitione inſeparabilia, juxta ea, quæ in Quæſitis propoſita ſunt, ne quidem eſſe permittenda Chriſtianis, præmiſsâ publicâ, vel ſecretâ proteſtatione, ſe non religioſo, ſed civili, ac politico tantùm cultu erga Defunctos illa præſtare, nec ab eis quidquam petere, aut ſperare.

Cæterùm per Reſponſa hujuſmodi non cenſendam eſſe damnatam præſentiam illam, ſeu aſſiſtentiam merè materialem, quam cum Gentilibus ſuperſtitioſa peragentibus, citra ullam ſivè expreſſam, ſivè tacitam geſtorum approbationem, ac quovis miniſterio penitùs ſecluſo, eiſdem ſuperſtitioſis actibus quandoque præſtari contingat à Chriſtianis, cum aliter odia, & inimicitiæ vitari non poſſunt, factâ tamen Fidei proteſtatione, & ceſſante periculo ſubverſionis.

Similiter nec per eadem Reſponſa vetari, quo minùs erga Defunctos peragi poſſint alia, ſi quæ ſint juxta earum gentium mores, quæ verè ſuperſtitioſa non ſint, nec ſuperſtitionis ſpeciem præſeferant, ſed intra limites civilium, ac politicorum Rituum contineantur. Porrò quænam hæc ſint, & quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum Domini Patriarchæ Antiocheni Commiſſarii, & Viſitatoris Generalis in Imperio Sinarum, tum Epiſcoporum, ac Vicariorum Apoſtolicorum illarum partium Judicio relinquendum eſſe; qui tamen interea omni, quo poterunt, ſtudio, ac diligentiâ curare debebunt, ut Gentium cœremoniis penitùs ſublatis, illi ſenſim à Chriſtianis, & pro Chriſtianis hac in re uſu recipiantur Ritus, quos Catholica Eccleſia pro Defunctis piè præſcripſit.

Super quinto Articulo

AD tria Quæſita hujus Articuli Sacra Congregatio reſpondit: Chriſtianis non poſſe permitti Tabellas Progenitorum, juxta Sinenſium morem, in privatis domibus retinere, cum inſcriptione, quâ Thronus, ſeu Sedes Spiritus, vel Animæ N. defuncti, adeoque quâ Spiritum, ſeu Animam illius defuncti ibidem aliquando ſiſti, vel reſidere ſignificetur; Imò nec cum aliâ, quâ Sedes, ſeu Thronus, adeòque idem ac priori, licèt magis contractâ, inſcriptione deſignari videatur.

Quo verò ad Tabellas ſolo Defuncti nomine inſcriptas, tolerari poſſe illarum uſum ſecluſo ſcandalo, hoc eſt, dummodò qui Chriſtiſtiani non ſunt, arbitrari non poſſint Tabellas hujuſmodi à Chriſtianis retineri eâ mente, quâ ipſi illas retinent, & adjectâ inſuper declaratione ad latus ipſarum Tabellarum apponendâ, qua & quæ ſit Chriſtianorum de defunctis fides, & qualis filiorum, ac Nepotum in Progenitores pietas eſſe debeat, enuncietur.

Ad Quæſitum tertii Articuli huc remiſſum, Sacra Congregatio ſatiùs duxit nihil reſpondere, ne aliàs Apoſtolica Sedes ab eo, quem in ejuſmodi controverſiis Sinicis hactenus tenuit, antiquo more recedere cogatur, quo nimirùm ad ea, quæ ſibi pro tempore, tametſi diverſimodè expoſita fuerunt, reſponſa quidem veritatis ſemper dare, nunquam verò ſuper expoſitorum hujuſmodi veritate, ſeu falſitate pronunciare conſuevit.

Super ſexto Articulo

NIhil certi firmari poſſe quoad propoſitiones enunciatas in hoc ſexto Articulo, niſi præhabitis plenioribus, & neceſſariis rerum in eis contentarum notitiis. Intereà tamen commitendum eſſe præfato Domino Patriarchæ Antiocheno, ut auditis Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis, nec non peritioribus Miſſionariis illarum Partium, hac in re id ſtatuat, atque decernat, quod juxta datam ſibi à Domino prudentiam Catholicæ Religionis indemnitati, atque Animarum ſaluti magis expedire cenſuerit.

Super ſeptimo Articulo.

PRæſuppoſito, quod Sinici Libri Atheiſmum, & diverſas ſuperſtitiones contineant, prout in Mandato Domini Epiſcopi Cononenſis dicitur, utile non modò, ac ſalutare, ſed & omnimodò neceſſarium fuiſſe monitum, de quo agitur in ſeptimo Articulo, adeòque illud eſſe approbandum.

Laudandam demùm eſſe declarationem in calce ejuſdem Mandati adjectam, qua dicitur culpandos non eſſe illos Miſſionarios, qui aliam praxim ab eâ, quæ in ipſo Mandato præſcribitur, ſequi hactenùs duxerunt; cum mirum videri non debeat, quòd in ejuſmodi materiâ per tot annos diſcuſſâ, & in quâ juxta diverſas Apoſtolicæ Sedi expoſitas circumſtantias, diverſa itidem ante hac emanarunt ejuſdem Sedis reſponſa, concordes omnes non fuerint in eâdem ſententia. Ita proinde hac in re agendum fore tum à præfato Domino Patriarcha Antiocheno, tum ab aliis, quibus ſuperiùs reſponſorum executio injungetur, ut omnis quidem Ethnicæ ſuperſtitionis ſpecies, ejuſque afflatus, juxta Tertulliani monitum,

etiam

etiam de longinquo devitetur : insimul tamen Operariorum Evangelicorum in Vineâ Domini strenuè, ac sedulò laborantium, qui priusquam supra relata Dubia ex solitâ hujus S. Sedis prouidentiâ, ac rectitudine dirimerentur, aliter senserunt, honori, ac famæ consulatur, nec tamquam Idololatriæ Fautores traducantur ; præsertim quia pleraque ex illis, quæ Christianis permittenda non esse, sicut præmittitur, responsum fuit, ipsi quoque se nunquam reverâ permisisse declararunt, nec dubitandum sit illos, finitâ jam causâ, præfatæ Sanctæ Sedis mandatis eâ, quâ decet, humilitate, & obedientiâ esse obsecuturos.

IV.

Fer. 5. die 20. Novembris 1704.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo D. N. D. Clemente divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctitas Sua, postquam in pluribus Congregationibus coram se habitis, ab ipso Pontificatus sui primordio, super præmissis Quæsitis, seu Dubiis Theologorum, ac Qualificatorum ad id à sanctæ memoriæ Innocentio XII. Deputatorum sententias exceperat : postquam itidem pluries de iis egerat cum DD. Episcopis Beritensi, & Rosaliensi Vicariis Apostolicis in Regno Sinarum, Romæ nunc commorantibus ac postquam demùm quicquid in ejusmodi controversiis Patres Franciscus Noel, & Gaspar Castner Societatis Jesu Procuratores, & Missionarii Apostolici ejusdem Regni deducere potuerunt, seu voluerunt, audiverat : Responsa supradicta, quæ n aliis præcedentibus Congregationibus similiter coram Sanctitate Sua habitis, diù, multumque discussa, ac maturè examinata fuerant, confirmavit, & approbavit, illaque Domino Carolo Thomæ de Tournon Patriarchæ Antiocheno Commissario, & Visitatori Apostolico in præfato Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis transmitti mandavit, una cum congrua, & opportuna Instructione desuper facienda, ad hoc ut tam ipse, quàm reliqui Archiepiscopi, Episcopi, seu alii, qui in illis partibus Visitatoris, Delegati, seu Vicarii Apost. munus exercent, vel in posterùm exercebunt, Responsa hujusmodi ab omnibus, & singulis nunc, & pro tempore ibidem existentibus Missionariis cujuscunque Ordinis, Religionis, & Instituti, etiam Soc. Jesu, nec non ab universis Christifidelibus earumdem partium sub pœnis canonicis ea, quæ decet, obedientia observari curent, & faciant ; suspensa tamen interea, justis, & rationalibus ex causis animum Sanctitatis Suæ moventibus, eorumdem Responsorum publicatione, seu quavis evulgatione tam in Urbe, quàm in aliis Europæ partibus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Joseph Bartolus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

DECRETUM.

Quo Sententia, seu Decretum à Consilio Brabantiæ emanatum, ut Libertatis, Immunitatis, ac Jurisdictionis Ecclesiasticæ manifestè læsivum, damnatur, ac nullum, & irritum declaratur, cum aliis Ordinationibus.

Feria V. die 29. Martii 1708.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum coram Sanctissimo D. N. D. Clemente Divinâ Providentiâ Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in totâ Republicâ Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Cùm ad aures Sanctissimi D. N. Clementis Papæ XI. pervenerit à Consilio Brabantiæ emanasse quamdam Sententiam, seu Decretum, quo non solùm Archiepiscopo Mechlinienſi præcipitur, ut quasdam suas monitoriales literas ad Guilielmum Vandenesse Deservitorem Ecclesiæ Parochialis Sanctæ Catharinæ pro rebus ad Fidem spectantibus transmissas, casset, & annullet, verùm etiam omnibus, tam Ecclesiasticis, quàm Secularibus personis injungitur, ut censuris in prædictis literis monitorialibus appositis, & comminatis nullatenus obediant, easdemque nullius efficaciæ reputent sub iisdem pœnis, quibus Perturbatores publicæ quietis obnoxii reperiuntur, nec non multa alia continentur Libertati, Immunitati, ac Jurisdictioni Ecclesiasticæ notoriè adversantia, ut in eâdem Sententiâ uberiùs legitur, eamdemque Sententiam publicis in locis affixam fuisse non sine maximo Christifidelium scandalo, ac perturbatione. Cumque summoperè sit alienum à ratione, ac pietate, & Religione Catholicorum Hominum Ecclesiasticos Judices in sua jurisdictione, ac multò magis in rebus, & causis ad Catholicam Fidem pertinentibus, quoquomodo impedire, vel perturbare, quin potius ipsis cum eorum auxilium fuerit invocatum assistere teneantur ; Præfatus Sanctissimus D. N., ne rem tam perniciosi exempli dissimulare videatur, firmis ante omnia remanentibus præfatis Archiepiscopi Melchlinienſis literis monitorialibus, Decretum, seu Sententiam prædictam à Concilio Brabantiæ emanatam, cujus tenorem, non quidem approbandi, sed penitùs, & omninò reprobandi animo, hic pro inserto voluit sufficienter haberi, & pro specificè declarato, habita super ea cum Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in totâ Republicâ Christianâ Generalibus Inquisitoribus deliberatione maturâ, & de eorum Fratrum consilio præfatam Sententiam cum omnibus, & singulis eam præcedentibus, & quomodolibet consequentibus, licèt ipso jure nulla, irrita, inania, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacua ab ipso initio fuerint, & sint, nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, auctoritate Apostolicâ damnat, improbat, cassat, irritat, & nullius roboris, & momenti fuisse, & esse decernit, & declarat, ac pro infectis haberi vult.

Mandat insuper Sanctitas Sua quibuscumque Personis cujuslibet gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, etiam speciali, vel specialissima nota dignis, ne præfato Decreto, seu Sententiæ, vel eam quoquomodo præcedentibus, aut consequentibus ullo pacto obediant, aut deferant, vel illa in judicio, aut extra allegare, seu iis uti præsumant, perinde, ac si illa non emanassent, sub

pœnis, & censuris contra Violantes Ecclesiasticam libertatem, immunitatem, & jurisdictionem inflictis, à quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, beneficium absolutionis obtinere valeant.

Postremò prædicto Barbantiæ Consilio Sanctitas Sua mandat, & præcipit, ut prædictum Decretum, seu Sententiam cum omnibus eam præcedentibus, & quomodòlibet subsequentibus ex libris, codicibus, & regestis, in quibus descripta, & adnotata fuerint, tolli, aboleri, & cassari faciat cum effectu, ne alias contra eos Consiliarios, aliosque quotquot præfatæ Sententiæ cooperati sunt, aut quomodolibet consenserunt, pœnis, & censuris prædictis ea de causâ jam irretitos ad alia majora remedia procedere compellatur.

Præterea, ut à nemine ullo unquam tempore ignorantia hujus Decreti allegari possit, Sanctitas Sua vult, & intendit, quod affixum in locis solitis hujus Almæ Urbis omnes, & singulos, quos illud concernit perindè arctet, & afficiat, ac si unicuique eorum fuisset nominatim, & personaliter intimatum. Præcepit tandem sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quis hujus Decreti paginam infringere, vel ei ausu temerario audeat contraire.

Joseph Bartolus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Die 10. *Aprilis* 1708. *supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatij S. Officij, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

DECRETUM.

V. Quo Institutiones Theologicæ Gasparis Juvenin damnantur, earumque retentio, & lectio sub gravibus pœnis interdicitur.

Feria 3. *die* 25. *Septembris* 1708.

SAcra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum S.R.E. Cardinalium in totâ Republicâ Christianâ Generalium Inquisitorum habita in conventu Sanctæ Mariæ super Minervam, auditâ relatione, & censurâ factâ à Qualificatoribus Theologis ad id specialiter deputatis Operis in septem Tomos distributi sub titulo: *Institutiones Theologicæ ad usum Seminariorum. Autore Gaspare Juvenin Oratorij Gallicani Presbytero, & in Seminario Eminentissimi Cardinalis de Noailles Archiepiscopi Parisiensis Sacræ Theologicæ Professore. Parisiis, & Venetiis* 1704. & 1705. Præfatum opus de mandato Sanctissimi D. N. Clementis Papæ XI., cui relata fuerunt cum prædictâ Theologorum censurâ eorumdem Eminentissimorum vota, præsenti Decreto prohibet, & damnat, vetatque, ne quis cujuscumque sit status, & conditionis ullo modo, & sub quocumque prætextu iterum imprimere, neque imprimi facere, neque jam impressum, tam ex supradictis, quàm ex quacumque alia editione apud se retinere, aut legere audeat: Sed ipsum Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim, & cum effectu tradere, & consignare teneatur, sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis.

Joseph Bartolus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Die 9. *Octobris* 1708. *supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatij S. Officij, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

EDICTUM,

VI. Quo quibuscunque Personis sub excommunicationis latæ Sententiæ, & aliis gravissimis pœnis interdicitur, ne quem piam, cui Secretum S. Officij commissum est, ad illud ullo modo violandum adducere, vel etiam requirere audeant.

LA Santità di Nostro Signore PP. Clemente XI. che in mezzo all'immense cure del suo Pontificato rivolge i più serij pensieri al mantenimento della S. Fede Cattolica, maturatamente considerando quanto à ciò conferisca, & abbia conferito sin hora il segreto del S. Offizio, che nelle cause, tanto immediatamente, quanto mediatamente dipendenti dalla medesima, s'è inviolabilmente osservato da tutti quelli, à i quali è stato confidato, per maggiormente assicurarlo dalle insidie d'alcuni, che non avendolo legitimamente, ricorrono all'artificio, & all'inganno, per venire in cognizione delle materie, che ad esso appartengono: ed insinuandosi con le persone che l'hanno, procurano con fallaci, suggestive interrogazioni di sorprenderle, e d'indurle à manifestarlo, sottraendo anche dagl'occhi delle medesime le più gelose scritture, le quali leggano, ritengano, copiano, e poi communicano ad altri. Uditi sopra di ciò gl'Eminentissimi Signori Cardinali Generali Inquisitori, ordina con il presente Editto, il quale affisso ne i luoghi soliti di Roma, vuole, che abbia l'istessa forza, come se fusse à ciascuno personalmente intimato, à tutte, e singole persone legitimamente non ammesse al sopradetto segreto del S. Offizio di qualsivoglia grado, e condizione, benche degne di specialissima menzione, che non ardischino in avvenire di ricercare, e sotto qualunque pretesto, e colore investigare le notizie compresse sotto l'istesso segreto, procurare, leggere, retinere, e communicare ad altri scritture, manuscritti, & altre materie ad esso appartenenti, ed in qualsivoglia maniera sorprendere, ed indurre à rivelarlo le persone, nella fedè delle quali è stato degnamente depositato sotto pena à i Contraventori della Scommunica maggiore di lata Sentenza da incorrersi ipso facto senza alcuna precedente dichiarazione, dalla quale non possino essere assoluti, se non nel solo articolo della morte, che dalla Santità Sua, e dagl'altri Sommi Pontefici suoi Successori, sospendendo, e levando sopra di ciò tutta la facoltà alla Sagra Penitenziaria, & all'istesso Eminentissimo Cardinale Sommo Penitenziere, e sotto pene anche corporali gravi, e gravissime ad arbitrio della Santità Sua, da estendersi fino alla Galera, secondo le circostanze delle trasgressioni, e le qualità delle Persone, che averanno trasgredito. Dato dal Palazzo del S. Offizio questo adi 24. Gennaro 1710.

Joseph Bartolus S. Romanæ, & Universalis Jnquisitionis Notarius

Die 24. *Januarii* 1710. *supradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatij S. Officij, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

DECRETUM.

VII. Super omnimoda, ac inviolabili obſervatione Reſponſorum alias in causâ Rituum, ſeu Cœremoniarum Sinenſium à Sacra Congregatione datorum, & à Sanctiſſimo approbatorum, cum aliis Ordinationibus.

Feria 5. die 25. Septembris 1710.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habitâ in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Clemente divinâ providentiâ Papa XI. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in totâ Republicâ Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolicâ ſpecialiter deputatis.

Idem Sanctiſſimus Dominus Noſter in causâ Rituum, ſeu Cœremoniarum Sinenſium, auditis tam in Congregationibus anno præterito non ſemel, quàm in aliis menſe, & anno præſentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, præfatorum Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium, qui rem maturè, ac diligentiſſimè diſcuſſerunt, ſententiis, decrevit, & declaravit reſponſa aliàs in causâ hujuſmodi ab eâdem Congregatione datâ, & à Sanctitate Suâ die 20. Novembris 1704. confirmata, & approbata, necnon Mandatum, ſeu Decretum ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo DD. Cardinali de Tournon tunc Patriarcha Antiocheno Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico Generali in Imperio Sinarum die 25. Januarij 1707. hac de re editum ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inconcuſsè, & inviolabiliter, ſub cenſuris, & pœnis in Mandato, ſeu Decreto hujuſmodi expreſſis, obſervanda eſſe; Quovis contrafaciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato, ac potiſſimum non obſtante quacunque appellatione à quibuſvis perſonis, ſive Secularibus, ſive Regularibus, etiam ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſſione dignis, ac quâvis Eccleſiaſticâ dignitate fulgentibus, ad Sedem Apoſtolicam interpoſitâ, quam propterea Sanctitas Sua rejiciendam eſſe decrevit, ac reipſa rejecit. Porrò cum idem D. Cardinalis de Tournon in ſuo Mandato, ſeu Decreto ſupradicto Apoſtolicæ deciſioni die 20. Novembris 1704. latæ ſe expreſsè inhærere profeſſus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit ipſum Mandatum, ſeu Decretum unà cum cenſuris in eo contentis ad normam eorundem reſponſorum accipiendum eſſe, itaut nihil per illud reſponſis præfatis additum, ſeu detractum fuiſſe cenſendum ſit, ac omnia, quæ in eis inſunt, etiam in Mandato, ſeu Decreto prædicto ineſſe intelligantur. Cæterum Sanctitas Sua, tametſi non ſine ingenti animi ſui mœrore acceperit, quod humani generis hoſtis multiplicia in dies zizania in latiſſimis illis regionibus ſuperſeminare non ceſſat, non tamen propterea in eis Catholicæ Religionis propagandæ ſaluberrimum, ac ſanctiſſimum opus ullatenùs deſerere volens, ſed illud majori, qua poteſt, animi contentione, ac ſtudio, iiſque potiſſimum diſſidiis, quibus inibi Chriſtianæ fidei ſeges, veluti ſpinis ſuffocatur, prorsùs ſubmotis, ardentiùs ſemper, & enixiùs promovere cupiens. congruam ſuper præmiſſis, aliiſque ad ea pertinentibus inſtructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, ſin minus illi, qui ejus loco deputatus fuerit, necnon Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis earumdem partium tranſmitti mandavit, quâ non minus debitæ Apoſtolicorum decretorum executioni, quàm Miſſionariorum concordiæ, Evangelicæ veritatis prædicationi, atque animarum ſaluti opportunè conſulatur. Demum, ut nimiæ illi de his rebus ſcribendi licentiæ, quæ non ſine fidelium ſcandalo inter Partes diuturnâ contentione exaſperatas invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua diſtrictè præcipit omnibus, & ſingulis cujuſvis Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis, etiam de neceſſitate exprimendæ, Regularibus, aliiſque quibuſcumque Secularibus Perſonis tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis, cujuſcumque tandem ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis exiſtant, ut in poſterum non audeant ſub quovis quæſito colore, vel prætextu imprimere, vel quoquomodo in lucem edere libros, libellos, relationes, theſes, folia ſeu ſcripta quæcumque, in quibus ex profeſſo, vel incidenter de Ritibus Sinicis hujuſmodi, vel de controverſiis deſuper, ſeu illorum occaſione exortis quomodòlibet tractetur, ſine expreſsâ, & ſpeciali licentiâ à Sanctitate Sua, ſeu pro tempore exiſtente Romano Pontifice in Congregatione ſupradictæ Sanctæ, & Univerſalis Inquiſitionis obtinenda. Ut autem ejuſmodi prohibitio inviolabiliter obſervetur, eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit Contravenientes quoſcumque excommunicationis latæ ſententiæ, Regulares verò etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnas ipſo facto abſque aliâ declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & Succeſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis ſubjacere. Libros porrò, libellos, relationes, theſes, folia, ac ſcripta quæcumque, quæ in futurum præſentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, ſuper quibus opportunè providebitur) pro expreſsè prohibitis haberi voluit, abſque alia declaratione ſub pœnis, & cenſuris in Regulis Indicis librorum prohibitorum contentis. Impreſſores verò, præter ſcriptorum ſic impreſſorum amiſſionem, pecuniariis, aliiſque corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, teneri mandavit; In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Joſeph Bartolus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

Die prima Octobris 1710. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatij S. Officij, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum Sanctæ Inquiſitionis Curſorem.

LETTERA.

VIII. Scritta da Monſignor Aſſeſſore del S. Offizio al P. Generale della Campagnia di Gieſù li 11. Ottobre 1710. d'ordine della Santità di Noſtro Signore.

PEr riparo delle ſiniſtre interpetrazioni, che contro la mente di N. S. da alcuni ſi danno al Decreto ultimamente publicato nella Cauſa de' Riti Cineſi, quaſi che nella ſeconda parte di eſſo venga diſtrutto quanto ſi diſpone nella prima; dichiarai nella ſettimana paſſata à V. P. Reverendiſſima per ordine della Santità Sua, che ſiccome la medeſima non hà mai riputato, che il ſuo primo decreto dell'ano 1704. foſſe condizionato, di maniera che l'oſſervarlo, ò nò, reſtaſſe in arbitrio di chi ne credeſſe, ò non ne credeſſe verificata l'eſpoſizione; così vuole, che l'eſatta oſſervanza di eſſo, e del Mandato del Signor Cardinale di

1710.

Tournon, sì ſtrettamente ingiunta nell'ultimo Decreto, non ſi poſſa eludere con tale preteſto, ſotto le pene contenute in detto Mandato; aggiungendole, come le diſſi, che apunto principalmente con l'oggetto di levare queſto preteſto della preteſa condizionalità del primo Decreto, aveva la Santità Sua ordinato, che nel ſudetto ultimo Decreto ſi metteſſero quelle parole: *quovis contrafaciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato*: Ubbidiſco ora à un nuovo comandamento della Santità Sua, con ſignificare, come faccio, à V. P. Reverendiſſima, che eſſendo oggi giorno di poſta, ella ſi contenti, in occaſione, che traſmetterà il ſudetto Decreto a'ſuoi Religioſi nella China, di accompagnarlo anco con la notizia dell'acennata dichiarazione da me fattagliene, affinche non abbia per conto loro, come pienamente confida Sua Santità, à venir ritardata in conto alcuno la puntuale oſſervanza del medeſimo Decreto, che, come ella ben sà tanto preme à Sua Beatitudine; e le bacio divotamente le mani.

Di V. P. Reverendiſſima

Dal S. Offizio 11. Ottobre 1710.

Divotiſs., & Obligatiſs. Servitore.

Antonio Banchieri.

RISPOSTA

Del Padre Generale della Compagnia di Gieſù.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore Padrone Colendiſſimo.

RIcevo con la dovuta venerazione i ſentimenti, e i comandi di Sua Santità, eſpoſtimi da V.S. Illuſtriſſima in queſta ſua delli 11. ſtante; e la prego ad aſſicurar la Santità Sua, che mi conformerò ad eſſi, e gl'eſeguirò colla maggior attenzione, e farò tutto il poſſibile, perche con egual puntualità ſiano eſeguiti anche da gl'altri tutti della Compagnia. Spero di trovare in ogn'uno di eſſi in ciò la prontezza, che tutti dobbiamo à i cenni di Sua Santità; E riverendo V. S. Illuſtriſſima con tutto il riſpetto, mi raſſegno.

Di V. S. Illma, e Rma

Dalla Caſa Profeſſa 11. Ottobre 1710.

Devotiſs., & Obligatiſs. Servitore.

Michel Angelo Tamburini Prepoſito Generale della Compagnia di Gieſù.

LETTERA

Scritta da Monſignor Aſſeſſore del S. Offizio alli PP. Generali de'Predicatori, de gl'Agoſtiniani, e V. Commiſſarii Generali de'Min. Oſſervanti, e Riformati di S. Franceſco li 17. Ottobre 1710. d'ordine della Santità di Noſtro Signore.

PEr riparo delle ſiniſtre interpretrazioni, che contro la mente di N. S. da alcuni ſi danno al Decreto ultimamente publicato nella Cauſa de i Riti Cineſi, quaſiche nella ſeconda parte di eſſo venga diſtrutto quanto ſi diſpone nella prima, mi comanda la Santità Suadi dichiarare in ſuo nome, come faccio, à V. P. Reverendiſſima, che ſiccome la medeſima non hà mai riputato, che il ſuo primo Decreto dell' anno 1704. foſſe condizionato, di maniere che l'oſſervarlo, ò nò, reſtaſſe in arbitrio di chi ne credeſſe, ò non ne credeſſe verificata l'eſpoſizione; così vuole, che l'eſatta oſſervanza di eſſo, e del Mandato del Signor Cardinale di Tournon, sì ſtrettamente ingiunta nell'ultimo Decreto, non ſi poſſa eludere con tal preteſto, ſotto le pene contenute in eſſo Mandato, aggiungendole, che appunto principalmente con l'oggeto di levare queſto preteſto della preteſa condizionalità del primo Decreto, ordinò la Santità Sua, che nel ſudetto ultimo Decreto ſi metteſſero quelle parole: *quovis contrafaciendi quæſito colore, ſeu prætextu penitus ſublato*: Uvole perciò le Santità Sua, che V. P. Reverendiſſ. in occaſione di traſmettere a'Religioſi del ſuo Ordine Miſſionarij della Cina il ſudetto Decreto, lo accompagni anche con la notizia di queſta dichiarazione, affinche non abbia per conto loro, come pienamente confida, à venire ritardata in conto alcuno la puntuale oſſervanza del medeſimo Decreto, che, com'ella ben sà, tanto preme à Sua Beatitudine; E le bacio divotamente le mani.

Di V, P. Rma

Dal S. Offizio 17. Ottobre 1710.

Divotiſſ., & Obligatiſſ. Servitore.

Antonio Banchieri

RISPOSTA

Del P, Generale de'Predicatori.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore Padrone Oſſervandiſſimo.

RIcevo con li dovuti ſenti menti d'oſſequio gl'ordini di N.S. notificatimi da V.S. Illuſtriſſima nella ſua delli 17. corrente, con i quali la Santità Sua mi comanda, che in occaſione di traſmettere à Religioſi del mio Ordine Miſſionarij nella Cina il Decreto ultimamente publicato nella Cauſa de'Riti Cineſi, debba accompagnarlo con la notizia, che Sua Santità ſiccome non hà mai riputato, che il ſuo primo Decreto dell'anno 1704. ſnſſe condizionato, così vvole, che qualunque ſiniſtra interpretazione di preteſa condizionalità non poſſa impedire l'eſatta oſſervanza di eſſo, e del Mandato del Signor Cardinale di Tournon. Eſeguiſco prontamente gl'ordini di Sua Santità, e ſon certo, che li Miſſionarii del mio Ordine nella Cina ubidiranno con tutta raſſegnazione, come ſempre hanno fatto; e le bacio riverentemente le mani.

Di V. S. Illma, e Rma

Minerva 18. Ottobre 1710.

Divotiſſ., & Obligatiſſ. Servitore.

Fr. Antonino Cloche Maeſtro Generale de' Predicatori.

RISPOSTA

Del Padre Generale de gl'Agoſtiniani.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore Padrone Colendiſſimo.

RIcevo il benigniſſimo foglio di V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima, con cui mi comanda à nome di N. S., che nel traſmettere à i Miſſionari del Mio Ordine nella Cina il Decreto ultimamente publicato nella Cauſa de i Riti Cineſi, faccia loro ſapere l'obligo, che hanno di eſattamente oſſervarlo, ſenza far conto delle ſiniſtre interpetrazioni, che da alcuni ſi danno, mentre la Santità Sua dichiara, che ſicome non ha mai riputato, che il ſuo primo Decreto dell' anno 1704. foſſe condizionato, così vvole, che l'eſatta oſſervanza di eſſo, e del Mandato del Signor Cardinale di Tournon non ſi poſſa eludere con verun preteſto. Io mi darò l'onore di ubbidire à i zelantiſſimi comandamenti della Sanrità Sua; e bacio à V. S. Illuſtriſſima riverentemente le mani.

Di V. S. Illma, e Rma

Da S. Agoſtino li 18. Ottobre 1710.

Umiliſſimo, & Obligatiſſimo Servo.

Fr. Diodato Nuzzi Generale de gl'Agoſtiniani.

RISPOSTA

Del P. V. Commiſſario Generale de' Minori Oſſervanti.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signor mio Signore Padrone Colendiſſimo.

HO ricevuto la lettera di V. S. Illuſtriſſima in data de 17. corrente ſpedita dal S. Offizio, con cui mi partecipa la dichiarazione di S. S. all'ultimo Decreto uſcito ſopra le materie de' Miſſionarii della Cina, & il commando, che in occaſione di traſmettere à miei Religioſi Miſſionarii nella Cina il Decretto, vi uniſca la not zia della dichiarazione, accioche e l'uno, e l'altra ſia inviolabilmente atteſo, & eſeguito, come richiede la qualità della materia, e l'ubbidienza prontiſſima, che ſi deve à N. S., & alla S. Sede. Nella contingenza della Riſpoſta, che hò l'onore di dare à V. S. Illuſtriſſima, di aver ricevuto la da me rivertiſſima lettera, devo aſſicurarla, che ubbidirò eſattamente à quanto mi vien comandato nella medeſima lettera, e nelle occaſioni, che mi ſi offeriranno, ne darò à V. S. Illuſtriſſima atteſtati della puntuale ubbidienza; e con riverentemente baciarli le Sacre mani, reſto à comandi.

Di V. S. Illma, e Rma

Roma Araceli 18. Ottobre 1710.

Umiliſſimo, e Divotiſſimo Servitore.

Fr. Celeſtino V. Commiſſario Generale.

RISPOSTA.

Del Padre V. Commiſſario Generale de' Riformati.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore Padrone Colendiſſimo.

IN eſecuzione prontiſſima di quanto V. S. Illuſtriſſima ſi compiacque comandarmi per ordine di N. S., l'accerto, che alla prima congiuntura, che vi ſarà, di poter traſmettere nella Cina alli Miſſionarii del mio Ordine l'ultimamente emanato Decreto di Sua Santità, gli s'inculcarà la piena oſſervazione del medeſimo, e gli ſi manifeſtarà la dichiarazione, e mente di Sua Beatitudine, affinche ſia in tutto effettuata. Tanto m'accade in riſpoſta della favoritiſſima di V. S. Illuſtriſſima, alla quale oſſequioſo bacio le Sacre mani.

Di V. S. Illma, e Rma.

S. Franciſco à Ripa 18. Ottobre 1710.

Umiliſſimo, & Obligatiſſimo Servo.

Fr. Antonio da Monte Bufo V. Commiſſario Generalo.

DECRETUM. IX.

Super denegatione ſuffragiorum Eccleſiæ, & privatione Eccleſiaſticæ Sepulturæ Petri Coddæi Archiepiſcopi Sebaſten. defuncti abſque ullo reſipiſcentiæ, ac pœnitentiæ ſigno in ſuâ damnabili contumaciâ, & inobedientiâ Decretis Apoſtolicis.

Feria 4. die 14. Januarii 1711.

IN Congregatione Generali S. R., & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in totâ Republica Chriſtiana contra Hæreticam pravitatem generalibus Iuquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Lectis literis D. Nuncii Apoſtolici Colonienſis referentis, Dominum Petrum Coddæum Archiepiſcopum Sebaſtenum in Hollandia gravi morbo detineri, non ſine imminenti vitæ periculo, ſequæ ad tollendum, ſi fieri poſſet, publicum ſcandalum, quod ex notoriâ, & diuturnâ, ejuſdem Archiepiſcopi inobedientiâ tot Decretis Apoſtolicis exortum creſcebat in dies, tranſmiſiſſe in Hollandiam Alexandrum Borgiam auditorem ſuum unâ cum paternis literis eumdem ad veram, & Catholico Archiepiſcopo dignam reſipiſcentiam adhortantibus: & nihilominùs ipſum in ſuâ contumaciâ preſtitiſſe; Ac propterea petentis ejuſdem Sacræ Congregationis mandata, quid ſibi agendum eſſet, quatenùs præfatus Archiepiſcopus (quod Deus averteret) in eadem damnabili pertinaciâ moreretur: Eadem Sacra Congregatio, re maturè diſcuſsâ, die 30. Decembris 1710. cenſuit: *Eidem Archiepiſcopo, quatenus ſine debita pœnitentia deceſſerit, aut decedat, deneganda eſſe à Chriſtifidelibus ſolita ſuffragia, tanquam notoriè inobedienti, & refractario Conſtitutionibus, & Decretis Apoſtolicis, & privandum eſſe Eccleſiaſtica ſepultura; eaque de ire per eumdem D. Nuncium Colonienſem admonendos eſſe omnes Catholicos in Hollandiæ Partibus conſtitutos*, Quod quidem Decre-

tum

tum à R. P. D. Assessore Sancti Officii Sanctissimo D. Nostro Domino Clementi Divinâ Providentiâ Papæ XI. eadem die in solitâ audientiâ relatum Sanctitas Sua approbavit, & executioni demandari jussit.

Cùm verò postmodum aliis ejusdem D. Nuncii, & pluribus aliorum literis Sacræ Congregationi nunciatus fuerit infelix, ac undequaque deplorabilis ejusdem Archiepiscopi obitus, absque ullo pœnitentiæ de præfatâ publicâ inobedientiâ signo, immò cum repetitâ novis; & enixis supradicti Auditoris adhortationibus repugnantiâ, atque obfirmatione, præsertim in denegandâ debitâ sujectione Decretis Apostolicis, ac subscriptione novissimæ Constitutionis Sanctissimi Domini Nostri, quæ incipit *Vineam Domini &c.* adversùs Jansenianam hæresim; Eadem Sacra Congregatio die 14 Januarii 1711., re iterum maturè discussâ, quamvis non sine maximo omnium Eminentissimorum Patrum dolore, censuit supradictum Decretum die 30. Decembris 1710. editum esse exequendum, & per eumdem D. Nuncium, non tam ad damnandam Defuncti memoriam, quàm ad aliorum Contumacium, ac refractariorum exemplum, & admonitionem, ut tremendi Judicii Dei memores, saluti Animarum suarum opportunè consulant, omnibus per Hollandiam Catholicis significandum esse. Quæ omnia, & singula per R. P. D. Assessorem eadem die in solita audientiâ Sanctissimo Domino Nostro relata Sanctitas Sua, prout idem R. P. D. Assessor retulit, in omnibus, & per omnia benignè approbavit, & executioni demandari jussit.

Joseph Bartolus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

DECLARATIO

X.

Reverendissimi Patris Michaelis Angeli Tamburini Præpositi Generalis Societatis Jesu super Postulato unanimiter sibi facto à RR. Patribus Assistentibus Nationum, & Procuratoribus Provinciarum ejusdem Soc. Romæ Congregatis Mense Novembri 1711. Sanctissimo Domino Nostro Domino Clementi XI. Pontifici Maximo humiliter oblata ab eodem P. Præposito Gen. die 20. ejusdem mensis.

Die 20. Novembris 1711.

REverendiss. Pater Michael Angelus Tamburinus Præpositus Generalis Societatis Jesu, provolutus ad pedes Sanctiss. D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. in Palatio Apostolico Quirinali, unâ cum PP. Assistentibus Nationum, ac Procuratoribus singularum Provinciarum dictæ Societatis, obtulit Sanctitate Suæ per modum supplicis libelli scripturam tenoris, qui sequitur, videlicet:

Foris:

Sanctissimo D. Nostro Clementi Papæ XI. Propræposito Generalis Societatis Jesu.

Intùs verò.

Inter Postulata, quæ Patres Procuratores missi Romam è singulis Societatis Jesu Provinciis ad consuetam Congregationem Procuratorum indictam in hunc mensem Novembrem anni 1711. proposuere, unum fuit præ cæteris summâ oblatum contentione, & acerrimis omnium studiis, votisque commendatum, tanquam longè maximi ad suarum Provinciarum pacem, & existimationem momenti.

In hoc Postulato significant Præposito Generali lacerari Societatis universæ nomen indignissimâ accusatione, quæ illi majorem inurit dolorem, quàm innumerabiles aliæ accusationes, obtrectationes, & calumniæ contrà eamdem fabricari, & disseminari solitæ; & quâ se fatetur ad vivum vulnerari, & pupillam oculi sui tangi.

Accusationem hanc vehementiores Adversarii his verbis informant: *Erga Decreta Pontificia præ cæteris exactam submissionem, cæcamque obedientiam buccinant Jesuitæ; ab ea tamen præ cæteris deficiunt; dum ad salivam decreta non sunt. . . . . Religiosos Societatis præ cæteris inobedientes esse Constitutionibus Apostolicis.*

Eam ob rem prædicti Patres Procuratores ad refellendam omni ope tàm probrosam, quam à veritate alienam accusationem, simulque ad declarandum Societatis dolorem, cùm se tàm gravi, tàm acerbo vulnere petitam sensit; unâ voce postularunt, ac faciendum judicarunt, ut solemni, & legitimâ quadam actione, quæ vim, & locum obtineret cujuscumque Apologiæ, Præpositus Generalis Societatis nomine totius Ordinis confirmaret, contestaretur, ac declararet, provolutus ad Sanctitatis Suæ pedes, & coram Ecclesiâ universâ, constantissimam, immutabilem, invictam totius Societatis Jesu fidem in amplectendis, obeundis, & ad ultimum usque spiritum exequendis, quæcumque fuerint à Sede Apostolica præscripta, constituta, & imperata, & nominatim quod spectat ad Decreta per Suam Sanctitatem edita de ritibus Sinensibus tum anno 1704. die 20. Novembris, tum anno 1710. die 25. Septembris; Quæ quidem Decreta, etiam prout à Sanctitate Sua explicata, & exposita fuerunt in literis ejus nomine scriptis ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Assessore Sancti Officii ad Reverendum admodum Patrem Præpositum Generalem Societatis sub die 11. mensis Octobris anno 1710. inconcussè, & inviolabiliter, sub censuris, & pœnis ibidem expressis, sine ullâ contradictione, tergiversatione, aut cunctatione, quovis contrafaciendi quæsito colore, aut prætextu penitus sublato, sibi adamussim observanda, & exequenda, sponte, & ultrò admittit, & amplectitur Societas universa: atque ita obloquentium ora obstructum iri confidit.

Huic Postulato unâ cum Patribus Assistentibus iidem Patres Procuratores Romæ convocati propriâ manu subscripsere.

Michael Dias Assistens Lusitaniæ.
Andreas Vvaibl Assistens Germaniæ.
Jo. Vincentius Imperialis Assistens Italiæ.
Guillelmus Daubenton Assistens Franciæ.
Ludovicus de Montesdoca Assistens Hispaniæ.
Matthias Karski Procurator Lituaniæ.
Richardus Plovuden Procurator Angliæ.
Stephanus Sczainecki Procurator Poloniæ.
Joseph Vice comes Procurator Provinciæ Mediolanensis.
Carolus Franciscus Demachault Procurator Campaniæ.
Carolus Dauchez Procurator Franciæ.
Josephus Preiss Procurator Germaniæ Superioris.
Jo. Baptista Spinula Procurator Provinciæ Romanæ.
Antonius Milesius Procurator Provinciæ Venetæ.
Andrea Dehmaz Procurator Rheni Superioris.
Joannes Petrus du Fornel Procurator Provinciæ Tolosanæ.

Gaſpar Buhon Procurator Provinciæ Lugdunenſis:
Balthaſar Vveiman Rheni Inferioris Procurator.
Gavinus Silveſter Lecca Procurator Sardiniæ.
Joannes de Bruyn Procurator Flandrobelgij.
Franciſcus Reſcalli Procurator Auſtriæ.
Joannes Capeta Procurator Bohemiæ.
Dominicus Viva Procurator Neapolitanæ.
Joannes Baptiſta de Fourmeſtraux Procurator Gallobelgicæ.
Antonius Franciſcus Joſeph Provana Procurator Sinenſis.

BEATISSIME PATER.

TAm juſtis, tam gravibus, ac neceſſariis PP. Procuratorum Poſtulatis obſecundans Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu ad Sanctitatis Veſtræ pedes humillimè provolutus, quocumque optimo, ac certiſſimo modo poteſt, cùm omni aſſeveratione, ac ſinceritate ſuo, ac totius Societatis nomine profitetur, ac declarat Sanctitati Veſtræ, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, conſtantiſſimum obſequium, reverentiſſimam ſubmiſſionem, & obedientiam cæcam, in amplectendis, & exequendis quæcumque per eamdem Sanctam Sedem decreta fuerint, & imperata; iiſque potiſſimum, quæ circa Sinicos ritus edita ſunt, tum anno 1704. die 20. Novembris, tum anno 1710. die 25. Septembris. Quæ quidem Decreta, etiam prout à Sanctitate Veſtra explicata, & expoſita fuerunt in Literis Sanctitatis Veſtræ nomine eidem Præpoſito Generali ſcriptis ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Aſſeſſore S. Officij ſub die 11. Octobris anno 1710. inconcuſsè, & inviolabiliter, ſub cenſuris, & pœnis ibidem expreſſis, ſine ullâ contradictione, tergiverſatione, aut cunctatione, quovis contrafaciendi quæſito colore, aut prætextu penitus ſublato, ſibi adamuſſim obſervanda, & exequenda ſponte, & ultrò admittit, & amplectitur Societas. Univerſa. Teſtatur autem idem Præpoſitus Generalis hanc eſſe vocem, hoc votum, hunc ſpiritum, Societatis Univerſæ, hunc, & futurum eſſe: ſicut proculdubio ſemper fuit.

Quod ſi quis nihilominus è noſtris eſſet ubicumque terrarum (quod avertant Superi) qui aliter ſentiret, & loqueretur, aut locuturus eſſet: nam id omninò prævenire, aut impedire nulla ſatis poteſt humana prudentia, in tantâ Subditorum multitudine: declarat, aſſerit, ac profitetur Præpoſitus Generalis nomine totius Societatis, ſe jam nunc illum reprobare, repudiare; ac meritâ caſtigandum pœnâ, neque agnoſcendum pro vero, & genuino filio Societatis: Illum tamquam degenerem, & non ſuum, habebit, ubi tales ſemper habuit, & modò habet Societas, & quantum poterit, ſemper compeſcet, comprimet, & conteret.

Ea mens, hoc propoſitum, ea conteſtatio, Societatis eſt, quam ejus totius nomine deponit ad Sanctiſſimos Pedes Beatitudinis Veſtræ Præpoſitus ipſius Generalis; ut indè per univerſam diſſeminetur, ac ſpargatur Eccleſiam. Quod ſi ad exprimendam efficaciùs Societatis in hac proteſtatione mentem, inveniri verba poſſent clariora, & magis ſignificantia, aut formulæ magis diſtinctæ, diſertæque ad obſtruendum omnem cavillationibus, & ſiniſtris interpretationibus aditum; intendit, optat vult Præpoſitus Generalis, ut ea, quæ in hoc Scripto adhibet, verba vim omnem aliorum quorumcunque magis idoneorum habeant: fateturque ſibi non occurriſſe ulla meliora, & apertiora, quibus veram, & ſinceram totius Societatis mentem declararet.

Ex Domo Profeſsâ Romanâ die 20. Nov. 1711.

Ita fatetur, & proteſtatur.

Michael Angelus Tamburinus Præpoſitus Generalis.

Idem verò Sanctiſſimus Dominus Noſter ſupradictos Patres Præpoſitum Generalem, necnon Aſſiſtentes Nationum, ac Procuratores Provinciarum ejuſdem Societatis, quam Sanctitas Sua in viſceribus gerit paternæ ſuæ Charitatis, benignè, excepit: oblatamque ſibi Declarationem præmiſſam Typis mandari, ac per vulgari poſſe permiſit.

DECRETUM

XI. Quo tria Opuſcula in Galliis adverſùs Apoſtolicam Conſtitutionem *Unigenitus* evulgata proſcribuntur.

Feria 4. die 2. Maji 1714.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſs. Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in totâ Republicâ Chriſtianâ Generalium Inquiſitorum habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam: Auditis Cenſuris plurium Theologorum deputatorum ad examen infraſcriptorum Foliorum Gallico idiomate nuper editorum: Ipſiſque Cenſuris Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi Papæ XI. relatis unâ cum eorumdem Dominorum Cardinalium votis, de mandato Sanctitatis Suæ præſenti Decreto prohibet, & damnat eadem Folia.

Primum ſcilicet ſub titulo: *Lettre Paſtorale, & Mandement de Monſeigneur l'Evêque de Boulogne au ſujet de la Conſtitution de Notre Saint Pere le Pape du 8. Septembre 1713.*: quod incipit: *Pierre &c. Ce qui s'eſt paſsé &c.* & deſinit. *Donné à Boulogne le 12. Mars 1714.* tanquam, ut minimum, captioſum, ſcandaloſum, temerarium, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ injurioſum, redolens ſchiſma, & in illud inducens, erroneum & ſapiens hæreſim.

Secundum ſub titulo: *Lettre Paſtorale, & Mandement de Monſeigneur l'Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Evêque Comte de Chaalons, Pair de France au ſujet de la Conſtitution de Notre S. Pere le Papedu 8. Septembre 1713.* quod incipit: *Gaſton, &c. L'interêt, que vous avez pris:* & deſinit: *Donné à Chaalons, &c. le quinzieme de Mars. 1714.* tanquam ut minimum, captioſum, ſcandaloſum, temerarium, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ injurioſum, redolens ſchiſma, & in illud inducens, erroneum, & ſapiens hæreſim.

Tertium demum ſub titulo: *Lettre Paſtorale, ou Mandement de Monſeigneur l'Evêque de Bayonne au ſujet de la Conſtitution de Notre Saint Pere le Pape du 8. Septembre 1713.*: quod incipit: *André &c. Des incommoditez:* & deſinit: *Donné à Bayonne &c. ce 22. Mars 1714.*: tanquam, ut minimum, captioſum, ſcandaloſum, temerarium, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ injurioſum.

Hæc itaque Folia ſic prohibita, & damnata per idem Decretum, eadem Sacra Congregatio, de mandato, ut ſupra, vetat, ne quis cujuſcunque ſit ſtatus, & conditionis, quocumque loco, idiomate, & verſione impreſſa, vel imprimenda audeat ullo modo, & ſub quocumque prætextu iterum imprimere, vel imprimi facere, neque impreſſa apud ſe retinere, & legere licitè valeat; Sed ipſa Ordinariis Locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim, & cum effectu tradere, & conſignare teneatur ſub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis. Die 5. Maji 1714.

Joſeph Bartolus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

Die 5. Maji 1714. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatij Sancti Officij, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

EDICTUM

EDICTUM

XII. Quo quibuſcumque perſonis ſub Excommunicationis latæ ſententiæ, aliiſque gravibus pœnis præcipitur, ut S. Officio, vel locorum Ordinariis revelent, & denuncient reos criminum ad idem Sanctum Officium pertinentium.

Nos Nicolaus Epiſcopus Oſtien. Acciajolus, Fr. Vincentius Maria Archiepiſcopus Epiſcopus Portuen. Urſinus, Franciſcus Archiepiſcopus Epicopus Præneſtinen. Judice, Galeatius tit. S. Laurentii in Lucina Mariſcottus, Bandinus, tit. S. Praxedis Panciaticus, Joſeph tit. S. Mariæ Traſpontinæ Sacripantes, Fabritius tit. SS. Joannis, & Pauli Paulutius, Laurentius tit. S. Petri ad Vincula Caſonus, Carolus Auguſtinus tit. S. Auguſtini Fabronus, Joannes Baptiſta tit. S. Stephani in Monte Cœlio Ptolomæus, Fr. Franciſcus Maria tit. Sanctæ Priſcæ Caſinus Presbyteri; & Petrus SS. Laurentii, & Damaſi Otthobonus Diaconus miſeratione Divina S. R. E. Cardinales in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter electi, ac deputati.

ESſendo a Noi per la continua eſperienza manifeſto, che molti per malizia, altri per inobedienza, & altri per ignoranza, non ſodisfanno all'obligo, che hanno di denuntiare al Sant' Offizio li delitti ſpettanti ad eſſo, e che perciò ſuccedono grandiſſimi inconvenienti, & errori, non ſolamente contro i buoni, e Criſtiani coſtumi, ma ancora contra la Fede Cattolica. Noi pertanto, á quali ſpecialmente deve eſſere a cuore la gloria di Dio, la conſervazione, & augumento della Fede Cattolica, e la ſalute dell'Anime; volendo provedere à tanto diſordine; con autorità Apoſtolica à Noi commeſſa commandiamo in virtù di ſanta obedienza, e ſotto pena di Scommunica di lata ſentenza, oltre l'altre pene preſcritte da Sacri Canoni, Decreti, Conſtituzione, e Bolle de Sommi Pontefici, per tenore del preſente Editto à tutte, & à ciaſcuna perſona di qualunque ſtato, grado, e condizione, ò dignità, così Eccleſiaſtica, come Secolare, che frà il termine di un meſe, dieci de quali per il primo, dieci per il ſecondo; e dieci per il terzo termine peremptorio, debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio, overo à gli Ordinarii, tutti, e ciaſcuno di quelli, de quali ſappino, o habbiano havuto, ò haveranno notizia.

Che ſiano Eretici, ò ſoſpetti, ò diffamati d'Ereſia, ò credenti, ò fautori, ò ricettatori, ò defenſori loro, ò habbiano aderito, ò aderiſcono à Riti de Giudei, ò Maumettani, ò de Gentili, ò habbiano apoſtatato dalla S. Fede Criſtiana.

Che abbiano fatti, ò faccino atti, da quali ſi poſſa argomentare patto eſpreſſo, ò tacito col Demonio, eſſercitando incanti, magie, ſortilegii, progendogli ſuffomigii, incenſi per trovar teſori, & altri intenti, chiedendo da lui riſpoſte; & invocandolo; & à queſto effetto promettergli obedienza, e conſacrarli pentaculi, libri, ſpade, ſpecchi, ò altre coſe, nelle quali intervenga il nome, & opera ſua.

Che ſi ſiano ingeriti, ò ingeriſcono in far eſperimenti di Negromantia, o di qualſiſia altra ſorte di magia, con entrare ne' circoli, far l'eſperimento della Caraffa, del Crivello per trovar i medeſimi Teſori, coſe naſcoſte, rubbate, ò perdute, e fare altre ſimili, eſuperſtitioſe attioni ad altri fini, maſſime con abuſo de' Sacramenti, ò dicoſe ſacre, e benedette.

Che ſenza licenza dovuta ritenghino ſcritti, che contenghino Ereſie, ò libri Eretici, che trattino ex profeſſo di Religione, ó che gli abbino altri, ò tenuti, ò ſtampati, ò fatti ſtampare, ò li leggano, tengano, ſtampano, fanno ſtampare, introducano, ò difendino, ſotto qualſivoglia preteſto, ò colore.

Che habbino libri di Negromantia, Magia, ò continenti incanteſimi, ſortilegii, e ſimili ſuperſtitioni, maſſime con abuſo di coſe ſacre.

Che contro il voto ſolenne fatto nella Profeſſione in qualſivoglia Religione approvata, ò dopo aver preſo l'Ordine ſacro, habbia contratto, ò contraha Matrimonio.

Che vivendo la prima moglie pigli la ſeconda, ò vivendo il primo Marito, pigli il ſecondo.

Che contro li Decreti, e Coſtituzioni Apoſtoliche habbino abuſato, ò abuſino il Sacramento della Penitenza, ſervendoſi della confeſſione, e confeſſionario à fini diſoneſti, ſollecitando in eſſi i Penitenti ad turpia, & havendo con eſſi diſcorſi di coſe illecite, e non convenienti al fine, per il quale è ſtato inſtituito.

Che habbiano proferito, ò proferiſcono beſtemmie ereticali contro Dio, la Beatiſſima Vergine, e Santi, ò procedino à qualunque atto di offeſa, ò diſprezzo contro l'Immagini, ò figure rappreſentanti il medeſimo.

Che habbiano tenute, ò tenghino òcculte conventicole, ò radunanze in pregiudizio, diſprezzo, ò contro la Religione.

Che habbiano indotto qualche Criſtiano ad abbracciare il Giudaiſmo, ò altra Setta contraria alla Fede Cattolica, ò impedito i Giudei, ò Turchi à battezzarſi.

Che non eſſendo ordinati Sacerdoti, s'habbiano con ſacrilego ardire uſurpato, ò ſi uſurpino di celebrar Meſſa, ancorche non habbino proferito le parole della conſecratione, ò habbiano preſonto di miniſtrare il Sacramento della penitenza à Fedeli di Chriſto, ancorche, non ſi ſia venuto all'atto dell'aſſolutione.

In oltre ſi dichiara, che quelli, i quali non denunciaranno, come ſi ordina col preſente editto, non poſſino eſſere da alcuni aſſoluti, ſe non dal S. Offizio, dopo che haveranno in eſſo giuridicamente rivelato i delinquenti, al che non poſſino ſodisfare con bollettini, ò lettere, ſenza nome, e cognome dell'Autore, ò altri modi incerti, de quali non ſi tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Si dichiara anche, che con la ſudetta eſpreſſione de caſi di ſopra da Noi ſpecificati da rivelarſi, non ſi eſcludano gli altri caſi ſpettanti al S. Offizio, che per altro ſono compreſi ne i ſacri Canoni, Coſtituzioni, e Bolle de Sommi Pontefici; Ne meno col preſente Editto s'intenda derogato all'altre proviſioni canoniche, Apoſtoliche, & à gl'altri Editti degli Ordinarii, & Inquiſitori.

Et à fine che del preſente Editto non ſi poſſa pretendere ignoranza, commandiamo, che ſia affiſſo per i luoghi ſoliti di Roma, e ſi notifichi alli Veſcovi delle Città vicine à Roma, nelle quali non ſono Inquiſitori, acciò lo publichino, & ordinino, che li Parochi delle loro Dioceſi lo legghino ogn'anno la prima Domanica dell'Advento, e la prima Domenica di Quareſima; il che parimente vogliamo, che ſi facci dalli Parochi, e Regolari di Roma nelle loro Chieſe in tempo, che ſi troverà in eſſe congregato maggior numero di Popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chieſe, e Sacreſtie di eſſe un eſſemplare del medemo, per oſſervare quanto in eſſo ſi ordina. Dal Palazzo del Sant'Offizio queſto di 31. Marzo 1718.

Joſeph Bartolus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

Die 9. Aprilis 1718. *ſupradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Sebaſtianum Vaſellium Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.*

EDICTUM

XIII. Plura præſcribens ad coercendam temeritatem impugnantium Apoſtolicas Conſtitutiones *Unigenitus*, & *Paſtoralis*.

Nos Nicolaus Epiſcopus Oſtien. Acciajolus, Franciſcus Epiſcopus Prænestinen. Judice, Joſeph tit. S. Mariæ Tranſpontinæ Sacripantes, Fabritius tit. SS. Joannis, & Pauli Paulutius, Laurentius tit. S. Petri ad Vincula Caſonus, Carolus Auguſtinus tit. S. Aguſtini Fabronus, Joannes Baptiſta tit. S. Stephani in Monte Cœlio Ptolomæus, Fr. Franciſcus Maria tit. S. Priſcæ Caſinus Presbyteri, & Petrus SS. Laurentii, & Damaſi Otthobonus Diaconus miſeratione Divina S. R. E. Cardinales in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter electi, & deputati.

ESſendo à Noi ſpecialmente à cuore la gloria di Dio, la conſervazione, & augumento della Fede Cattolica, e la ſalute dell'Anime, e volendo perciò opportunamente provedere à quelli diſordini, che ſuole produrre la malizia, inobedienza, ò ignoranza di taluni, li quali moſſi dal proprio capriccio, ò mala intenzione procurano con falſe interpretazioni, e pretesti di eludere anche le Apoſtoliche Coſtituzioni, e ſpecialmente quella, che per dare col ſuo Paſtorale zelo un opportuno, e neceſſario rimedio alle molte perverſe dottrine, che per varie parti ſi andavano diſſeminando con inganno de Semplici, e ſotto falſa imagine di pietà, non ſenza pregiudizio della purità della Fede, e dell'unità della Santa Chieſa Cattolica, la Santità di Noſtro Signore promulgò fin ſotto li 8. Settembre 1713. che comincia -- *Unigenitus Dei Filius* -- e dell'altra, che in conſeguenza di eſſa hà ultimamente aggiunta ſotto li 8. Settembre dell'anno preſente, che comincia -- *Paſtoralis Officii* -- Quindi è, che Noi, inerendo à quanto viene diſpoſto nell'Editto Generale del S. Offizio ſolito promulgarſi, e ultimamente rinovato li 31. Marzo proſſimo paſſato, con Autorità Apoſtolica à Noi commeſſa commandiamo in virtù di ſanta obedienza, e ſotto pena di Scommunica di lata ſentenza, oltre le altre pene preſcritte da Sacri Canoni, Decreti, Coſtituzioni, e Bolle de Sommi Pontefici, per tenore del preſente ſpeciale Editto à tutte, & à ciaſcheduna perſona di qualunque ſtato, grado, condizione, ò dignità, così Eccleſiaſtica, come Secolare, che frà il termine di giorni trenta, dieci de quali per il primo, dieci per il ſecondo, e dieci per il terzo termine perentorio aſſegniame, debbano rivelare. e giuridicamente notificare al S. Offizio, overo all' Ordinarii (oltre li caſi eſpreſſamente contenuti nel ſopradetto Editto Generale) tutti, e ciaſcuno di quelli, de quali ſappiano, ò habbiano havuto, ò haveranno notizia.

Che non oſtante la proibizione ſotto pena delle Cenſure Eccleſiaſtiche, & altre da incorrerſi ipſo facto, eſpreſſa nella detta Coſtituzione *Unigenitus* circa le Propoſizioni cento una condannate, di non ſentire, inſegnare, ò predicare altrimente di quello, che nella medema Coſtituzione ſi contiene, ardiſcano d'inſegnare, difendere, ò divulgare le predette Propoſizioni, ò alcuna di eſſe, ò delle medeme anco per modo di diſputarne, in publico, ò in privato trattare, ſe non ad effetto d'impugnarle.

Che preſumano lodare, difendere, fomentare, ò in qualunque altro modo favorire li Autori, Aſſertori, e Difenſori delle predette Propoſizioni condannate, ò di alcuna di eſſe, ò reſpettivamente l'Impugnatori, Contradittori, Diſobedienti, Contumaci, e Ribelli à detta Coſtituzione.

Che all'incontro ardiſcano di riprovare, biaſimare, ò parlare ſenza il dovuto riſpetto della condannazione ſantamente fatta di dette Propoſizioni nella Coſtituzione medeſima.

Che preſumano leggere, ritenere, introdurre, copiare, ſtampare, o in altro modo ſpacciare, communicare, e divulgare Libri, Scritture, Epiſtole, o altri fogli tanto ſtampati, che manuſcritti in qualunque idioma, nelli quali ſi parli direttamente, ò indirettamente contro la prefata Coſtituzione *Unigenitus*, e s'impugni, ſi limiti, ò ſi eluda l'obbedienza ad eſſa dovuta da tutti i Chriſtiani contro la proibizione già fatta di tutti detti Libri, e Scritture tanto fatti, quanto che ſi faceſſero in avvenire per Decreto di queſto S. Offizio affiſſo, e publicato li 2. Marzo 1717. ſotto pena di Scommunica da incorrerſi ipſo facto ad inſtar de Libri, e Scritti degli Eretici trattanti eſpreſſamente contro la Religione Cattolica.

E che finalmente in qualunque altro modo moſtrino di contravenire, e non preſtare la dovuta, & intiera obedienza, e riverenza all'iſteſſa Coſtituzione -- *Unigenitus* -- & all'altra ſuſſeguente -- *Paſtoralis Officii*.

Dichiarandoſi, che contro tutti, e ſingoli i predetti Delinquenti ſi procederà ſecondo lo ſtile del S. Offizio nelle Cauſe di Fede contro gl'Eretici, Sciſmatici, ò ſoſpetti in qualunque modo d'Ereſia, ò di Sciſma ſecondo la qualità della colpa.

Inoltre ſi dichiara, che quelli, li quali non denunciaranno, come ſi ordina col preſente Editto, non poſſano eſſere da alcuno aſſoluti, ſe non dal S. Offizio, doppo che averanno in eſſo giuridicamente rivelato li Delinquenti; al che non poſſano ſodisfare con Bollettini, o Lettere ſenza nome, e cognome dell'Autore, ò altri modi incerti, de quali non ſi tiene conto alcuno nel S. Tribunale.

Et à fine, che del preſente Editto non ſi poſſa pretendere, ne allegare ignoranza, commandiamo, che ſia affiſſo ne' luoghi ſoliti di Roma à notizia di ciaſcheduno. Dal Palazzo del S. Offizio queſto di 19. Decembre 1718.

Joſeph Bartolus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Die 22. *Decembris* 1718. *ſupradictum Edictum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Sebaſtianum Vaſellium Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.*

DECRETUM

XIV. Quo Inſtructio Paſtoralis Domini Cardinalis de Noailles Archiepiſcopi Pariſienſis damnatur, ejuſque lectio, ac retentio ſub gravibus pœnis prohibetur.

Feria 5. *die* 3. *Auguſti* 1719.

IN Congregatione S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habitâ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino N. Cle-

mente

mente Divinâ Providentiâ Papa XI, ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in totâ Republicâ Christianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XI., cum accepisset non sine gravi paterni animi sui mœrore in lucem editum fuisse, & magnâ quidem Bonorum offensione, atque animarum periculo evulgatum Librum, cui titulus: *Premiere Instruction Pastorale de Son Eminence Monseigneur le Cardinal de Noailles Archevêque de Paris au Clergé Séculier, & Régulier de son Diocèse sur la Constitution Unigenitus.* Parisiis impressum apud Joannem Baptistam Delespine anno 1719.: Habitis priùs plurium doctissimorum, ac insignium in Sacrâ Theologiâ Magistrorum, & Professorum, nec non memoratæ Congregationis Sanctæ Romanæ, & Uuniversalis Inquisitionis Qualificatorum; quos ad id specialiter deputavit, consultationibus, ut rei gravitas postulabat, ac subindè auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in totâ Republicâ Christianâ Generalium Inquisitorum, prohibendum, atque damnandum censuit, prout præsenti Decreto omninò prohibet, & damnat Librum præfatum, uti continentem Doctrinas, & Assertiones falsas, captiosas, seditiosas, scandalosas, præsumptuosas, temerarias, omnibus Catholicis Episcopis, ac præcipuè Gallicanis ipsique Apostolicæ Sedi multipliciter in juriosas, erroneas, hæreticis, hæresibus, & Schismati faventes, atque etiam schismaticas, & hæreticas respectivè.

Non ostanti però gl' accennati ordini dati replicatamente, come si è detto, essendo pervenuto à notizia di Nostro Signore, che li medesimi in alcuni luoghi dello Stato Ecclesiastico siano poco osservati, nè dubitando la Santità Sua che da tale inosservanza siano provenuti, e provenghino quei flagelli, co' quali il Signor Iddio ci hà percossi, e c percuote, anzi giustamente temendo, che d'all'istesso fonte possino derivarne altri più gravi, che ci minaccia, come lo stesso Dio se ne dichiarò in Ezechiele: *Sabbatha mea violaverunt vehementer: dixi ergò, ut effunderem furorem meum super eos, & consumerem eos:* mi hà percio strettamente commandato la Santità sua, che Io ecciti di nuovo l'attenzione, e zelo di V. S., come faccio, à invigilare dal canto suo, che puntualmente, eintieramente venga osservato tutto ciò, che si contiene nella sudetta lettera circolare, e che inoltre le notifichi, come parimente faccio, esser sua mente, che in niuna maniera, e in niun tempo sia permesso alli Ciarlatani, Saltimbanchi, e Istrioni di far recite, Comedie, ò Rappresentazioni, nelle quali operino, recitino, cantino, ò compariscano Donne, ancorch mascarate; scrivendosi perciò dalla Segretaria di Stato alli Signori Cardinali Legati, e dalla Sacra Consulta alli Governatori dello Stato Ecclesiastico, che debbano onninamente tutto ciò proibere sotto gravi pene. Non dubito che Ella sia per conforma, si pienamente, & esattamente. alle rette, e sante determinazioni del Sommo Pontefice, come ben richiede quell'es- Ezech. 20. 13

fica-

1703. ficacia, con cui per ordine della Santità Sua se le ne ingiunge l'esecuzione. E auguro à V. S. dal Signor Iddio ogni maggiore felicità. Roma 4. Gennaro 1721.

G. D. Card. Parraciani Prefetto.

V. Arciv. di Damasco Secretario.

DECRETUM.

Quo PP. Cappuccinis Sardiniæ facultatem conferendi Scapulare, seu habitum parvum cum cingulo S. Francisci Secularibus utriusque sexus, Tertiariis nuncupatis, competere declaratur.

XIII. IN Causâ vertente inter Patres Cappucinos Regni Sardiniæ ex unâ, & Patres Minores de Observantiâ ejusdem Regni, seu &c. partibus ex altera, de, & super infrascripto Dubio: nempè, an Patribus Cappuccinis Regni Sardiniæ liceat dispensare, seu distribuere habitum, seu Scapulare parvum cum singulo Sancti Francisci Secularibus utriusque sexus in propriis Domibus, & sub Jurisdictione Ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii, seu Tertii Ordinis, eosque dirigere in spiritualibus juxta Regulas dicti Tertii Ordinis in propriis Ecclesiis in casu &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Partibus ipsis auditis, referente Eminentissimo Gabriellio, censuit, ac declaravit competere PP. Cappuccinis facultatem conferendi Scapulare, seu habitum parvum cum cingulo Sancti Francisci. Romæ 16. Novembris 1703.

Et die 29. Februarii 1704. *denuò auditis Religionibus Patrum Minorum de Observantia, & PP. Minorum Cappuccinorum S. Francisci, referente eodem Eminentissimo Gabriellio Eminentissimi Patres censuerunt, persistendum esse in decisis sub prædicta die 16. Novembris* 1703. *Romæ &c.*

Die verò 6. Martii ejusdem Anni 1704. *tertia vice proPosita Causa per eumdem Eminentiss. Gabriellium, ad preces Procuratoris, Generalis, Commissarii Curiæ Minorum de Observantia, & Procuratoris Generalis Strictioris Observantiæ S. Francisci, eadem Sacra Congregatio censuit, ac decrevit extradendum supradictum Decretum. Romæ &c.*

G. Card. Carpineus Præfectus.

N. Grimaldus Secr.

DECRETUM.

XIV. Sanctissimi, quo Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium facultas adimitur indulgendi Fratribus Cappucinis Ordinis S. Francisci, ut personarum secularium confessiones audire possint, nisi id eidem Sacræ Congregationi in casibus particularibus à Summo Pontifice pro tempore existente specialiter permittatur.

Ex Audientia Sanctissimi die 8. Augusti 1704.

SAnctissimus Dominus Noster justis, & rationabilibus causis animum suum moventibus præsentis Decreti vigore Sacræ Congregationi Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ adimit facultatem, & autoritatem Indulta concedendi Fratribus Cappuccinis Ordinis Sancti Francisci audiendi Personarum Secularium Confessiones, nisi de speciali Sanctitatis Suæ, vel Successorum suorum mandato, quo præsenti prohibitioni expressè derogetur, id benignè indulgeatur, vel indulgeri mandetur: ac propterea eadem Sacra Congregatio à similium Indultorum, & facultatum concessione cessare, & abstinere debeat in futurum, salvis tamen ipsorum Fratrum Cappuccinorum Constitutionibus, quas Sanctitas Sua servari mandavit.

Ita est V. Archiepiscopus Damascenus Sacr. Congreg. Secretarius.

1709.

DECRETUM.

XV. Pro Unione Monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ consistentium, eorumque erectione in Congregationem titulo S. Crucis Polonam nuncupandam.

DEsiderantibus Monasteriis, & Monachis Ordinis Sancti Benedicti Regni Poloniæ pro restauratione collapsæ Disciplinæ Regularis, conservatione, atque augmento Observantiæ proprij Instituti, & boni Religionis, tam in spiritualibus, quàm temporalibus in Congregationem, & unitatem reduci sub uno primario Capite gurbernandam, inhærendo Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini dispositioni, exemplo Congregationis Benedictino-Bavaricę, aliarumque plurium ejusdem Ordinis, recursum habuerunt circa annum 1687. ad Sanctam Sedem, assumptaque fuit desuper discussio in Sacrâ Congregatione Episcoporum, & Regularium coram nonnullis ejusdem S. R. E. Cardinalibus specialiter deputatis, quæ deinde intermissa hucusque remansit. Nuper autem in Visitatione generali dictorum Monasteriorum factâ Autoritate Apostolicâ ex commissione Nuncij Apostolici per Abbatem Monasterij Sanctæ Crucis in Calvo Monte P. Stanislaum Mirechi, unanimi omnium Monasteriorum, & Conventuum consensu, pari restaurandæ, & conservandæ Disciplinæ regularis zelo, decretum extitit, ut instantia jampridem apud Sanctam Sedem introducta pro reductione ipsorum Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti Poloniæ, & Lithuaniæ in unam Congregationem, ut supra, omninò prosequatur, & ad optatum finem perducatur, datis ad eumdem effectum opportunis facultatibus Abbati prædicto S. Crucis, qui proinde Romam se contulit, & ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus, suo, suorumque Monasteriorum, & Monachorum nomine obsequenter supplicat, quatenus S. V. dignetur deputare particularem Congregationem aliorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Sacræ Congregationis Episcoporum. & Regularium in locum aliàs deputatorum, & defunctorum, qui super præmissis discussionem reassumant, & ultimam manum imponant, ad hoc, ut sub umbrâ Paternæ Charitatis Sanctitatis Vestræ, ejusque Pastorali Clementiâ protegente, Monasteriorum, & Monachorum Oratorum pia desideria adimpleantur, eorumque reductio in unitatem, & Congregationem à Sacris Canonibus, & Sacro Concilio Tridentino inculcata, & uniformis regulari Instituto, necnon ad restaurationem Re-

Tenor supplicis libelli Pontifici oblati pro parte Monachorum Ordinis S. Benedicti Poloniæ.

ligiosæ Observantiæ, atque utilitatem Monasteriorum directa optatum effectum feliciter consequantur. Ut Deus &c.

Super hujusmodi Precibus ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium remissis placuit deinde Sanctissimo Domino Nostro particularem Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium deputare, videlicet Carpinei, Abduæ, S. Clementis, Gabriellii, Sacripantis, Sanctacrucij, Paulutij, & Fabroni, exhibitisque consensibus omnium Monachorum degentium in infrascriptis Monasteriis juxtà Ordinem Fundationis nominatis, videlicet.

Monasterium Sanctæ Crucis Calvomontanum.

Monasterium B. virginis Assumptæ Siccovense.

Monasterium Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Tynecense.

Monasterium S. Adalberti Episcopi, & Martyris Plocense.

Monasterium S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ Mogilnicense.

Monasterium S. Mariæ Lubinense.

Monasterium ad S. Mariam Trocense.

Monasterium ad S. Annam Horodoscense.

Monasterium ad S. Crucem Hesuisense

cum quibusvis eorum membris, pertinentiis, dependentiis, annexis, & connexis.

Congregatio particularis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium à Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputata, audito P. Stanislao Mirechi Abbate Monasterij Sanctæ Crucis Calvomontani, Procuratore specialiter constituto à Monachis in prædictis Monasteriis degentibus, negotio maturè discusso, censuit per Literas Apostolicas in formâ Brevis ad ejusdem Stanislai supplicationem, ac etiam motu proprio expediendam unionem, & erectionem in Congregationem sub Titulo S. Crucis Polonam nuncupandam, Monasteriorum hujusmodi in Regno Poloniæ, & magno Ducatu Lithuaniæ respectivè existentium, aliorumque Monasteriorum dicti Ordinis ipsi Congregationi, ut infra dicetur, aggregandorum concedi posse, cum illorum exemptione ab Ordinariorum Jurisdictione ad formam Congregationis Bavariæ, & cum eisdem Privilegiis, sine præjudicio in reliquis omnium interesse habentium, & habere quomodòlibet prætendentium; salvis tamen Ordinariis locorum quoad omnia Monasteria Juribus eisdem vigore sacri Concilij Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum competentibus, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, necnon cum facultate aggregandi prædictæ Congregationi de novo erigendæ alia quæcunque Monasteria dicti Ordinis in Regno, & Magno Ducatu prædictis consistentia, quæ ipsi Congregationi aggregari voluerint, sive quorum Abbates, & Conventus Congregationi hujusmodi consenserint (exceptis tamen, si quæ sint in dictis Regno, & Magno Ducatu constituta, Monasteriis alteri cuicumque Congregationi canonicè aggregatis) necnon Constitutiones pro bono regimine, & gubernio Congregationis hujusmodi in primo illius Capitulo Generali efformandi, ita tamen, ut nullam validitatem, aut robur assequantur, nisi post. quàm à S. Sede fuerint expressè confirmatæ. Executionem verò committi posse Nuncio Apostolico Poloniæ juxtà Instructionem eidem transmittendam. Romæ die 2. Maji 1709.

G. Card. Carpineus Præfectus.

F. Archiepiscopus Nicenus Secret.

Subjicitur Breve Apostolicum super erectione prædictorum Monasteriorum Ordinis S. Benedicti in novam Congregationem sub invocatione Sanctæ Crucis Polonam nuncupandam, quòd cùm seriùs ad Collectoris manus delatum fuerit, suo loco poni, ac inter cæteras Clementis XI. Constitutiones in prima Operis Parte inseri non potuit. XVI.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis cœlitus Apostolicæ sollicitudinis munere, in id præcipuè sollicitis studiis incumbimus, ut monastica, regularisque disciplina, sicubi collapsa est, modis congruis restitui, ubi vero Domino benedicente viget, firmius solidari valeat, eoque tendentia Religiosorum Virorum, Altissimi obsequiis sub suavi vitæ monasticæ jugo mancipatorum vota libenter exaudimus, ac aliàs Pastoralis Officij Nostri partes opportunis rationibus, interdum etiam per novarum Congregationum institutiones paternâ desuper charitate interponimus, sicut omnibus maturè consideratis, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ Catholicæ decus, & præsidium, ad monasticæ, regularisque disciplinæ incrementum, & felicem progressum, spiritualemque Christi-fidelium ædificationem, & animarum salutem, expedire in Domino arbitramur. Cum itaque (sicut accepimus) Dilectis Filiis Monachis infrascriptorum Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ respectivè consistentium, nempe S. Crucis Calvomontani, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis Sicuechovienſis, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Tynecensis, Sancti Adalberti Episcopi, & Martyris Plocensis, Sancti Joannis Apostoli, & Evangelistæ Mogilnicensis, Sanctæ Mariæ Lubinensis, ad Sanctam Mariam Trocensis, ad Sanctam Annam Horodescensis, & ad Sanctam Crucem Nesviſensis, pro regularis disciplinæ collapsæ restauratione, ac proprij Instituti observantiâ, & illius augmento, necnon felici, prosperoque tam in spiritualibus, quam in temporalibus, prædictorum Monasteriorum regimine, ipsa Monasteria juxta Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini dispositionem, in Congregationem sub uno primario Capite gubernandam, ad instar Bavaricæ, aliarumque similium Congregationum Monasteriorum dicti Ordinis uniri, & institui desiderantibus, non ita pridem in Visitatione generali dictorum Monasteriorum, per Dilectum Filium Christinum Stanislaum Mirecki Abbatem Calvomontani Monasterij prædicti, de mandato Venerabilis Fratris Nicolai Archiepiscopi Thebarum Nostri, & Apostolicæ Sedis in Regno Poloniæ Nuncij facta, unanimi Monachorum eorumdem Monasteriorum consensu, parique restaurandæ, & conservandæ dictæ regularis disciplinæ zelo, decretum extiterit, ut instantia jamdudum ad hanc Apostolicam Sedem pro unione, & institutione hujusmodi obtinenda, delata, & deinde intermissa renovaretur. Ac propterea dicti Monachi eundem Christinum Stanislaum suum ad id Procuratorem, cum opportunis facultatibus specialiter constituerint, ipseque Christinus Stanislaus ad hanc Almam Urbem secontulerit, dictamque unionem, & institutionem fieri magnoperè exoptet; Hinc est, quod Nos, qui monasticam, regularemque disciplinam confovere, atque promovere omni studio contendimus, piis, & religiosis ipsius Christini Stanislai, ac dictorum Monachorum desideriis Apostolicâ charitate benedicentes, eorũque singulares personas à quibusvis excommuni-

cationis &c. censentes de nonnullorum ex Ven. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis super hoc negotio à Nobis specialiter deputatorum, qui illud maturè discusserunt, & prædictum Christinum Staniſlaum desuper audiverunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula Monasteria supradicta Ordinis Sancti Benedicti in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ respectivè existentia tenore præsentium in unum corpus unimus, & conjungimus, sicque unita, & conjuncta unà cum aliis Monasteriis ejusdem Ordinis illis, ut infra dicetur, forsan aggregandis in novam Congregationem sub invocatione Sanctæ Crucis Polonam nuncupandam ad instar dictæ Congregationis Bavaricæ, & cum iisdem privilegiis perpetuò erigimus, & instituimus, ac ipsam novam Congregationem sic erectam, & institutam, ejusque Monasteria, & Loca regularia, illorumque Abbates, Monachas, & bona quæcumque, ab omni jurisdictione, visitatione, correctione, & superioritate quorumcumque Ordinarium, ita ut illi in novam Congregationem, Monasteria, Loca regularia, eorumque Abbtes, & Monachos hujusmodi aliquam jurisdictionem, vel superioritatem quovis prætextu, & ex quacumque causâ habere, & exercere non possint (salvis tamen eisdem Ordinariis Locorum quoad omnia Monasteria juribus eis vigore Concilii Tridentini prædicti, & Constitutionum Apostolicarum competentibus, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis) harum serie eximimus, & liberamus, sine præjudicio in reliquis omnium interesse habentium, vel habere quomodolibet prætendentium; Præterea eidem Cogregationi sic de novo erectæ, & institutæ, alia quæcumque Monasteria dicti Ordinis in Regno, & Magno Ducatu prædictis consisten., quæ ipsi novæ Congregationi aggregari voluerint, sive quorum Abbates, & Conventus aggregationi hujusmodi consenserint (exceptis tamen siquæ sint in prædictis Regno, & Magno Ducatu conjuncta, Monasteriis alteri cuicumque Congregationi canonicè aggregatis) sibi agregandi, nec non pro bono regimine, & gubernio ipsius novæ Congregationis in primo illius Capitulo generali Constitutiones, quæ tamen nullam validitatem, aut robur assequantur, nisi postquam ab Apostolica Sede prædicta fuerint ex presse confirmatæ, efformandi facultatem motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore præsentium tribuimus, & impartimur. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod præfati Locorum Ordinarii, & alii quilibet in præmissis seù eorum aliquo jus, vel interesse habentes, seu habere quomodòlibet prætendentes, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni cujuscumque status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati, & auditi, aut causæ propter quas eædem præsenter emanarint adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, vel ex alia qualibet, etiam quantumvis legitima, judica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, limitari, modificari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris, reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliud ve quodcunque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seù etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extrà illud uti, seù se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & quandocunque spectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & delegatos etiam &c. Auditores, ac S.R.E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis præfatæ Nuncios alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum &c. judicari, & definiri debere, ac irritum, &c. attentari. Quocirca memorato Nicolao Archiepiscopo moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Sedis prædictæ in dicto Regno Nuncio, per persentes motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte prædictæ novæ Congregationis, ejusque Superiorum, & Monachorum, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostrâ illos & eorum quemlibet præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittens illos desuper à quoquam quâvis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoslibet, & Rebelles &c. compescendos, legitimisque &c. secularis Non obstan. præmissis, ac sel. re. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri de unâ, & Concilii Gene ralis de duabus dietis, dummodo &c. non trahatur, nec non, quatenus opus sit nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regula, de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis; generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quarumvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliisve quibusvis etiam &c. statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, & Monasteriis, illorumque respectivè Præsulibus, Abbatibus, Capitulis, Conventibus, & aliis personis quibuslibet, etiam specificâ, & individuâ mentione, & expressione dignis, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque &c. decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & aliàs quomodòlibet in contrarium præmissarum concessis, ac pluries & quantiscumque vicibus iteratis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis &c. servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficiente expressis, & insertis, ac exactissimè, & accuratissimè servatis, & specificatis respectivè habentes, illis &c. derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem &c. ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum 22. Maji 1709. Anno 9.

F. Oliverius.

DECRETUM.

XVII. Quo abolentur Indulta, & Privilegia Lectoribus, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum concessa in Statutis Capitulorum generalium Toletani, Romani, & Victoriæ Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci, non obstantibus Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, & Brevi confirmatorio Venerabilis Servi Dei Innocenti XI.; ita tamen ut Regulares præfati Ordinis, qui dicta Indulta, & Privilegia legitimè hactenus consecuti fuerint, ac in eorum pacificâ possessione extiterint, iis uti, & frui pergant.

Die 18. *Julij* 1720.

EX Capitulo generali Toletano sub anno 1682. nonnulla concessa fuerunt Indulta, sive Privilegia Lectoribus Sacr. Theologiæ, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum Ordinis Minorum Observantium Reformatorum, qui scholastica exercitia, verbi Dei prædicationem, & Novitiorum Tyrocinium tempore, & modo præscriptis, respectivè expleverint, sub hac formâ videlicet: Capitulum generale perpendens, multos præmio magis, quàm pœna ad virtutes excitari, omnium Vocalium strictioris Observantiæ unanimi consensu, ac nemine discrepante, statuit eos, qui integrum Philosophiæ cursum, & Sacram Theologiam per duodecim annos laudabiliter docuerunt, vel in posterùm docebunt, ultimum locum, & præcedentiam obtinere inter eos, qui Ministri, aut Vicarii Provincialis per biennium, vel Guardiani Hierusalem, vel Secretarij Generales fuerunt. Qui verò totidem annis in Cathedralibus, vel in Suggestis conspicuis, vel generalibus in verbi Dei promulgatione præclarè se gesserunt, vel posthac se gerent, immediatè post Definitores actuales, & qui Magistri Novitiorum per octo annos fuerunt, vel erunt post, Ex-Custodes, & Pro-Ministros, qui in Capitulo Generali Hispaniarum legitimè suffragati sunt, locum habeant, ea tamen lege, ut unus ex Lectoribus, unusque ex Concionatoribus, & unus ex præfatis Magistris antiquior in suo quolibet munere expleto, præfata respectivè præcedentia, & loco absque jure subrogandi, eodem tempore gaudere possit; Præfati autem Lectores teneantur in posterum exercitia scholastica facere ad præscriptum Constitutionum Generalium &c. Quod Toletanum Statutum, quoad Lectores Sacræ Theologiæ sub die 7. Decembris 1685. esse confirmandum Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium censuit, & successivè à Venerabili Servo Dei Innocentio XI. per literas in forma Brevis anno tum proximo sequenti pro eisdem Lectoribus Sacræ Theologiæ Apostolicâ auctoritate communitum fuit, salva tamen in præmissis memoratæ Congregationis facultate. In Capitulo pariter Generali Romano, sub anno 1688. Titulum *Emeriti* jam dictis Lectoribus attributum extitit, & in altero Capitulo Generali *Victoriæ* nuncupato, anno 1694. unus ex qualibet Provincis Conventus determinatus fuit, ubi Lectores, Privilegia consecuturi scholastica exercitia prosequi deberent.

Quoniam verò Superiores Generales jamdudum recursum habuerunt ad Sanctam Sedem exponentes gravia, quæ ex ipsis Indultis, & Privilegiis supervenerunt Regularis disciplinæ præjudicia, inter Religiosos jurgia, lites, & ambitus multùm ab humilitate, & simplicitate Reformati Ordinis abhorrentes, Sanctissimus Dominus Noster Congregationem particularem deputavit Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium Paulucci, Casoni, Paracciani Præfecti Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, Fabroni, meique infrascripti ejusdem Sacræ Congregationis Secretarii, ut singula quæ ad adducebantur, sedulò examinarentur, & votum super prædictis Sanctitati Suæ deinde exponeretur.

Die igitur Jovis 18. Julij 1720. eadem Congregatione habita EE. PP. unanimiter fuerunt in sensu: Consulendum esse Sanctissimo Domino Nostro pro annullatione, & abolitione dicti Statuti Toletani super Indultis, & Privilegiis, Lectoribus, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum, ut præfertur, concessis, nec non aliorum Statutorum in Capitulis Generalibus Romano, & Victoriæ editorum, non obstantibus Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium negociis præpositæ, & Brevi confirmatorio Venerabilis Servi Dei Innocentii XI. Sicque deinceps Lectores, Prædicatores, & Magistri Novitiorum prædicta Indulta, Privilegia, & Titulos consequi nullatenus valeant; Ita tamen, ut Regulares, præfati Ordinis, qui usque ad præsentem diem jam dicta Indulta, & Privilegia legitimè consecuti fuerint, in eorumque extiterint pacifica possessione, iis uti, & frui possint in statu tantùm, in quo reperiuntur, non tamen assequi valeant aliud Privilegium in casu loci vacantis privilegiati, atque nihil præsenti Decreto juri ex illis quæsito derogatum censeantur. Datum Romæ die 18. Julij 1720.

Die 20. *prædicti mensis facta per me infrascriptum Secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro Sanctitas Sua resolutionem, sive Decretum approbavit, ac expediri jussit Literas Apostolicas in forma Brevis.*

J. D. Card. Peraccianus Præfectus.

V. Archiepiscopus Damascenus Secr.

CONFIRMATIO

XVIII. Præcedentis Decreti, auditis rationibus à Lectoribus Ordinis Minorum Observantium Reformatorum deductis.

Die 29. *Augusti* 1720.

CUm pridem sub die 18. Julij 1720. Congregatio deputata Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Paulucci, Casoni, Paracciani Præfecti Sacræ Congregationis, & Fabroni, meique infrascripti Secretarij, fuerit, in sensu consulendi Sanctissimo Domino Nostro pro abolitione Statuti Toletani, nec non aliorum Statutorum in Capitulis Generalibus Romano, & Victoriæ editorum super Indultis, & Privilegiis Lectoribus, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum Ordinis Minorum Observantium Reformatorum concessis, prout latiùs ex facti serie, & Decreto edito à Sanctissimo Domino Nostro approbatum fuit.

Nuper ex Lectorum præmemorati Ordinis parte eidem Sanctissimo Domino Nostro expositum fuit, quod aliàs sub die 21. Junij 1709. in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium hac eadem promota Superiorum Generalium Instantia super abolitione respectivè dictorum Privilegiorum, & Indultorum, Ponente claræ memoriæ Cardinali Sancti Clementis, rescriptum fuit, *nihil esse innovandum*, proindeque ex iis, aliisque prætensis rationibus, quæ à dictis Lecto-

ribus adducebantur, & in eâdem Congregatione particulari exhibitæ non fuerint, non esse locum abolitioni prædictorum Indultorum, & Privilegiorum dicebatur.

Hinc denuò de mandato Sanctissimi Domini Nostri, Congregatione habita die Jovis 29. Augusti 1720. & perpensis dicto Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, aliisque prætensis rationibus prædictorum Lectorum, EE. PP. unanimiter fuerunt in sensu: *Standum esse in Decretis sub die* 18. *Julij proximè præteriti.*

J. D. Card. Paraccianus Præfectus.

V. Archiepiscopus Damascenus Secret.

DECRETA, EPISTOLÆ ET

Responsa Memorabilia Sacræ Congregationis Eminentiss., & Reverendiss. DD. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum.

Juxtà temporis seriem dispositа

DECRETUM

I. De celebratione Missarum in Oratoriis privatis.

QUoniam Sancta sanctè tractanda sunt, ac præsertim tremendum incruenti Sacrificij Mysterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum est; Propterea super observandis, & evitandis in celebratione Missarum, Sacrosanctis Oecumenicis Conciliis, ac præsertim Tridentino sub cap. unico sess. 22. inter cætera statutum est, ut tantum Sacrificium solummodò in Ecclesiis, aut Oratoriis Divino tantùm Cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordinariis, nè privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam peragi paterentur: Ac subinde Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum E. R. S. Cardinalium ipsius Concilij Tridentini executioni, & interpretationi præpositorum sæpè sæpiùs per opportuna Decreta obrepentes abusus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo Domino Nostro, quòd nonnulli Episcopi, sub prætextu Privilegiorum Cappellis Episcopalibus competentium, & complures Regulares, sub prætextu Privilegiorum, quæ ipsis à Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi Privilegiorum dilatationem seu potiùs excessum, & abusum in nonnullis Diœcesibus, præsertim Regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis Civitate, ea sibi licere putant, quæ permissa non sunt, quinimò prohibita, siquidem nonnulli Episcopi etiam in alienâ Diœcesi, & extra domum propriæ habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures ex suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolare; Regulares verò in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobilium Personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis à Sanctâ Sede Apostolicâ concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quàm in ipsis celebrare sit indultum, vel absque præsentia Personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diœcesanas, aut etiam per Decreta Sacræ Congregationis Concilij celebrari prohibetur, aut quæ in ipsismet Indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non verentur, in sanctarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificij irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo Ministerio debitam, idem Sanctissimus Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus aliàs hac de re editis, expressè declarat, Episcopis, & his Majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu Privilegij clausi in corpore juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortiùs intelligitur in alienâ, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis Sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Natavitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optimè informare; Atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem, demandando propterea ulteriùs, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus, Personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere; Quo verò ad Altare portatile iterum inhærendo declarationibus supradictis, centuit licentias, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. in his de Privil., & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omninò revocata esse per idem Sacrum Concilium, & propterea eosdem Regulares probibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis Decreti tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque Contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium in d. Decreto sess. 22. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi perinde, ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset Et ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat. Romæ hac die 15. Decembris 1703.

B. Card. Panciaticus Præfectus.

Jo. Dominicus Thomatus Episcopus Cyrenen. S. C. C. Secr.

Die 8. *mense Januarij* 1704. *supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit in Monte Citatorio Curiæ Innocentianæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nicolaum Vasellum SS. D. N. Papæ Curs.*

Pro D. Mag. Curs. Thomas Orlandus Apost. Curs.

DE-

II.

DECRETUM.

Plura decidens Dubia quoad Missas, quæ in Altaribus privilegiatis celebrantur.

CUM in concessione Indulgentiarum Summus Pontifex soleat præfigere certum numerum Missarum celebrandarum qualibet die in Altari Privilegiato, pro parte nonnullorum Religiosorum porrectus fuit Sanctissimo supplex libellus pro resolutione infrascriptorum dubiorum, quo ad hanc Sacram Congregationem remisso sub die 23. Aprilis proximè præteriti reseriptum fuit; Exhibeatur formula Indulgentiarum, & ponatur in folio.

In executionem hujusmodi rescripti exhibetur formula Indulgentiarum, quæ est tenoris sequentis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca Spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Animæ, Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorij pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur Ecclesiam Metropolitanam Mediolanen., in qua nullum aliud Altare Privilegiatum reperitur concessum, & in ea situm Altare S. Caroli hoc speciali dono illustrare, dummodo in dicta Ecclesia quinquaginta Missæ quotidiè celebrentur, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis Secularis, vel cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum pro Animâ cujuscumque Christifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad præfatum Altare celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij Indulgentiam consequatur; Ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorij pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, & præsentibus ad septennium tantùm valituris. Datum &c.

Ad futuram &c. Omnium saluti &c. Volentes igitur Ecclesiam Conventus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum Civitatis Tusculanæ, in qua nullum aliud Altare Privilegiatum &c. illustrare, dummodo in dicta Ecclesiâ quatuordecim Missæ quotidiè celebrentur, auctoritate &c. confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis Secularis, vel cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & singulis diebus infrà illius octavam, ac secunda, & sexta feriis cujuslibet hebdomadæ pro Anima cujuscumque Christifidelis &c. ut supra.

His igitur præhabitis EE. VV. non dedignabuntur sapientissimè de more respondere.

Primo: An absentibus Religiosis ex causâ Prædicationis tempore Quadragesimæ, & Adventus, vel quando occasione Festivitatum, vel Funerum, aut similium à Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur Indulgentiæ concessæ cum certo numero Missarum, qui ob dd. causas adimpleri non potest, prorsùs cessent, vel pro eo tempore quo numerus non fuerit adimpletus, sint suspensæ, vel potiùs remaneant in suo robore.

Secundò: An idem sit statuendum, deficiente præfixo numero Missarum ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quàm Secularium.

Tertiò: An pariter idem sit statuendum deficiente dicto numero Missarum ob absentiam ab Ecclesiis Secularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menses.

Die 30. Julij 1706. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum ad primum quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadragesimæ censuit remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodò raro contingat Ad secundum censuit non remanere suspensas. Ad tertium satis provisum in primo.

B. Card. Panciaticus Præf.

Vincentius Petra Secr.

DECRETUM

III.

Super dubiis propositis in Causa

Aquen. Jurium Parochialium.

ÆGre ferens Joannes Franciscus Stranius modernus Præpositus, & Parochus loci Incisæ quosdam prætensos abusus fuisse invectos à PP. Carmelitis ejusdem Loci in præjudicium suorum jurium Parochialium, ad hanc Sac. Congregationem recursum habuit, à qua de more requisitâ informatione Episcopi, Vicarius Generalis illius juxta Relationem Parocho usquequaque favorabilem in Summario exhibendam, transmisit; Quo circa infrascripta Dubia concordata, Patribus hinc indè scribentibus, resolvenda EE. VV. proponuntur, una cum alio Dubio, quod est ultimum, nuper concordatum occasione, quod cùm PP. obedire detrectaverint Episcopi Edicto prolato, ubi prætenditur, pendente lite in hac Sac. Congregatione, demandanti, ut in funeribus accederent ad Parochialem, ad levandam Crucem, eorum tres fuerunt à Confessionibus audiendis suspensi, super quibus informans Episcopus eadem confirmat, & conqueritur eosdem tres Patres suspensos statim post declarationem cum spretu, licet semel tantùm, audivisse Confessiones. Quapropter ex utrinque deducendis humiliter postulant Partes ipsæ declarari.

I. An PP. Carmelitæ in Rogationibus possint ad Processionem accedere sine Cappis Albis.

II. An in solo numero duorum Religiosorum Cruce præcedente?

III. An teneatur Præpositus, qui est etiam Parochus in publicis generalibus Processionibus fieri consuetis, monitos facere dd. Patres, ut ad Processionem accedant, & quomodo?

IV. An iidem PP. possint liberè quæstuare in diebus Hebdomadæ sibi benevisis, absque restrictione alicujus diei?

V. An possint. eamdem quæstuationem facere pro Confraternitatibus in eorum Ecclesiâ erectis?

VI. An possint in d. Ecclesia pro dd. Confraternitatibus exponere SS. Eucharistiæ Sacramentum occasione Novenæ SS. Natalis, & quadraginta Horarum in diebus sibi benevisis sinè licentia Ordinarij?

VII. An easdem expositiones facere possint pro eorumdem Regularium devotione?

VIII. An possint benedicere Sponsos cum licentia Parochi, vel sine?

IX. An iidem Patres audientes Confessiones Infirmorum, teneantur ante, vel post dictam Confessionem illam Parocho notificare?

X. An possint in propriâ Ecclesiâ Mulieres post partum benedicere, & ad Purificationem admittere ?

XI. An vocati possint se conferre ad benedicendam Febrem cum Reliquiâ S. Alberti ?

XII. An vocati ad associandum Defunctorum Cadavera prius convenire debeant ad Ecclesiam Parochialem cum eorum Cruce, & deinde se conferre ad Domum Defuncti, & quatenus negativè.

XIII. An ad eundem effectum sub qua Cruce, & in quo loco dicti Patres expectare debeant Parochum, & alios exequiis intervenientes ?

XIV. An possint dare signum, & celebrare Missam in diebus festivis eodem tempore, antequam detur signum, & celebretur Missa Parochialis ?

XI. An præpositus habeat Jus interveniendi in redditionibus rationum faciendis per Confraternitates Laicorum in Ecclesiâ dd. Patrum erectas ?

XVI. An [illegible]em Patribus Carmelitis liceat Processiones facere extrà propria Claustra, seu districtum, & intra limites Parochiæ, invito Parocho ? Et quatenus negativè.

XVII. An eisdem Patribus liceat extra propria Claustra, seu districtum per loca consueta facere Processionem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo occasione suæ Festivitatis, petitâ tamen licentiâ à Parocho, licèt non obtenta ?

XVIII. An Patres suspensi sint reintegrandi ad audiendas Confessiones Sacramentales in casu &c.

Diebus 19. Maji, & 9. Junii 1708. Sac. Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

RESPONDIT

Ad primum : Negativè.
Ad secundum : Negativè.
Ad tertium : Affirmativè, sivè per Nuncium, sivè per Schedulam.
Ad quartum : Affirmativè.
Ad quintum : Negativè.
Ad sextum : Negativè.
Ad septimum : Negativè.
Ad octavum : Posse, cum licentiâ tamen Parochi, & amplius non proponi mandavit.
Ad nonum : Affirmativè ad formam Constitutionis Clementis X.
Ad decimum : Affirmativè.
Ad undecimum : Affirmativè.
Ad duodecimum, &
Ad decimum-tertium : In casu, de quo agitur, posse convenire etiam in Ecclesia viciniori Domui Defuncti, & in Tumulatione Cadaveris sub unica Cruce Ecclesiæ tumulantis.
Ad decimum-quartum : Affirmativè.
Ad decimum-quintum : Negativè.
Ad decimum-sextum : Negativè.
Ad decimum-septimum : Affirmativè.
Ad decimum-octavum : Affirmativè.

B. Card. Panciaticus Præfectus.

V. Petra Secretarius.

DECRETUM.

VI. Super dubio, an Minoribus Observantibus Sancti Francisci liceat in eorum Ecclesiis retinere Capsulas pro eleemosynis Missarum.

QUemadmodum probos decet Religiosos, cupientes hujus Ordinis Patres non minùs eorum Regulæ puritatem custodire, præcipuè circa paupertatis Votum tantoperè à Sancto Fundatore injunctum, quàm Apostolicis jussis obtemperare, humillimè expetierunt hujus S. C. oraculum super declaratione emergentis casus qui est hujusmodi. Urget ex unâ parte novissima Constitutio san. mem. Innocentii XII. super Celebratione Missarum, quæ incipit *Nuper* cum decreto *irritanti*, & clausula *sublata*, nec non cum derogatione expressâ omnium Constitutionum Apostolicarum, & Statutorum Ordinum ; tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, atque Consuetudinum immemorabilium, quæ inter alia provida Decreta, demandat, retentionem Capsularum pro Missis celebrandis per hæc verba ; *Debeant ulteriùs Regulares prædicti, omnes, & quascunque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium. Missarum reponere in Capsa particulari sub duabus Clavibus, quarum una penès Superiorem Localem, altera verò penès alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de eisdem eleemosynis, & celebratione Missarum coram Patribus Discretis, seù Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, & respectivè reddere.*

Obstare ex aliâ parte videntur hujusmodi Capsæ retentioni bina Decreta, alterum editum in Generali Congregatione Cismontanæ Familiæ habitâ in Conventu Aracœli Anno 1615. *relatum in Tom. 3. Orb. Seraph. pag. 613.* Alterum verò per eadem verba conceptum itidem in Generali Congregatione in eodem Conventu celebratâ Anno 1628. coram cl. mem. Card. Gypsio à san. mem. Urbano VIII. specialiter delegato, recensitum quoque in *Tom. 4. ejusdem Orb. Seraph. pag. 11.* quod, & pariter eorumdem verborum texturâ relatum reperitur post Constitutionem *Injuncti nobis* prælaudati Pontificis 49. *in ordine Bull. Tom. 4. sub dat. 14. Junii 1628., & publicatum die 15. ejusdem mensis, & Anni*, ibi : Capsæ, vel Trunci ad recipiendas eleemosynas pecuniarias, etiam pro Missis oblatas, non solùm ab Ecclesiâ, sed etiam à Sacristia, & à quacumqe parte, quæ sit intra Clausuram Conventus, omnino prohibentur sub pœna inobedientiæ, & excommunicationis majoris ; *oblatæ autem eleemosynæ pro Missis nullo modo intrà Clausuram Conventus, aut intrà Ecclesiam, vel Sacristiam ab aliquo recipi permittantur, sed ad Syndicum Apostolicum offerens remittatur ; Quod si id grave illi fuerit, & voluerit Tertiario, vel Servitori Conventus tamquam Syndici substituto illam tradere, ut ad Syndicum ipsum ejus nomine deferatur, id fieri poterit, ea tamen lege, ut intrà Clausuram Conventus, aut Ecclesiæ, nec Tertiarius, nec Servus illam recipiat, & Guardianus, qui contrarium permiserit, privetur Officio suo. Et ibidem infrà. Præterea nullo modo habeant in eorum Ecclesiis, vel Sacristiis, aut alibi Cippos, aut Truncos ordinatos ad offerentium, seu donantium pecunias, nec Capsulas pro eleemosynis Missarum.*

Insuper obstare videntur typis traditæ Constitutiones editæ in Capitulo Generali celebrato in eodem Conventu Aracœlitano die 29. Maji 1700. Pro Cismontana familia, §. ad propositionem num. 1. pag. 30. ubi hæc habentur : *Ad propositionem factam in Discretorio Observantium an supplicari deberet SS. ut dispensare dignetur cum Observantibus in præcepto de retinendo Capsulas in Sacristia pro recipiendis eleemosynis pro Missis, prout insinuari videtur in Decretis, de Celebratione Missarum. Definitorium Generale attenta dispositione Regulæ nostræ cap. 4., ac Apostolicarum declarationum illius, aliorumque Pontificum Constitutionum præsertim Nicolai III. Exiit, Clem. V. Exius, Pauli III. Exponi Nobis, die 30. Maji 1536., Innocentii XI. Solicitudo Pastoralis, Innocentii XII. Aliàs à felici,*

nec non Decreti Sac. Congregationis Conſultationibus hujus noſtræ Familiæ præpoſitæ, approbante Sanctiſſimo, ſub Dat. die 4. Junii 1628. declarat ejuſmodi Capſulas ſtatui, ac Profeſſioni Fratrum Minorum de Obſervantia eſſe repugnantes, & proinde Fratres noſtros non comprehendi ſub præcepto hujuſmodi de retinendis prædictis Capſulis in Sacriſtiis, vel ſuis Conventibus, & ſi opus fuerit ſupplicetur SS. pro confirmatione hujus declarationis per Officiales Familiæ: Harum autem Conſtitutionum legalitatem impugnat modernus V. Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ, antumans eas fuiſſe efformatas proprio marte mox Defuncti P. Generalis Ordinis, circa conſenſum Generalis Capituli; Sed earum loco, hoc aliud exhibuit documentum. In Regeſtro Curiæ Aracælitanæ facto ab Anno 1700. uſque ad Annum 1704. *fol.* 22. *num.* 7. *inter alia ſic legitur. Circa Capſulam pro conſervatione eleemoſynarum pro Miſſis celebrandis recipiendarum in Sacriſtiis omnium Regularium, etiam Mendicantium cum ampliſſimis derogatoriis omnium in contrarium quomodòlibet diſponentium à Sacra Congregatione Concilii in noviſſimis Decretis de Celebratione Miſſarum obſervari mandatam cum circumſtantiis in ea materia diſpoſitis, Diſcretorium Generale optat, ut ſupplicetur Sanctiſſimo pro diſpenſatione Obſervantium ab obligatione eas Capſulas retinendi; At Diffinitorium Generale rogat Reverendiſs. P. Generalem, ut perpenſis perpendendis, mandet id fieri, & reſpectivè ſupplicari, quod ſibi melius in Domino, ac Ordini utilius videbitur expedire.*

Ancipites valdè ſunt Religioſi præfati Ordinis, utram in partem ſe dent ſuper hujuſmodi Capſularum retentione, exindeque in varias abierunt interpretationes, cum præjudiciali diffor mitate regularis Inſtituti, utpote, qui Innocentianam Conſtitutionem ſervandam contendunt, Capſulas ad uſum revocarunt, cæteri verò, qui ſupra relatis Ordinis ſtatutis connituntur, eaſdem abjecerunt; Propterea prænominatus V. Commiſſarius Generalis ad reſtituendam in hac parte debitam Regulæ uniformitatem, reverenter expetiti ab EE. VV. declarationem, an ſui Religioſi obſervantes Regulæ D. Franciſci comprehendantur ſub primodicta Conſtitutione Innocentiana de Capſulis retinendis pro Miſſis celebrandis.

Eminentiſſimus Ordinis Protector informare deſuper requiſitus præallegatas diſpoſitiones librando, non dubitat hoſce Fratres Minores Obſervantes comprehendi ſub d. Conſtitutione Innocentianâ, eo quòd illa ſpecificè de Regularibus Mendicantibus loquatur, atque præmemorata Religionis Statuta ex adverſo recenſita non obſtare, ſubdit, attenta ſpeciali eorumdem derogatione in eadem Innocentianâ contenta, quin, & ulterius Eminentiſſ. Relator allegando Indultum ſan. mem. Gregorii XIII. permittentis uſum hujuſmodi Capſularum in Sacriſtiis dd. Fratrum, pro aſſervandis eleemoſynis in dies oblatis, quod refertur ab Auctore *Orb. Seraph. tom.* 3. *pag.* 382. *col.* 2. *&* *pag.* 446. *col.* 1. cenſet nullum ſe ſe deprehendere inconveniens in earum uſu quoties tamen retineantur cum cautelâ, in locis non publicis, ne in apparentiâ offendatur paupertas, ſed aſſerventur Claves, apud Sindicum Apoſtolicum, & Superiorem localem reſpectivè, ad formam Conſtitutionis Innocentianæ, ut latiùs in ejuſdem relatione per manus circumferenda. His itaque expenſis emergit dubium ſapientiſſimè ab EE. VV. reſolvendum.

An, & quomodò Minores Obſervantes valeant retinere Capſulas pro Miſſis celebrandis in caſu &c.

Die 7. Julij 1708. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit negativè.

B. Card. Panciaticus Præf.

V. Petra Secr.

RESOLUTIO. V.

Plurium dubiorum Oeconomicam adminiſtrationem Archiconfraternitatis Sancti Hieronymi Charitatis Urbis, & pia Opera, quæ ibidem exercentur, reſpicientium.

Romana Operum Piorum.

PErluſtrato per Eminentiſſ. Mariſcottum juſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri moderno ſtatu omnium redituum, & onerum Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis Urbis, non levia detecta fuerunt inconvenientia, propter quæ locus iſte indies deterior fieri videtur cum maximo præjudicio Operum Piorum à Fundatoribus injunctorum, quorum exercitium hactenus defuiſſe, & poſthac planè defuturum noſcitur: Ad reparandum itaque, quo fieri poteſt, æquiori modo id grave detrimentum, Officiales & Deputati ejuſdem Loci humiliter preces eidem Sanctiſſimo porrexerunt, ad hanc Sacram Congregationem remiſſas, hæc media deſuper ſuggerentes.

I. Quod cùm præfata Archiconfraternitas gravata ſit ingenti ære alieno pertingente ſummam ſcutorum 92201. 48 ex eo proveniente, quòd effectus, & reditus a piis Benefactoribus relicti erogati olim fuerint, & annuatim erogentur in aliis Operibus, quam ab eiſdem Benefactoribus præſcriptis, itaut anno quolibet Exitus Introitum ſuperet in ſcutis 3240. 15. Ac vice verſâ cum eadem Archiconfraternitas poſſideat Capitale liberum ad omni onere ſcutor. 41887. 94. ideòque ſupplicarunt pro facultate convertendi, & applicandi hoc Capitale liberum in extinctionem præmemorati debiti.

II. Admiſſâ hujuſmodi petitâ applicatione, cum nulli alii ſuperſint dicto Loco Pio reditus pro ſolvendis annuis ſcutis 459. quæ requiruntur pro mercede Miniſtrorum incumbentium adminiſtrationi redituum, idcirco exorarunt pro facultate detrahendi ſingulis annis ex proventibus cujuſcumque hæreditatis, donationis, & legati ratam partem proprotionabiliter uſque ad conſtandam dictam ſummam annuorum ſcut. 459.

III. Cum hactenus rationes omnium redituum tam liberorum, quàm oneribus obnoxiorum extiterint ſub confuſo, ita ut aliquatenus deſirum fuerit ab adimplemento Operum Piorum à Teſtatoribus præſcriptorum, quin & ulteriùs plus expenſum fuerit in adimplendis aliquibus oneribus, quàm eſſent reditus aſſignati, & vice verſâ detractum aliis oneribus, quorum reditus illis correſpondebant, licèt revera non aliàs, quàm in piis & charitativis operibus proventus expenſi fuerint: Cumque modò ex rerum involucro, & temporis antiquitate prædicti exceſſus, & defectus liquidari nequeant, ac nimis ardua dignoſcatur ſingulorum ad ſingula reintegratio quinimò adhuc omnibus liquidatis nulla quidem compenſatio ſequi poteſt ex notoria Archiconfratanitatis inopia, ideoque attenta eorum bona fide Oratores ſupplicant pro ſanatione geſtorum in præteritum, eorumque approbatione.

IV. Ad evitanda in poſterum ſimilia adſurda, rogant inſuper pro reductione onerum Miſ-

ſarum,

sarum, Subsidiorum dotaliun, aliorumque piorum Operum eidem Loco incumbentium, attenta notabili diminutione redituum illis correspondentium, vel ex naturâ rei, vel ex facto Principis sequutâ.

V. Subjiciunt tandem preces Oratores ipsi, ut in futurum, quotiescunque casus eveniat diminutionis redituum, ipsismet fiat facultas faciendi congruas onerum reductiones.

Eminentissimus Mariscottus Relator pro informatione requisitus, rebus maturè pensatis quoad primam Instantiam censet, posse indulgeri modo expresso ab E. S. in folio assignando pro reintegratione cujusslibet hæreditatis certa bona libera ejusdem Oratricis, exprimendo, singula bona: Quoad secundam petitionem, admittendam esse putat, stante necessitate Ministrorum, indicatque E. S. provisiones pro singulis Ministris: Quoad tertiam censet, si Sanctissimo placuerit, petitam absolutionem concedi posse, cum excessus, & defectus enunciati ex rerum involucro, ac temporum vetustate in præsens liquidari non possint, & quatenus etiam liquidarentur, ob notam Archiconfraternitatis indigentiam exequi non valeant. Et demùm quoad quartam, & quintam pariter instantiam, onerum reductionem in futurum concedendam esse arbitratur, ad rationem reddituum, juxta methodum per E. S. labore non parvo expressam in folio separato, prout etiam attribui posse Eminentissimo Protectori dictæ Ven. Archiconfraternitatis facultatem moderandi onera in casu minorationis redituum, & hoc pro faciliori rei expeditione, & celeri piarum voluntatum adimplemento, cùm certa, & invariabilis regula singulis quibuscunque annis dari nequeat in futurum pro memoratâ reductione. Dignentur itaque Eminentissimi Patres eorum sapientissimum Oraculum præbere.

An, in quibus, & quomodò petitis sit annuendum &c.

Die 7. Julii 1708. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attentâ relatione Eminentissimi D. Cardinalis Mariscotti; quoad primam instantiam benignè commisit eidem Eminentissimo, ut veris existentibus narratis, & prævià Oratorum absolutione à quibuscunque censuris, & pœnis, petitam facultatem erogandi præfatum liberum Capitale scutorum quadraginta unius millium octingentorum octoginta septem, & obulorum nonaginta quatuor in dissolutionem, & extinctionem supra enunciati æris alieni pro suo arbitrio, & prudentiâ Oratoribus gratis impartiatur. Secundam petitionem benignè remisit arbitrio ejusdem Eminentissimi Relatoris, qui pro suâ prudentiâ super gerat, statuat, atque decernat, quod sibi magis in Domino expedire videbitur. Quoad tertiam instantiam eidem Eminentissimo Relatori commisit, ut in præteritum gesta sanet dumtaxat, atque convalidet. Quo verò ad petitam quarto loco reductionem Missarum, Subsidiorum dotalium, aliorumque piorum Operum itidem Eminentiæ Suæ commisit, ut vocatis, si qui fuerint vocandi, ac maturè pensatis omnibus, & singulis hujusmodi Fundationibus, seu Legatis, firmis remanentibus oneribus congruam Eleemosynam habentibus, ac provenientibus ex contractu inito cum Archiconfraternitate, necnon Missis, quæ à piis Fundatoribus, seu Testatoribus in eorum dispositionibus fuerint prædilectæ, & subsidiis dotalibus antepositæ, ea dumtaxat Missarum onera, commutatis Anniversariis in tot Missas lectas ad rationem Eleemosynæ manualis, more Urbis inspecto, ac subsidia dotalia, & alia pia Opera, juxtà proportionatam redituum quantitatem, dempto, ex eis obulo pro qualibet Missâ, in causam sacrorum Utensilium erogando, quatenus Ecclesia reditus ad hunc effectum assignatos non habeat, juxta *Constitutionem sanctæ mem. Urbani VIII. de celebratione Missarum*, pro suo arbitrio, & prudentiâ moderetur, atque reducat, quæ taxativè à piis Fundatoribus concepta fuerint. Secus verò, si fundationes, seu Legata prædicta demonstrativè concepta erunt, quo casu eadem Sacra Congregatio censuit, non esse locum reductioni, sed agendum esse contra hæredes Fundatorum ad perpetuam injunctorum onerum manutentionem, & ad supplendam summam deficientem, tam pro præterito, quam pro futuro tempore. Quatenus autem quoad onera demonstrativè concepta, factis judicialibus, & possibilibus diligentiis, vel hæredes cogendo, vel Testatorum bona non reperiantur, super quibus Oratorum conscientia onerata remaneat, tunc censuit, *onera ipsa reduci posse proportionabiliter, ut supra:* Ita tamen, ut si quando reditus augeantur, augeri quoque debeat ad ratam Missarum numerus, & quantitas dotium, aliorumque piorum operum, non autem diminuantur in casu diminutionis eorundem redituum, sed in casibus particularibus ad eamdem Sacram Congregationem recurratur, quod in actu præsertim visitationis erit inspiciendum. Ut autem in futurum cautiùs & diligentiùs procedatur, tum in acceptandis piis Legatis cum onere Missarum, tum in adimplendis jam acceptatis, sæpedicta Sacra Congregatio præfato Eminentissimo Relatori pariter commisit, ut Deputatis & Officialibus prædictæ Archiconfraternitatis strictè injungat observantiam dictæ Constitutionis sanctæ mem. Urbani VIII., & Innocentii XII. super celebratione Missarum.

B. Card. Panciaticus Præfectus.

V. Petra Secretarius.

Romana Applicationis Missarum, & Subsidii Dotalis.

EXponunt Officiales, & Deputati Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis Urbis, quod olim PP. Minoris Observantiæ Provinciæ Romanæ dimiserint in manibus sanctæ memoriæ Clementis VII Ecclesiam S Hieronymi, ejusque Conventum, Sacrarium, sacra supellectilia, multasque domus adjacentes, quodque idem Summus Pontifex eamdem Ecclesiam cum supradictis membris univerit præfatæ Archiconfraternitati eâ lege, ut ibi retineri non possent, nisi Sacerdotes Seculares, qui tenerentur, vel per se, vel per alios Cappellanos celebrare saltem octo Missas lectas quotidianas, & diebus festis Missam solemnem canere cum Vesperis, & Completorio absque expressione applicationis Sacrificij; Necnon, quod cum Joannes Baptista Fossa duas dotes distribuendas reliquerit per dictam Archiconfraternitatem, his verbis: *Mandavit, quod de omnibus suis bonis prima vice tantùm exponantur in ornamentum, & beneficium Sacristiæ S. Hieronymi Charitatis scuta quinquaginta, & reliquis annis futuris de suis introitibus nubantur Puellæ duæ modo, & forma, prout aliæ nuptui traduntur ultrà numerum solitum à dicta Societate:* Hinc supplicavit declarari infrascripta dubia, super quibus auditus Eminentissimus Mariscottus Relator rationes hinc inde adducit quoad primum, sed votum non aperit. Quo verò ad secundum puta deberi dotes distribui non ad rationem scuttorum triginta pro qualibet, prout aliæ distribuuntur à dictæ

Archiconfraternitate, ſed ad ratam fructuum hæreditariorum, remittendo totum judicio EE. PP., qui exorantur reſolvere.

Primò. *An Sacerdotes hodierni Eccleſiæ S. Hieronymi numero octo poſſint Sacrificium applicare in ſatisfactionem aliorum onerum à Teſtatoribus injunctorum poſt unionem Archiconfraternitatis prædictæ, ſeu potiùs teneantur applicare pro Benefactoribus ante unionem in caſu &c.*

Secondò. *An duæ dotes diſtribuendæ ex diſpoſitione Joannis Baptiſtæ Foſſæ debeant eſſe in ſumma ſcutorum triginta pro qualibet, comprehenſa veſte, ſive pro intranti quantitate integri fructus hæreditatis prædictæ in caſu &c.*

Die 7. Julii 1708. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit ad primum *Affirmativè quoad primam, & negativè quoad ſecundam partem*: Ad ſecundum *Negativè quoad primam, & affirmativè quoad ſecundam partem.*

B. Card. Panciaticus Præfectus.

V. Petra Secretarius.

EPISTOLA.

VI. Encyclica ad univerſos Italiæ, Inſularumque adjacentium Ordinarios juſſu Summi Pontificis conſcripta, qua pium Exercitiorum ſpiritualium opus ipſis maximè commendatur, & Clericis, Sacerdotibus, aliiſque Eccleſiaſticis illa peragentibus plura ex Apoſtolicâ benignitate indulgentur.

REverendiſſime Domine uti Frater. Inter graviſſimas Paſtoralis Officij curas, quibus Sanctiſſimus Dominus Noſter aſſiduè premitur, in eam præcipuo ſtudio incumbit, ut quicunque in ſortem Domini vocati ſunt, præſertim verò Sacerdotes, & animarum Rectores, tum ſacrarum Literarum, Divinarumque rerum ſcientiâ, tum etiam vitæ, morumque honeſtate cæteris antecellant, ac in omnibus, juxtà monitum Apoſtoli, præbeant ſemetipſos exemplum bonorum operum in doctrinâ, in integritate, in gravitate. Cum etenim ipſi ſint ſanctiora Eccleſiæ membra, Diſpenſatores myſteriorum Dei, Chriſtiani Populi Duces, & Magiſtri, Mediatores inter Deum, & Homines, lucernæ ſuper candelabrum poſitæ, ut luceant omnibus, qui in Domo ſunt; Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, divinumque cultum accendat, quàm illorum vita, & exemplum; Omnes ſiquidem in ipſos, tamquam in ſpeculum, oculos conjiciunt, ut inde ſumere poſſint, quod imitentur. Porrò cum diuturnâ experientiâ compertum ſit ad retinendam, conſervandamque Sacerdotalis Ordinis dignitatem, & ſanctimoniam maximè conducere, ut Eccleſiaſtici viri ſpiritualibus Exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid ſordium de mundano pulvere contractum eſt, commodè detergitur, Eccleſiaſticus ſpiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, rectè, ſanctèque vivendi norma vel inſtituitur, vel confirmatur; Proindè Sanctitas Sua pro eximio, quo flagrat, omnium ſalutis zelo vehementer exoptans, ut pium hoc, & ſaluberrimum exercitiorum ſpiritualium opus ubique locorum magnoperè frequentetur, ac vigeat, univerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque tum Italiæ, tum etiam Inſularum adjacentium Ordinarios enixè admonet, ac in Domino hortatur, ut dillu in ſua quiſque Diœceſi, quo majori poterunt conatu, & ſtudio promovere ſatagant; præcipuè verò iis diſtrictè injungit, ac præcipit, ut, quæ dudum ſan. mem. Innocentius XI, P. M. per encyclicam Epiſtolam à Sacrâ Congregatione Epiſcoporum, & Regularium Conſultationibus præpoſitâ ad univerſos Italiæ, Inſularumque adjacentium Epiſcopos datam die 9. Octobris 1682. quoad hujuſmodi Spiritualia Exercitia à ſingulis Clericis decem dierum ſpatio antequam ad ſacros Ordines aſſumantur, peragenda mandavit, exactè, ac inviolabiliter obſervari, & exequi curent, & quos iiſdem exercitiis per antedicti temporis ſpatium minimè operam dediſſe cognoverint, à ſacrâ Ordinatione repellant penitus, & arceant, Præterea Sanctitas Sua eoſdem Ordinarios admonet, & hortatur, ut fructu, qui ſanè uberrimus ex prædictis ſpiritualibus Exercitiis percipitur, opportunè propoſito, ac explicato univerſos ex Clero ſibi ſubjecto, ſed præcipuè animarum Rectores, Confeſſarios, Canonicos, alioſque Beneficiatos Chori ſervitio adſtrictos diligenter excitent ad eadem Exercitia ſaltem ſemel in anno peragenda in domibus Religioſorum Societatis Jeſu, ſeu Presbyterorum Congregationis Miſſionis, ſi adſint, ſin minùs in alia pia, ſeu Regulari Domo ab ipſis Ordinariis ad id deſignanda, & approbandâ. Ut autem alacriùs ad ejuſmodi ſpiritualem ſeceſſum ſinguli conveniant, Sanctitas Sua omnibus præfatis animarum Rectoribus, Confeſſariis, Canonicis, Beneficiatis, aliiſque Sacerdotibus, & Clericis, qui per decem dies ſigulis annis, eadem Exercitia peregerint in domibus præfatis, ibique diu, noctuque permanſerint, ac interea temporis verè pœnitentes, & confeſſi Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id egerint, plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino elargitur. Parochos inſuper per idem tempus ſemel tantùm in anno exercitiis hujuſmodi vacantes à reſidentiâ benignè abſolvit; Quod ipſum ſervari præcipit quoad Canonicos, Beneficiatos, alioſque perſonali reſidentiâ obſtrictos, & Chori ſervitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, & quotidianas ſuorum reſpectivè Canonicatuum, & Beneficiorum diſtributiones quaſcumque, perinde ac ſi Choro, Diviniſque Officiis perſonaliter intereſſent, dummodò tamen eadem Exercitia peragant, obtentâ prius ab Ordinario licentiâ, à quo nullatenus concedenda erit Adventus, & Quadrageſimæ tempore, ac in ſolemnioribus Feſtivitatibus, nec unquam omnibus ſimul Canonicis, aliiſque Choro inſervientibus, ſed eo adhibito modo, ut Chori ſervitium nequaquam intermittatur, & quoad Parochos, idoneis prius ſubrogatis Oeconomis ab ipſemet Ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter adminiſtrent. Mandat inſuper Sanctitas Sua, ut hæ literæ publicentur in iſtâ Diœceſi, & in Cancellariæ regeſtis pro perenni eorum, quæ in illis continentur, obſervantiâ deſcribantur, & ad hunc ipſum finem quolibet triennio earum publicatio in poſterùm renovetur.

Quæ omnia ita diligenter ab Ampl. tuæ vigili providentiâ, ac paſtorali ſollicitudine præſtanda fore confidit Sanctiſſimus Pater, ut à Sanctitate Suâ laudem, à Cœleſti verò bonorum operum Retributore condigna præmia valeat promereri; Et Ampl. tuæ copioſa divinorum Chriſmatum incrementa ex animo precor. Ampl. tuæ Dat. Romæ die 1. Februarij 1710.

Uti Frater.

Bandinus Card. Panciaticus Præfectus.

V. Petra Secret.

EPISTOLA.

VII. Encyclica ad universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ac alios locorum Ordinarios quoscunque data, qua illis de speciali mandato Summi Pontificis injungitur, ut Canonicos, Beneficiatos, Portionarios, & alios apud Ecclesias, quarum servitio addicti sunt, residere obligatos, necnon Parochos, & quoscunque alios animarum curam gerentes opportunis remediis, & canonicis pœnis ad personalem residentiam compellant.

REverendissime Domine uti frater. Pastoralis Officii debito salubriter exequendo assiduè intentus Sanctissimus Dominus Noster in eam præ cæteris singulari studio incumbit solicitudinem ut omnes Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Dignitates Canonici, Beneficiati, Portionarii, aliique earum obsequiis mancipati, præcipuè, verò Ecclesiarum Parochialium Rectores, & quicunque alii animarum curæ præpositi, juxtà Sacrorum Canonum, & Sacri Tridentini Concilii Decreta, atque Apostolicarum Constitutionum præscriptum, personalis residentiæ munus, quo obstricti sunt, agnoscant. illudque bonâ fide, & quâ par est, sedulitate, ac diligentiâ præstent: Cùm autem Sanctitati Suæ non absque gravi animi sui mœrore dudum innotuerit, nonnullos præfatarum Ecclesiarum servitio, vel animarum regimini addictos, proprii oblitos Officii, huc illuc per menses, & annos divagari sine ullâsuorum Prælatorum licentiâ, vel etiam cum eâ, sed ultra tempus permissum, ac præter causas legitimas ab eisdem sacris Canonibus, & sacro Tridentino Concilio approbatas, & absque Apostolicis Indultis, quæ ab hac Sacrâ Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii interpretum justam discedendi causam habentibus concedi solent; unde non rarò fit, ut divina Officia, & Ecclesiastica munia, quæ ab integro Ministrorum numero expleri debent, maximè negligantur, & animarum cura proprio Pastore destituta gravissimum patiatur detrimentum, nec sit qui parvulis petentibus Evangelicum panem frangat; Volens propterea Sanctitas Sua pro eximio, quo pollet, zelo, maximum hunc abusum è medio tollere, simulque opportunè prospicere, ut singuli Ecclesiarum Ministri deinceps iis debita fideliter exhibeant obsequia, & Parochialium in primis Ecclesiarum Rectores, pascendis ovibus sibi commissis assiduè, ac diligenter vacent; sicuti eâ de re saluberrima in Urbe mandata nuper edidit pro iis, qui alibi residere obstricti, inibi còmmorantur; ita etiam jubet, ac præcipit universis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac cæteris locorum Ordinariis quibuscunque, ut propriam quisque Pastoralem solicitudinem excitantes, prælaudata sacrorum Canonum, & sacri Concilii Tridentini Decreta adversùs prædictarum Ecclesiarum Canonicos, omnesque, & singulos Beneficiatos de jure, vel consuetudine residere obligatos, necnon adversùs Parochos, & quoscunque alios animarum curam exercentes respectivè edita seriò observent, ac observari faciant, eos opportunis remediis ad personalem residentiam compellendo, ut onera unicuique eorum pro divino cultu, & Ecclesiarum, animarumque servitio incumbentia sustinere commodè possint. Porrò in hunc ipsum finem eosdem locorum Ordinarios hortatur, ac admonet, ut hujusmodi Parochos, Canonicos, aliosque Beneficiatos, ut supra, residere detrectantes, pœnis à sacris Canonibus, & sacro Concilio Tridentino statutis, subtractionis scilicet fructuum, & crescente contumaciâ, privationis etiam Canonicatuum, ac Beneficiorum, quibus potiuntur, mulctare, & coërcere non omittant, ac in eos ulteriùs procedant juxtà formam *Decretalis Innocentii III.* relatæ *in cap. Ex tuæ de Cleric. non residen.*, implorato etiam ad id, ubi opus fuerit, auxilio, & ope Ordinariorum, in quorum Diœcesibus prædicti Refractarii commorantur. Ut autem hæc omnia suum exactiùs sortiantur effectum, Sanctitas Sua iisdem locorum Ordinariis injungit, ut quos ex Parochis, Dignitatibus, Canonicis, & Beneficiatis ejusmodi in præsens, vel etiam in posterum quandocunque à propriâ residentiâ abesse compererint ultrà tempus permissum, & absque debitis Apostolicis Indultis, eorumdem Contumacium nomina, & Beneficia residentialia, quæ obtinent, ac insuper Diœceses, & Loca, in quibus ipsi moram trahunt huic Sacræ Congregationi per suas Literas incunctanter denuncient, & quoad Contumaces in Urbe degentes idipsum tam eidem Sacræ Congregationi, quàm Eminentissimo ejusdem Urbis Vicario significent. Mandat denique Sanctitas Sua, ut præsentes Literæ, ne ullo unquam temporis decursu obsolescant, aut in desuetudinem abeant, istius Cancellariæ regestis describantur.

Cumque in his exequendis, provida in primis Sacrorum Antistitum solertia versari debeat, confidit Sanctissimus Pater præmissa omnia ab Amplitudinis tuæ vigili zelo, atque studio ita præstanda fore, ut nedum tui Officii debito cumulatè satisfacias, verùm etiam nihil desuper Sanctitati Suæ desiderandum relinquas, & Amplitudini tuæ prospera, lætaque cuncta à Deo precor.

Amplitudinis tuæ.

Uti Frater

B. Card. Panciaticus Præfectus.

V. Petra Secret.

EPISTOLA.

VIII. Encyclyca methodum, ac normam præscribens observandam ab omnibus Episcopis, aliisque Prælatis facultatem habentibus indicendi Concursum ad Parochiales Ecclesias in examine, sive Concursu ad easdem Ecclesias, quoties earum vacatio contigerit, instituendo.

REverendissime Domine uti Frater. Quò Parochiales Ecclesiæ dignioribus Personis gubernandæ traderentur statuit, ut notum est, Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 24 cap. 18. ut, vacante Ecclesiâ Parochiali, indiceretur, & fieret Concursus; ac, postquam Concurrentes ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali, atque ab Examinatoribus Synodalibus saltem tribus, examinati, & approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam necessariis, & opportunis, digniorem cæteris, magisque idoneum judicaret. Adjecitque ad hanc Concilii Sanctionem validiùs confirmandam, re, & nomine Sanctissimus Pontifex Pius Quintus, quod, si unquam Episcopus minùs habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possentii, qui rejecti essent, à mala ejusmodi electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicæ Delegatum, vel aliâs ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac Prælectum ad

novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare; ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet: quemadmodum in ejus Constitutione, quæ trigesima tertia est, latiùs cavetur; concludendo, quod, constito de prioris Eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis Ecclesia magis idoneo conferatur.

Cùm autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bullæ examinis in Concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponantur; difficile dictu est, quanta Examinum, aliorum alibi, diversitas extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eædem omnibus Quæstiones, non iidem casus propositi fuissent: erant identidem, qui, vel in judicio, vel extra conquererentur; sibi quidem postpositis difficiliores, Præelecto autem faciliores ad solvendum Quæstiones obtigisse. Alibi verò eædem quidem omnibus Quæstiones propositæ fuerunt, sed neque hæ, neque datæ à Concurrentibus responsiones scripto, seu Literis, consignabantur. Cumque postmodum, nec rarò contigerit, ut è postpositis quispiam, jure Bullæ supradictæ, novum ad Examen coram Judice Appellationis, ejusque Examinatoribus Electum provocaret: Sacra Congregatio usque ad anno 1603. considerans gravamen non alia ratione, quàm novo examine probari posse; provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine nec dum probato, & requisitis tantummodò probationibus in subsequenti judicio, in quo probato per novum examen Appellantis gravamine quoad doctrinam, probanda super est ejusdem præjam electo in reliquis ad regendam Ecclesiam requisitispræstantia, ut de majori alterutrius ad Parochialis Ecclesiæ gubernium idoneitate sententia ferri possit, cum non continuò, siquis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam Sacræ Congregationis sententiam Scriptores, & Tribunalia laudarunt. Aliis demum in Diœcesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eædem omnibus Quæstiones, iidemque casus proponantur; ac (ne qua detur ansa Cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsemet Concurrentes, quæ interrogati fuerint, quæque responderint, sua manu perscribant. Atque Ordinarii, qui morem hunc longè optimum in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam, atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent, atque postpositi, in posterum, ut solent, Appellantibus, indulgenda nec ne statim Electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis prærequisita probatione, videretur; cumisti ex actis primi examinis gravamen Doctrinæ facilè alioquin probare possent; quod alii alter nimirum examinati probare, nisi secundo, seu novo examine non poterant. Nec defuere alii probitatis, ac peritiæ in administrandis diu Ecclesiis laude præstantes, qui monerent, frænum aliquod hujusmodi Appellantium licentiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe quæ vix unquam sinemagno Ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram Judice appellationis longë procul à Parochia peragendum sit; Electus ab Episcopo, quiprovocatur, Parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque OEconomo, vel Vicario cuipiam, veluti sponsam ignotis Custodibus, relinquere, Sponso non parumper, sed diu sanè abfuturo; dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis, examina super præstantia primum doctrinæ, tum deinde aliorum, quæ ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiosè multiplicentur, & commodè, ne dicam otiosè, transi gantur, antequam deliberari possit, utri Concurrentium Parochia sit adjudicanda.

Ad tollendam ejusmodi non minùs quærelarum, quàm incommodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, post quam rem omnem à capite repetitam in geminâ Sessione prima Octobris, & 16. Novembris 1720. summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per præsentes Literas encyclicas exequitur) omnes, & singulos Episcopos, aliosque Prælatos, penes quot sit jus, & auctoritas faciendi Concursum, hortari, ut examen ejusmodi instituere non graventur, quale jam, & multæ Diœceses, & Urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat, sive, cum, Sede vacante, vacat Ecclesia aliqua Parochialis, cujus collatio ad Sedem Apostolicam pertineat; sive, cum vacat Parochialis aliqua, ut dicitur juxta Decretum, sive demum, cum vacante in Collegiatis, aut Cathedralibus Ecclesiis Dignitate aliquâ majori, annexam habente curam animarum, faciendus est Concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est, atque in Literis, quæ de ordine Sanctissimi tunc è Dataria prodeunt, clarè præscribitur.

Vacante itaque Ecclesiâ Parochiali, quæ conferenda sit per Concursum, atque, hoc solitis formulis indicto, hæc, quæ sequuntur, ex Sacræ Congregationis Sententiâ, consilio, suasione servanda proponuntur.

Primum nempe, ut assignentur eædem omnibus Concurrentibus Quæstiones, iidem Casus, idemque Textus Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

Alterum, ut Casus, & Quæstiones resolvendæ dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore Textus Evangelii tradatur.

Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod Casus resolvant, Quæstionibus respondeant, Conciunculam componant.

Quartum, ut eodem Concurrentes omnes in Conclavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quispiam eò ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, & exhibuerint.

Quintum, ut omnes suâ quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

Sextum, ut responsa quidem latinè, sermo autem ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur.

Postremum, ut unumquodque responsum, & unusquisque sermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non solùm ab eo, qui scripsit, atque à Cancellario Concursus, verùm etiam ab Examinatoribus, & ab Ordinario, vel ejus Vicario, qui Concursui interfuerint, subscribatur.

Peracto secundùm hanc formulam Concursu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicatus fuerit, Ecclesiâ Parochiali, non admittatur Appellatio, aut à malâ relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies à die Collationis interponatur.

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, Actaque Concursus petat ad Judicem appellationis transferenda; mittantur vel acta ipsa originalia Concursus clausa, & obsignata, vel certè unum aliquod authenticum eorum éxemplum, à Cancellario Concursus, atque altero Notario collatum & auscultatum coram Vicario, vel alio in Ecclesiasticâ dignitate constituto, quem eligat

Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi electio pertinebit, necnon ab Examinatoribus Synodalibus, qui Concursui interfuerunt, subscriptum.

Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo nisi gravamen quoad doctrinam probetis, qui sic, ut præmittitur, examinatus, aut à mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabilli judicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem à Sacra Congregatione frustra postulabit.

Quemadmodum, & in judicio appellationis persequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi interpositâ maturè, ut dictum est, appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit vel ex actis primi Concursus, vel saltem ex attestationibus, & documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, & Sanctissimus assensit. At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est; Concurrentium examina instituere perrexerit, perget & Sacra ipsa Congregatio more pristino Appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis prævià probatione indulgere. Interim tamen, ne harum Litterarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio eas in uniuscujusque Ordinarij Cancellaria perpetuò conservari. Cujus interea consilium, tum voluntatem dum ego omnibus significo, Amplitudini tuæ fausta omnia è Cœlo precor. Romæ hac die 10. Januarij 1721.

Ampl. Tuæ.

Uti Frater.

P. M. Card. Corradinus Præfectus.

P. Lambertinus Secret.

DECRETA MEMORABILIA

Sacræ Congregationis Propagandæ Fidei.

Juxtà temporis seriem dispositа.

DECRETUM.

I. Quo Vicariis Apostolicis, & Missionariis in Anglia laborantibus injungitur, ut secularibus, politicisque negotiis nequaquam se immisceant, & Evangelico tantum Ministerio exequendo intenti sunt.

Die 26. Martij 1703.

SAcra Congregatio de Propaganda Fide, annuente Sanctissimo D. Nostro, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum vestigiis inhærente, præsentis Decreti tenore districtè mandat, & præcipit omnibus, & singulis Vicariis Apostolicis, aliisque Missionariis tam Secularibus, quàm cujusvis Ordinis, seu Instituti, etiam necessario exprimendi Regularibus in Anglia laborantibus, ut omninò se abstineant à Secularibus, & politicis negotiis, iisque præcipuè, quæ ad Statum Regni, vel Reipublicæ, sive temporalem eorum administrationem pertinent. Magistratibus Secularibus debitum obsequium præstent, modesti, pacifici, & quieti, quemadmodum veros Christi Fideles, ac præsertim Ecclesiæ Ministros decet, illis dumtaxat occupationibus, quæ suæ sunt vocationis, intenti, scilicet orationi, prædicationi verbi Dei, Sacramentorum administrationi, & similibus pietatis officiis, pro Persecutoribus ipsis, si aliquando duriora pro Fide Catholicâ patiantur, orantes: nemini dantes ullam offensionem, nec ulli malum pro malo reddentes, sed Apostolorum, virorumque Apostolicorum vestigia sectantes, in omnibus se patientiæ, & charitatis exemplum exhibeant, ut non ab similem illis laborum, atque passionum suarum fructum, ac præmium à Divinâ Bonitate sperare meritò possint. Datum Romæ die, & anno quibus supra.

Carolus Cardinalis Barberinus Præfectus.

Carolus Augustinus Fabronus Secretarius.

DECRETUM.

II. Quoad Juramentum ab Alumnis Collegii Urbani præstari solitum.

Die 4. Maji 1705.

REferente Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinale Colloredo dubia quædam orta circa juramentum ab Alumnis hujus Collegii Urbani præstari solitum, quæ tam Alumnorum, quàm Rectorum pro tempore Collegii præfati conscientias non mediocriter vexare possent, quæque primum proposita in Congregatione Generali habita die 20. Aprilis præteriti coram Sanctissimo Domino Nostro, remissa fuerunt à Sanctitate Sua Congregationi Ordinariæ pro voto, Eminentissimi Patres re maturè perpensa censuerunt.

Primò expedire, ut Alumni, qui admittuntur completo ætatis anno decimoquarto, antequam juramentum præstent, expectent sex menses à die admissionis; qui verò admittuntur ante completum annum decimum quartum, expectent adhuc sex menses postquam compleverint eumdem annum decimumquartum.

Secundò pariter expedire, ut Sanctitas Sua dignetur remittere arbitrio Sacræ Congregationis prorogationem termini ad juramentum præstandum in casibus particularibus, ubi fuerit necessarium.

Quibus omnibus per R. P. D. Carolum Augustinum Fabronum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua benignè annuit, & ita in posterùm servari mandavit quibuscunque non obstantibus in Audientiâ habitâ die 14. Maji 1705.

Joseph Cardinalis Sacripantes Præfectus.

Carolus Augustinus Fabronus Secretarius.

DECRETUM.

III. In causa prætensæ depositionis, & privationis D. Jacobi Patriarchæ Antiocheni.

Die 20. Martij 1713.

IN causa super prætensis criminibus, & excessibus contra D. Jacobum Patriarcham Antiochenum oppositis, & deductis, audita, maturèque in pluribus Congregationibus perpensa relatione Eminentissimi Fabroni, & signanter depositione Testium nulliter, & inordinatè contrà eumdem D. Jacobum examinatorum, nec non viso examine aliorum Testium à P. Laurentio

tio à S. Laurentio Delegato Apoſtolico pariter examinatorum, ac reſpectivè repetitorum, ac viſis, & auditis literis ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Clementem PP. XI., & hanc Sacram Congregationem miſſis ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Montis Libani Nationis Maronitarum, & audito D. Leniamino Archiepiſcopo Edenſi eorum Ablegato oretenus informante, viſiſque videndis, & conſideratis conſiderandis, EE. PP. cenſuerunt dictum Dominum Jacobum Patriarcham Antiochenum à prætenſis criminibus, & exceſſibus contra ipſum oppoſitis, & deductis, defenſionibuſque, prout omne jus exigit, eidem aſſignatis, tanquam non repertum culpabilem, nec de jure punibilem, abſolvendum fore, & eſſe, prout abſolverunt, nec dictos Epiſcopos, & Archiepiſcopos potuiſſe, nec debuiſſe procedere ad depoſitionem, & privationem dicti Patriarchæ à ſua juriſdictione, & à Patriarchatus dignitate, confirmando in hac parte Sententiam dicti Patris Laurentii Delegati Apoſtolici, ideoque ad bonam famam, ac perſonalem æſtimationem reintegrandum, reintegratumque dictum Jacobum voluerunt, & mandarunt.

Quo vero ad manutentionem, ſive reintegrationem ad Dignitatem, Juriſdictionem, ac Sedem Patriarchalem, decreverunt, cauſam in alia Congregatione Generali reproponi, ad effectum examinandi, & recognoſcendi de viribus, & ſubſiſtentia renunciationis factæ ab eodem Jacobo Patriarcha, & interim ne fides Catholica, & Patriarchalis Sedes aliquod detrimentum patiatur, per modum proviſionis authoritate Sacræ Congregationis ſenior in ordine Archiepiſcopali, ſeu Epiſcopali adminiſtret, abſque eo, quod hujuſmodi Adminiſtratori aliquod jus quæſitum, ſeu tributum ad Paſtoralem Dignitatem conſequendam cenſeatur.

Et ſilentium deſuper omnibus, & ſingulis imponendum, prout imponunt.

Et ad Dominum Secretarium, qui curet præſens Decretum exarari caracteribus, ac idiomate arabico, & in illis Partibus publicari non ſolùm dicto, ſed & omni &c.

In ſolitâ Audientiâ Sanctiſſimi die Martis 4. Aprilis 1713. facta per me infraſcriptum Secretarium relatione, lectoque præſenti Decreto Sanctitati Suæ de verbo ad verbum, idem Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Papa XI. benignè approbavit, illudque exequi mandavit.

Silvius Archiepiſcopus Athenarum Secretarius.

ALIUD DECRETUM.

IV. Super plenaria reintegratione antedicti D. Jacobi Patriarchæ Antiocheni ad poſſeſſionem Patriarchatus, ejuſque Sedi, necnon juriſdictionis, & jurium Patriarchalium quorumcunque.

Die 8. *Maji* 1713.

REferente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. Fabrono merita cauſæ ſemper renunciatione, ſeu dimiſſione facta per Dominum Jacobum Patriarcham Antiochenum, cujus diſcuſſio reſervata fuit in Congregatione Generali 20. Martii proximi præteriti, & maturè ponderatis, examinatis, ac diſcuſſis omnibus tam in facto, quàm in jure, ac viſis reclamationibus, & recurſu petito ad hanc Sacram Congregationem, & Sanctam Sedem Apoſtolicam ab eodem Patriarcha adversùs dictam renunciationem, ſeu dimiſſionem, viſiſque videndis, & conſideratis conſiderandis, Eminentiſſimi PP. cenſuerunt: ac decreverunt, dictum Dominum Patriarcham Jacobum manutenendum, & quatenus opus ſit, reintegrandum, ac reponendum, ſeu reſtituendum fore, & eſſe, prout reintegrarunt, repoſuerunt, ac reſtituerunt in poſſeſſionem, vel quaſi Patriarchatus, ejuſque Sedis, ac plenariæ juriſdictionis, omniumque, & ſingulorum jurium Patriarchalium, amoto exinde Adminiſtratore per Sacram Congregationem in alia Sententiâ 20. Martii per modum proviſionis deputato, ac alio quocunque Detentore, ſeu Intruſo, præfatamque renunciationem, ſeu dimiſſionem Patriarchatus factam, alteram die 13. Auguſti 1711. immediatè poſt reintegrationem ad Thronum, ſeu Sedem Patriarchalem, & alteram die 14. ejuſdem menſis in Hoſpitio Fratrum Minorum Ariſsæ per Patrem Laurentium Commiſſarium Apoſtolicum acceptatam, ſicuti etiam prætenſam electionem, ſeu deputationem exinde factam alterius Patriarchæ non obſtitiſſe, neque obſtare, eaſque uti nullas, & invalidas, ac inſubſiſtentes revocarunt, ac nullius eſſe roboris, & momenti, & ac ſi factæ non fuiſſent, declararunt, & mandarunt, ſententiamque P. Laurentii Commiſſarii Apoſtolici ſub dicta die 13. Auguſti latam in hac parte confirmarunt, approbarunt, & emologarunt.

Præcipientes, ac mandantes omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Clero, & Univerſo Populo Nationis Maronitæ, ut in virtute ſanctæ obedientiæ non ſolùm dictum Dominum Jacobum in verum, legitimum, & unicum Nationis Maronitarum Patriarcham recognoſcant, eique pareant; Verùm etiam, ut præſentem Sententiam, ac declarationem ab omnibus obſervari curent, & ſatagant, itaut, qui ſecus, aut contra quoad hæc omnia, & ſingula, & alia contenta in ſententiâ latâ, & editâ 20. Martii præteriti, quam pariter in hac parte confirmarunt, fecerint, tenuerint, prædicaverint verbo, vel ſcripto aſſeruerint, cenſuris, & pœnis contra Inobedientes, ac Refractarios à Sacris Canonibus inflictis ſubjaceant, abſolutione Sacræ Congregationi, ac Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ Clementi XI. reſervata, & ita decreverunt, non ſolùm dicto, ſed & omni alio meliori modo.

In Audientiâ ſolitâ Sanctiſſimi die Martis 9. Maji 1713. relato per me infraſcriptum Secretarium ſententiæ ſupradictæ tenore de verbo ad verbum, Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa Clemens XI. eamdem ſententiam, ſeu Decretum in omnibus, & ſingulis ſuis partibus approbavit, & exequi præcepit, ac mandavit.

Silvius Archiepiſcopus Athenarum Secretarius.

INNOVATIO

Decreti ſan. mem. Alexandri VII. ſuper reſidentia Epiſcoporum etiam Regularium Eccleſias tam inter Schiſmaticos, quàm inter Infideles conſtitutas obtinentium, cum ejus ampliatione, & aliis ordinationibus. V.

Die 17. *Junij* 1715.

REferente R. P. D. Silvio de Cavaleris Archiepiſcopo Athenarum Secretario, Sacra Congregatio cenſuit, ſupplicandum Sanctiſſimo pro confirmatione, & innovatione Decreti ſan. mem. Alexandri VII. 26. Julii 1662. & ejuſdem extenſione ad omnes Regulares à Sede Apoſtolicâ, etiam ad nominationem, ſeu ſupplicationem Sacræ Congregationis Propagandæ Fidei, ad Offi-

cia

cia Vicarii Apoſtolici, ſeu Eccleſiæ alicujus Adminiſtratoris, vel Viſitatoris promovendos, cum caractere Epiſcopali Eccleſiarum tam inter Schiſmaticos, quàm inter Infideles conſtitutarum, cum extenſione etiam ad omnes alios certæ alicujus Regulæ, ac modi intra Clauſtra vivendi, adeò ut ejuſmodi caractere, ac titulo inſigniti, abſentes ab Eccleſiis, ſeu Vicariatibus Apoſtolicis, aut abſoluto officio Adminiſtratoris, vel Viſitatoris, etiamſi ſine eorum culpa, ſed juſtâ de causâ, aut ex legitimo impedimento eos abeſſe contigerit, non poſſint exercere Pontificalia, cæteraque Ordini Epiſcopali competentia, etiam de conſenſu Ordinariorum ſub pœnâ ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, & Romano Pontifici reſervatæ, ut ex Decreto edito in Congregatione Generali coram Sanctiſſimo 28. Martii 1651. cum juriſdictio dictis Epiſcopis reſtricta, ac limitata ſit inter fines Diœceſis, & Vicariatus, ſeu Eccleſiæ adminiſtrandæ, & ad actum viſitandi reſpectivè, ac præterea reaſſumpto habitu propriæ Religionis, ſeu Inſtituti non ſecus ac cæteri alii Religioſi ſubſint ſuis Superioribus Regularibus.

Cenſuit etiam Sacra Congregatio juramentum de hujuſmodi Decreto obſervando, quod aliàs præſtari debuit in manibus Eminentiſſimi Cardinalis Eccleſiam in Conſiſtorio propoſituro, poſſe præſtari coram Eminentiſſimo Præfecto, ſeu Secretario ejuſdem Sacræ Congregationis ante conſecrationem ejuſmodi Epiſcopi, ſeu Archepiſcopi, tranſmittendum verò Decretum ſan. mem. Alexandri VII. cum extenſione, ut ſupra, ad Secretariam Brevium, Conſiſtorialem, ad Dominum Auditorem Sanctiſſimi, & ad Magiſtros Cœremoniarum, qui Eminentiſſimo Epiſcopo conſecranti ante ipſam conſecrationem affirment ejuſmodi juramentum fuiſſe præſtitum, eaque de re in ſuis regiſtris mentionem faciant.

Forma Juramenti.

EGo electus ad Eccleſiam viſo, ac maturè conſiderato per integram lecturam ſupradicto Decreto ſan. mem. Alexandri VII. & extenſione cum innovatione, & confirmatione factâ à Sanctiſſimo D. N. Clemente XI., & ſingulis in eiſdem contentis, & expreſſis, promitto ea omnia abſque ulla tergiverſatione obſervare, & adimplere ſub pœnis in eiſdem contentis, in quibus in caſu inobſervantiæ, toties, quoties liberâ, ac ſpontaneâ voluntate me ſubjicio, & ita tactis Sacroſanctis Evangeliis ſpondeo, voveo, ac juro omni &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Qua Sacræ Congregationis ſententiâ per eumdem Dominum Secretarium Sanctiſſimo D. Noſtro relata, lectis etiam per extenſum prædictis Decretis tam ſan. mem. Alexandri VII. quàm Sacræ Congregationis 28. Martii 1651. Sanctitas Sua hujuſmodi Sacræ Congregationis ſententiam, atque Decretum in omnibus benignè approbavit, confirmavit, innovavit, ac extendit reſpectivè, & executioni mandari, ac obſervari præcepit in Audientiâ habitâ eâdem die 17. Junii 1715. Datum ex ædibus dictæ Sacræ Congregationis die, & anno quibus ſupra.

J. Cardinalis Sacripantes Præfectus.

S. Archiepiſcopus Athenarum Secret.

Decretum verò ſan. mem. Alexandri VII., de quo ſupra fit mentio, eſt tenoris ſequentis videlicet.

QUia Eccleſia N. inter Schiſmaticos conſtituta non ſine magnâ rei Catholicæ jacturâ à pluribus annis Paſtoralis ſolatio deſtituta reperitur, eò quòd illius Epiſcopi, licèt ſæpiſſimè, ac ſeriò moniti, Canoniciſque remediis pluries, ac diverſimodè excitati in eâ minimè reſederint, adeòque illius ſtatus deplorabilis evaſerit, ut niſi extremis, & efficacioribus remediis hujuſmodi malo ſuccurratur, quod reliquum eſt, ibi Catholici nominis veſtigium prorſus abolitum iri pertimeri poſſet, Sanctiſſimus Dominus Noſter volens ex debito Paſtoralis Officii, ac ſibi impoſitæ Univerſalis omnium Eccleſiarum ſollicitudinis ſui muneris in tantâ neceſſitate partes omnes explere, matura deſuper habitâ deliberatione cenſuit, ubi ordinaria remedia nequaquam profeciſſe compertum eſt etiam extraordinaria adhibere, malumque magis præcavere, quàm expectare curandum; quamobrem præſenti Decreto ultra pœnas à Sacris Canonibus contra non Reſidentes conſtitutas, pœnam quoque ſuſpenſionis ab executione Ordinis Epiſcopalis, etiam in propria Diœceſi ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendæ vigore præſentium futuris pro tempore ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopis impoſuit, atque legitimæ cauſæ, vel impedimenti allegatio eoſdem præſervare, ac excuſare valeat, niſi à Sede Apoſtolicâ, vel ejuſdem in Regno Nuncio reſidente fuerit in ſcriptis approbata. Decernit inſuper, ac declarat, Sanctitatis Suæ mentem nequaquam eſſe, eoſdem Epiſcopos, ſi Regulares fuerint, ab obligationibus profeſſione regulari, quàm emiſerunt, annexis, per adeptionem dignitatis, ac muneris Epiſcopalis nullatenus abſolvere, ac eximere, niſi quatenus ejuſdem muneris, ac Curæ Paſtoralis exercitio impedimenti ſint, ideòque quotieſcumque ex ipſorum culpa (quod abſit) ſive ex alia qualibet causâ, aut impedimento, quantumvis juſto, ac legitimo in prædictâ Eccleſiâ, aut ſaltem Diœceſi reſidere, excepto tempore à Sacro Concilio Tridentino præfinito, aut noluerint, aut nequiverint, minimè abſolutos eſſe, ac ſenſeri ab obligatione, quam per profeſſionem Regularem contraxerunt de vivendo intra Clauſtra, & ſub obedientiâ Superiorum ejuſdem Religionis, obſervandoque omnia, & ſingula, quæ à Regularibus intra Clauſtra degentibus, ſive ex præſcripto Regulæ, & Conſtitutionum ſuæ Religionis quomodolibet, & qualitercumque obſervari debent, ac ſolent, adeò ut quandocumque hac in parte defecerint, nec à S. Sede licentiam, ſeu diſpenſationem in ſcriptis obtinuerint, nec ſtatim ad Clauſtra ſuæ Religionis ſeſe contulerint, ad omnes illas pœnas, quæ contra Regulares extra Clauſtra degentes à Sacris Canonibus, atque Apoſtolicis Conſtitutionibus prolatæ ſunt, adſtricti cenſeantur: Superioribus Ordinis, ad quos ſpectat injungendo, ut ad Clauſtra eos revocent ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum contra Regulares extra Clauſtra degentes emanatarum. Ut verò inſuper omnis prorſus eiſdem Epiſcopis, poſtquam ad Eccleſiam promoti fuerint, adimatur occaſio extra Diœceſim divertendi, eadem Sanctitas Sua, inhærens Decreto aliàs pro ſimilibus Epiſcopis à Sacrâ Congregatione de Propogandâ Fide coram ſan. mem. Innocentio X. ipſius Prædeceſſore lato, ac laudabiliter hactenus ſervato, vigore præſentium decrevit, & ſtatuit nullatenus eiſdem licere poſtquam ad Epiſcopatum fuerint promoti, ſub pœnâ ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, ſive reſederint, ſive non, in alienâ Diœceſi, etiam de propriorum Ordinariorum licentia munia Pontificalia quomodocumque exercere, nec etiam pro tempore, quo ſive ex Indulto Sacri Concilii Tridentini, ſive ex diſpenſatione Apoſtolicâ eiſdem non reſidere permiſſum fuerit. Pro eo verò tempore, quo, ut præfatum eſt, ultrà tempus Concilii non reſederint, nullatenus

eiſdem liceat proventus ullos, aut fructus Eccleſiæ, tametſi alioquin beneficia legitimè ipſis fuerint collata, percipere, aut illis uti, & frui, etiam ſub ſpe diſpenſationis obtinendæ, ad quos fructus, & proventus Sanctitas Sua ex nunc eoſdem pro eo tempore incapaces declarat, atque inhabilitat, nec non ad pœnam reſtitutionis, aliaſque contra Uſurpatores, & injuſtos Detentores bonorum Eccleſiaſticorum latas teneri declarat. Quòd ſi demum ex aliquo ingruente Bellorum, aut alterius cujuſlibet gravis cauſæ impedimento, & per Sedem Apoſtolicam, ut præfatum eſt, in ſcriptis approbando alicui ipſorum minimè reſidere permiſſum fuerit, ſaltem in loco aliquo proximiori, & per eamdem Sanctam Sedem in ſcriptis deſignando reſidere omninò teneantur ſub eiſdem prorſus pœnis, quæ ſuperius de reſidentiâ in Diœceſi dictæ ſunt. Præſens autem Decretum idem Sanctiſſimus cuilibet ex præfatis Epiſcopis pro tempore, ante propoſitionem in Conſiſtorio ad Eccleſiam notificari mandavit, ut ad omnium in eo contentorum obſervationem per juramentum in manibus Reverendiſſimi Cardinalis præfatam Eccleſiam in Conſiſtorio propoſituri, & ſub rogitu Notarij Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide præſtandum ſeſe adſtringant, ejuſdemque Decreti, ac juramenti tenorem in Decreto Conſiſtoriali, & in Bullis inſeri mandavit. Die 26. Julii 1662.

EPISTOLÆ, ET DECRETA

Memorabilia Eminentiſſ., & Reverendiſſ. DD. Cardinalium Sacræ Congregationis Immunitati Eccleſiaſticæ, & Controverſiis Juriſdictionalibus præpoſitæ.

Juxtà temporis ſeriem diſpoſita.

RESOLUTIONES

I. Variæ quoad Privilegiatos, & Clericos tam cælibes, quam conjugatos admiſſos, ſeu petentes admitti ad publica munera Communitatis.

EUGUBINA.

SAcra Congregatio ſuper Immunitate Eccleſiaſticâ & controverſiis Juriſdictionalibus ad conſulendum controverſiis, quæ ſæpè ſæpiùs oriuntur in admiſſione Clericorum, & etiam Laicorum privilegiatorum ad Conſilia Communitatum, nec non ad exercitium munerum publicorum decrevit.

Primò: Quòd Privilegiati gaudentes Privilegio Fori Eccleſiaſtici, & petentes admitti inter Conſiliarios, admittantur, ita tamen, ut quoad pertinentia ad Conſiliariatum tantùm non gaudeant privilegio Fori Eccleſiaſtici.

Secundò: Quod Privilegiati prædicti jam admiſſi inter Conſiliarios renuentes intervenire Conſiliis, quatenus non fuerint legitimè impediri, ſubjiciantur eiſdem mulctis pecuniariis, quibus ſubjacent alii Laici non privilegiati, & eaſdem mulctas exequi poſſit Judex Laicus, dummodo ipſi Privilegiati actu non renuncient abſque ſpe reintegrationis in perpetuum loco quem habent in Conſilio, ita ut amplius non poſſint admitti.

Tertiò: Quòd iidem Privilegiati habentes locum in Conſilio poſſint etiam renuentu cogi à Superiori Laico ſuſcipere munera Camerarii, Depoſitarii, Graſcerii, Abundantiariij, & ſimilia officia Communitativa eadem formâ, & pœnâ, quibus cogi poſſunt Laici non Privilegiati, dummodò ipſi Privilegiati actu non renuncient in perpetuum abſque ſpe reintegrationis loco, quem habent in Conſilio, ita tamen, ut ampliùs non poſſint admitti.

Quartò: Quòd iidem Privilegiati ſuſcipientes præfata Munera non gaudeant Privilegio Fori quoad pertinentia tantùm ad præfata Munera ab ipſis ſuſcepta, & contra eoſdem procedi poſſit in omnibus Caſibus, etiam expleto Officio.

Quintò: Quòd Clerici Conjugati, qui ſunt de numero Conſiliariorum, non incedentes notoriè in habitu, & Tonſura, quatenus renuant intervenire Conſiliis, vel ſuſcipere Munera Camerarii, Depoſitarii, Graſcerii, Abbundantiarij, & ſimilia Officia Communitativa, poſſint mulctari per Superiorem Laicum eiſdem mulctis pecuniariis, quibus ſunt ſubjecti alii Laici; Et in caſu, quo iidem Clerici Conjugati, poſtquam renuerint, reaſſumpſerint habitum, talis reaſſumptio nihil eiſdem ſuffragetur pro evitanda præfatâ mulctâ.

Sextò: Quoad alios Clericos, tam Cælibes, quàm Conjugatos habentes requiſita Cap. unic. de Cleric. Conjug. in 6. etiam admiſſos inter Conſiliarios, ſi legitimè non impediti renuerint intereſſe Conſiliis, Epiſcopi, aliique Superiores Eccleſiaſtici procedant ad omnem requiſitionem etiam extrajudicialem Superioris Laici, vel Magiſtratus contra eoſdem ad mulctas pecuniarias ab ipſis arbitrandas, dummodò non ſint minores, illis, quibus ſubjecti ſunt Conſiliarii Seculares, & pœnæ applicentur locis Piis.

Epiſcopi procedant ſimiliter contra eoſdem Clericos, caſu quo deliquerint in materiis pertinentibus ad Conſilium Romæ hac die 27. Julij 1706.

G. Card. Carpineus.

P. Mareſuſcus Secretarius.

DECRETUM.

II. Quo abſolutio ab Epiſcopo Aſtenſi conceſſa nonnullis excommunicatis ob læſam Juriſdictionem, ac Immunitatem Eccleſiaſticam nulla, ac invalida declaratur.

ASTEN.

CUm Sac. Congregationi Immunitatis Eccleſiaſticæ innotuerit, quòd Epiſcopus Aſten., poſtquam ſub die 16. Novembris 1711. per Decretum definitivum declaraverat, Joſephum Talianum Loci Montatæ Fangi Aſten. Diœceſis, Julium Cæſarem Maggiolinum Archipresbyterum Coadjutorem, Ambroſium Caſalegnum Canonicum Eccleſiæ Cathedralis Aſten., & Carolum Gabrielem Pictarellum Notarium, & Cauſidicum ejuſdem Civitatis, ob recurſus habitos, & reſpectivè factos ad Senatum Taurinen. in quadam controverſiâ Beneficiali ortâ inter præfatum Talianum Proviſum à Capitulo, & Franciſcum Benedictum Burra Proviſum Apoſtolicum, Excommunicationis Majoris pœnam, juxta diſpoſita in Can. 16. Bullæ Cœnæ Domini, incurriſſe; Ac etiam, poſtquàm demandaverat affigi publicas Schedulas, ſeu Cedulones ejuſdem excommunicationis, prout affixæ fuerunt in locis publicis ejuſdem Civitatis; Nihilominùs, impreſſis ſub die 23. Novembris ejuſdem anni quibuſdam Literis Moniatorialibus, & reſpectivè Inhibitorialibus

Sena-

Senatus Taurinen., in quibus, nedum præfatus Episcopus, sub pœna reductionis bonorum, tam Episcopatus, quàm propriorum, monitus fuit ad revocandum infrà terminum quinque dierum supradictum Decretum, & Schedulas declaratorias ejusdem excommunicationis, tanquam nulliter, & insubsistenter prolatæ, sed ulteriùs inhibitum fuit cuicumque Personæ cujuslibet status, gradus, & conditionis, ne sub pœnis arbitriis ejusdem Senatus extenden. usque ad mortem, consortium præfatorum Taliani, Maggiolini, Casalegni, & Pictarelli, ut supra, excommunicatorum evitaret, neve aliquam molestiam, injuriam, aut damnum ex causâ supradictâ inferret: Hisce Litteris, & minis perterritus idem Episcopus, nullatenus attento, quod per editionem, & publicationem supradicti definitivi Decreti, expiraverat omnis ejus Jurisdictio, nec poterat ampliùs revocare declarationem incursus Censurarum, minusque præfatos Excommunicatos à Censuris absolvere, ob reservationem ejusdem absolutionis Summo Pontifici pro tempore existenti, præterquam in mortis articulo, contentam in præfatis Literis Apostolicis, singulis annis in die Cœnæ Domini legi & promulgari solitis, perperam, & nullo Jurisdictionis munimine fulcitus, ac sub aliis inanibus, & prorsùs insubsistentibus fundamentis, ausus fuit aliam proferre Sententiam, in quâ Declaratoriam incursus censurarum, per supra relatum definitivum Decretum ab ipso præcedenter factam, præfatos Talianum, Maggiolinum, Casalegnum, & Pictarellum, non affeciisse, pronunciavit. eamdemque Declaratoriam penitus revocavit; Et (quod valde notatu dignum est) non sine maximâ terminorum contradictione, & implicantiâ, eos, quos in censuras non incurrisse in eadem Sententiâ declaravit, ab eisdem Censuris absolvit, in quantum ipse potuit, demandando ulteriùs publicationem, & affixionem ejusdem Sententiæ, prout publicata, & affixa fuit in locis publicis dictæ Civitatis.

Hinc est, quod eadem Sacra Congregatio Immunitatis Ecclesiasticæ, ad quam, ex Ordinationibus Summorum Pontificum, privativè pertinet cognitio prætensæ invaliditatis, seu Injustitiæ Declaratoriæ Censurarum à Locorum Ordinariis prolatæ, ex causâ læsæ Jurisdictionis & Immunitatis Ecclesiasticæ, ita ut, nec eisdem Ordinariis, post prolatam Declaratoriam, seu Decretum super incursu Censurarum, nec alteri Judici in gradu appellationis liceat ampliùs manus apponere, easdemque Censuras revocare, nec ab eis quoquomodo absolvere; Re maturè perpensâ censuit præfatam Sententiam fuisse nullam, invalidam, nulliusque roboris, & momenti, nec prædictam revocationem, & respectivè absolutionem à Censuris, ullo modo suffragari prænominatis Taliano, Maggiolino, Casalegno, & Pictarello, sed ipsos esse vitandos, & ab omni consortio, SS. Sacramentorum participatione, & Fidelium communione arcendos, donec ab eadem Sac. Congregatione, ad quam ab eis recurrendum est, supradictum Decretum super incursu Censurarum, nullum, vel injustum declarari obtinuerint, vel à Summo Pontifice absolutionem reportaverint.

Et factâ Sanctissimo D. N., per me infrascriptum Secretarium hac die 5. mensis Julii 1712. relatione supradicti Decreti Sac. Congregationis, Sanctitas Sua, nedum illud approbavit, & omnia in eo contenta servari mandavit, sed ut omnibus Christifidelibus idem Decretum innotesceret, ad valvas Ecclesiæ Cathedralis Astens., & alia loca publica ejusdem Civitatis illud affigi præcepit, ejusque transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu tamen alicujus publici Notarii subscriptis, & sigillo Eminentissimi Præfecti Sac. Congregationis munitis integram fidem haberi voluit, & mandavit. Datum Romæ dicta die 5. mensis Julii 1712.

G. Cardinalis Marescottus.

Prosper Episcopus Cyrenen. Secret.

EPISTOLA

Encyclica jussu Summi Pontificis ad Archiepiscopos Hispaniarum conscripta, pro tollendis abusibus eorum, qui ubi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam justitiam, sese à locis immunibus, ad quæ confugerant, dolosè extractos fuisse allegare solent. III.

Illustris, ac Reverendissime Præsul, uti Frater.

CUm ad aures Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. plurimæ pervenerint querelæ fide dignorum testimonio comprobatæ, adversùs eos, qui ubi de mandato Judicum, sivè in criminalibus, sivè etiam in civilibus capti fuerint, & in carceres conjecti, ad eludendam justitiam, falsò plerumque affirmare solent sese ab Ecclésiis, aliisque locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel aliàs dolosè extractos fuisse: dictumque suum perjurio confirmare audent, ac insuper adhibitâ consanguineorum, vel amicorum suorum operâ, falsos testes inducere, & alia non minùs detestabilia patrare non verentur; Quinimò aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum liberè vagandi, & forsan etiam impunè delinquendi, per Baroncellos, & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, datâ operâ, ab Ecclesiis, lociśve immunibus prædictis sese extrahi fecerant, eâ spe freti, quòd interim Ecclesiasticæ Immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est, quod Sanctitas Sua graves ejusmodi abusus quibus justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus in discrimen adducitur, pro Pastorali suâ sollicitudine, eximioque zelo, è medio tollere, ac radicitùs extirpare cupiens, audito priùs nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac Romanæ Curiæ Prælatorum, super hac re specialiter deputatorum consilio, decrevit per organum hujus Sacræ Congregationis Immunitati Ecclesiasticæ, & Controversiis Jurisdictionalibus præpositæ, injungi Amplitudini Tuæ, quemadmodum per præsentes injungitur, ut publico speciali Edicto, tenoris in adjuncto folio expressi, moneat, denunciet, atque notificet, quod omnes, & singuli cujuscumque status, gradus, & conditionis fuerint, qui actu confugerunt, vel in posterùm confugient ad Ecclesias, seu loca immunia istius Diœcesis, si illorum Immunitate gaudere velint, curent attentè in eis permanere, nec se ullo prætextu, causâ, vel quæsito colore seduci sinant ad discedendum ab iisdem Ecclesiis, seu locis immunibus; ubi etenim extrà illas, seu illa ipsos deprehendi contingat, minimè eis proderit allegare, & probare, quòd fallacibus suasionibus, blandis verbis, assecurationibus, dolosisve machinationibus extracti, seu abducti inde fuerint; Cum ad occurrendum fraudibus, & abusibus supra expositis Sanctitas Sua, de præfatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac Prælatorum consilio congruum, ac opportunum duxerit, firmiter decernere, & statuere, prout decernit, & statuit, quòd deinceps ii tantùm extra Ecclesias, & loca immunia, ad quæ confugerant, Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio gaudere pergant, qui ab Ecclesiis, & locis immunibus hujusmodi vio-

lenter extracti fuerint, vel inde discesserint sub fide Salvi Conductus ab aliquo Judice Ordinario, vel delegato concessi, & subscripti, non tamen, nisi ad tempus in eo præfixum, valituri. Jubet insuper præfatus Sanctissimus Dominus Noster, quod Amplitudo Tua, eodem publico Edicto, moneat, prout similiter annexâ formulâ cavetur, omnes, & singulos, si qui fuerint, in istâ Diœcesi, qui ante publicationem Edicti hujusmodi revera blandis verbis, aut aliàs dolosè ab Ecclesiis, aliisve locis immunibus extracti fuerint, ut quatenus gaudere intendant beneficio Immunitatis eisdem Ecclesiis, & locis debitæ, debeant intrà terminum unius mensis à die publicationis ejusdem Edicti computandum, redire ad Ecclesias, vel loca immunia, undè extracti fuerunt, exposcendo ad hunc effectum, quatenus opus sit, ab Amplitudine Tuâ Salvum Conductum, pro tuo arbitrio, & prudentiâ limitatum, ac gratis concedendum; Additâ insuper declaratione, quòd si elapso prædicto termino in manus Curiæ inciderint, ità habebuntur, ac si ab iisdem Ecclesiis, & locis immunibus sponte suâ, nullâque prorsùs interpositâ fraude, discessissent, nec eis licebit ampliùs dolosam extractionem allegare. Cæterum cum hæc Sanctissimi Domini Nostri provisio non in tuâ tantùm, sed & in aliis istius Provinciæ Diœcesibus servari omninò debeat; Sanctitas Sua districtè Tibi præcipit, ut hæc omnia, quæ per præsentes Tibi injunguntur, etiam Episcopis Suffraganeis tuis, aliisque locorum Ordinariis Tibi Metropolitico jure subjectis accuratè significes, & ab eis exactè pariter, ac diligenter observari cures, & facias. Placeat igitur Amplitudini Tuæ ita exequi; dum ego interea deprecor eidem veriores felicitates. Romæ 20. Januarij 1717.

Amplitudinis Tuæ.

Uti Frater Addictissimus.

S. A. Cardin. Tanarius

Scipio de Ricciis Secretarius.

Formula Edicti promulgandi.

CUm ad notitiam Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Papæ XI. delati fuerint graves abusus, à plerisque eorum invecti, qui ubi de mandato Judicum, sive in criminalibus, sive etiam in civilibus capti fuerint, & in carceres conjecti, ut inde emittantur, allegare frequenter solent sese ab Ecclesiis, aliisve locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel aliàs dolosè extractos fuisse, & ad propriam allegationem comprobandam, non solùm in suis depositionibus facilè pejerant, sed falsos insuper inducunt testes, adhibitaque consanguineorum, vel amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt; Quinimò aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum liberè vagandi, & forsan etiam impunè delinquendi, per Baroncellos, & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, data opera, ab Ecclesiis, locisve immunibus prædictis sese extrahi curarunt, ea spe freti, quòd interim Ecclesiasticæ Immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est quod Sanctitas Sua ejusmodi malis, pro eximia sua sollicitudine, ac zelo, occurrere intendens, speciali commissione, per organum Sacræ Congregationis Immunitati Ecclesiasticæ, & Controversiis Jurisdictionalibus præpositæ Nobis directa, & inferius registranda, districtè Nobis injunxit, ut ad præsentis Edicti promulgationem procederemus.

Apostolicis itaque Sanctitatis Suæ mandatis, qua par est, veneratione, & obsequio morem gerentes, vigore præsentis publici Edicti, monemus omnes, & singulas personas cujuscumque status, gradus, & conditionis existant, quæ actu confugerunt, vel in posterùm confugient ad Ecclesias, & loca immunia, si beneficio Immunitatis hujusmodi gaudere velint, ne sub quovis prætextu exeant, vel discedant ab eisdem Ecclesiis, locisve immunibus, imò diligenter caveant, ne fidem adhibeant ulli assecurationi, quam sibi ad idà quavis persona, etiamsi fuerit Justitiæ Minister, offerri contigerit, nisi eis simul exhibeatur Salvus Conductus ab aliquo Judice Ordinario, vel delegato concessus, ac subscriptus; quo casu Salvus Conductus hujusmodi, pro eo tamen dumtaxat limitato tempore, pro quo concessus fuerit, ipsi suffragabitur.

Curent igitur omnes, & singuli confugientes ad Ecclesias, & loca immunia præcisè servare confugium; Quoniam si deinceps extra Ecclesias, & loca immunia hujusmodi capti, ad manus Curiæ devenerint, nequaquam eis proderit, ad effectum fruendi beneficio Ecclesiasticæ Immunitatis, allegare, vel etiam concludenter probare, quod blandis verbis, vel aliàs dolosè ab Ecclesiis, vel locis immunibus prædictis extracti, seu abducti fuerint, cum Sanctissimi Domini Nostri mens sit, quod de cætero eæ tantùm extractiones, seu abductiones extractis, seu abductis ad præfatum effectum suffragentur, quæ, aut violenter, aut sub fide Salvi Conductus, ut supra concessi, & subscripti secutæ fuerint.

Cæterum, ubi contingat in hac Nostra Diœcesi aliquam reperiri personam, quæ revera blandis verbis, aut aliàs dolosè ab Ecclesia, seu loco immuni extracta, vel abducta fuerit, serio illam per præsens Edictum admonemus, ut quatenus frui intendat beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ localis, redeat ad confugium intra terminum unius mensis, à die publicationis præsentis Edicti computandum, petito prius à Nobis Salvo Conductu, quem gratis concedimus; Quod si elapsos prædicto termino, extra locum immunem deprehensa fuerit, sciat se habendam esse, perindè ac si ab eodem loco immuni sponte sua discesserit, nec ampliùs audiendam super extractione dolosa, quam de præterito se passam fuisse allegaret, cum talis itidem sit mens Sanctitatis Suæ.

Volumus autem, hoc Nostrum monitoriale Edictum ad valvas Metropolitanæ Ecclesiæ hujus Civitatis affigi, & publicari, ac insuper in singulis Parochialibus Ecclesiis Nostra Diœcesis, inter Missarum solemnia promulgari, sicque affixum, & publicatum, ac respectivè promulgatum post mensem à die illius affixionis, & publicationis, ac respectivè promulgationis computandum, omnes, & singulos, quos illud concernit, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatum fuisset. Datum ex Nostro Palatio Archiepiscopali hac die.....

EPISTOLA IV.

Encyclica de'eodem argumento conscripta Italico idiomate ad universos Italiæ, Insularumque adjacentium Ordinarios.

Illustre, e Reverendissimo Monsignore come Fratello.

ESsendo pervenute da più parti alla Santità di Nostro Signore molte querele, che pur troppo si sono riconosciute appoggiate alla verità, sopra gli abusi, ed inconvenienti, che frequentemente nascono dall'allegarsi da molti di quelli, che vengono carcerati tanto per cause Civili, quanto per Criminali, di essere stati dolosamente estratti dalle Chiese, e Luoghi Immuni; mentre li medesimi, per eludere la giustizia, bene spesso asseriscono falsamente di aver patita tale dolosa estrazzione, e per sostenerla, spergiurano ne'loro Constituti, inducono Testimonij falsi, e commettono altre simili enormità, coll'ajuto anco de'loro Amici, e

Con-

Congionti; anzi talvolta essi stessi sona quelli, che per potere liberamente vagare, e forse anco commetter' delitti senza perdere il benefizio dell' Immunità, che pretendono di continuare à godere si erano fatti à bella posta estrarre per mezzo de' Ministri subalterni della Giustizia dalle sudette Chiese, & Luoghi Immuni. Quindi è, che la Santità Sua, per provedere à tanti, e sì gravi inconvenienti, che accadono in pregiudizio della Giustizia, & in notabile aggravio dell'Anime de' Fedeli; Udito prima il parere di una particolare Congregazione di alcuni Signori Cardinali, e Prelati à tal'effetto specialmente deputati dalla Santità Sua, ordina, e commanda, che tutti gli Ordinarii de' Luoghi debbano ammonire, e notificare con publico Editto, che tutti quelli, che ora si trovano rifugiati, e che in qualunque tempo avvenire saranno per rifugiarsi nelle Chiese, e altri Luoghi Immuni, di qualsivoglia stato grado, e condizione siano, se vogliono goderne l'Immunità, avvertino di non partirne, nè si lascino indurre sotto qualsisia pretesto, causa, ò colore à uscir fuori di dette Chiese, e altri Luoghi Immuni, poiche uscendone, se capitaranno nelle mani della Giustizia, non valerà loro il dire, ò pretendere di provare di esserne stati estratti dolosamente, ò con fallaci suggestioni, ò asficurazioni; volendo la Santità Sua, che doppo la detta ammonizione non possa più allegarsi, ne allegandosi possa à chi si sia giovare l'estrazzione dolosa, mà unicamente possa allegarsi, e giovare l'estrazzione violenta, e quella, che fosse seguita sotto la sicurezza di Salvo Condotto conceduto e sottoscritto da qualche Giudice Ordinario, ò Delegato; quale però dovrà valere solo per quel tempo limitato, per cui sarà stato conceduto. Sicome parimente dovranno notificare publicamente, come sopra, che se alcuno veramente fosse statoper il passato dolosamente estratto da qualche Chiesa, ò Luogo Immune, & voglia godere del benefizio dell' Immunità Locale, debba ritornare al Confugio Ecclsiastico dentro un mese da decorrere doppo la publicazione del medesimo Editto, con chiedere à gl'istessi Ordinarii, quando gli occorra, per tal'effetto il Salvo Condotto, quale dovra darseli gratis, e per tempo limitato ad arbitrio de'medesimi Ordinarii. Avvertendo inoltre, che se passato il detto termine d'un mese, sarà catturato fuori del Luogo Immune, dovrà considerarsi, come se volontariamente, e senz'alcuna fraude ne fosse partito; nè dovrà udirsi sopra l'estrazzione dolosa, che pretendesse aver Patita. Avendo però Nostro Signore ordinato, che se ne faccia Lettera Circolare, in essecutione de'supremi commandi della Santità Sua, partecipo il tutto à V. S, acciò possa adempire la mente di Sua Beatudine, con farne publicare Editto secondo la forma espressa nell'annesso foglio, che le trasmetto; come altresì sarà sua cura, che lo stesso si esseguisca da Vescovi suoi Suffraganei, e da altri Ordinarii dipendenti da cotesta sua Chiesa Metropolitana, a' quali perciò dovrà ella à tal' effetto pienamente significare quanto à lei stessa con la presente s'ingiunge. Ed Io in tanto col significarglielo, me le offro. Roma 20.Gennaro 1717.

Di V. S.

Come Fratello Affezzionatissimo

S. A. Card. Tanara

Scipione de Ricci Segret.

DECRETA MEMORABILIA

Sacræ Rituum Congregationis.

Juxtà temporis seriem dispositа.

DECRETUM.

I. Pro elevatione Ritus Officii S. Petri de Alcantara à Semiduplici ad Duplicem de præcepto pro Ecclesiâ universali.

Urbis, & Orbis.

REmisso à Sanctissimo D. Nostro Clemente Papa XI. ad Sac. Rituum Congregationem supplici Libello, quo Sanctitati Suæ à Fr. Alphonso à Sancta Mariâ Procuratore Provinciæ Sancti Josephi Fratrum Minorum Discalceatorum Sancti Francisci nomine ejusdem Provinciæ humiliter supplicabatur, quatenus Officium Sancti Petri de Alcantara, quod sub ritu semiduplici recitatur, per Universas Orbis Ecclesias, singulis perpetuis futuris temporibus sub ritu duplici de præcepto recitari benignè demandare dignaretur. Eoque ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali de Judice relato; Sac. eadem Rituum Congregatio ejusmodi supplicibus precibus, accedentibus Regiæ Majestatis Catholicæ Commendationibus, ac Serenissimi Magni Ducis Etruriæ erga Sanctum paædictum ingenti devotione moti non minùs piis, quàm enixis Instantiis, petitam elevationem Ritus Officii Sancti Petri de Alcantara prædicti, à semiduplici, ad duplicem de præcepto pro Ecclesiâ Universali posse concedi censuit; Si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 16. Aprilis 1701.

Et facta deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro, relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 20. ejusdem mensis, & anni 1701.

G. Cardin. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM.

II. Quo Officium S. Ubaldi Episcopi celebrari sancitur sub Ritu semiduplici de præcepto in Ecclesia universali.

Urbis, & Orbis.

EXponens Episcopus Eugubinus diem Natalem S. Ubaldi Episcopi, plerumque infra Octava Ascensionis Domini N. Jesu Christi ac Pentecostes occurrere, & propterea Officium ejusdem Sancti sub die 18 Februarii Anni 169. sub ritu semiduplici ad libitum pro Ecclesia Universali concessum, nunquam, vel rarò posse recitari, Sac. Rit. Congregationi humiliter supplicavit, quatenus de præcepto sub eodem ritu semi duplici in posterùm recitandum præscribere benignè dignaretur; Et Sac. eadem Rit. Congregatio ad relationem Emineniissimi, & Reverenpissimi Domini Cardinalis de Carpineo, omnibus benè consideratis, annuendum censuit, & Officium Sancti Ubaldi Episcopi prædicti in Ecclesiâ Universali in posterùm sub ritu semiduplici

de præcepto rectandum esse duxit, si Sanctissimo Domino Nostro placueri. Die 3. Decembris 1701.

Et facta per me de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 10. *ejusdem mensis Decembris, & Anni* 1701.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius.

DECRETA.

III. Circa Jura Parochialia, Functiones, & Præeminentias controversas inter Parochos, & Confraternitates Laicorum, earumque Cappellanos, & Officiales.

Urbis, & Orbis.

AD debitum imponendum finem controversiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates Sæculares, earumque Cappellanos, & Officiales super Juribus Parochialibus, & functionibus Ecclesiasticis, nonnullisque Præeminentiis, seu prærogativis frequenter exoriri solent, in Sacrorum Rituum Congregatione ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinale Colloredo propositis infrascriptis Dubiis, videlicet.

I. An Confraternitates Laicorum legitimè erectæ in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam à Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?

II. An dictæ Confraternitates erectæ in Cappellis, vel Oratoriis, tum publicis, tum privatis, annexis Parochialibus Ecclesiis, & ab eis dependentibus habent dictam dependentiam à Parocho quoad dictas functiones?

III. An Confraternitates erectæ in aliis Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam à Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ?

IV. An Confraternitates erectæ in Oratoriis tum publicis, tum privatis, sejunctis ad Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas, habeant dictam dependentiam à Parocho

V. An benedictiones, & distributiones Candelarum, Cinerum & Palmarum, sint de juribus mere Parchialibus?

VI. An benedictiones Mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis, Seminis, Ovorum, & similium, sint de juribus merè Parochialibus?

VII. An functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ sint de juribus merè Parochialibus?

VIII. An celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœnâ domini sit de dictis juribus Parochialibus?

IX. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis juribus Parochialibus?

X. An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus Parochialibus?

XI. An expositio Quadraginta Horarum & benedictio, quæ fit super Populo, sit de dictis juribus merè Parochialibus?

XII. An expositio, quæ fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super Populo, sit de dictis juribus Parochialibus?

XIII. An functiones in præsentibus octo dubiis, videlicet à dubio quinto ad duodecimum, expressæ, peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

XIV. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statis horis recitaris possint Horæ Canonicæ, cum cantu, vel sine, absque aliâ licentiâ Parochi?

XV. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missæ privatæ, assentiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho?

XVI. An Cappelani Confraternitatum possint Populo denunciare Festivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomadâ absque licentia Parochi?

XVII. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in prædictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis, vel privatis, à Parochiali divisis, & separatis?

XVIII. An in sæpedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicæ Conciones, etiam per totum cursum Quadragesimæ, vel Adventus, cum licentiâ Ordinarii, & absque licentiâ Parochi?

XIX. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa, sive lecta sive cantata, ante Missam Parochialem, sive lectam, sive cantatem?

XX. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in sæpedictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum?

XXI. An intra ambitum earumdem Ecclesiarum fieri possint Processiones juxta cujusque Confraternitatis Institutum, absque interventu, vel licentiâ Parochi?

XXII. An eædem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum, absque licentiâ illorum Parochorum, per quorum, territorium transeundum est?

XXIII. An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre stolam?

XXIV. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quæ non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit asperforium à Parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ Ecclesiæ.

XXV. An earumdem Ecclesiarum, & Confraternitatum Rectores, & Cappellano possit Perochus, cessante alio speciali, ac legitimo titulo, & ex solo Jure Parochialitatis compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiæ Parochialis.

XXVI. An in sæpedictis Ecclesiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri possit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sine speciali indulto Sedis Apostolicæ?

XXVII. Præsuppositâ facultate retinendi, an possit infrà annum publicè exponi, sine licentiâ Ordinarii?

XXVIII. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, vel eleemosynarum in sæpedictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere?

XXIX. An in Ecclesiâ Parochiali Confratres, vel eorum Cappellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiæ functionibus, sive Parochialibus, sive non Parochialibus?

XXX. An Confraternitates, sive sint erectæ in Ecclesia Parochiali, sive extra illam, possint pro libito, & juxta uniuscujusque peculiaria statuta Congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia Parochi.

XXXI. An possint propria bona administrare ac de illis disponere, absque ulla dependentiâ à Parocho?

XXXII. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, & tamquam ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre; & quatenus Affirmativè?

XXXIII. An etiam suffragium duplex?

Sacra eadem Rituum Congregatio re maturè discussa respondendum esse censuit.

Ad primum : Affirmativè.
Ad Secundum : Affirmativè.
Ad Tertium : Negativè.
Ad Quartum : Negativè.
Ad Quintum : negativè.
Ad Sextum : Negativè ; sed benedictiones Mulierum , & Fontis Baptismalis fieri debere à Parochis.
Ad Septimum : Negativè prout jacet.
Ad Octavum : Negativè , prout jacet ; sed spectare ad Parochos.
Ad Nonum : Negativè , prout jacet ; sed spectare ad Ecclesiam digniorem , ad formam Constitutionis Leonis X. la 22. §. 14.
Ad decimum : Negativè prout jacet ; sed licere Confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiæ , vel Oratorii , ut in Brundusina sub die prima Junii 1601.
Ad Undecimum : Negativè.
Ad Duodecimum : Negativè ; & quoad benedictiones cum Reliquiis , & Imaginibus , serventur Decreta.
Ad Decimum tertium , satis provisum in superioribus.
Ad Decimum quartum : Affirmativè ; nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.
Ad Decimumquintum : Affirmativè.
Ad Decimum sextum : Affirmativè.
Ad Decimum septimum : Negativè.
Ad Decimum octavum : Affirmativè.
Ab Decimum nonum : negativè ; nisi aliter Episcopus disponat.
Ad vigesimum : Affirmativè , quando tumulandus est subjectus Parocho , intra cujus fines est Ecclesia , vel Oratorium.
Ab Vigsimum primum : Affirmativè.
Ad Vigesimum secundum : Negativè , nisi adesset licentia Episcopi.
Ad Vigesimum tertium : Negativè , extra propriam Ecclesiam.
Ad Vigesimum quartum Negativè.
Ad Vigesimum quintum : Negativè.
Ad Vigesimum sextum : Negativè.
Ad Vigesimum septimum : Negativè.
Ad Vigesimum octavum : Negativè.
Ad Vigesimum nonum : Negativè.
Ad Trigesimum : Affirmativè , dummodo non impediant functiones , & Divina Officia.
Ad Trigesimum primum : Affirmativè.
Ad Trigesimum secundum : Negativè.
Ad Trigesimum tertium : Negativè.

Et ita salvis tamem conventionibus , & pactis in erectione Confraternitatum forsan factis , concordiis inter Partes initis , & à Sancta Sede approbatis , Indultis , Constitutionibus Synodalibus , ac Provincialibus , & consuetudinibus immemorabilibus , vel saltem centenariis , declaravit , ac decrevit , si Sanctissimo Domino Nostro videbitur. Die decimâ Decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de prædictis Decretis Sanctissimo Domino Nostro relatione , prævia eorumdem integra lectura , Sanctita Sua laudavit , benignèque approbavit , & publicari , & non obstantibus quibuscunque aliis in contrarium facientibus , servari mandavit Die 12. mensis Januarii 1704.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM.

IV. Quo stario Magistros Cœremoniarum abstinere debere à munere imponendi , & auferendi Mitram , & Gremiale Celebranti in Cappel lâ Pontificiâ , nisi Diaconus , & Subdiaconus fuerint impediti.

ROMANA.

CUm inter Subdiaconum , & Præfectos Cœremoniarum Cappellæ Pontificiæ super Jure supplendi vices Diaconi impediti in explendo munere imponendi , & auferendi Mitram , & Gremiale Celebranti in Cappellâ Pontificiâ , excitatâ Controversiâ , & ea ad Sac. Rituum Congregationem à Sanctissimo D. N. Clemente Papa XI. remissâ , ab Emo , & Rmo D. Cardinale Francisco Barberino infrascripto Dubio proposito.

An impedito Diacono munus auferendi Mitram , & Gremiale Celebranti in Cappella Pontificia , & alia ejusdem Diaconi munera spectent ad Subdiaconum , vel potiùs ad Cœremoniarum Magistros in casu &c.

Sac. eadem Rituum Congregatio sub die 26. Aprilis proximè præteriti censuerit respondendum : Dilata , & ad Eminentissimum Dominum Ponentem ad mentem , & mens fuerit , Quod Eminentissimus Ponens curaret , ut Magistri Cœremoniarum abstinerent in futurum ab imponendo , & auferendo Mitram , & Gremiale in casu &c. nisi impeditis Diacono , & Subdiacono.

Non acquiescente hujusmodi resolutioni Præfecti Cœremoniarum prædicti , pro nova audientia eidem Sac. Rituum Congregationi demissè supplicaverunt ; Et Sac. eadem Rituum Congregatio ad relationem ejusdem Eminentissimi , & Reverendissimi Domini Cardinalis Francisci Barberini , respondit : Nihil de nova audientia , & servetur Decretum sub die 26. Aprilis proximè præteriti. Die 7. Junii 1704.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM.

V. Quoad benedictionem Crucium Altarium , & Processionum.

URBIS.

FRatre Josepho Maria à Turribus Ord. Cappuccinorum supplicante demissè à Sac. Rituum Congreg. declarari :

1. An Cruces Atarium , seu Processionum , sint benedicendæ de præcepto ; &

2. An si non sint de præcepto , possit simpiex Sacerdos eas benedicere privatè , & non solemniter ?

Sac. eadem Rituum Congregatio censuit respondendum.
Ad primum : Negativè.
Ad secundum : Affirmativè. Et ita declaravit. Die 12. Julij 1704.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETA GENERALIA.

Circa Rubricas.

VI.

CUm Sacrorum Rituum Congregationi demissè supplicatum fuerit sequentia dubia declarare.

Primum. An, cùm multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit à Sanctâ Sede Apostolicâ, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum, V. G. de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semiduplici, liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus sanctæ Quadragesimæ, adventus, Vigiliarum, & Quatuor temporum, etiam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus?

Secundum; An dies impeditus Festo duplici, vel semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de Festo duplici, vel semiduplici translato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim à Sacrâ Congregatione; Quòd scilicet Festum duplex, vel semiduplex etiam translatum necnon dies Octavæ sit dies impeditus respectu talium Officiorum?

Tertium. An Regulares absque speciali privilegio, sed solâ communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor, itemque recitare Officia, & Missas concessas aliis Religionibus.

Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Colloreda respondit.

Ad primum negativè, & hujusmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum sive cum jejunio, sive absque jejunio nec in feria secunda Rationum, nec in illa feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicæ.

Ad secundum affirmativè.

Ad tertium negativè in omnibus.

Et ita declaravit, ac servari voluit. Ac insuper, ut Declarationes, seu Decreta prædicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit. Die 20. Martii 1706.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM.

VII. Quo Officium S. Hedvvigis Reginæ Poloniæ Viduæ sub ritu semiduplici de præcepto in Ecclesiâ universali celebrari statuitur.

Urbis, & Orbis.

INdulta ab Innocentio felicis recordationis Papa XI. sub die decimâ septimâ Septemb. 1680. ad pias preces Serenis. Joannis Tertii Regis Poloniæ facultate recitandi in Ecclesiâ Universali Officium Sanctæ Hedvvigis Reginæ Poloniæ Viduæ sub Ritu semiduplici ad libitum; Serenis. modò Maria Casimira Regina Poloniæ Sanctissimo Domino Nostro enixè supplicavit, quatenus benignè concedere dignaretur, ut Officium prædictum in posterum sub Ritu duplici de præcepto, & cum Oratione propriâ, aliàs sub die decimâ tertiâ Augusti 1701. pro Congregatione Cistercienſi approbata recitetur, precibusque prædictis à Sanctitate Sua ad Sacr. Rituum Congregationem remissis, & ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. Card. Gabriellio relatis, Sacr. Rituum eadem Congregatio posse concedi censuit, ut Officium Sanctæ Hedvvigis prædictum, hactenus sub Ritu semiduplici ad libitum recitatum, in posterum cum dictâ Oratione propriâ, sub eodem Ritu semiduplici, de præcepto tamen, recitetur. Si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Die 20. Martii 1706.

Et facta de prædictis per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die vigesima septima ejusdem mensis, & anni 1706.

G. Card. Carpineus Præfectus.

B. Inghirami Sac. Rituum Congreg. Secretarius.

DECRETUM.

VIII. De prælatione Officii S. Marcii Officio SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi in casu, quo utrumque transferendum erat.

Urbis, & Orbis.

CUm anno 1707. proximè futuro Festum S. Marci Evangelistæ occurrat in feriâ 2. post Dominicam Resurrectionis, & similiter Festum Sanctorum Apostolorum Philippi, & Jacobi in Dominicâ in Albis, ac propterea, juxta Rubricas, utrumque sit transferendum; Quæsitum fuit à Sacr. Rituum Congregatione quodnam eorum deberet in translatione præferri, & priùs reponi. Et eadem Sacra Congregatio omnibus benè perpensis, referente Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Colloredo, censuit præferendum esse Officium Sancti Marci. Et ita declaravit, & servari mandavit. Die 17. Julii 1706.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM.

IX. De Vigiliâ Nativitatis S. Joannis Baptistæ occurrente in festo Sanctissimi Corporis Christi.

Urbis, & Orbis.

REmissa à Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa XI. ad Sacrorum Rituum Congregationem discussione dubii.

An occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistæ in die festo Sanctissimi Corporis Christi, anticipato jejunio vigiliæ prædictæ in diem vigesimam secundam Junii, ad formam Constitutionis 232. san. mem. Urbani Papæ Octavi, debeat in Officio diei vigesimæ secundæ prædictæ, ejusdem Evangelii nona lectio, recitari, & in Officio, & Missâ de eadem fieri Commemoratio?

Eadem Sac. Rituum Congregatio omnibus benè perpensis, & pluries consideratis, Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Card. Colloredo referente: Nihil de Vigilia in Officio, & Missa peragendum esse censuit, si Sanctissimo D. Nostro videbitur. Die 18. *Septembris* 1609.

Et facta per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die secunda mensis Octobris ejusdem anni 1706.

G. Cardin. Carpineus.

E. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM

X. Quo Officium S. Antonini Archiepiscopi Florentini sub Ritu semiduplici de præcepto in Ecclesiâ universali recitandum esse sancitur.

Urbis, & Orbis.

AD enixas preces nomine Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi Papæ XI porrectas, à Sanctitate Sua ad Sacrorum Rituum Congregationem remiſſas & ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. S. Clementis relatas: Eadem Sac. Rit. Congregatio poſſe concedi cenſuit, ut Officium S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, hactenus ſub Ritu ſemiduplici ad libitum in Eccleſiâ univerſali recitari conceſſum, in poſterum ſub eodem Ritu ſemiduplici, de præcepto tamen, ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitetur: Si Sanctiſſimo Domino Noſtro videbitur, die ſecunda Aprilis 1707.

Et facta per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, die 16. ejuſdem menſis Aprilis, & anni 1707.

Pro Eminentiſſimo Card. Carpineo Præf.
L. Card. Colloredus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM

XI. In Causâ Ferrarien. Beatificationis, & Canonizationis B. Luciæ de Narniâ Ordinis S. Dominici Fundatricis Monaſterij S. Catharinæ de Senis Ferrariæ.

FActâ relationes ad humilimas, ac repetitas preces, & Inſtantias Magiſtratuum Ferrariæ, Viterbii, & Narniæ, ac Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, nomine ejuſdem Ordinis per clar. mem. Card. Aldobrandinum, tunc hujus Cauſæ Ponentem, in Congregatione Sacrorum Rituum habita coram fel. recor. Innocentio Papa Decimo die 19. Januarij 1654. de contentis in duobus Proceſſibus autoritate Ordinariâ confectis per clar. mem. Franciſcum Mariam Cardinalem Macchiavellum, tunc Epiſcopum Ferrarienſem; primo nimirum Anno 1647. ſuper Cultu, ſcientibus, & tolerantibus Ordinariis, ab immemorabili tempore exhibito Beatæ Luciæ de Narniâ, quæ feliciter obdormiverat in Domino die 15. Novembris 1544., & caſu excepto à Decretis per ſan. mem. Urbanum Octavum editis in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis, cujus vigore idem Cardinalis Macchiavellus per ſententiam latam die 19. Decembris ejuſdem Anni 1647. pronunciaverat conſtitiſſe, & conſtare de immemorabili Cultu dictæ Servæ Dei, & propterea non fuiſſe, nec eſſe controventum Decretis Apoſtolicis ſupradictis, & ſecundo de anno 1648. ſuper Sanctitate Viſitæ, Virtutibus, & Miraculis, cum exhibitione etiam nonnullorum antiquorum Documentorum ſuper Stigmatibus, quæ inibi dicuntur impreſſa in corpore prædictæ Beatæ, viſum fuit, ſignari poſſe Commiſſionem introductionis hujus Cauſæ, eidem Sacræ Congregationi directam, ut cognoſceret an ritè, & rectè pronunciatum fuiſſet per ſupradictum Ordinarium Ferrarienſem ſuper caſu excepto ex immemorabili, in cujus Commiſſionis ſub inde à piæ mem. Alexandro Septimo ſignatæ executionem, ad humillimas perces Eminenſſimi, & Reverendiſſimi Domini Joſephi Tituli Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ Presbyteri Cardinalis Sacripantes etiam nomine Communitatis Narniæ ſuæ Patriæ, necnon Reverendiſſimi P. Antonini Cloche Magiſtri Generalis prædicti totius Ordinis Prædicarum, & Monialium S. Catharinæ de Senis Ferrariæ, prout etiam Rev. P. Magiſtri Thomæ Ripoll Sacerdotis Profeſſi ejudem Ordinis Provincialis Terræ Sanctæ Poſtulatoris hujuſmodi Cauſæ, propoſitum fuit in Congregatione Sacrorum Rituum ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Thoma Maria Tituli S. Clementis Presbytero Cardinali Ferrario in locum dictæ clar. mem. Cardinalis Aldobrandini deputato, ſeu ſubrogato, Dubium, an Sententia bon. mem. Cardinalis Macchiavelli ſuper Cultu ab Immemorabili erga Beatam Luciam de Narniâ præſtito ſit confirmanda in caſu, & ad effectum, de quo agitur: Super quo auditis prius pluries in voce, & ſcriptis bon. mem. Joanne Baptiſta Bottino Fiſci, & Cameræ Apoſtolicæ Advocato ſpecialiter deputato ad ſupplendas vices Reverendiſſimi Archiepiſcopi Myrenſis Promotoris Fidei, & ſubinde Domino Proſpero de Lambertinis Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocato, nec non ejuſdem Reverendiſſimi Promotoris Coadjutore; Eadem Sacra Congregatio cenſuit, ſententiam Cardinalis Macchiavelli, ut præfertur, latam ſuper Cultu immemorabili non eſſe infirmandam in caſu, & ad effectum, de quo agitur, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro videbitur. Die 16. Februarii 1710.

Et facta de prædictis per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die prima menſis Martii ejuſdem Anni 1710.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM

XII. In Causâ Neritonen. Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Joſephi à Cupertino Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci.

SAnctiſſimus D. Noſter Clemens Papa XI. enixis precibus Patris Magiſtri Joannis Damaſceni Ordinis Minorum Conventualium Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, & Sacrorum Rituum Congregationis Conſultoris, nomine ſuæ Religionis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro humillimè porrectis, benignè inclinatus, audito prius Voto Sacrorum Rituum Congregationis, conceſſit cauſam Beatificationis, & Canonizationis dicti Servi Dei Fratris Joſephi à Cupertino proſequi, agi, & diſcuti poſſe ſuper illius meritis uſque ad totalem determinationem, non obſtante, quod à die obitus illius ſequuti die 18. Septembris 1663., ſeu &c. non ſint adhuc elapſi quinquaginta Anni ad formam Decretorum ſan. mem. Urbani Octavi, quibus expreſsè

in hac Causâ derogavit, & ita servari, prosequi, agi, discuti, & terminari mandavit, dictis Decretis aliis Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque Hac die 10. Julii 1711.

G. Card. Carpineus.

B. Inghirami Sac. Rituum Congreg. Secretarius.

DECRETUM.

XIII. In Causâ Viennen. in Galliâ Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Joannis Francisci Regis Presbyteri Societatis Jesu die 27. Martii 1712. Festo Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi.

SAnctissimus Dominus Noster, absoluto Sacro solemniter à Sanctitate Sua celebrato in Basilicâ Principis Apostolorum, statim ac ad suas solitas mansiones Palatii Vaticani reversus fuit, advocavit ante prandium Dominum Advocatum Prosperum de Lambertinis Fidei Promotorem, ac me infrascriptum Prothonotarium Apostolicum, modò exercentem Vices R. P. D. Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum, nobisque dixit, elapsis diebus, videlicet die 15. currentis mensis propositam fuisse in Congregatione habitâ coram Sanctitate Sua Causam Viennen. in Galliâ Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Joannis Francisci Regis Presbyteri Societatis Jesu, discussoque in ea dubio: An constet de Virtutibus ejusdem Servi Dei tam Theologalibus, scilicet Fide, Spe, & Charitate, quàm Cardinalibus, nimirum Prudentia, Justitiâ, Fortitudine, & Temperantiâ, earumque respectivè annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur: Sanctitatem Suam distulisse resolutionem, ad effectum exposcendi prius in re tam arduâ Divinum lumen. Cùm autem id Sanctitas Sua jam fecerit, ac potissimùm hac die Resurgentem Dominum humiliter exoraverit, ut Cœlesti claritate mentem suam illustrare dignaretur; quacumque idcirco majori cunctatione postpositâ, suffragiis in eâdem Congregatione latis inhærere se velle declaravit, adeòque super præmisso dubio promulgari mandavit responsum affirmativum constare de Virtutibus tam Theologalibus, quàm Cardinalibus, earumque annexis in gradu heroico, in casu &c. & ita &c.

G. Card. Carpineus

C. Collicola Prothonotarius Apostolicus modò exercens vices R. P. D. Cong. Sac. Rituum.

DECRETUM.

XIV. In Causâ Hispalen., seu Marochitanâ Beatificationis, & Canonizationis, seu Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Joannis de Prado Fratris expresse Professi Strictioris Observantiæ Excalceatorum Ordinis S. Francisci die 27. Martii 1712. Festo Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi.

SAnctissimus Dominus N. Clemens Papa XI. absoluto Sacro solemniter à Sanctitate Sua celebrato in Basilicâ Principis Apostolorum, statim ac ad suas solitas mansiones Palatii Vaticani reversus fuit, advocavit ante prandium D. Prosperum de Lambertinis Sacræ Consistorialis Aulæ Advocatum Fidei Promotorem, ac me infrascriptum Prothonotarium Apostolicum, modò exercentem vices R. P. D. Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum, nobisque dixit, jam ante sex menses, nempe 22. Septembris 1711. in Congregatione habita coram Sanctitate Sua fuisse propositam Causam Hispalen., seu Marochitanam Beatificationis, & Canonizationis, seu Declarationis Matyrii Ven. Servi Dei Joannis de Prado Fratris expresse Professi strictioris Observantiæ Excalceatorum Ordinis Sancti Francisci, ac primi Ministri Provincialis Provinciæ Beticæ Sancti Didaci nuncupatæ, ad annunciandum Evangelium, & docendas Gentes Regnorum Feze, & Marochii à Sacra Congregatione de Propagandâ Fide missi, in eaque discussum fuisse dubium: An constet de Martyrio, & Causa Martyrii ejusdem Servi Dei, ac de Signis, seu Miraculis in Casu, & ab effectum, de quo agitur; auditis tamen omnium suffragiis, nullam tunc à Sanctitate Suâ fuisse captam resolutionem, ut prius, de more, in tam gravi deliberatione Divinam Opem imploraret; Nunc verò, cum hoc jam peregerit, ad signanter hac ipsâ die ferventiores ad id preces in mox celebrato solemni Sacrificio ad Deum effuderit, nolle se diutiùs differe publicationem responsi ad Dubium supradictum, adeòque inhærendo suffragiis in eâdem Congregatione latis, promulgari jussit decretum, ut sequitur: *Constare de Martyrio, & Causa Martyrii, nec non de uno tantùm Miraculo tertii generis*, videlicet de 13. subitæ Sanationis Fratris Gabrielis Telles ab impotentiâ ad motum universi sui corporis. Et ita &c.

G. Card. Carpineus.

C. Collicola Prothonotarius Apostolicus modò exercens vices R. P. D. Secr. Congr. Sac. Rituum.

DECRETUM

XV. In Causâ Vratislavien. Beatificationis, & Canonizationis Beati Ceslai Odrovantii Ordinis Prædicatorum.

PRoposito per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Barberinum causæ Beatificationis, & Canonizationis B. Ceslai Odrovantii prædicti Ponentem, seu Relatorem in Sacrorum Rituum Congregatione ordinariâ Dubio: An sententia Reverendissimi Suffraganei Uvratislavien. Judicis delegati lata super Cultu immemorabili, & Casu excepto à Decretis fel. rec. Urbani VIII. sit confirmanda, vel infirmanda in casu &c. Sac. eadem Rituum Congregatio, ad instantiam Reverendissimi Patris Antonini Cloche Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, prout etiam R. P. Magistri Thomæ Ripoll Sacerdotis Professi ejusdem Ordinis Provincialis Terræ Sanctæ, & hujusmodi Causæ Postulatoris, audito prius tam in voce, quàm in scriptis D. Comite Prospero de Lambertinis Sacræ Consistorialis Aulæ Advocato, ac Fidei Promotore, censuit respondendum, sententiam Suffraganei esse confirmandam, si Sanctissimo D. N. placuerit Die 20. Augusti 1712.

Factaque deinde de præmissis per me Collicollam Prothonotarium Apostolicum, & modò exercentem vices Secretarii Congregationis Sacrorum Rituum Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 27. ejusdem mensis Augusti, & anni 1712.

G. Card. Carpineus.

C. Collicola exercens vices R. P. D. Secretarii Congr. Sac. Rituum.

DECRETUM

XVI. Quo elogium S. Pij Papæ V. pro Martyrologio, & nonnulla verba addenda tertiæ lectioni secundi Nocturni de eodem Sancto Pontifice approbantur.

Urbis & Orbis.

CUm Sacr. Rituum Congregatio sub die 28. Januarii 1713. Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinali S. Clementis proponente instantiam R. P. Generalis Ordinis Prædicatorum pro Elogio S. Pii V. in Martyrologio apponendo, nonnullisque verbis in lectionibus secundi Nocturni addendis remiserit: idemque Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Cardinalis sequens Elogium pro Martylorogio videlicet: *Romæ S. Pii Papæ V. ex Ordine Prædicatorum, qui Ecclesiasticæ disciplinæ restituendæ, hæresibus extirpandis strenuè, ac feliciter incumbens, Vitæ, ac Legum Sanctitate Catholicam Ecclesiam gubernavit*, nec non pro tertia lectione secundi Nocturni, post illa verba, multis à Deo ejus intercessione patratis miraculis, infrascripta nempe: *Quibus ritè probatis à Clemente X. Pont. Max. Sanctorum numero adscriptus est*; à se diligenter revisa, in eâdem Sac. Rituum Congregatione pro approbatione retulerit; Eadem Sacra Congregatio tum Elogium, tum verba prædicta approbavit, & in Martyrologio, ac Lectionibus apponi, imprimique posse concessit, si Sanctissimo placuerit. Die primâ Julii 1713.

Factaque deinde per me infrascriptum Prosecretarium Sanctissimo Domino Nostro de prædictis relatione, Sanctitos Sua benigè annuit. Die 8. ejusdem mensis, & anni 1713.

G. Card. Carpineus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rit. Congr. Prosecr.

DECRETUM

XVII. Quo Officium S. Agathæ V., & M. sub Ritu duplici ad Ecclesiam universalem extenditur.

Urbis, & Orbis.

CUm aliàs sub die 10. Septembris 1701. Sacr. Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo Domino N., Officium S. Agathæ Virginis, & M. die 5. Februarii sub Ritu semiduplici recitari consuetum, ut in omnibus Hispaniarum Regnis sub Ritu duplici celebrari posset, indulserit: Ad humillimas modò preces Episcopi Catanensis eidem Sanctissimo Domino Nostro porrectas, & à Sanctitate Sua ad ipsam Sac. Rituum Congregationem remissas, quibus expositum fuit, ut idem Officium sub Ritu duplici ad totam Ecclesiam universalem extendere dignaretur, Sacra eadem Congregatio, referente Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Albano gratiam petitam concedendam esse censuit, prædictumque Officium ab omnibus Christifidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, sub Ritu duplici in posterum recitari, & ita in Breviario apponi, ac servari mandavit; si Sanctissimo D. Nostro placuerit. Die 26. Augusti 1713.

Factaque deinde per me Prosecretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione Sanctitas Sua benigne annuit. Die 29. ejusdem mensis, & anni 1713.

G. Card. Carpineus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rit. Congr. Prosecr.

DECRETUM.

XVIII. Quo novum Officium S. Josephi Sponsi Beatissimæ Virginis Mariæ pro Ecclesiâ universali approbatur.

Urbis, & Orbis.

AD confovendam, imò etiam augendam Fidelium devotionem erga S. Joseph Sponsum Beatissimæ Virginis Mariæ, ejusque Cultum ferventiùs semper promovendum, Sacr. Rituum Congregatio Officium cum novis Antiphonis, Versibus Lectionibus primi Nocturni, Responsoriis, & Capitulis, ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinale Albano in eâdem Sac. Rituum Congregatione relatum approbavit, ac ab omnibus Christifidelibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, die 19. Martii in festo ejusdem S. Jopseph in posterum recitari, & in Breviario apponi mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit die 3. Febr. 1714.

Factaque deinde per me Prosecretarium de Prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 4. ejusdem mensis, & anni.

F. Card. de Abduâ Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rituum Congr. Prosecret.

DECRETUM

XIX. Quo Officium S. Joannis de Deo ad Ecclesiam universalem sub Ritu semiduplici extenditur.

Urbis, & Orbis.

PIis Cæsareæ Majestatis, Regis Christianissimi, nec non Magni Ducis Hætruiriæ precibus Sanctissimo Domino nostro porrectis, & à Sanctitate Sua ad Sacr. Rituum Congregationem remissis, quibus supplicatum fuit, ut Officium Sancti Joannis de Deo Ordinis Fratrum Hospitalitatis Fundatoris, jam aliàs pro eodem Ordine, ac pro Regnis Hispaniarum, & Lusitaniæ approbatum, atque concessum, ad Ecclesiam universalem extendere dignaretur, Sac. eadem Rituum Congregatio; referente Eminentissimo; & Reverendissimo D. Cardinali Casino, annuendun esse censuit, suprascriptumque Officium ab omnibus Christifidelibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, die 8. Martii sub Ritu semiduplici recitari, & in Breviario apponi mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit die 21. Aprilis 1714.

Et facta deindè per me Prosecretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 5. Maji ejusdem anni 1714.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rituum Congregat. Prosecret.

DECDETA VARIA

XX. Ad Missarum celebrationem pertinentia summatim collecta, quæ in Missalli typis Sacræ Congregationis de Propagandâ Fidei novissimè impresso edita sunt.

Urbis, & Orbis.

CUm occasione Missalis Typis Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide summâ curâ, ac

diligentiâ noviſſimè impreſſi, & prope diem publico uſui exponendi Sacræ Rituum Congregationi enixè fuerit ſupplicatum, ut nonnulla ejuſdem Sacræ Congregationis Decreta jam aliàs edita, & approbata, in prædicto novo Miſſali ſummatim apponi, & imprimi poſſe benignè concedere dignaretur, videlicet:

Miſſæ pro Defunctis, ſive de Requiem in feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod ſi ex Benefactorum inſtitutione Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidunt in feſtum duplex, tunc, ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, in aliam diem non inpeditam minimè transferantur; ſed dicantur de feſto currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum die 5. Auguſti 1662. approbatum à fel. recor. Alexandro VIII. eadem die.

Prædictum decretum ab ejuſdem fel. recor. Alexandro VII. ſpeciali Brevi, quod incipit: *Creditæ Nobis:* denuò fuit confirmatum, ac inſuper ſtatutum idem ſervandum eſſe quoad Miſſas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, & Indulgentias per ejuſmodi Privilegia conceſſas animabus in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde, ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum. Ac denique declaratum Anniverſaria, & Miſſas cantatas de Requiem relictas ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, in prædicto Decreto die 5. Auguſti edito minimè comprehendi, prout antea in una Novarien. 22. Novembris 1664. eadem Sacra Congregratio declaraverat. Die 22. Januarij 1667. Pontificatus XII.

Deinde fel. recor. Clemens IX. eadem Sacræ Congregationis Decreta alio Brevi, cujus initium: *Cum fel. recor.* iterum confirmavit, prædictamque Alexandri VII. diſpoſitionem ad Altaria non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus nunc, & in futurum quandocumque privilegiata extendit. Die 23. Septembris 1669. Pontificatus III.

Tandem propoſito dubio, an ſupradictæ Alexandri VII., & Clementis IX. Declarationes ſibi locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus licet à feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ Defunctorum juxta Ritum Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrari licet, ſervata cæteroquin Privilegiatorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur; eadem Sacra Rituum Congregatio die 3. Aprilis 1688. prædictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, intelligendas eſſe reſpondit, ejuſque Decretum ſubinde confirmatum fuit à fel. recor. Innocentio Papa XI. ſpeciali Brevi, quod incipit: *Aliàs poſtquam*; dato die 4. Maji 1688.

Decretum à Sacrâ Rituum Congregatione anno 1630. editum, quo permittitur poſſe in Eccleſiis recitari Officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, vel Reliquiæ inſignes in eiſdem aſſervantur, intelligendum eſſe de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodò conſtet de identitate Corporis eorumdem, vel inſignis Reliquiæ; ſecus verò de Sanctis in eodem Martyrologio non deſcriptis. Quorum tamen Corporibus, & Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis debita à Fidelibus veneratio adhibenda eſt, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præceptore citandi Officium, aliiſque in Conſtitutionibus S. Pii V. contentis. Die 11. Auguſti 1691., approbatum à fel. recor. Innocentio XII. die 19. Octobris.

Ad augendam Fidelium venerationem erga Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque cultum in toto terrarum Orbe promovendum, prohibitum eſt celebrari Miſſas votivas, vel pro Defunctis infra octavam Corporis Chriſti. Die 21. Junii 1670. Eadem die à fel. recor. Clemente XI. approbatum.

Item prohibitum eſt eaſdem Miſſas celebrari infra Octavam Nativitatis Domini; in Miſſis verò ſolemnibus pro re gravi infra eamdem Octavam celebrandis dicenda eſt Præfatio juxta rubricam generalem tit. 12. num. 4., die 25. Septembris 1706. jam à Sanctiſſimo approbatum.

Re verò in Sacrâ Rituum Congregatione ad relationem Eminentiſs., & Reverendiſs. Domini Cardinalis Barberini pluries diſcuſſa, & maturè perpenſa, Sacra eadem Rituum Congregatio ſupradicta Decreta, tum ut Celebrantium inſtructioni, & uſui ſint, tum ut nonnulli abuſus, qui in aliquibus locis irrepſerunt, penitus evellantur, in poſt Miſſali rubricas generales apponni, & imprimi poſſe cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 15. Septembris 1714.

Factaque deinde per me Proſecretarium de prædictis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Suas ſenſum Sacræ Congregationis approbavit, eademque Decreta in Miſſali apponi, & imprimi mandavit. Die 29. Septembris ejuſdem anni 1714.

F. Cardinalis de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeſchi Epiſcopus Liparit. Sac. Rit. Congr. Pro-Secretarius.

DECRETUM.

XXI. Quo Cauſas omnes tam Beatificationis, & Canonizationis, quàm alias controverſas, quæque quovis modo in Sacrâ Rituum Congregatione tractantur, ad Notarium ejuſdem Sacræ Congregationis privativè quoad omnes alios, etiam Palatii Apoſtolici, A. C., aliorumque Tribunalium quorumcumque Notarios, ſpectare declaratur, & ſtatuitur.

CUm Sac. Rituum Congregatio, ne tam Proceſſus Cauſarum Beatificationum & Canonizationum, quàm alii, qui in cauſis controverſis confici poſſunt, per manus Notariorum variorum Tribunalium diſperſi vagarentur, uſque ab anno 1625., pro actitandis hujuſmodi cauſis Clearcum Buſcum in proprium, & peculiarem ipſius Sacræ Congregationis Notarium nominaverit; Cumque hujuſmodi declaratione minimè obſtante, Notarii A. C., ac ſignanter Sac. Palatii Apoſtolici in prædictis cauſis controverſis ſeſe ingerere cœperint, denuò habito per Jacobum Saxum anno 1682. ad Sac. Rituum Congregationem recurſu, eadem Sac. Congre gatio die 24. Januarii prædicti anni de communi EE. Cardinalium dictæ Sac. Congregationi Præpoſitorum voto cenſuit, & decrevit, omnes cauſas, penes ipſam controverſas ac impoſterùm controvertendas, ab eâque cognoſcendas, illarumque acta omnino ſpectare ad Notarium ipſius Sacræ Congregationis privativè quo ad omnes alios Notarios quorumcumque Tribunalium, & ita obſervari mandavit, non obſtantibus quibuſcumque. Huic autem decla-

rationi, ac decreto post aliquod tempus præmemorati Notarii minimè obtemperantes, varias supra recensitas causas actitarunt citationes, expedierunt, Processus confecerunt, aliaque peragere in præjudicium jurium, ac facultatum proprii Notarii Sacræ ejusdem Congregationis attentarunt. Proinde Cosmus Antonius de Bernardinis modernus ejusdem Sac. Congregationis Notarius, apud ipsam iterum institit, quatenus prædictis Sac. Palatii, vel A. C., & aliorum Tribunalium Notariis tum observantiam memorati Decreti, tum restitutionem scripturarum omnium, ac Processuum mandare dignaretur, iisdemque inhibere, ne in hujusmodi causis controversis, aliisque ad Sacram Congregationem Rituum spectantibus in posterùm sese ingerere ullo modo audeant, vel præsumant. Sacra verò eadem Congregatio hujusmodi instantiæ die 23. Martii 1715. rescribendum duxit: *Audiatus Notarius A. C. coram Eminentissimo Præfecto*; Citato itaque coram eodem Eminentissimo Sac. Palatii, & A. C. Notario Paulo Fatio, plurieſque, tam in voce, quàm in scriptis audito, juribusque hinc inde deductis visis, & maturè perpensis, propositaque denuo Instantia sub infrascriptâ die, Sac. eadem Rituum Congregatio iterum censuit, ac decrevit, causas omnes tum Beatificationis, & Canonizationis, tum controversas, quæque quovis modo in ipsâ Sacrâ Congregatione tractantur, earumque acta, Processus &c. spectare ad proprium illius Notarium privativè quoad omnes alios, nec non tum S. Palatii Apostolici, & A. C. tum aliorum Tribunalium Notarios inhibendos esse, ne ampliùs in causis jam enunciatis sese ingerere audeant, & præsumant sub pœnis arbitrio ipsius Sacræ Congregationis infligendis, Et ita decrevit, & servari mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 6. Mensis Juli 1715.

Factaque deinde per me Prosecretarium de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 13. *ejusdem mensis, & annis* 1715.

F. Card. de Abduâ Præfectus.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus Sac. Rit. Congr. Pro-Secr.

Die 18. *Julii* 1715. *supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Jo. Baptistam de Capellis Apost. Curs.*

Ludovicus Capellus Mag. Curs.

DECRETUM.

XXII. Quo Oratio de B. Joanne Francisco Regis pro Missa, & Officio approbatur.

ORATIO.

Pro Vent. Servo Dei Joanne Francisco Regis.

DEus qui ad animarum salutem Beatum Joannem Franciscum Confessorem tuum mirabili charitate, & invicta patientia decorasti, concede propitius, ut ejus meritis, & exemplis æternæ vitæ præmia consequamur, Per Dominum, &c.

Sacra Rituum Congregatio suprascriptam Orationem propriam in Beatificatione Servi Dei Joannis Francisci Regis Societatis Jesu Presbyteri solemniter decantandam approbavit, eamque post modum in Officio illius, & Missa recitari posse concessit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 9. Maji 1716.

Factaque &c. Sanctitas Sua benignè annuit. Die 30. ejusdem mensis, & anni 1716.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rituum Congregat. Secret.

DE CRETUM.

Quo Elogium S. Fruilani Episcopi Legionensis pro descriptione in Martyrologio Romano approbatur. XXIII.

Elogium S. Fruilani Episcopi.

LEgione in Hispania Sancti Fruilani ejusdem Civitatis Episcopi, monasticæ vitæ propagandæ studio, beneficentia in pauperes, cæterisque virtutibus, & miraculis clari.

Legionem.

Suprascriptum Elogium proprium S. Fruilani Episcopi Legionensis ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinale Origo diligenter compositum, & in Sacra Rituum Congregatione relatum, Sacra eadem rituum Congregatio approbavit, ac in Martyrologio Romano sub die quinta Octobris apponi, ac imprimi posse censuit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 9 Maij 1716.

Factaque &c. Sanctitas Sua benignè annuit. Die 30. ejusdem mensis, & anni 1716.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rituum Congregat. Secret.

DECRETUM.

Quo sancitur incidente festo Sanctissimæ Annunciationis in feriam V. Majoris Hebdomadæ Præceptum audiendi Missam, & abstinendi ab operibus servilibus non esse transferendum, sed omninò servandum, adeòque per locorum Ordinarios providendum, ut plures Missæ privatæ ante celebrationem Missæ Conventualis pro Præcepti adimplemento celebrentur. XXIV.

CUm Festum Sanctissimæ Annunciationis sequenti anno 1717. incidat in feriam V. Majoris Hebdomadæ, ideòque à nonnullis quæsitum fuerit, an Præceptum audiendi Missam, & vacandi ab operibus Servilibus ad Diem, in quâ ejus Officium celebrari debet, sit transferendum; an verò servandum sit in ipsâ feriâ v. Majoris Hebdomadæ, & per Locorum Ordinarios providendum, ut eo die aliquæ Missæ privatæ ante Conventualem pro Præcepti adimplemento celebrentur, prout in Camerinen., & pro Ecclesiis Almæ Urbis mendatum fuit, die 20. Martii 1660. Sacra eadem Rituum Congregatio, re maturè discussâ, censuit, Præceptum audiendi Missam, & abstinendi à Servilibus non esse transferendum; sed omninò servandum esse in prædictâ feriâ v. Majoris Hebdomadæ, adeòque per Ordinarios Locorum providendum, ut eo die pro Civitatum, & Pagorum qualitate, ac Christi

1716. fidelium in iis degentium numero plures Missæ privatæ ante celebrationem Missæ Conventualis pro Præcepti adimplemento celebrandæ non desint, sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missâ Solemni ejus diei, quo Ecclesia Sanissimi Eucharistiæ Sacramenti institutionem, & memoriam recolit, summâ Religione hactenùs observatus, nullo modo, omittatur; Et ita declaravit, ac Decretum hujusmodi publicari, & imprimi mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 12. Septembris 1716.

Factaque per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione Sanctitas Sua benignè annuit. Die 27. ejusdem mensis, & anni 1716.

F. Card. de Abdua Præfect.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparit. Sac. Rituum Congreg. Secr.

DECRETUM

XXV. Super extensione Officii, & Missæ Sanctissimi Rosarii ad Ecclesiam Universalem.

Urbis, & Orbis

CUm aliàs fel. rec. Gregorius Papa XIII. attentè considerans celebrem Victoriam, quam Christianorum Classis in virtute Domini Dei Sabaoth decertans, sub san. mem. Pio PP. V. ejus Prædecessore non longè à Corinthiaco sinu, die 7. Octobris MDLXXI., quæ eo anno prima Dominica ejusdem Octobris fuerat, de Classe Turcarum, numero licèt longè superiore, & præteritis elata Victoriis mirabiliter reportaverat, eâdem planè die contigisse, qua Sodalitates omnes sub Invocatione Sanctissimi Rosarii (quod etiam Psalterium Beatissimæ Virginis Mariæ nuncupatur) per universum Terrarum Orbem erectas, juxta earum laudabilia instituta, & consuetudines processionaliter incedentes, devotas ad Deum preces effudisse compertum erat, adeòque piè credi poterat, preces hujusmodi per interessionem Sanctissimæ Virginis ad dictam Victoriam consequendam plurimum profuisse; ad illius memoriam perpetuò conservandam, agendasque eo nomine Omnipotenti Deo, ejusque Gloriossissimæ Genitrice perennes gratias, per suas litteras de prima Aprilis 1573. expeditas decreverit, ut ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus quâlibet primâ die Dominicâ mensis Octobris per Universi Orbis partes, in iis videlicet Ecclesiis, in quibus Altare, vel Capella ejusdem Rosarii foret, ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus festum solemne sub nuncupatione Rosarii hujusmodi sub duplici majori Officio, ad instar aliarum solemnium Festivitatum celebraretur, & sanctificaretur, eâque die Officium de eâdem Beatissimâ Virgine novem Lectionum more Ecclesiastico persolveretur, & recitaretur. Subinde verò rec. mem. Clemens Papa X. ad pias, devotasque preces clar. mem. Mariannæ, dum vixit, Hispaniarum Reginæ Catholicæ tunc Viduæ, per similes suas in forma Brevis litteras die 26. Septembris 1671. expeditas indulserit, ut Festum solemne Rosarii à memorato Gregorio XIII., sicut præmittitur, institutum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus qui ad horas Canonicas tenetur, in omnibus Ecclesiis Hispaniarum, aliorumque Regnorum, Provinciarum, ac Dominiorum Regi Catholico subjectorum, etiamsi in dictis Ecclesiis non adesset Altare, seu Cappella ejusdem Rosarii, celebraretur cum Officio, ac Missâ propriis, & aliàs, prout in ambabus Apostolicis literis supradictis uberiùs continetur. ac successivè ejusmodi Indultun diversis temporibus à Sacrâ Rituum Congregatione ad plures tam intra, quàm extra Italiam Provincias, Ditiones, Civitates, & Diœceses pari modo extensum fuerit. Cumque postea eadem Congregatio ad enixas clar. etiam. mem. Leopoldi dum vixit, Romanorum Regis Imperatorem electi, humilesque P. F. Antonini Cloche Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis suplicationis, piæ mem. Innocentio Papæ XII. porrectas, & ab illo ad dictam Congregationem remissas, in eâque ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Card. Barberino relatas Officium, & Missam Sanctissimi Rosarii hujusmodi die ipsius festo ad Universalem Ecclesiam absque ullâ restrictione extendi posse censuerit, si ita eidem Innocentio XII. placuisset; Verùm hujus Decreti relatio memorato Innocentio XII. ob superventam ejus infirmitatem, ac deinde secutum obitum fieri nequieverit: Sanctissimus autem Dominus Noster Clemens Papa XI. ejus Successor quamcunque hac in re resolutionem hucusque distulerit; Novissimè Sanctitas Sua animadvertens nuperam insignem Victoriam ab Exercitu Augustissimi Caroli VI. similiter Romanorum Regis in Imperatorem electi de innumeris Turcarum copiis in Hungaria relata, die 5. Augusti proximè præteriti, hoc est, Festo Dedicationis S. Mariæ ad Nives, ac eo fermè tempore, quo Confratres Sodalitatis Rosarii publicam Processionem in hac Almâ Urbe, magno Populi concursu, & singulari devotione peragentes, pias ad Deum preces pro Turcarum depressione effundebant, atque ad id validissimum Deiparæ Virginis patrocinium in auxilium Christianorum humiliter implorabant, obtentam fuisse: Nec non insuper perpendens Civitatem, & Arcem Corcyrensem paulò post, videlicet in Octavâ Festi Assumptionis Sanctissimæ Virginis prædictæ ab immanissima eorumdem Turcarum oppugnatione feliciter libea ratam fuisse: abeòque nedum præclara hæc beneficia ejusdem Deiparæ, ut piè credendum est, intercessione Nobis à Domino collata fuisse, verùm etiam sub illius præsidio (præsertim Christi-fidelibus Rosarium, prædictum, juxta adhortationes dudum jussu Sanctitatis Suæ factas, quotidiè, ac devotè recitare pergentibus) feliciores in dies eventus Christianis armis sperari meritò posse: ut corda Fidelium erga ipsam Gloriossissimam Virginem vehementiùs inflammentur, gratiarumque cœlitùs concessarum memoria nunquam extinguatur, Decretum Congregationis prædictæ benignè approbavit, ac Officium proprium sub ritu duplici majori, nec non Missum Rosarii die illius Festo, nempe Dominicâ primâ Octobris, ab Universis Christifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur singulis annis recitari, & respectivè celebrari, ac in Breviario, & Missali Romano apponi mandavit. Die tertiâ Octobris 1716.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Ep. Lipar. S. Rit. Cong. Secr.

DECRETUM.

XXVI. Quoad cultum Coronæ ferreæ, quæ in Collegiata Ecclesiâ S. Joannis Baptistæ Modoetiæ Mediolane. Diœcesis asservatur.

CUm Modoetiæ in Ecclesiâ Collegiatâ S. Joannis Baptistæ ab antiquissimo tempore inter cæteras

Sancto-

Sanctorum Reliquias Corona Ferrea, uno ex Clavis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut piè creditur, in laminam, ſive circulum compacto exornata aſſervaretur: Cumque Anno 1687. D. Tanchredinus Viſitator cultum eidem Coronæ antea præſtitum, quouſque à clar. mem. D. Card. Vicecomite tunc Mediolanen. Archiepiſcopo, aliter decerneretur, Decreto ſuſpenderit; idem verò Cardinalis Archiepiſcopus rei gravitate perpensâ anno 1688. recurſum ad Apoſtolicam Sedem habendum eſſe, ab eâque deciſionem expoſtulandam edixerit; Modoetienſes verò actis nonnullis in Curiâ Archiepiſcopali tunc peractis uſque modò ſiluerint, ac ſolummodo tribus ab hinc annis Sac. Rituum Congregationi pro prædictâ Deciſione ſupplicaverint: Hinc audito priùs R. P. D. Calcho Epiſcopo Lucano, tunc Vicario Capitulari Mediolanen. deinde verò Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Odeſchalco moderno Archiepiſcopo Mediolani, ac poſtremò tam in voce, quàm in ſcriptis R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Cardinalis Ptolomæus in infraſcripta dubia declaranda propoſuit, videlicet:

Primum. *An Capitulo Collegiatæ S. Joannis Baptiſtæ Modoetiæ liceat Coronam Ferream, de qua agitur, retinere intus Crucem, in qua fuit repoſita, inſimul cum aliis Reliquiis, & publicæ Venerationi exponere* & quatenùs negativè.

Secundùm. *An ſaltem eidem Capitulo liceat dictam Coronam Ferream exponere in Altari Majori; & proceſſionaliter deferre, prout olim practicabatur*, in caſu &c.

Et Sacra eadem Congregatio re maturè diſcuſſa, viſiſque eorum juribus, reſpondendum cenſuit.

Ad primum *Affirmativè.*

Ad ſecundum *Proviſum in primo*, & ita declaravit. Die ſeptimâ Auguſti 1717.

Et factâ deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 10. ejudem menſis, & anni 1717.

F. Card. de Abdua Præfect.

N. M. Tedeſchi Epiſc. Lip. S. Rit. Cong. Sec.

DECRETUM

XXVII. Extenſionis Officii S. Spiridionis Conf., & Pont. cum lectionibus propriis, & Oratione de communi ſub Ritu ſemiduplici ad univerſam ditionem Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ.

AD pias, enixaſque preces Sereniſſimæ Reipublicæ Venetorum per Excellentiſſimum Dominum Nicolaum Duodo apud S. Sedem Oratorem Ordinarium Sanctiſſimo D. N. Clementi XI. porrectas, quibus Sanctitati Suæ humiliter ſupplicabatur, ut ipſa Officium cum lectionibus propriis pro feſto Sancti Spiridionis Conf. & Pont. aliàs die 23. Novembris anni 1602. à Sacra Rituum Congregatione pro Civitate Corcyren. approbatis, & PP. etiam Congregationis S. Philippi Nerii Urbis, & Civitatis Neapolis die 22. Auguſti 1699. conceſſis, in poſterum in memoriam inſignis liberationis Civitatis, & Inſulæ Corcyren. ab arctiſſima Turcarum obſidione die 14. Decembris in feſto dicti Sancti ad univerſum Clerum totius Dominii ipſius Reipublicæ extendere dignaretur, illaſque à Sanctitate Sua ad Sacram Rituum Congregationem remiſſas; Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis de Abdua, audito priùs R. P. D. Proſpero de Lambertinis Fidei Promotore, lectiones prædictas cum oratione de communi ſingulis annis in Officio diei feſti ipſius Sancti ſub Ritu ſemiduplici ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus totius Dominii ſupradictæ Reipublicæ recitari poſſe conceſſit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die 12. Junii 1717.

Factaque &c. Sanctitas Sua benignè annuit. Die 14. ejuſdem menſis, & anni.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeſchi Epiſc. Liparit. Sac. Rituum Congr. Secret.

DECRETUM

XXVIII. Quo declaratur Confeſſariis, & Cappellanis Monialium licere Miſſas celebrare Sanctorum, de quibus ipſæ recitent Officium, ſed cum Miſſali Romano, & de communi, non verò Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus à Sacrâ Congregatione conceſſas.

SUpplicantibus, frequenter Sac. Rituum Congregationi pleriſque variorum Ordinum Monialibus, ut Confeſſario, & Cappellanis earumdem ſervitio addictis facultatem celebrandi Miſſas Sanctorum, de quibus prædictæ Moniales Officium recitant, benignè impertiri dignaretur; Sacra eadem Congregatio ad occurrendum his, & ſimilibus Inſtantiis præſenti Decreto generali declarat: Licere in poſterùm tum Confeſſario, tùm Cappellanis tantùm quarumcumque Monialium ſervitio addictis Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitent Officium, celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de Communi, non verò Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus à Sacra Congregatione conceſſas. Et ita decrevit, & ſervari mandavit. Die 20. Novembris 1717.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo D. N. relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, & præfatam Sac. Congregationis reſolutionem confirmavit. Die prima Decembris ejuſdem Anni 1717.

F. Cardinalis de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeſchi Ep. Lip. S. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM.

XXIX. Elevationi Officii S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis à Ritu ſemibuplici ad duplicem, cum præcepto, quòd in illius Miſſa dicatur etiam *Credo.*

Urbis, & Orbis.

AD pias preces Sereniſſimi Jacobi III. Magnæ Britanniæ &c. Regis Sanctiſſimo Domino Noſtro porrectas, & à Sanctitate Sua ad Sac. Rituum Congregationem remiſſas, in eaque per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Gualterium Regni Angliæ Protectorem relatas, Sacra eadem Congregatio Officium S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Angliæ Primatis, aliàs ſub Ritu ſemiduplici de præcepto die ejus feſto 21. Aprilis pro Eccleſia Univerſali recitari conceſſum, in poſterùm ab

omnibus Christifidelibus tam Secularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur sub Ritu duplici celebrari debere; Et ut in ejus Missa, quæ incipit: *In medio Ecclesiæ*, dicatur etiam *Credo*, indulsit, ac ita in Breviario, & Missali Romano apponi mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Die 3. Februarii 1720.

Factaque per me Secretarium eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 8. *ejusdem mensis, & anni.*

F. Card. Paulutius Pro-Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rituum Congr. Secret.

XXX.

DECRETUM

Quo omnibus Ecclesiasticis Sacro Ordini Constantiniano S. Georgii adscripti, ac insuper omnibus aliis inservientibus Ecclesiæ Conventuali Parmen., & aliis ejusdem Ordinis Ecclesiis ubicumque existentibus permittitur, ut Officium de eodem Sancto Georgio sub Ritu duplici primæ classis cum octava recitare, & Missam de communi celebrare possint, servatis de rubricis Missalis, & Breviarii Romani.

NOn minus piis, quàm enixis precibus Sereniſſimi Ducis Parmæ, ac Magni Magistri Sacri Ordinis Constantiniani Sancti Georgii Martyris Sacræ Rituum Congregationis porrectis, ac per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Gualterium relatis, Sacra eadem Rituum Congregatio Officium S. Georgii Martyris supradicti Ordinis Titularis cum lectionibus ejusdem propriis pro secundo Nocturno die 9. Maji 1693, ad relationem clar. mem. Cardinalis Colloredi jam approbatis ab omnibus Ecclesiasticis tam præfato Ordini adscripris, quàm omnibus aliis inservientibus, sive Ecclesiæ Conventuali vulgò nuncupat. della Steccata Civitatis Parmen., sive aliis ejusdem Ordinis Ecclesiis ubicumque existentibus, qui ad horas Canonicas tenentur, sub Ritu duplici primæ classis cum octava in posterum recitari, & Missam de communi respectivè celebrari posse concessit, servatis tamen rubricis Breviarii, ac Missalis Romani, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, die 27. Julii 1720. Factaque &c. Sanctitas Sua benignè annuit. Die 31. ejusdem mensis, & anni.

F. Card. Paulutius Pro-Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit Sac. Rituum Congregationis Secr.

DECRETUM

XXXI. In Causa Forolivien. Canonizationis Beati Peregrini Latiosi Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

PRoposita dudum videlicet die 26. Aug. 1702. in Congregatione ordinaria Sacrorum Rituum per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Barberinum Causa Canonizationis B. Peregrini Latiosi Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis super dubio: *An Sententia Episcopi Forolivienſis ſuper cultu immemorabili, & caſu excepto à Decretis ſan. mem. Urbani VIII. eſſet confirmanda:* prodiit rescriptum affirmativum, quod à Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa XI. approbatam fuit, ac subinde cum Titulo *Beati* publicatum, juxta resolutionem captam in eadem Congregatione die 2. Septembris ejusdem anni.

Datis postmodum remissorialibus, & compulsorialibus literis Episcopis Forolivienſi, & Tiphernati, fabricati fuerunt bini Processus ac compulsata quædam jura, quorum validitas in supradicta Congregatione ordinaria die 12. Septembris 1716. recognita fuit, ac successivè ab eodem Sanctissimo Domino Nostro approbata. Nuper verò in Congregatione generali eorumdem Sacrorum Rituum habita coram Sanctitate Sua die 16. Julii proximè præteriti per supradictum Dominum Cardinalem Barberinum iterum proposita fuit eadem Causa, discussumque dubium: *An conſtet de virtutibus ejuſdem Beati Peregrini tam Theologalibus, ſcilicet Fide, ſpe & Charitate, quàm Cardinalibus, nim irum Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque reſpectivè annexis in gradu heroico in caſu, & ad effectum, de quo agitur:* Super quo Sanctitas Sua, auditis tam Consultorum, quàm Eminentissimorum DD. Cardinalium suffragiis distulit ea die resolutionem, ut prius cœlestis luminis opem tam suis, quàm aliorum precibus in tam gravi deliberatione de more imploraret. His peractis præfatus Sanctissimus Dominus Noster infrascripta die Sancto Philippo Benitio, eximio ejusdem Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis Propagatori, sacra, accitis coram se R. P. D. Lambertino Fidei Promotore, ac me infrascripto supradictæ Congregationis Secretario, ad præmissum dubium de Virtutibus, dari, & promulgari jussit responsum affirmativum sequentibus verbis, videlicet: *Ita conſtare de Virtutibus prædictis, ut tutò in præſenti caſu procedi poſſit ad ulteriora, nimirum ad diſcuſſionem miraculorum, & ita &c.* Hac die 23. Augusti 1720.

F. Card. Paulutius Pro-Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rituum Congr. Secret.

DECRETA MEMORABILIA

Sacræ Congregationis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ

Juxtà temporis ſeriem diſpoſita.

DECRETUM

De initio septennii, ad quod Brevia Apostolica Altarium Privilegiatorum restringi solent.

DIscusso dubio in Sacrâ Congregatione Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositâ. An attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi solent *præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris;* Septennii initium à die publicationis Brevis desumendum sit; eadem Sacra Congregatio die 18. Maji 1711. declaravit, non à die publicationis, sed à die datæ Brevis, septennii tempus incipere. Et factâ relatione Sanctissimo Domino Nostro per me infrascriptum Secretarium die vigesimâ ejusdem Mensis, Sanctitas Sua Congregationis sententiam approbavit.

L. M. Card. Gabriellius Præf.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

II.

DECRETUM.

De Indulgentiis, quas geſtantes Scapulare Conceptionis B. V. Immaculatæ, & Cincturati Sancti Auguſtini, & Sanctæ Monicæ conſequi poſſunt.

PRæcipuas inter curas, quibus Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita ſedulo incumbit, ea eſt, ut Indulgentias, quæ à nonnullis interdum temerè evulgantur, maturè expendat, & quas, aut revocatas, aut falſas, & apocryphas eſſe deprehenderit, ne Fideles illarum aſſequendarum ſpe decipiantur, palam detegat, atque prohibeat.

Cum itaque Sacræ Congregationi delatum fuerit in libello quodam Veronæ impreſſo anno 1711., cui titulus: *Breve notitia del ſanto habitino, che ſi diſpenſa da Padri Teatini ad onore dell' Immacolata Concezione di Maria Vergine in virtù d'un Breve Apoſtolico di Clemente X. confermato con altro del Regnante Sommò Pontefice in data delli* 12. *Maggio* 1710. *Con le Indulgenze proprie; e dell'aggregazione alla loro Religione &c.* Plurimas Indulgentias falsò contineri, veluti à Summis Pontificibus conceſſas, aut quoquomodo communicatas, geſtantibus Scapulare parvum cœrulei coloris, quod vocant Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Immaculatæ. Ideò re maturè perpensâ die 22. Februari 1712. declaravit nullas alias Indulgentias pro geſtatione prædicti Scapularis acquiri, niſi illas, quas Sanctiſſimus Dominus Noſter literis in formâ Brevis deſuper editis die 12. Maji anno 1710. clementer conceſſit his verbis: *Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, quibus Scapularia benedicta hujuſmodi, ut præfertur, in poſterùm diſtribuentur, die, quo illa primùm ſuſceperint, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam; Nec non eiſdem in cujuslibet eorum, mortis articulo, ſi etiam verè pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen Jeſu, ore ſi potuerint, ſin minus corde devotè invocaverint, itidem plenariam; Ac ipſis pariter verè pœnitentibus, & confeſſis, ac eadem ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis dictæ Congregationis, vel Cappellam, ſive Oratorium die feſto ejuſdem Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ à primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum &c. preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper prædictis Chriſtifidelibus etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis Eccleſiam, vel capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi in aliis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis feſtis diebus, ut præfertur, viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus &c.*

Cumque pariter Sac. Congregationi innotuerit in alio libello Bononiæ impreſſo anno 1707. qui inſcribitur; *Sacro Diario delle gratie, e Indulgenze conceſſe alla Compagnia della Cintura detta di S. Agoſtino, e di S. Monica &c.* Multas pro Cincturatis referri Indulgentias, quarum aliquæ, aut revocatæ, aut falſæ omninò ſunt; Ideo Sacra eadem Congregatio prædicta die 22. Februarii 1712. ſimiliter declaravit, Cincturatos nullas alias Indulgentias pro geſtatione Cincturæ lucrari poſſe, niſi illas, quæ expreſsè continentur in Brevi à ſan. mem. Clemente X. deſuper edito, quod incipit: *Ex injuncto Nobis cœlitus*, dato die 27. Martii 1675.

Et ut omnis in poſterùm erroris, ac deceptionis occaſio auferatur, diſtrictè prohibuit, ne aliæ Indulgentiæ voce, aut ſcripto publicentur pro geſtatione ſupramemorati parvi Scapularis, aut prædictæ Cincturæ præter eas, quæ in ſupradictis Brevibus Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. & ſa. me. Clementis X. reſpectivè continentur. Ac inſuper recenſitos Libellos, alterum Veronæ, alterum Bononiæ impreſſum proſcribendos cenſuit ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Quibus per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro relatis Sanctitas Sua Sententiam Sacræ Congregationis approbavit, & in omnibus ſervari juſſit. Datum die 24. Februarii 1712.

Fr. Thomas Maria Card. S. Clementis.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secr.

Die, Menſe, & Anno, quibus ſupra ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, ac in Acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Jo. Baptiſtam de Cappellis Apoſt. Curſ.

Ludovicus de Cappellis Pro Mag. Curſ.

III.

DECRETUM.

Quo tria Summaria aſſertarum Indulgentiarum Confraternitatibus S. Rocchi conceſſarum proſcribuntur, eaſdemque Confraternitates non aliis Indulgentiis gaudere poſſe declaratur, niſi illis, quæ à ſan. mem. Paulo V. in Brevi dato 3. Novembris 1606. conceſſæ reperiuntur.

CUm tria nuper Indulgentiarum Summaria Sacræ Congregationi Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ delata fuerint, in quibus quamplurimæ Indulgentiæ aut falſæ, aut apocryphæ, aut à nonnullis Romanis Pontificibus, ſignanter verò à fel. recor. Paulo V. Brevi dato 3. Novembris anni 1606. expreſsè revocatæ continentur, & quod longè deterius eſt, multæ etiam facultates, & conceſſiones, & nonnulla itidem privilegia, aut pariter revocata, aut omnino conficta non ſine magno Fidelium ſcandalo, & Animarum periculo temerè evulgantur: Sacra eadem Congregatio, quæ fideli, ac prudenti cœleſtis Indulgentiarum Theſauri diſpenſationi præeſt, die 12. menſis Martii labentis anni, re maturè perpensâ declaravit, Confraternitates S. Rocchi in quibuſvis locis exiſtentes, & Archiconfraternitati de Urbe aggregatas nullis aliis Indulgentiis, conceſſionibus, & privilegiis uti, & frui poſſe, niſi illis, quæ in ſupradicto Brevi ſa. me. Pauli V. continentur, & quæ in aggregationibus ab eadem Archiconfraternitate expediri ſolitis de verbo ad verbum referuntur. Prædicta autem ſummaria, quorum unum ita inſcribitur: *Sommario dell' Indulgenze conceſſe da Sommi Pontefici alla Venerabile Compagnia di S. Rocco di Roma, ed alla Compagnia di S. Rocco d'Ancona aggregata &c. In Ancona nella Stamperia Camerale* 1661. Alterum verò: *Sommario del Celeſtiæ Teſoro dell' Indulgenze, doni, grazie, facoltà, e privilegi conceſſi per molti Romani Pontefici, ed ultimamente confermati, ed ampliati dalla Santità di Noſtro Signore Gregorio per la Divina Providenza Papa XIV. alla Ven. Compagnia, ed Oſpedale di S. Rocco di Roma, da poterſi concedere d'alli Commiſſarii deputati à quæſto Sant' Offizio della publicazione di tante divine grazie à ciaſcheduno fedel Chriſtiano, che vorrà entrare nella*

San-

Santa Confraternita di S. Rocco di Roma : In Roma appresso Paolo Blado Stampatore Camerale 1591. Tertium denique : *Sommario del Celeste Tesoro dell'Indulgenze, doni, grazie, facoltà, e privilegij concessi &c. à ciaschedun Fedel Christiano che verà entrare nella Santa Confraternita di S. Rocco di Roma, & communicare alla Confraternita del medesimo S. Rocco, e Sebastiano nella Chiesa della B. V. Maria di Loreto nelle Città di Roveredo: In Roma, ed in Roveredo, per Giuseppe Antonio Gojo* 1712. Sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis proscribenda esse censuit, atque insuper districtè prohibuit, ne aliæ Indulgentiæ, concessiones, aut privilegia pro supradictis Confraternitatibus S. Rocchi voce, aut scripto evulgentur, nisi ea, quæ in sæpe memorato Brevi Pauli V. concessa reperiuntur : Quam Sacræ Congregationis Sententiam per me Secretariuim Sanctissimo Domino Nostro relatam Sanctitas Sua probavit, & executioni mandari jussit. Datum die 14. Martii 1714..

L. Card. Picus Præfectus.

Raphaèl Cosmus de Hyeronimis Secret.

Die, mense, & anno, quibus supra supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Franciscum Bartholotum Apost. Curs.

Ludovicus Capellus Mag. Curs.

DECRETUM

IV. Quo declaratur Monasteria Monialium à curâ Regularium suorum Ordinum ad immediatam jurisdictionem Episcoporum translata, aut transferenda iisdem privilegiis, ac indulgentiis frui debere, quibus ante ejusmodi translationem fruebantur.

LIcet ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositâ non semel declaratum fuerit, nonnulla Sanctimonialium Monasteria, quæ antea sub gubernio Fratrum sui Ordinis degebant, per hoc, quod Episcopum loci subjecta deinde fuerint, privilegia, & indulgentias, quibus antea fruebantur nullatenùs amisisse; Tamen cum sæpiùs alia etiam Monasteria, quæ simili modo sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, idem ab Apostolicâ Sede declarari humiliter postulaverint; ut nulla in posterum dubitandi ratio superšit; Eadem Sacra Congregatio re maturè discussâ die 20. Aprilis 1711. declaravit : Monasteria omnia Sanctimonialium, quæ à curâ, & gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translata sunt in posterùm transferri aliquâ ratione contigerit, non ideò privilegia, & Indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amissura fore; Sed eodem modo cunctis prædictis privilegiis, & Indulgentis, uti, & frui debere, ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu existerent. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus Noster die 22. ejusdem mensis approbavit. Datum Romæ die 14. Maji 1714.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

Die, mense, & Anno quibus supra supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Josephum Batialem Apost. Curs.

Sebastianus Vasellus Mag. Curs.

DECRETUM.

V. Quo bina Summaria Indulgentiarum, ut apocrypha, proscribuntur, eorumque usus interciditur.

SAcra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita die 13. mensis Julii anni 1714. maturè perpensis duorum Indulgentiarum Summariis, quorum unum ita inscribitur : *Sommario dell'Indulgenze, grazie, e doni concesse da molti Romani Pontefici, e nuovamente confermate dalla Santità di Nostro Signore Papa Clemente XI. alla Venerabil Chiesa, e Hospitale di S. Maria di Monserrato di Catalogna, & alli Confratri, e Consorore d'essa Madre Vergine. In Palermo presso Francesco Ciche* 1714. Alterum verò : *Sommario dell'Indulgenze concesse da diversi Romani Pontefici, ed ultimamente ampliate, & confirmate da Nostro Signore Clemente XI. alli Fratelli, e Sorelle del Sacro Reale, e Militare Ordine, cosi dell'osservanza, come delli Scalzi di Nostra Signora della Mercè. Opera della Redenzione de Schiavi Christiani frà gl'Infedeli. In Roma nella Stamperia della Reverenda Camera Apostolica. In Messina nella Stamperia della di Amico. Ed in Palermo per Felice Marino* 1710. : Dictorum Summariorum usum interdixit, illaque prohibenda esse censuit sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis. Quibus Sanctissimo Domino Nostro die 18. ejusdem mensis Julii per me Secretarium relatis; Sanctitas Sua sententiam Sacræ Congregationis approbavit, & executioni mandari jussit. Datum die 19. Julii Anni 1714.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

Die 19. Julii 1714. *supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Curiæ Innocentianæ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romolatium Apost. Curs.*

Sebastianus Vasellus Mag. Curs.

DECRETUM.

VI. Quoad Indulgentias Rosariis, seu Coronis S. Brigittæ à Summis Pontificibus concessas.

Indulgentiæ, Rosariis, seu Coronis, quas S. Brigittæ vocant, à Summis Pontificibus concessæ.

LEo Decimns Pontifex Maximus per literas suas incipientes : *Ex Clementi* : datas Idus Julii 1515. concedit omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui per, & super Rosaria, seu Coronas S. Brigittæ devotè oraverint, pro qualibet Oratione Dominica centum dies, & totidem pro salutatione Angelicâ, & pro quolibet Symbolo, si dixerint, vel recitaverint, etiam centum dies Indulgentiarum : nec non pro quolibet psalterio (id est Rosario, aut corona quindecim Decadum Beatæ Mariæ Virginis)

ſuper illis integrè per eoſdem Chriſtifideles, per ſe ipſos, aut cum ſocio, vel familiari, qui eandem Indulgentiam conſequatur, dicto, vel recitato ſeptem annos, & totidem quadragenas.

Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens XI. Pontifex Maximus in ſuo Brevi, quod incipit: *De ſalute Gregis Dominici*: Dato 22. Septembris 1714. concedit omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus confeſſis, & ſacrâ Communione refectis, ac pro Chriſtianorum Principium concordiâ, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione orantibus, qui quotidiè per integrum annum Coronam S. Brigittæ, dummodo ſit ſaltem quinque decadum, recitaverint, ſemel in anno die per unumquemque Chriſtifidelem eligenda plenariam Indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eandem plenariam Indulgentiam applicandi animabus in Purgatorio exiſtentibus.

Ad lucrandum hujuſmodi Indulgentias requiritur, ut Coronæ à PP. Superioribus Monaſteriorum, ſeu ab aliis Religioſis Ordinis Sanctiſſimi Salvatoris, ſeu S. Brigittæ ad id ſpecialiter deputatis benedicantur.

DECRETUM.

S. Congregatio Indulgentiis, & S. Reliquiis præpoſita die 26. Novembris 1714. cenſuit permitti poſſe impreſſionem præſentis Summarii Indulgentiarum conceſſarum Coronis, quas vocant, S. Brigittæ, addita declaratione, quòd omnes aliæ Indulgentiæ, quæ in præſenti Summario expreſſæ non continentur, ſunt aut Apochryphæ, aut nullæ, aut à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XI. revocatæ per ſupradictum Breve datum die 22. Septembris 1714.

Prohibet inſuper eadem Sacra Congregatio, ne hujuſmodi Coronæ vendantur, aut alteri commodentur, & ſi ſecus fiat, declarat ſupradictas Indulgentias ceſſare, & nullius eſſe roboris, vel momenti. Datum die 4. Decembris 1714.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secr.

DECRETUM.

VII. Quo Summarium Indulgentiarum Regularibus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nonnullas continens Indulgentias ad quæſtum damnatur, & prohibetur.

QUamvis Indulgentiæ omnes pro porrigentibus manus adjutrices non ſemel ab Apoſtolicâ Sede, ſignanter verò à S. Pio V. *Conſtit.* 30. quæ incipit; *Et ſi Dominici Gregis* dat. 6. Idus Februarii anno 1567. revocatæ fuerint, Quæſtoreſque damnati, nonnulli tamen interdum docentes ea, quæ non oportet, Indulgentias ad quæſtum evulgare præſumunt. Quapropter Sacra Congregatio Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſita huic malo occurrere cupiens, Summarium quoddam, cui titulus: *Breve Sommario delle principali grazie, & Indulgenze conceſſe alli Religioſi dell'Ordine Santiſſima Trinità della Redenzione delli Schiavi, delle quali godono tutti quelli, che portano il Scapulario, ò vero Abitino, & viſiteranno le Chieſe, ò Cappelle di dett'Ordine &c.*, impreſſum Neapoli apud Hiacynthum Pittante anno 1703., ubi nonnullæ Indulgentiæ ad quæſtum continentur, die 28. Januarii labentis anni 1716. ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis damnandum cenſuit inſimul declarando, Confraternitates à Superioribus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum inſtitutas, nullis aliis Indulgentiis gaudere, niſi illis, quæ expreſsè continentur in earum Summario, aliàs, nempe die 31. Januarii ani 1675, ad eadem Sac. Congregatione recognito, atque approbato, & deindè Romæ Typis R. C. Apoſtolicæ impreſſo anno 1682. Quibus Sanctiſſimo Domino Noſtro per me Secretarium relatis, Sanctitas Sua Sententiam Sac. Congregationis probavit, & executioni mandari juſſit. Datum die 11. Martii 1716.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.

Die, menſe, & anno quibus ſupra ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, ut moris eſt, per me Jo. Baptiſtam de Cappellis SS. D. N. PP. Curſorem.

Bartholomæus de Camillis Mag. Curſ.

DECRETUM.

VIII. Quo declaratur neceſſariam eſſe delationem Scapularii ad lucrandas Indulgentias conceſſas Sodalibus Confraternitatum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

IN Sacrâ Congregatione Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſita habita die 28. Aprilis labentis anni 1716. relatis precibus P. Joannis à S. Franciſco Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hiſpaniæ humiliter poſtulantis declarari, an Sodales Confraternitatum ſui Ordinis loco Scapularii, quod plerique geſtare ſolent, exiguum panni albi fruſtulum, cui parvula Crux rubri, & cærulei coloris acu intexta eſt, veſti aſſutum deferentes, lucrari valeant Indulgentias conceſſas iis, qui Scapularium deferunt. Eminentiſſimi Patres declararunt, non lucrari. Datum die 29. Aprilis 1716.

L. Cardinalis Picus Præfectus.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.

DECRETUM.

IX. Quo declaratur Indulgentiam pro feriis ſextis menſis Martii dari ſolitam comprehendi ſub clauſulâ. *Volumus autem* &c. quæ in Brevibus Apoſtolicis apponi conſuevit.

NE contra veterem, & probatam in Eccleſiâ conſuetudinem, Indulgentiarum numero nimis aucto, Eccleſiaſtica diſciplina enervetur, ſæpius in Brevibus apponi conſuevit clauſula illa: *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes literæ nullæ ſint:* Cum autem aliàs pro ejuſdem clauſulæ explicatione ſupplicatum fuerit, Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita declaravit, *ea nullatenus comprehendi Altaria privilegiata pro Defunctis*, neque

neque Indulgentias, aut certo Personnarum generi concessas ut Confratenitatibus, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasque hujusmodi recitantibus, de iis, qui Christiana Doctrina eruduntur, vel alios eruduunt, & qui Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque Stationum Urbis, & septem Altarium Indulgentias ad instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas neque demum, quæ pro unica vice conceduntur Cæterum si alia Indulgentia sive plenaria, sive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, seu Cappellam visitantibus eodem die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in literis Apostolicis mentio, has literas ob dictam clausulam esse prorsus irritas, ac nullas: ut expresè habetur in Decreto ab eadem Sacra Congregatione desuper edito die 23. Junii anni 1673. Postea tamen eidem Sacræ Congregationi delatum fuit, non paucos esse, qui prædictum Decretum non rectè intelligentes sibi suadent, quod si in aliquâ Ecclesia jam concessæ reperiantur Idulgentiæ, quæ pro feriis sextis mensis Martii dari solent, & postea in eadem Ecclesiâ alia Indulgentia concedatur cum appositione in Brevi supramemoratæ clausulæ: *Volumus autem &c.* Indulgentia, quæ postremo loco data est, valida sit. Qua propter, ut omnis in posterum erroris occasio auferatur, eadem Sacra Congregatio habita die 18. Aprilis anni 1716. declaravit Indulgentiam ultimo loco ita concessam ob sæpe dictam clausulam *Volumus autem &c.* literis Apostolicis insertam, esse nullam. Datum die 11. Septembris 1716.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

DECRETUM.

X. Quo Summarium quoddam Indulgentiarum Regularibus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Christianorum concessarum, ut continens quamplurimas falsas Indulgentias, prohibetur, ejusque usus interdicitur.

DEcet Sac. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositam Indulgentias aut revocatas, aut falsas, & apocryphas detegere, atque prohibere, ut quæ veræ sunt, à Fidelibus dignoscantur, & circumspectè prospicere, ut omnis in re tam sacra turpis quæstus prorsus eliminetur.

Maturè itaque perpenso Summario quodam Indulgentiarum, quod inscribitur: *Breve Sommario delle principali grazie, & Indulgenze concesse alii Religiosi dell'Ordini della Santissima Trinità della Redenzione de Schiavi Christiani: delle quali godono tutti quelli, che portano il Scapolario, ò vero Abitino, e visiteranno le Chiese, o Cappelle di detto Ordine, le quali Indulgenze sono state approvate da Sommi Pontefici, e di nuovo della fel. mem. di Papa Innocenzo XII., come si vede nella Bolla spedita l'anno* 1693. Et excipit *saranno privi di guadagnare le predette Ingenze:* impresso Neapolis anno 1716., in quo Summario, nedum quamplurimæ Indulgentiæ falsæ continentur, verùm etiam contra Apostolica Decreta pro earumdem Indulgentiarum assecutione pecuniæ solutio præscribitur. Sacra eadem Congregatio die 20. Decembris anni 1718. dicti Summarii Neapolis, ut supra impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illudque prohibuit sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. Insuper declarando, nullis aliis Indulgentiis frui posse Confraternitates erectas, seu imposterum erigendas sub titulo Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nisi illis, quæ habentur in Summario aliàs Romæ impresso, & ab eadem Sacra Congregatione approbato die 31. Januarii 1675.

Quibus per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua Sententiam Sacræ Congregationis approbavit. Datum die 22. *Decembris* 1718.

J. D. Card. Parraccianus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secretarius.

Die 24. *Decembris* 1718. *supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Montis Citatorii, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Bartholomæum Cammilli Apostolicum Cursorem.*

Joannes Triphelius Mag. Curs.

DECRETUM.

XI. Quo duo Summaria typis impressa, ut continentia nonnullas Indulgentias falsas, apocryphas, aut ab Apostolicâ Sede revocatas, prohibentur, eorumque usus interdicitur.

CUm Sacra Congregatio Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita, re maturè perpensâ, deprehenderit, nonnullas Indulgentias falsas apocryphas, aut ab Apostolicâ Sede revocatas contineri in Libello impresso per Carolum Josephum Astorinum anno 1712. Papiæ, & Laude Pompeja, cui titulus: *Compendio della Regola del Terz'Ordine de' Penitenti del Serafico Padre S. Francesco confermata da Papa Nicolo IV. nuovamente per commodità de Terziarii, e Terziarie, che oggidì si trovano sotto la protezione del medesimo Santo Padre, ristampato ad istanza delli Fratelli, & Sorelle di dett'Ordine, eretto nell' Insigne Chiesa di S. Francesco di questa Città di Lodi, con l'aggiunta d'una breve notezia dell' Indulgenze, favori, & privilegi più conspicui concessi da Sommi Pontefici à quest'Ordine:* & in quodam Summario Indulgentiarum, edito Ulysipone anno 1681. Typis Antonnii Craesbeech de Melo, quod inscribitur: *Summario do Thesauro Celestial das Indulgencias, gracas, faculdades, & privilegios concedidos por muytos Romanos Pontifices ao Sagrado, & Apostolico Hospital de Santo Spirito em Saxia da Cidade de Roma, confirmadas ora nuovamente pelo Sanctissimo Papa Gregorio XIII. noſso Senhor: as quaes se concedem pelos Commissarios, Collectores, Deputados por este Santo Officio, à todos, & cada hum dos Fieis Christaos, que quizerem entrarna Santissima Confraria da Casa, & Hospital de nossa Senhora da Victoria desta Citade de Lisboa:* Eadem Sacra Congregatio die 29. Januarii anni 1720. censuit, libellum supra enunciatum, prædictumque Summarium prohiberi, illorumque usum interdici debere sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis. Quam Sacræ Congregationis Sententiam per me Secretarium Sanctissimo D. N. relatam Sanctitas Sua approbavit die 31. ejusdem mensis. Datum 14. Februarii 1720.

J. D. Card. Parraccianus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secretariis.

Die

Die, menſe, & anno, quibus ſupra ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romolatium Apoſtolicum Curſorem.

Jo. del Rè Mag. Curſ.

DECRETUM.

XII. Quo ſtatuitur, ut pro aggregationibus Archiconfraternitatibus Almæ Urbis, ſeù potiùs pro illarum expenſis nihil ultra unum ſcutum aureum recipi valeat.

AD tollendos nonnullos abuſus, qui in expediendis literis patentibus aggregationum Archiconfraternitatibus Almæ Urbis retroactis temporibus irrepſerant Sacra Congregatio Indulgentiarum Decreto edito die 6. Martii 1608. approbante ſan. mem. Paulo V. ſtatuit, atque decrevit, ut pro expeditione prædictarum literarum aggregationum, ſeu potiùs pro expenſis deſuper faciendis, nempe pro pergamena, ſcriptura, ſigillo, capſulis, cordulis, cera, Secretarii, Notariique labore, vel mercede, aliiſque omnibus quibuſcumque nihil omninò ultra ſcutum unum aureum pro ſingula aggregatione, inſtitutione, vel confirmatione quovis prætextu, aut colore etiam meræ eleemoſynæ exigi, aut recipi valeat, ſub pœna ipſo facto incurrenda nullitati aggregationis omniumque Indulgentiarum, & ſpiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, cum privatione etiam facultatis aggregandi, & privatione pariter Officiorum, & inhabilitate ad eadem Officia in poſterùm obtinenda pro Miniſtris, Superioribus, Officialibus, aliiſque contra prædictum Decretum facere præſumentibus; quæ à nullo alio, niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente remitti valeat, aliiſque etiam ſub gravioribus pœnis arbitrio ejuſdem Romani Pontificis pro tempore exiſtentis imponendis. Ne autem longo temporis decurſu prædicti Decreti oblivio induci, ac denuo abuſus irrepere poſſint, Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſita habita die 9. Aprilis 1720. decrevit, atque mandavit ſingulis Ordinibus, Religionibus, Inſtitutis, & Archiconfraternitatibus, eorumque Superioribus, Miniſtris, atque Officialibus quocunque nomine nuncupatis, ut pro expediendis literis patentibus aggregationum, ſeu potius pro illarum expenſis quibuſcunque nihil ultra unum ſcutum aureùm ſub quovis prætextu, aut quæſito colore etiam à ſponte dantibus, aut titulo eleemoſynæ recipere audeant, aut recipi permittant ſub iiſdem pœnis contentis in ſupra memorato Decreto edito die 6. Martii 1608., ne Confraternitates aggregandæ ſumptibus nimium graventur, & ut omnes intelligant, cœleſtes Eccleſiæ Theſauros non quæſtus, aut alicujus lucri cauſa, ſed ab pietatem Fidelium excitandam ex Apoſtolicæ Sedis benignitate aperiri. Quibus per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi XI. relatis, Sanctitas Sua Decretum Sacræ Congregationis approbavit, & in omnibus executioni mandari juſſit. Datum die 10. Aprilis 1720.

J. D. Card. Paraccianus.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.

Die, menſe, & anno, quibus ſupra, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, ut moris eſt, per me Joſephum Badialem Apoſt. Curſ.

Jo. Triphellius Mag. Curſ.

DECRETUM MEMORABILE

Sacræ Congregationis Eminentiſs. & Reverendiſſ. DD. Cardinalium Ad Indicem Librorum, eorumque prohibitionem, expurgationem, & permiſſionem in univerſa Chriſtiana Republica à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum.

DECRETUM

I. Sacræ Indicis Congregationis Decreto damnati, & prohibiti fuerunt infraſcripti Libri ubicunque, & quocunque idiomate impreſſi, imprimendive; Nemo cujuſcunque gradus, & conditionis eos impoſterum vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, Inquiſitoribus, ſeu Locorum Ordinariis à præſentis Decreti notitiâ tradat, ſub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis.

LIBRI SUNT,

ACtorum Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur, Supplementa. Tomus IV. Lipſia MDCCXI.

La Coſcienza illuminata dalla Theologia di San Tomaſo d'Aquino, riſtretta, e volgarizzata dal Conte Gio: Battiſta Comazzi. In Colonia. 1711.

Diſputatio perjucunda, qua Anonymus probare nititur Mulieres homines non eſſe: cui oppoſita eſt Simoni Gedicci Sacroſ. Theologiæ Doctoris Defenſio ſexus muliebris, quâ ſingula Anonymi argumenta, diſtinctis Theſibus propoſita, viriliter enervantur. Editio noviſſima. Hagæ Comitis CIↃIↃCXLIV.

Divine viſion, & Relation des trois Etats, l'Eccleſiaſtique, le Politique, & l'Oeconomique: laquelle Moi Jean Engelbert, de Bronſvvic, ai vue de mes yeux, & veillant, étant à Vvinſem, au païs de Lunebourg l'an 1625. Ecrite pour une ſeconde fois à Embden l'an 1640. par l'Auteur même en Allemand, & traduite en François pour l'édification &c. à Amſterdam CIↃIↃCLXXX.

De Fabulâ Equeſtris Ordinis Conſtantiniani Scipionis Maffeii Marchionis Epiſtola; Tiguri 1712.

Hiſtoire du Regne de Louïs XIII. Roy de France, & de Navarre &c. Par M. Michel le Vaſſor. Second. Edition revuë, & corrigée à Amſterdam Tome premier MDCC. Second. MDCCII. Troiſième MDCCIV.

Juriſprudentia Eccleſiaſtica, ſeu Conſiſtorialis Rerum, & Quæſtionum &c. Definitiones ſuccinctas, Jure Divino, Canonico, & Civili, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Eccleſiaſticis probatas, Reſcriptis, Decretis, & Reſponſis Electoralibus corrobatas exhibens. Libr. III., Autore Benedicto Carpzou I. C. Conſiliario &c. Hanoviæ MDCLII.

Liturgia, ſeu Liber precum communium, & adminiſtrationis Sacramentorum, aliorumque Rituum, atque Cœremoniarum Eccleſiæ juxtà uſum Eccleſiæ Anglicanæ &c. Londini MDCLXXXI.

De non ſperandâ novâ Monarchia Dialogus. Ratisbonæ An. Ch. 1681.

Sacræ Theologiæ Summa Joannis Duns Scoti Doctoris Subtiliſſimi, & Commentaria &c. Magiſtro Angelo Uulpes à Monte Piloſo Ordin. Minorum Conventualium Authore &c. Tomus Secundus Partis Secundæ. Neapoli 1633.

Salomon, & Marcolphus Juſtiniano Gregoriani; hoc eſt, ſapida, ac inſipida, ſana, atque inſana &c. Autore 4. X. 4. Ego enim vitam meam non tàm verbis aliorum, quàm propriis meis factis ſtudeo illuſtrare. Gala &c. Francofurti, & Dreſdæ. 1698.

In quorum fidem manu, & Sigillo Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Sancti Clementis ſupradictæ Sacræ Congregationis Præfecti Præſens Decretum ſignatum, & munitum fuit. Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali die 15. *Maji* 1714.

Fr. Thomas Maria Ordinis Prædic. Card. S. Clementis Præfectus.

Fr. Auguſtinus Pipia Ordinis Prædicatorum Sac. Congreg. Secr.

Die 18. *Maji* 1714. *ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Joſephum Batialem Apoſtolicum Curſorem.*

Sebaſtianus Vaſellus Magiſter Curſ.

EPISTOLÆ, ET DECRETA

Memorabilia Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Super Diſciplina Regulari Deputatorum.

Juxtà temporis ſeriem diſpoſita.

EPISTOLA.

I. Encyclica ad univerſos Italiæ, Inſularumque adjacentium Ordinarios juſſu Summi Pontificis conſcripta, qua ipſis diſtrictè injungitur, ut vitam, mores, & diſciplinam Regularium in parvis Conventibus degentium diligentè inquirant, inobſervantes corrigant, ac ubi reſipiſcentiæ ſpes non extet, eos Sacræ Congregationi denuncient.

PErvenuta la notizia à Noſtro Signore, che i Superiori delle Religioni ſogliono per ordinario collocare di ſtanza ne' Conventi più piccoli, e ſpecialmente fuori di mano, li ſoggetti meno oſſervanti delle loro Regole, e che queſti, per la licenza del luogo, divenuti più liberi, in vece di edificare, diſtruggono la Caſa del Signore, Sua Santità per la premura particolare, che altamente nudriſce, che in ogni luogo ſi mantenga, e ſi accreſca ſempre più lo ſplendore delle Religioni, e ſi ſtabiliſca in eſſe l'eſatta oſſervanza Regolare, à tenore reſpettivamente delle loro Coſtituzioni, ſi è moſſa ad ordinare, che per via di queſta Sagra Congregazione ſopra la Diſciplina Regolare s'ingiunga ſtrettamente à V. S., come ſi fà colla preſente lettera, pech'ella, uſando il ſuo zelo, invigili attentamente, che Religioſi dimoranti pro tempore ne' ſudetti Conventi dentro, e fuori di coteſta Città, e Dioceſi oſſervino eſattamente quanto devono al Signore in corriſpondenza allo ſtato, à cui ſono ſtati chiamati, e in virtù de' Voti da eſſi fatti ſolennemente; onde ella doverà paternamente ammonirli della mente di Sua Beatitudine, e della ſteſſa Sagra Congregazione, e in caſo di traſgreſſione correggerli ſeriamente ſecondo la diſpoſitione del Decreto: *Ut in parvis*, emanato d'ordine della ſanta memoria d'Innocenzo X. li 10. Febraro 1654., e quando non ſi ſcorga in eſſi ſegno alcuno di reſipiſcenza, darne ſubito parte alla Sagra Congregazione, perche poſſa la medeſima opportunamente provedere. Si ſerva pertanto Ella di quel zelo, che le ſomminiſtra la cauſa, e di quegli eccitamenti, che le detta l'onore di Dio, pregandole dal Cielo vere felicità. Roma 26. Gennaro 1607.

G. R. Card. Imperiali Prefetto.

F. de Vico Segretario.

DECRETUM.

II. Quo diſpoſita, atque ſancita à P. V. Commiſſario Generali Ordinis Minor. Obſer. Reformat. S. Franciſci pro Conventibus Receſſus, ſeu Recollectionis nuncupatis confirmantur.

SAcra Congregatio ſuper Diſciplinâ Regulari, expenſo tenore Epiſtolæ circularis V. Commiſſarii Generalis Min. Obſervantium Reformatorum Sancti Franciſci datæ die 9. Januarii 1707., in qua ſub num. 7., ubi de Conventibus Receſſus, ſeu Recollectionis agitur, hæc habentur: *E in detto Convento, ò Conventi, ne quali doverò attenderſi al ſolo ſpirito, divozione, & orazione, non vi potrà eſſere ſtudio, ne Lettori, ò altro Religioſo eſente da qualunque atto commune.* Et maturè perpenſis omnibus, & ſingulis deductis tam à dicto Vice-Commiſſario Generali, & Procuratore Generali Strictioris Obſervantiæ Sancti Franciſci ex una, quàm à Patribus habitantibus in Conventibus Receſſus Provinciarum Reformatarum Marchiæ, & Bononiæ Partibus ex altera, prò ſtabilitate Conventuum Receſſus, ſivè Recollectionis cum peculiaribus legibus reſcripſit: Executioni mandetur in omnibus Provinciis prædicta Epiſtola Circularis Vice Commiſſarii Generalis ſub die nonâ Januarii 1707. Et tam Superiores Generales, quàm Provinciales omninò provideant Conventus Recollectionis; aliàs Sacra Congregatio providebit. Dat. Romæ hac die 24. Martii 1708.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

MANDATUM.

III. Procuratoribus Generalibus omnium Ordinum Regularium injunctum, ut per Encyclicam Epiſtolam Miniſtros Provinciales ſingularum Provinciarum Italiæ, Inſularumque adjacentium admoneant, ut per idoneum Virum regularem ſingulis diebus Dominicis in quolibet Conventu Profeſſis Laicis, ac præſertim quæſtuatoribus Doctrinam Chriſtianam, Cathechiſmum Romanum, & aliquod Regulæ punctum explicari curent.

IN vigore della preſente s'incarica ſeriamente al Padre Procuratore Generale &c. di ſcrivere una Lettera circolare à tutti li Provinciale delle Provincie d'Italie, ed Iſole adjacenti, con

ordinar loro in coerenza della mente espressa della Sagra Congregazione sopra la Disciplina Regolare, che in ciaschedun Convento della medesima si spieghi ogni Domenica da un Padre, che dai Superiori Locali rispettivamente sarà giudicato à proposito, la Dottrina Christiana, Catechismo Romano, e qualche punto di Regola ai Religiosi professi nello stato Laicale, e particolarmente ai Questuanti, con premere fervorosamente intorno à tutto ciò, che riguarda i doveri, & oblighi precisi, e proprii della Vita Religiosa, che professano. Si starà intanto attendendo di sentire in scriptis da V. P., che così si eseguirà speditamente senz' altro &c. di Casa 13. Novembre 1709.

F. de Vico Segretario.

DECRETUM.

IV. De instituendis in unaquaque Provincia strictioris Observantiæ Sancti Francisci Conventibus spiritualis recessus pro Religiosis ferventioribus ad præscriptum Epistolæ Circularis P. à Monte Bufo Vice-Commissarii, aliàs à Sacra Congregatione confirmatæ.

CUm ad aures Sacræ Congregationis super Disciplinâ Regulari pervenerit, & multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum, in multis Provinciis strictioris Observantiæ S. Francisci per Italias, & Insulas adjacentes, Epistolam Circularem Vice Commissarii Generalis à Monte Bufo, datam 9. Januarii 1707. & ab hac Sacrâ Congregatione confirmatam 24. Martii 1708. plenum non sortiri effectum quoad demandatos spirituali Recessus Conventus: Volens propterea Sacra Congregatio, ne talis inobservantia in Regularis Disciplinæ detrimentum diutiùs protrahatur, opportunè, & efficaciter providere, re maturè discussa, auditisque pluries tum voce, tum scripto, Superioribus Ordinis, referente Eminentissimo Fabrono rescripsit: Pro omnimodâ observantia præfatæ Epistolæ Circularis Vice-Commissarii Generalis à Monte Bufo confirmatæ, ut supra, à Sacra Congregatione, de instituendis in unaquaque Provincia supradictis Conventibus spiritualis Recessus pro Religiosis ferventioribus, & non concedatur licentia admittendi ad habitum, & professionem, nisi in Provinciis, in quibus Sacræ Congregationi constiterit, præfatos Conventus re ipsa institutos esse ac sedulò, & cum effectu à Superioribus promoveri. Et interim detur à Superioribus Generalibus notula, ubi sint respectivè instituti dicti Conventus. Romæ 10. Decembris 1714.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM.

V. Consimile præcedenti pro Minoribus Observantibus S. Francisci.

CUm ad aures Sacræ Congregationis super Disciplinâ Regulari pervenerit, & multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum in multis Provinciis Minorum de Observantiâ Sancti Francisci per Italias, & Insulas adjacentes, Breve sa. me. Innocentii XI., quod incipit: *Militantis Ecclesiæ* &c. editum die 22. Novembris 1679. plenum non sortiri effectum quoad demandatos Recollectionum Conventus: Volens propterea eadem Sacra Congregatio, ne talis in observantia in Regularis Disciplinæ detrimentum diutiùs protrahatur, opportunè & efficaciter providere, re maturè discussa, auditisque pluries tum voce, tum scriptis Superioribus Ordinis, referente Eminentissimo Fabrono, censuit: Supersederi pro nunc in expeditione novi Brevis; sed omninò servandam esse dispositionem Brevis sanmem. Innocentii XI. 22. Novembris 1679. de non concedenda licentiâ admittendi ad habitum, & ad professionem in illis Provinciis, in quibus plenè non constiterit Sacræ Congregationi supradictos Recollectionum Conventus institutos fuisse juxta formam in eodem Brevi præscriptam. Et interim detur à Superioribus Generalibus nota, ubi respectivè sunt Recollectionum Coventus. Romæ 10. Decembris 1714.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM.

VI. Quo Officium prioratus Conventus S. Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. V. declaratur incompatibile cum Curâ animarum ejusdem Ecclesiæ, ac prætereà statuitur, ut prædicta duo munia, tamquam incompatibilia, in omnibus Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, & instituti seorsim, distinctisque personis demandentur.

MAturè discussa in Sacrâ Congregatione super Disciplica Regulari habitâ sub die 28. Maji currentis anni 1715. Causâ Incompatibilitatis Prioratus Conventus Sancti Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. V., & Curæ Animarum ejusdem Ecclesiæ, unitim in persona Patris Hieronymi Allegri, Eminentissimi Patres, auditis Partibus, unanimiter censuerunt, prædicta duo munia esse inter se incompatibilia, & insuper nominationem præfati Patris Allegri in Priorem dicti Conventus esse nullam: Mandantes insimul, Sanctissimo Domino Nostro approbante, ut enunciata duo Officia seorsim provideantur in omnibus, & singulis Conventibus cuscumque Ordinis, Societatis, aut instituti, quibus Cura Animarum incumbit; aut incumbere contigerit. Et ita perpetuò, & inviolabilites observetur sub pœnis arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM.

VII. Præscribens modum, quo Laici, seu conversi in Religione Minorum Conventualium Sancti Francisci recipi, ac admitti debeant.

CUm ex parte Ministrorum Provincialium Provinciarum Italiæ Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium humillimæ preces exhibitæ fuerint Sacræ Congregationi super Disciplina Regularium, quatenus eadem Sacra Congregatio omni meliori modo, speciali suo Decreto validare, roborare, ac confirmare dignaretur determinationem quandam per

ſecreta ſuffragia approbatam in Congregatione Generali ejuſdem Ordinis Romæ habita in Conventu SS. XII. Apoſtolorum diebus 24. 25. *&* 26. *menſis Maji currentis anni* 1716. , *circa Laicos , ſeu Converſos in poſterùm ad probationis annum in præfata Religione recipiendos, prout latiùs continetur in Regeſtro Decretorum exiſten. in Secretaria ejuſdem Sacræ Congregationis.*

Sacra Congregatio ſuper Diſciplinâ Regulari , audito ſuper expoſitis Procuratore Generali Ordinis Minorum Conventualium , annuente Sanctiſſimo Domino Noſtro , benignè cenſuit , enunciatam determinationem fore validandam , roborandam , ac confirmandam , prout præſentis Decreti tenore , validat , roborat , & confirmat ; Ita tamen , ut impoſterùm nulli liceat ex Superioribus præfati Ordinis , pro tempore exiſtentibus , Laicos , ſivè Converſos , ad probationis annum admittere , niſi prius (expleta jam eorundem ætate viginti annorum , juxtà Apoſtolicas Sanctiones) per integrum poſtmodum triennium ad minùs in aliquibus prædicti Ordinis Conventibus in ſimplici Oblatorum , ſivè Tertiariorum gradu , pro opportuno experimento , commorati fuerint , ibidemque Religiosè vixerint , ſub pœna ipſius Ordinis Superioribus , ſi ſecus fecerint privationis Officiorum ipſo facto incurrendæ , abſque aliâ declaratione , vociſque activæ , & paſſivæ , nec non ſub aliis pœnis , arbitrio ejuſdem Sac. Congregationis *infligendis*. Conſtitutionibus Ordinis , cæteriſque contrariis qui buſcumque non obſtantibus. Romæ 22. Septembris 1716.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius

PROCURATORIBUS.

Generalibus Ordinum Regularium renovatur prohibitio aliàs injuncta non procedendi ad fundationem novorum Conventuum , & Monaſteriorum intra Italiam , ac Inſulas adjacentes , niſi priùs Conventus , vel Monaſterii fundandi redituum ſufficientia , & ſubſiſtentia coram Sacrâ Congregatione juſtificata fuerit.

LA Sagra Congregazione ſopra la Diſciplina Regolare deſtinata dalla ſa.me.d'Innoc. XII. à ſtabilire ſpecialmente l'oſſervanza della Vita Commune , ed à riconoſcere la ſufficienza , e ſuſſiſtenza dell'entrate per eſſa neceſſarie nelle fondazioni , che aveſſero avute à farſi di nuovo di Monaſterii , e Conventi dentro l'Italia , ed Iſole adjacenti , vedendo , che non viene in queſta parte tanto eſſenziale in verun conto adempita la mente di sì zelante Pontefice , non obſtanti le pene di privazioni di voce attiva , e paſſiva , ſoſpenſione dalle cariche , e dignità , e perpetua inabilità adeſſe a' Superiori pro tempore , a' quali appartiene ſimile incumbenza ; e venuta in determinazione di ridurre à memoria di tutti i Superiori Regolari l'obbligo preciſo , che loro ne corre , avvertendo di non tentare in avvenire fondazione alcuna ſenza prima giuſtificare , come ſopra , la ſufficienza , e ſuſſiſtenza dell'entrate avanti la ſteſſa Sagra Congregazione ſotto le pene enunciate , ed altre ad arbitrio della medeſima.

Monſig. de Vico Segretario , che ne avanza la notizia al P. Procuratore Generale &c, per la dovuta eſecuzione in ciò , che concerne l'intereſſe della ſua Religione , ſtarà attendendo il riſcontro inſcriptis della recevuta del preſente Vigliet-to , unitamente colla nota dell'ultima fondazione , ſpecificando il giorno , meſe , & anno , in che ſegui , e di cuore lo riveriſce. Di Caſa queſto dì 23. Febbrajo 1717.

DECRETUM.

De qualitate Veſtis geſtandæ ab iis , qui in Ordine Minorum Conventualium Sancti Franciſci ad Oblatorum gradum admittuntur. IX.

Eminentiſſimi , e Reverendiſſimi Signori.

ALcuni Religioſi dell'Ordine de' Minori Conventuali Servi umiliſſ. dell' EE. VV. oſſequioſamente rappreſentano , qualmente eſſendo ſtato publicato nella Religione medema il provido Decreto emanato da coteſta Sag. Congregatione ſotto li 22. Settembre dell' anno proſſimo ſcaduto 1716. , in virtù del quale vien proibito ſotto rigoroſe pene , che in avvenire non poſſano i Laici , ò ſian Converſi eſſer ammeſſi all' anno della lor probazione , ſe prima dalla Religione in qualche Convento non ſaranno ſtati ſperimentati nella loro vocazione , probità , ed abilità almeno per un intiero triennio in ſemplice grado di Oblati , ò ſia di Terziarii , come più chiaramente ſi raccoglie dal ſudetto Decreto , è ſtato ſuſſeguentemente da qualche Religioſo promoſſo il dubbio , ſe i detti Oblati , che in avvenire ſaranno ammeſſi all'Oblatiſmo debbano eſſere veſtiti intieramente dell'Abito dell' Ordine , cioè con tonaca , e capuccio , come per lo più ſi praticava nella Religione , maſſime ne' tempi già ſcorſi , e come ſembra preſcrivano *le Sac. Conſtit. Urbanæ in Caput* 11. *Regulæ tit.* 23. *num.* 2. *de receptione Oblatorum* colle ſequenti parole , *Veſtem brevem , & religiose accomodatam geſtent* , ed anche come ſi pratica da tant' altre Religioni , ſpecialmente de Monaci , ſiccome da Padri Minori Oſſervanti , e da altri. Gli Oratori per tanto ſupplicano riverentemente l'EE. VV. voler degnarſi di ſtabilire , ciò che preciſamente dovrà in avvenire praticarſi univerſalmente nelle Religione ſul dubbio accennato , affinche non ne naſcano moſtruoſe deformità , il che ſuccederebbe , ſe , diviſi i pareri , fuſſero gli Oblati veſtiti chi col capuccio , chi ſenza , ingiungendo a' Superiori in caſo di traſgreſſione quelle pene , che d'all' EE. VV. ſaranno giudicate più proprie. Che della gratia &c. Quam Deus &c.

Sacra Congregatio ſuper Diſciplina Regulari , audito Procuratore Generali Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci , ſtatuit , atque decernit , ut omnes , & ſinguli in eodem Ordine ad ſimplicem Oblatorum gradum in poſterum admittendi omninò veſtem brevem ſine caputio habeant , eamdemque veſtem brevem ſine caputio geſtent , & geſtare debeant , donec , & quouſque in Oblatiſmo perſeveraverint , prout præſentis Decreti tenore exequi mandat , ac præcipit Superioribus dicti Ordinis , ſub pœnis , ſi ſecus fecerint , vel fieri permiſerint , privationis Officiorum ipſo facto. incurrendæ abſque alia declaratione , vociſque activæ , & paſſivæ , nec non ſub aliis arbitrio ipſius Sacræ Congregationis infligendis : Conſtitutionibus Ordinis , cæteriſque contrariis quibuſcumque minimè obſtantibus Datum Romæ hac die 23. *Februarii* 1717.

J. R. Card. Imperialis Præf.

F. de Vico Secr.

MANDATA, EDICTA,

& Decreta Memorabilia Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ.

Juxtà temporis seriem dispositа.

MANDATUM PONTIFICIUM,

I. Quo universis Basilicarum, aliarumque Urbis Ecclesiarum Vicariis, Dignitatibus, Canonocis, Beneficiatis, Clericis Beneficiatis, Cappellanis, aliisque Chori servitio quomodolibet addictis interdicitur, ne adscititiis capillamentis vulgò *Perucche* Choro, nec Capitularibus Processionibus, aut aliis Ecclesiasticis, functionibus intersint, & qui secus fecerint, pro absentibus habeantur.

Ex Audientia Sanctissimi.

Considerando la Santità di Nostro Signore Papa Clemente XI. quello, che da Sac. Canoni, dal Sacro Concilio di Trento, e da altre Ordinazioni Apostoliche si prescrive sopra la moderazione, e congrua Tonsura de' Capelli delle persone Ecclesiastiche, e riconoscendosi dalla Santità Sua quanto ripugni alla dispositione de medesimi Sac. Canoni, e sia disconvenevole, & indecente à chiunque professa stato Clericale usare Capelliere finte, dette volgarmente Perucche, e specialmente à quelli, che essendo obligati al servizio delle Chiese, devono assistere à i divini Officii nel Coro; d'ordine espresso datoci à bocca, comanda, che in avvenire, principiando dal primo giorno di Agosto dell'anno corrente, niuno, che in qualsivoglia Basilica, ò Chiesa di Roma goda Vicariati, Dignità, Canonicati, Beneficiati, Chiericati Beneficiati, Mansionariati, Cappellanie perpetue, ò manuali, Prebende, & ogn'altro offizio, che con qualunque titolo habbia annesso il servizio della Chiesa, e l'assistenza del Coro, v'intervenza con Capelli finti, girelli posticci, ò Perucche, benche queste fossero liscie, corte, e moderate, ò con berrettini d'artificio straordinario, & insolito à praticarsi, e la Santità Sua espressamente comanda, che ciascheduno de' sopranominati, che ardisse d'intervenire & assistere alle Messe, Divini Offizii, Processioni, & in ogni altra funzione Ecclesiastica con Capelli finti, girelli, Perucche, ò vero con berrettini d'artificio straordinario, & insolito à praticarsi, come sopra, terminato il mese di Luglio prossimo venturo sia tenuto, e reputato come assente, ò che dalli Puntatori si punti, come se non fosse in alcun modo intervenuto, e presente, lasciando nel suo vigore tutte le Ordinazioni, proibizioni, e pene respettivamente altre volte decretate contro gl'Ecclesiastici, che nudriscono chiome eccedenti e che usassero Capelli finti, e Perucche; & affinche il presente Ordine sia inviolabilmente osservato, vuole la Santità Sua, che da' Signori Cardinali Arcipreti, Titolari, e Diaconi, & altri Superiori Ecclesiastici si publichi nelle loro Basiliche, e Chiese respettivamente, e che un'essemplare del medesimo resti sempre affisso in luogo visibile, nelle Sagrestie di ciascheduna delle sopradette Basiliche, e Chiese sotto pena di scudi dieci d'oro da paharsi da Sagrestani maggiori dell'istesse, da applicarsi la metà all'Accusatore, e l'altra metà à Luoghi Pii ad arbitrio della Santità Sua. Questo di 4. Maggio 1701.

Gioseppe Domenico de Totis Segretario della Sac. Visita Apostolica.

DECRETA.

Varia, & Instructio pro accurato perpetuorum onerum Missarum adimplemento. II.

Affinche gli obblighi delle Messe perpetue, ò à tempo, ò manuali, che dalla providenza de' Fedeli defonti prima di passare da questa all'altra vita, ò dalla carità de loro Congionti, & Amici, ovvero dalla divozione di pii Benefattori sono stabiliti con assegnamenti di certi capitali, ò con limosine quotidiane per la celebrazione di esse, vengano puntualmente adempiti da quelli, che avendo ricevuti gli emolumenti, sono à ciò tenuti, e le povere Anime purganti ricevano ne' debiti tempi i dovuti suffragii, la Santità di Nostro Signore Papa Clemente XI. inerendò à i Decreti sopra la celebratione delle Messe emanati in tempo delle SS. MM. di Urbano VIII. e d'Innocenzo XII. suoi Predecessori, e rinovandone la puntuale osservanza sotto l'istesse pene in dette Costitutioni contenute, per comandamento espresso datoci à bocca ordina, e comanda à tutti i Superiori, Sopraintendenti, Deputati, Sagrestani, Cappellani, & à qualunque altra persona, che con qualsisia titolo, & ufficio presiede, al governo, regolamento, & amministrazione delle Chiese Patriarcali Basiliche, Collegiate, Parocchiali, Monasteri, e Conventi de' Regolari dell'uno, e l'altro sesso, Conservatorii, Congregationi, Ospedali, Confraternite laicali, e d'ogn'altra Chiesa, Cappella, & Oratorio di Roma, che tanto nel ricevere le limosine delle Messe, quanto nel sodisfare à gli oblighi nella celebrazione delle medesime sia inviolabilmente, & intieramente osservata, e praticata la seguente Istruzzione, sotto pena à quelli, che ò in tutto, ò in parte la trasgrediranno della sospensione à Divinis, se sarranno Preti Secolari, e della privatione della voce attiva, e passiva, e delle Cariche, & Ufficii, se saranno Regolari, & anche d'altre pene pecuniarie, e respettivamente corporali ad arbitrio della Santità Sua.

Istruzzione per le Messe perpetue.

Si formerà un Catalogo, nel quale si descriveranno distintamente tutti gl'oblighi di Messe Cantate, e piane, sì perpetui, come ad tempus, da che provengono, se per Testamento, ò per Donatione, ò in altra forma, con li fondi che sono stati lasciati per Dote di ciaschedun'obligo, e gl'Altari, in cui si devono sodisfare.

Il detto Catalogo doveranno esibirlo poi al Signor Angelo Stantelli Computista Deputato da Sua Santità, che gli sarà fatto l'esibito, e gli sara reso.

Doveranno in oltre tenere la Tabella distinta di tutti detti oblighi con la espressione del nome del Benefattore, & indicatione del Testamento, ò altro Istromento, che, vi sia, cioè per quali atti, e di che tempo, e respartitamente con li suoi Colonelli distinti delle Messe Cantate, Messe quotidiane, Messe d'ogni mese, Messe d'ogni settimana, ò altri oblighi temporanei, che si sono lasciati che si celebrino con l'espressione dell'Altare, in cui si doveranno celebrare &c. Qual Tabella doverà esser riconosciuta, e sottoscritta da Monsignore Segretario della Sagra Visita Apostolica pro tempore, e Computista Deputato, e si debba tenere affissa nella Sagrestia in luogo patente, come dispongono le Costitutioni Apostoliche, e che da essa non si possa levare, nè aggiongere partita alcuna senza ritornare à riconoscersi, e sottoscriversi da medesimi, e succedendo infra

Annum qualche lascita si debba portare tanto il Catalogo, quanto detta Tabella per potersi notare.

Inoltre doveranno tenere due Libri, uno per l'oblighi perpetui, e l'altro per le Messe avventitie, come dispongono le medesime Costituzioni Apostoliche, e questi doveranno regolarsi nel mado, come si dirà appresso.

Il Libro delle Messe perpetue si doverà intavolare Anno per Anno, e doverà esser finito d'intavolare dentro il mese di Ottobre di ciaschedun' Anno per l'Anno avvenire, e nelli mesi di Novembre, e Decembre esibirli al Computista deputato da Nostro Signore, acciò riconosca, se sono ben intavolati, e li contrasegni, e faccia sottoscrivere à Monsignore Segretario della Sagra Visita Apostolica pro tempore, e li Libri vecchi in cui appariranno notate le celebrationi dell'Anno antecedente, si doveranno parimente esibire al medesimo dentro il mese di Gennaro susseguente all'Anno finito, acciò si riconosca, se sia adempito à tutti l'oblighi, e non essendo adempito in qualche cosa si deduca la Causa, acciò si possano pigliare quell'espedienti, che pareranno più proprii.

Il modo d'intavolare detti Libri sarà il seguente, cioè

Si debba tenere un Libro bislungo per le Messe perpetue, nel quale in prima carta si devono descrivere partita per partita gl'oblighi delle Messe perpetue, che vi sono, cioè.

	Messe Cantate	Messe basse
Per l'Anima di Pietro N. N. una Messa quotidiana bassa, & un'Anniversario il giorno della sua Morte, che fù li... come in Tabella num. primo	num. 1.	num. 365.
Per l'Annima di Paolo N. N. una Messa il mese bassa, come in Tabella num. 2.	num.	num. 12.
Per lascita di Francesco N. N. una Messa ogni Venerdi, come in Tabella	num. 3.	num. 52.
Per lascita di Gio. N. N. Messe 50. l'Anno, comme in Tabella num. 4.	num.	num. 50.
	num. 1.	num. 479.

e cosi di altre, che potessero esservi, andar notando sotto detto rigo ultimo, e chiudere poi la somma dell'intiero delle Messe, che si doveranno celebrare in tutto l'anno, e il medesimo se vi sono altri Anniversarii con la medesima dichiarazione, e succedendo poi infra annum qualche altra lascita aggiongerla, come sopra.

Si noterà poi nella carta susseguente à correlatione della nota sudetta giornata per giornata, cioè nel mezzo adì primo Gennaro, & in margine dire num. 1. Messa per l'Anima di N. N. e se sono quattro Messe quotidiane di diversi, notare sotto il medesimo giorno, quattro partite distinte per l'obligo, che vi è, e cosi andar seguitando, & in quella giornata che cade il Venerdì, Sabbato, ò altro giorno fisso, che vi sia qualche dispositione, aggiongere la partita in quel giorno distintamente, che in fin d'anno il numero delle Messe tirato in margine verà à corrispondere con la prima nota fatta in primo foglio del detto Libro del essempio.

Adì primo Gennaro 1705. Giovedì.

Num. 1. Per l'Anima di Pietro N. N.
Num. 1. Per l'Anima di Paolo N. N.

2. detto Venerdì

Num. 1. Per l'Anima di Pietro N. N.
Num. 1. Per l'Anima di Francesco N. N.
Num. 1. Per l'Anima di Gio. N. N.

3. detto Sabbato.

Num. 1. Per l'Anima di Pietro N. N.

In oltre debba ogni Sacerdote, tanto Cappellano fisso della Messa quotidiana, quanto ogn'altro, ch'haverà cura di celebrare per l'oblighi infra settimana, celebrato, che haverà la sua Messa, notarci dirimpetto alla sua partita dell'obligo per il quale hà celebrato, N.N. celebravi, & in questa forma resteranno adempite le dispositioni nel modo, che sono state lasciate, & apparirà chiaramente la celebratione.

Per ovviare à qualche disordine, che potesse succedere in quelle Chiese, dove vi è maggior numero di Messe per olighi fissi da celebrarsi, dove si può dar il caso, ch'escano più Sacerdoti à celebrare nel medesimo tempo, & uno ritornando prima metta il *celebravi* in quella partita, che havesse adempito un'altro; Si ordina che il Sacerdote quando và in Sagrestia per prepararsi ricorra al libro, e riconosca la sua partita vacante, dove deve metter il *celebravi*, per chi la deve dire, e metta subito in suo Nome, & Cognome, e celebrato che haverà, aggiunti al detto nome, *celebravi*, che in questa forma ogn'uno che arriverà, che non vederà la partita contrasegnata, come sopra, saprà quella doverà celebrare, e non ne succederà confusione.

In caso poi, che in quel giorno, che si deve celebrare per adempimento dell'obligo: fusse qualche Sacerdote accidentalmente impedito, onde in detto giorno non restasse celebrata la Messa, dovendosi rimetter doppo, noterà quello che celebrarà, N. N. celebravi sub die tali &c., perche senza detta dichiarazione non verrebbe à corrispondere alla giornata, che vi sarà il *celebravi*, come l'altre.

Per le Messe avventizie.

Si riterra solito libro, nel quale si notano l'Elemosine, che vengono portate da Benefattori. e queste si doveranno descrivere distintamente, se siano Votive, ò pro Defunctis, & il numero esprimerlo dentro la partita in lettera con tirarlo fuori per abbaco, come per essempio.

Messe due per Defonti	num. 2.
Messe trè per S. Antonio	num. 3.
Messe 4. per S. Francesco	num. 4.

Le Messe notate in detto libro si doveranno poi riportare in un'altro libro da tenersi in Sagrestia, nel quale si doverà notare Messa per Messa ad effeto, che il Sacerdote possa all'incontro mettere il *celebravi* nel modo, come si è detto nelle Messe perpetue, e se ne da la norma come appresso.

Messe una per Defonti	num. 1.
Messe una per Defonti	num. 1.
Messe una per S. Antonio	num. 1.
Messe una per S. Antonio	num. 1.
Messa una per S. Antonio	num. 1.
Messe una per S. Francesco	num. 1.
Messe una per S. Francesco	num. 1.
Messe una per S. Francesco	num. 1.
Messe una per S. Francesco	num. 1.

Quelle Messe, che non si saranno finite di celebrare in quell'anno, che si sono havute l'Elemosine, si doveranno riportare nell' anno susseguente, e notarle in prima partita con l'istesso ordine di sopra.

PRocuri per tanto ciascuno di dare pronta esecuzione à quanto si ordina per espresso coman-

damento di Sua Santità, altrimenti si procederà contro è Trasgressori rigorosamente alle pene di sopra comminate. Et perche, niuno, possa in qualsivoglia tempo allegare ignoranza di quanto nella sopra espressa Istruzzione si prescrive, si doverà in ciascheduna Sagrestia delle sopranominate Chiese, & Oratorii tenere continuamente affisso in luogo visibile un'essemplare del presente Editto, sotto pena in caso di contravenzione di scudi dieci d'oro da pagarsi irremissibilmente dal Sagrestano, se sarà Prete Secolare, e della privazione della carica, & inabilità à qualsivoglia Ufficio per cinque anni, se sarà Regolare. Dato il 1. Ottobre 1704.

Giuseppe Domenico de Totis Segretario della Sac. Visita Apost.

Nicolò Pignatelli Commiss. e Fiscale della Sac. Visita Apost.

Paolo Fatii Not. delle Sac. Congreg.

EDICTUM,

III. Pro notitiis Missarum onera respicientibus, quæ Secretariæ Sacræ Congregationis à Notariis, & aliis infra statutum tempus exhibendæ sunt.

UNa delle cure principali, che sin dal principio del suo Apostolico Ministero hà caggionata particolar sollecitudine nella santa mente di Nostro Sig. Papa Clemente XI. è sempre stata la premura, che restino adempiti gl'oblighi delle Messe, che con pia providenza i Fedeli hanno procurato, ò in vita, ò in morte di assicurarsi con l'impiego delle proprie facoltà per suffragio delle loro anime, ò de loro Congionti, Benefattori, ed Amici; e potendosi temere, che l'ommissioni, e le negligenze tavolta pratticate nella sodisfazione di detti oblighi, habbiano potuto provocare la Divina Giustitia, che non solo faccia provare à i Popoli le gravi percosse del suo flagello, ma anche maggiori sempre più ne minacci; Per tanto la Santità Sua per sottrare il suo Gregge vivente dalle calamità, che gli sovrastano in questa vita, e l'anime de Fedeli Defonti dall' atroicissime pene, che soffrono nell'atra per mancanza de i dovuti suffragii comandò con ordine datoci à bocca, che si publicasse un Instruzzione, in cui era prescritto à tutte le Chiese, e Luoghi Pii di Roma un modo, e metodo universale di formare, e descrivere le Tabelle, ed i Cataloghi degl'oblighi delle Messe, ed intavolare i libri, dove si deve notare l'effettiva celebrazione di ciascheduna Messa di mano dell'istesso Celebrante.

Ed havendo noi fin sotto il 1. Ottobre 1704. Per obedire alli commandamenti di Sua Santità fatta personalmente presentare la detta Instruzzione à i Ministri di tutte le Chiese, e Luoghi Pii di Roma, dalla pronta esecuzione, che hà havuto, e dalla commune osservanza della medesima per due anni già terminati, si è riconosciuto di quanto profitto sia stata per assicurare la piena sodisfazione degl'oblighi delle Messe, con indicibile consolatione, e quiete dell'animo di Sua Beatitudine.

Mà perche nel confronto, che di ordine parimenti della Santità Sua si và presentemente facendo di detti oblighi descritti nelle Tabelle con i Testamenti, ed altri documenti d'onde derivano, si è trovato in alcuni qualche difetto, ò mancanza ne i nomi de i Notari nel tempo, e nella quantità con pregiudizio de sudetti suffragii; Ed affinche in avvenire le Tabelle, che di nuovo si formeranno, ò le addizioni, che si faranno nella gie formate de nuovi oblighi, che giornalmente sopravengono, sempre appariscano fatte con maggior legalità, e sicurezza, e di loro in ogni tempo si possa havere una piena verificatione.

§. 5. Subindè autem defuncto Philppo III. Gregorius XV. Prædeceſſor etiam Noſter idem Regnum Siciliæ, & Hieruſalem cum tota Terra præfata citrà Pharum uſque ad confinia Terrarum Eccleſiæ Romanæ exceptâ Civitate Beneventanâ cum ejus Territorio, diſtrictu, & pertinentiis per ſe, ſeu ejus & Noſtros Prædeceſſores Romanos Pontifices diſtinctis, ac loco Pontis Curvi, ejuſque Territorio, quæ ſibi, & eidem Eccleſiæ ſpecialiter retinuit clar. mem. Philippo IV. etiam Hiſpaniarum Regi Catholico pro ſe, ſuiſque Succeſſoribus Aragoniæ Regibus tam maſculis, quam fœminis ex eo recta linea deſcendentibus, natis, & naſciturís, ac aliis perſonis in conceſſione utriuſque Julii, & Leonis, ac Clementis Prædeceſſorum hujuſmodi comprehenſis, & per eos vocatis in Feudum perpetuum pro ſolito annuo cenſu ſeptem mille ducatorum ſimilium, & unius Parafreni albi ſolvendo ut ſupra, & ſub conditionibus, modis, & formis, adjectionibus, promiſſionibus, clauſulis, cautelis, voluntatibus, & ordinationibus in Literis dictorum Julii II. & III. ac Clementis, quarum remiſſionem per Sedem Apoſtolicam factam fuiſſe non appareret; præſtitis tamen, prius eidem Gregorio Prædeceſſori, & Sedi, & Eccleſiæ prædictis nomine ipſius Philippi IV. Regis per quondam Franciſcum de la Cueva Ducem de Alburquerque, apud eum, & Sedem præfatam Oratorem, & Procuratorem ac mandatarium ſuum ſpecialem & per eumdem Gregorium admiſſâ obedientiâ, atque homagio, & juramento fidelitatis, ſub certa tunc expreſſa forma conceſſit, & elargitus fuit, ac Regnum hujuſmodi præfato Philippo IV. Regi modo, & forma præmiſſis infeudavit, prout in prædicti Gregorii XV. Prædeceſſoris ſub plumbo ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum V. Kalendas Decembris 1621. Sui Pontificatus Anno Primo expeditis Literis plenius continetur. Quæ omnia idem Philippus IV. Rex ſucceſſivè, per Bullam ſuam auream ſub datum Matriti V. Novembris 1622. manu ſua ſubſcriptam approbando & ampliando confeſſus fuit, & recognovit.

Carolo II. Hiſpaniarum Regi in minoribus conſtituto ab Alexandro Papa VII.

§. 6. Poſtremò verò dicto Philippo IV. Rege ab humanis exempto piæ mem. Alexander VII. Prædeceſſor itidem Noſter præfatum Regnum Siciliæ, & Hieruſalem cum tota Terra citrà Pharum uſque ad confinia Terrarum ejuſdem Eccleſiæ Romanæ, excepta prædicta Civitate Beneventana cum ejus Territorio, & diſtrictu, & pertinentiis per ſe, ſeu Romanos Pontifices diſtinctis, una cum Terra Pontis Curvi, ejuſque Territorio, quæ ſibi, & eidem Eccleſiæ ſpecialiter reſervavit cl. m. Carolo II. Hiſpaniarum Regi Catholico tunc in minori ætate conſtituto, pro ſe, ſuiſque Hæredibus, & Succeſſoribus Aragoniæ | Regibus tam maſculis quam fœminis ex eo recta linea deſcendentibus natis, & naſciturís, ac aliis perſonis in conceſſionibus utriuſque Julii, Leonis, Clementis, ac Gregorii Prædeceſſorum hujuſmodi conprehenſis, & per eos vocatis, in Feudum perpetuum pro ſolito annuo cenſu ſeptem mille ducatorum ſimilium, & unius Parafreni albi, ut præfertur, ſolvendo, & ſub conditionibus, modis, formis, adjectionibus, promiſſionibus, clauſulis, cautelis, & ordinationibus in Literis

utriusque Julii, Clementis, ac Gregorii, & concessione Leonis Prædecessorum hujusmodi contentis, quarum remissione per Sedem præfatam factam fuisse non appareret, concessit, & elargitus fuit, ac Regnum ipsum eidem Carolo Regi infeudavit, eumque de illo investivit; Et dictus Carolus Rex mediante cl. m. Marianna ab Austria Regina Hispaniarum ejus matre Tutrice, atque Gubernatrice per B. M. Fridericum, dum viveret, Tituli Sancti Petri ad vincula Cardinalem Sfortiam Procuratorem & mandatarium suum specialem eidem Alexandro Prædecessori, ac Sedi, & Ecclesiæ prædictis obedientiam, homagium, & juramentum fidelitatis præstitit, prout in ipsius Alexandri Prædecessoris Literis pariter sub plumbo apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1666. 13. Kalendas Junii Pontificatus sui Anno XII. emanatis uberius continetur. Quæ omnia idem Carolus II. Rex postmodùm tam per Suam Bullam auream sub datum Matriti 29. Martii 1667. à memorata Marianna Regina ejus Matre, Tutrice, ac Gubernatrice subscriptam, quam per aliam similem Bullam sub datum pariter Matriti 7. Aprilis 1676. propria ipsius Caroli Regis interim majoris ac sui juris effecti manu signatam approbando, & ampliando confessus fuit, & recognovit.

Clemens Papa XI. Carolo II. sine liberis defuncto ejusmodi investitura supersedit.

§. 7. Cum autem, sicut Deo placuit, jam tum ab anno millesimo septingentesimo dicto Carolo II. Rege sine liberis è vivis erepto, Europa fermè tota inde in partes divisa diuturno bello conflagraverit, ac felicis recordationis Clemens Papa XI. Prædecessor etiam Noster justis, & gravissimis causis adductus, infeudatione, atque investitura dicti Regni Siciliæ, & Hierusalem cum tota terra citrà Pharum concedenda, tametsi pluries oblato etiam censu præfato ad id requisitus fuisset inter sævientis belli ejusmodi motus supersedendum esse duxerit, salvis tamen, & illæsis remanentibus juribus sibi, & dictæ Sedi super eodem Regno competentibus, quæ per plura Chirographa propria ejus manu signata, in quibus itidem cautum fuit tempus, & tempora non currere, luculenter præservavit, prout etiam Nos per simile Chirographum anno superiore præservavimus.

Carolus VI. Romanorum Imperator pro obtinenda præfati regni investitura præstito fidelitatis juramento supplicat.

§. 8. Nunc verò Charissimus in Christo Filius Noster Carolus VI. Hispaniarum Catholicus, & Romanorum Rex in Imperatorem electus, qui in dicto Regno Siciliæ, & Hierusalem, ac tota Terra citra Pharum succesit, & illud de præsenti possidet, volens debitam obedientiam, ac fidelitatis, & homagii juramentum in manibus Nostris præstare, & ea, quæ ratione ipsius Feudi tenetur, adimplere, Dilectum Filium Nostrum Michaëlem Fridericum Tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalem de Althaun Procuratorem, & mandatarium suum specialem fecerit, constituerit, & deputaverit specialiter, & expresse ad se nomine prædicti Caroli VI. Regis, quoties opus fuerit, coram Nobis humiliter, & cum omni reverentia præsentandum, ac à Nobis Investituram Regni hujusmodi petendam, eamque acceptandam, necnon Nobis nomine ejusdem Caroli Regis pro præfato Regno Siciliæ, & Hierusalem cum tota Terra citra Pharum debitam obedientiam exhiben. ac etiam fidelitatis, & homagii juramentum ratione Feudi dicti Regni præstandum, quod requisitum necessarium, & opportunum foret ex ipsius Feudi natura, & quemadmodum illud præstitum fuerat à Carolo II. Rege atque ab aliis Prædecessoribus Suis in eodem Regno solitum fuerat præstari; & dictus Michaël Fridericus Cardinalis de Althaun Procurator, in vim Constitutionis, & Deputationis hujusmodi, ad præmissa omnia, & singula nomine prædicti Caroli Regis peragenda, & exequenda coram Nobis humiliter, & cum omni reverentia sub die 17. mensis Maii proximè præteriti se præsentavit, & in Generali Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregatione sub hac die Martis IX. mensis Junii præsentis Anni, quæ coram Nobis in Palatio Nostro Apostolico Montis Quirinalis ad hoc specialiter convocata, & habita fuit cum pluribus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis ibi assistentibus, nomine ipsius Caroli Regis Nobis, & Sedi Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ prædictis obedientiam, atque homagium, & juramentum fidelitatis sub forma inferiùs adnotata præstiterit.

Quæ à Sanctitate sua sub certis modo, forma & conditionibus ei conceditur.

§. 9. Nos considerantes ipsius Caroli Regis hæreditariam regnandi consuetudinem, & quod sciet, & volet commissos sibi Populos in pacis amœnitate, & Justitiæ cultu confovere, ac Nos & Romanam Ecclesiam ipsius Regni Proprietarios, ac directos Dominos grata devotione, fide sincera recognoscere; Nec diutiùs volentes à concessione investituræ, & infeudationis præfatæ, ac directi Dominii Nostri usu, & exercitio abstinere sed potiùs novis, ac justissimis ex causis ita suadentibus, præsentique rerum, & temporum statu accuratè perpenso, Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærendo, Nostra, & ejusdem Sanctæ Sedis Jura, per novam concessionem hujusmodi asserere, & conservare intendentes, habita super his cum eisdem Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus prius in eodem Consistorio, & deinde etiam in alia simili Congregatione Generali ad hoc nominatim habita sub die sabbathi sexta ejusdem præsentis mensis Junii in eodem Palatio Nostro, ibique mandato Procurationis ipsius Caroli Regis in Imperatorem electi publicè, & alta voce perlecto, & diligenter inspecto, deliberatione matura de ipsorum fratrum consilio pariter, & assensu, & ex certa Nostra scientia, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine, In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Obedientiam ab eodem Cardinale de Althaun Procuratore, nomine ipsius Caroli Regis Nobis, & Sedi, & Cameræ prædictis, ut præmittitur, præstitam, itemque homagium & juramentum fidelitatis hujusmodi læto, atque hilari animo admittimus, ac Regnum ipsum Siciliæ, & Hierusalem cum tota terra prædicta citrà Pharum usque ad confinia Terrarum ejusdem Ecclesiæ Romanæ, exceptâ prædictâ Civitate Beneventanâ cum ejus Territorio, & districtu, & pertinentiis per Nos seu Romanos Pontifices distinctis, ac eorum Incolis, quam Nobis, prout illam sibi dudum prædicta Ecclesia specialiter reservamus, eidem Carolo Hispaniarum Catholico, & Romanorum Regi in Imperatorem electo cui per Nostras in forma Brevis pridie expeditas Literas concessimus, ut dictum Regnum Siciliæ, & Hierusalem, ac totam Terram citrà Pharum una cum Imperio & Romanorum seu Theutoniæ Regno quoad vixerit, retinere liberè, & licitè possit, & valeat tametsi in utriusque Julii, Leonis, Clementis, Gregorii & Alexandri prædictorum, & ante eos diversorum aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Literis id expresse, & districtè prohiberetur, pro se, suisque Hæredibus, & Successoribus tàm masculis, quàm fœminis ex eo recta linea descendentibus, natis, & nascitu-

ris, ſervata inter ipſos deſcendentes prærogativa ſexus, ita quod maſculi ex maſculis omnibus fœminis earumque deſcendentibus maribus, & fœminis, cujuſcunque lineæ ſint, aut gradus ſemper præferantur, & inter ipſos maſculos primogenituræ ratio & lineæ prærogativa prævaleat & obſervetur, quæ prærogativa locum quoque habeat, & prævaleat inter dictas fœminas, earumque Deſcendentes in caſu deficientiæ omnium deſcendentium maſculorum ex maſculis in Feudum perpetuum pro ſolito annuo cenſu ſeptem mille ducatorum ſimilium & unius Parafreni Albi, ut præfertur ſolvendo, & cæteroquin in omnibus & per omnia ſub conditionibus, modis, formis, adjectionibus, promiſſionibus, clauſulis, cautelis, voluntatibus & ordinationibus in Literis utriuſque Julii, Clementis, Gregorii, ac Alexandri, & conceſſione Leonis Prædeceſſorum hujuſmodi contentis, quarum remiſſionem per Nos & Sedem prædictam factam fuiſſe non apparebit omni meliori, quo poſſumus, modo concedimus, & elargimur, ac regnum ipſum dicto Carolo Regi modo, & forma præmiſſis infeudamus, eumque de illo per ipſius Michaëlis Friderici Cardinalis Procuratoris ad oſculum pedum Noſtrorum admiſſionem inveſtimus: Volentes, & intendentes, ut infra annum à data præſentium computandum, idem Carolus Rex Privilegium ſuum Bulla aurea bullatum in quo proprio juramento fateatur, & recognoſcat expreſsè Regnum Siciliæ, & Hieruſalem, ac totam Terram eorum quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia Terrarum ipſius Eccleſiæ Romanæ, exceptis Civitate Beneventanâ, & loco Pontis Curvi, cum illius Territoriis, diſtrictibus, & pertinentiis, quæ eidem Eccleſiæ remaneant præfato Carolo Regi, ſuiſque Hæredibus, & Succeſſoribus dicti Regni Siciliæ Regibus ex ſola gratiâ, & mera liberalitate Sedis Apoſtolicæ, & Noſtra fuiſſe conceſſa, eoſque recepiſſe, & tenere Regnum Siciliæ, & Terram hujuſmodi à Nobis & dicta Romana Eccleſia ſub pactis, modis & conditionibus ſupradictis, Nobis ſeu Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dare, & tradere teneatur. Per præmiſſa autem non intendimus Juribus quibuſcunque in aliquo præjudicare.

Gratioſa cenſuum ſupradicti regni ratione hactenus non ſolutorum remiſſio.

§. 10. Demum ut idem Carolus Rex in Imperatorem Electus eo magis ad ſinceræ illius, quam in Nos, & hanc Sanctam Sedem profitetur devotionis, & obſervantiæ debita argumenta Nobis, & eidem Sedi exhibenda excitetur, quò Nos & Romanam Eccleſiam in eum propenſiores, & munificentiores invenerit, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus ipſi Carolo Regi omnes & ſingulos cenſus ratione ſupradicti Regni hactenus decurſos, & non ſolutos ex ſpeciali dono gratiæ liberaliter remittimus & condonamus, ipſumque de illis abſolvimus, quietamus, & plenariè liberamus, & ex cauſa dictorum cenſuum hucuſque decurſorum à quocumque nullatenus moleſtari poſſe decernimus, dummodò tamen in proximo Feſto Sancti Petri, & ſic ſucceſſivè perpetuis futuris temporibus ſingulis annis ipſe Carolus Rex, ejusque Hæredes, & Succeſſores præfatum cenſum Nobis, & Succeſſoribus Noſtris cum ſolis ſolemnitatibus integrè perſolvere omninò debeant.

Formula juramenti ab Imperatoris Mandatario præſtiti.

§. 11. Forma autem Juramenti per dictum Cardinalem præſtiti, talis eſt. Ego Michaël Fridericus Cardinalis de Althaun Sereniſſimi Domini Caroli Hiſpaniarum Catholici & Romanorum Regis in Imperatorem Electi, Dei gratia Regis Siciliæ, & Hieruſalem cum tota Terra citra Pharum Procurator ad hæc omnia ſpecialiter conſtitutus ſpeciali modo per dictum Carolum Regem ſub die X. menſis Auguſti Anni proximè elapſi coram Archiepiſcopo Valentino, Comite Philippo de Sizendorf & Marchione de Rofrano ipſius conſiliariis, ac reſpectivè Secretariis ſubſcripto, plenum homagium, Ligium, & Vaſſallagium nomine dicti Caroli Regis faciendum vobis Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio XIII. & Eccleſiæ Romanæ pro Regno Siciliæ, & Hieruſalem, ac tota Terra, quæ eſt citra Pharum, uſque ad confinia Terrarum ipſius Eccleſiæ exceptâ Civitate Beneventanâ, & toto Territorio, & omnibus diſtrictibus, & pertinentiis ſecundum antiquos fines Territorii, & pertinentiarum & diſtrictus Civitatis ejusdem per Romanum Pontificem diſtinctos, & impoſterum diſtinguendos, in animam dicti Sereniſſimi Caroli Regis principalis mei, juro, quod idem Sereniſſimus D. Carolus ab hac hora in antea fidelis, & obediens erit Beato Petro, & vobis Domino Innocentio XIII. veſtriſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicæ. Non erit in conſilio, conſenſu, vel facto, ut vitam perdatis, ſeu perdant, aut membrum, ſeu capiamini, vel capiantur mala captione, conſilium verò quod ſibi crediturí eſtis per vos, aut Nuncios veſtros, vel per Litteras, ad veſtrum, vel eorum damnum ſcienter nemini pandet, & ſi ſciverit fieri, vel tractari ſeu procurari aliquid quod in veſtrum vel eorum damnum cedat, illud pro poſſe impediet, & ſi hoc impedire non poterit, illud vobis, vel eis ſignificare curabit. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri tam in Regno Siciliæ prædicto, quàm alibi conſiſtentia adjutor vobis, vel eis erit ad defendendum, vel retinendum ac recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Veſtras & ſingulas conditiones ſupradictas, & quaſcunque alias in Literis fel. record. Julii Papæ II. ſuper ipſius Regni & Terrarum infeudatione, ſive inveſtitura confectis contentas, ac omnia, & ſingula, quæ in eis continentur, plenariè adimplebit, & inviolabiliter obſervabit, & nullo unquam tempore veniet contra ea, nec procurabit per ſe, vel alium, ſeu alios quoquomodò ut aſſumatur, vel nominetur in Dominum Lombardiæ, ſeu Thuſciæ, excepto tamen, quod Regnum Siciliæ, & Hieruſalem cum tota Terra citra Pharum una cum Imperio, & Regno Romanorum ſeu Theutoniæ, quoad vixerit, retinere poſſit juxta conceſſionem, quam à Vobis deſuper obtinuit, & ſi aſſumptionem, vel nominationem ad dominium Lombardiæ, & Thuſciæ, aut majoris partis earumdem fieri contingat, nullum hujuſmodi aſſumptioni, ſeu nominationi aſſenſum præſtabit, nec intromittet ſe modo aliquo de eorum, vel alicujus eorum regimine, nec de Civitate Beneventana, & ſuis Territoriis, Diſtrictibus, & pertinentiis, ſeu Campania, neque de Maritima, Ducatu Spoletano, neque Marchia Anconitana, Patrimonio Beati Petri, & Thuſciæ, Maſſa, Trebaria, Romandiola, Alma Urbe, in Civitatibus Peruſina, Civitatibus Caſtelli, Bononienſi, Ferrarienſi, Avenionenſi, & Comitatu Vanaiſſino, ſeu aliis Terris quibuſcunque Veſtris, & Feudis ipſius Eccleſiæ ubilibet conſtitutis ex ſucceſſione, vel Legato, ſeu donatione aut venditione, ſeu alio quovis titulo, vel contractu nihil unquam ſibi acquiret, ſeu vindicabit, vel poterit acquirere ſeu quomodòlibet vindicare, & nihil unquam recipiet, vel habebit, ſeu retinebit, vel poterit recipere, habere, vel etiam retinere in illis, nec ullam Poteſtariam, Capitaniam, vel Rectoriam, nullumque aliud Officium recipiet, ſeu recipere poterit in eisdem, ſeu ipſorum aliquo, nec etiam occupabit, vel occupari permittet ſeu faciet præmiſſa vel partem

tem aliquam eorumdem, neque illam offendet, aut moleſtabit, neque etiam Romanam Eccleſiam quoquomodo ſub cenſuris pœniſque ſpiritualibus, & temporalibus in conditionibus, & infeudatione præfatis contentis, quas hic haberi volo in ſingulis ſuis partibus aliàs pro ſpecificè expreſſis, & repetitis. Schiſmatico, aut Hæretico cuicumque, vel à Fide devio, ab ipſa Eccleſia præciſo, ejuſque ſequacibus, & dantibus eis auxilium, conſilium, vel favorem, non dabit quovis modo per ſe, vel alium ſeu alios directè, vel indirectè, publicè vel occultè auxilium, conſilium, vel favorem, nec ab aliis quantum in eo erit, ſi impedire poterit dari permittet, ſed eos juxta poſſe ſuum donec convertantur perſequetur, & impugnabit. Et ulterius promitto, quod ipſe Carolus Rex infra annum, omnia, & ſingula mediante aurea Bulla ratificabit, ſic dictum Carolum Regem Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Juravi ut ſuprà Ego Michaël Fridericus Cardinalis de Althaun.

Sanctio pœnalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ reſervationis, admiſſionis, conceſſionis, elargitionis, infeudationis, inveſtituræ, voluntatis, vel intentionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

D. 9. Junii 1722. P. A. ſecundo.

Datum Romæ apud Sanctam M. Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo Vigeſimo Secundo quinto Idus Junii Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

✝ Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✝ Ego Joannes Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Judice.
✝ Ego Joannes Epiſcopus Albanenſis Card. Paulutius.
✝ Ego Joannes Epiſcopus Prænestinus Card. Barberinus.
✝ G. Cardinalis Mareſcottus.
✝ Ego Joſeph Tituli S. Praxedis Presb. Card. Sacripantes.
✝ Ego Laurentius Tit. S. Petri ad vincula Presb. Card. Corſinus.
✝ Ego Ph. A. Tit. S. Chryſogoni Presb. Card. Gualterius.
✝ Ego Joſeph Tituli S. Mariæ Angelorum Card. Vallemanus.
✝ Ego C. A. Tituli S. Auguſtini Presb. Card. Fabronus.
✝ Ego Antonius Felix Tit. S. Balbinæ Presb. Card. Zondelarius.
✝ Ego Petrus Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presb. Card. Corradinus.
✝ Ego Joannes Baptiſta Tituli Sancti Stephani in monte Cælio Presb. Card. Tolomeus.
✝ Ego B. Tit. S. Petri in monte Aureo Presb. Card. Scottus.
✝ Ego Nicolaus Tit. S. Sixti Presb. Card. Spinula.
✝ Ego Georgius J. Sanctæ Agnetis Presb. Card. Spinula Card. Sanctæ Agnetis nuncupatus.
✝ Ego Joſephus Tit. S. Suſannæ Card. Pereyra de la Cerda.
✝ Ego Michaël Fridericus Tit. S. Sabinæ Presb. Card. ab Althaun.
✝ Ego J. B. Tit. S. Priſcæ Presb. Card. Salernus,
✝ Ego Albarus J. Sancti Bartholomei in Inſula Presb. Card. Cienfuegos.
✝ Ego B. M. J. Sancti Bernardi ad Thermas Presb. Card. de Comitibus Major Pœnitentiarius.
✝ Ego B. Sanctæ M. in via lata Diaconus Card. Pamphilius.
✝ Ego Petrus S. Laurentii in Damaſo Diaconus Card. Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellarius.
✝ Ego J. R. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Imperialis.
✝ Ego L. S. Agathæ in montes Diac. Card. de Alteriis.
✝ Ego Annibal S. M. in Coſmedin Diac. Card. Albanus S. R. E. Camerarius.
✝ Ego Curtius S. Euſtachii Diac. Card. Origus.
✝ Ego Fabius SS. Viti & Moleſti D. Card. Oliverius.
✝ Ego Alexander S. Adriani Diac. Card. Albanus Card. Alexander nuncupatus.

P. Card. Prodatarius.

P. Card. Oliverius.

Viſa de Curia J. G. Archiepiſcopus Amaſenus

L. Martinettus.

Die Lunæ 15. Junii 1722. ſupraſcriptæ Litteræ Apoſtolicæ in plena Camera Apoſtolica exhibitæ, & præſentatæ fuerunt, illæque Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Guidoni de Palagio ejusdem Cameræ Apoſtolicæ Clerico commiſſæ cum facultate admittendi, deinde verò ſub die 26. ejusdem Menſis, citato deſuper Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Joanne Carolo Piancaſtello dictæ Cameræ Commiſſario Generali ex decreto ipſius Cameræ idem Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. de Palagio C. A. Clericus & Judex deputatus admiſit, & regiſtrari mandavit, & regiſtratæ fuerunt in libro ſignaturarum Sanctiſſimi ſub fol. 45.

Dominicus Antonius Galoſius R. C. A. Secretarius.

BENEDICTUS XIII.

PONTIFEX CCXLIX.

ANNO DOMINI MDCCXXIV.

BENEDICTUS XIII. feliciter regnans, Romanus: Vicentius Maria Ferdinandi de Urſinis Filius S. R. E. Presbyter Cardinalis Titulo S. Sixti Epiſcopus Portuenſis & Archiepiſcopus Beneventanus. Die 29. Maij 1724. Summus Pontifex Romæ eſt pronunciatus & die 4. Junii coronatus. In hunc uſque diem creavit Cardinales 17. Hunc Deus incolumem ſervet in multos annos.

I. Confirmatio, & innovatio Litterarum, à ſan. mem. INNOCENTIO PAPA XIII. editarum ſuper Eccleſiaſtica Diſciplina in Regnis Hiſpaniarum cum aliis Ordinationibus.

Edita A. D. 1724.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

IN Supremo Militantis Eccleſiæ Solio per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Noſtrorum ſuffragio conſtituti, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſattam, tectamque tuendam, & ubi collapſa eſt inſtaurandam providè diſpoſita eſſe noſcuntur, Apoſtolici muniminis Noſtri patrocinio libenter conſtabilimus, noviſque præſidiis, ut exactius ſerventur, corroboramus, ſicut ad omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ decus, ſpecialemque Chriſtifidelium ædificationem expedire in Domino arbitramur.

Literæ fel. rec. Innocentii PP. XIII.

§. 1. Aliàs ſiquidem emanarunt à fel. rec. PP. Innocentio XIII. Prædeceſſore Noſtro Litteræ tenoris, qui ſequitur; videlicet.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Procemium de ſervanda & inſtauranda diſciplina Eccleſiaſtica.

Ad perpetuam rei memoriam. Apoſtolici Miniſterii, quod Nobis, licet immerentibus, impoſuit Superni diſpoſitio conſilii, ratio præcipuè exigit, ut Eccleſiaſticæ Diſciplinæ in iis, qui in ſortem Domini vocati ſunt, aut ſervandæ, aut ubi opus fuerit, reſtaurandæ, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, & Sanctiſſimas Eccleſiæ leges, & ordinationes omni ſtudio advigilemus; poſt enim primi Parentis lapſum ſemper ad inferiora nos deprimit humanæ mortalitatis infirmitas, & carnis fragilitate obſervantiæ vigor paulatim relaxatur; unde & de mundano pulvere religioſa etiam corda ſordeſcere, & in ipſo Agro Domini ſpinas, ac tribulos identidem germinare quotidiana experientia edocemur: quod ſi noxia inde evellantur, & utilia plantentur, dubitandum non eſt, quin uberior, benedicente Domino, electi ſanctorum operum frumenti meſſis exurgat, omniſque Populus in via Domini, prælucente Clero, feliciter progrediatur.

Supplicationes.

Cum itaque Dilectus Filius Noſter Ludovicus Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Belluga, & Moncada nuncupatus, Eccleſiæ Carthaginenſi ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſul, in ipſis Pontificatus Noſtri primordiis, Nobis expoſuiſſet nonnulla Eccleſiaſticæ diſciplinæ rationibus, ac ſaluberrimis Sacri Oecumenici Concilii Tridentini Decretis haud quaquam conſentanea ſenſim in diverſis Inclytæ Nationis Hiſpanicæ locis obrepſiſſe, iiſque ut opportunum remedium adhiberetur à Nobis, quibus eſt commiſſa plenitudo ſollicitudinis, nedum ipſe Ludovicus Cardinalis, & Præſul, ſed & alii Venerabiles Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regnorum Hiſpaniarum humiliter poſtulaſſent; eorumque enixis precibus ſua etiam ſtudia, ac vota chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus pro ejus ſingulari pietate, & eximio Chriſtianæ Religionis zelo, datis hac de re ad Nos pluribus Litteris, conjunxiſſet: Nos Congregationi particulari nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Noſtris ejuſdem Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus à Nobis deputatorum rem omnem ſedulò examinandam demandavimus. Id autem cum ab ipſa Congregatione Cardinalium ea, qua par erat, maturitate præſtitum, illiuſque ſententiâ ad Nos per ejuſdem Congregationis Secretarium relata fuerit; de memoratorum Cardinalium conſilio, congruum, & opportunum duximus ea, quæ infrà ſequuntur, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ utilitatem, veteris diſciplinæ inſtaurationem, & ſpiritualem Regnorum Hiſpaniarum ædificationem, hac Noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuere, decernere, & declarare.

Requiſita admittendum ad primam tonſuram

I. Primùm igitur, cum à Patribus memorati Concilii Tridentini, Divino afflante ſpiritu, ſapientiſſimè animadverſum fuerit, quantum Chriſtianæ Reipublicæ interſit accuratum haberi delectum circa eos, quibus Sacra Miniſteria committenda ſunt, & in quorum vitam cæteri Fideles jugiter oculos conjicientes ſumpturi inde ſunt exemplum, quod imitentur; protereaque provide ab iisdem Patribus cautum fuerit Eccleſiaſticæ Militiæ per primam Tonſuram adſcribendos nonniſi illos eſſe, qui probabilem præbeant conjecturam, ſe non ſecularis judicii declinandi conſilio, ſed ſincero animo præſtandi fidelem cultum, ac ſervitium Deo, hoc vitæ genus elegiſſe: volumus, ut pro tutiori ipſius Conciliaris ſanctionis executione; ab omnibus Regnorum Hiſpaniarum hujuſmodi Archiepiſcopis, & Epiſcopis, non alii ad primam Tonſuram in poſterum admittantur, quàm quibus Eccleſiaſticum aliquod Beneficium ſtatim conferendum ſit; aut quos conſtiterit Litterarum ſtudio operam ſic dare, ut quaſi in via ad Ordines, tum Minores, tum etiam deinde Majores ſuſcipiendos verſari videantur; vel demum quos viderint expedire alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio deputari.

De adſcriptione Tonſura initiandorum, ad Ordines promovendorum & promotorum.

II. Et tam in his, qui ad primam Tonſuram, quàm in aliis, qui promoveri ad Ordines etiam minores optaverint, omnino ſervetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita; nimirum, ut nullus ordinetur, qui judicio ſui

Epiſco-

Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, quique illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus utilitate, aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi re ipsa functiones muneri suo consentaneas exerceat. Quod si qui modò reperiantur, vel Clericali Tonsura jam initiati, vel ad Ordines sive minores, sive majores jam promoti, qui nulli certæ Ecclesiæ, vel loco pio adscripti fuerint: Episcopi adscriptionem hujusmodi, vel à seipsis, vel à Prædecessoribus suis omissam, statim suppleant, non minùs quoad omnes in majoribus Ordinibus, etiam Presbyteratus, constitutos, quàm quoad eos, qui vel sola prima Tonsura, vel minoribus Ordinibus initiati, Beneficium tamen Ecclesiasticum possident. Ex reliquis autem, ut præfertur, vel sola prima Tonsura insignitis, vel in minoribus Ordinibus constitutis, sed Beneficio carentibus, nonnisi eos adscribant, quos Ecclesiis suis utiles, vel necessarios esse judicaverint. Cæterum antedictæ adscriptionis executionem differri posse per aliquod temporis spatium, quod ipsis Episcopis conveniens videbitur, permittimus quoad eos, qui à Diœcesi, in qua Tonsuram, vel Ordines susceperunt, causa ediscendi Litterarum scientias in aliqua publica Universitate, vel Gymnasio, sive ex alia rationabili causa à suo Episcopo approbata, vel approbanda; absentes reperiantur.

De officio Clericorum in Episcopalibus seminariis educatorum.

III. Cum autem Clerici, qui in Episcopalibus Seminariis educantur, ut commodius ad Litterarum, sacrarumque rerum studium operam conferre, aliisque à Concilio Tridentino præscriptis addiscendis magis assiduè incumbere possint, teneantur juxta ejusdem Concilii Decretum diebus tantùm festis Cathedrali, aliisve loci Ecclesiis inservire: hanc quidem servitii per eos obeundi rationem servari in omnibus Hispaniarum Diœcesibus, nec non ipsos generalibus dumtaxat totius Cleri supplicationibus, sive Processionibus interesse volumus, & mandamus; sublata quacumque majoris servitii consuetudine, etiam immemorabili, postpositaque etiam quacumque Appellatione, aut Inhibitione. Si quod autem Seminarium reperiatur, cujus fundatione aliter cautum esset ob adjectam gravioris servitii legem ab illo, qui Seminarium ipsum fundaverit, seu dotaverit, vel ei piam aliquam largitionem contulerit; Episcopi ad Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem id referant, ut desuper opportunè provideri valeat.

Ad sacros & Presbyteratus ordines admittendorum necessariæ qualitates.

IV. Præterea cum maximè deceat eos, qui propiùs ad Sacratissima Mysteria accessuri sunt, ultra cætera requisita, congruenti etiam pollere scientia, qua præditi viam salutis indicare aliis Christifidelibus possint: Episcopi nonnisi eos ex Clero tam Seculari, quàm Regulari ad Sacros Ordines admittant, quos ob scientiam, aliasque qualitates eo gradu verè dignos per diligentem inquisitionem compererint; adeo ut satis non sit illos, qui promoveri ad Ordines prædictos optant, linguam latinam intelligere, Cathechismo instructos esse, atque aptè respondere quæsitis circa Ordinem suscipiendum sibi in examine propositis. Qui verò ad Presbyteratum erunt assumendi, idonei priùs per accuratum similiter examen comprobentur ad ministranda Sacramenta, & ad Populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: quod quidem ut rectè præstari possit eosdem Episcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri potest, eos tantùm ad Sacerdotium assumant, qui saltem Theologiæ moralis competenter periti sint.

V. Quod si Domicilium in una Diœcesi habentes, Beneficium verò in altera, ordinari ad ejusdem Beneficii titulum optaverint ab Episcopo in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est: Episcopus Domicilii debeat eos, si in suam Diœcesim reversuri sunt, super scientia, vel idoneitate examinare ante concessionem Litterarum Testimonialium super eorum natalibus, ætate, moribus, & vita juxtà Constitutionem fel. rec. Innocentii Papæ XII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Speculatores* obtinendarum; addito quoque compertæ idoneitatis testimonio in iisdem Litteris: hæque concedi nullatenus debeant, si antedicto examine tanquam habiles approbati non fuerint, iisque juxta præmissam formam non impetratis, minimè possint ab alio Episcopo, cui etiam ratione obtenti Beneficii subjecti sint, ad Ordines promoveri: sique secus fiat, Ordinans quidem à collatione Ordinum per annum, Ordinatus vero à susceptorum Ordinum executione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, Nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat. Cumque etiam juxta memoratam Innocentii Prædecessoris Constitutionem ratione, ac titulo Beneficii in aliena Diœcesi obtenti non aliter liceat Ordines ab Episcopo ejusdem Diœcesis suscipere, quàm si Beneficium prædictum sit ejus reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, detractis oneribus, per se sufficiat; declaramus, sufficientiam hujusmodi præfiniendam esse, non juxta Taxam Synodalem, sive morem pro promovendis ad Sacros Ordines vigentem in loco prædicti Beneficii (nisi tamen illud continuam, & præcisam residentiam requirat,) sed juxta Taxam, vel ea deficiente, juxta moram in alio loco Domicilii vigentem.

De ordinandis ad titulum Beneficii quod habent in diversa ab eorum Domicilio Diœcesi.

VI. Porrò ad sartam, tectamque servandam Ecclesiasticam Disciplinam non minùs momenti habet, quod Clericali militiæ nomen dare non permittatur iis, qui haud satis idonei sint, quàm quod eidem militiæ jam adscripti laudabilem vivendi rationem sectentur, eamque morum exhibeant innocentiam, quæ sanctitati susceptæ instituti respondeat, multòque magis, quod abstineant iis, quæ à Sacris Canonibus jure meritoque vetita sunt, uti prorsus indigna hominibus Tabernaculum Domini inhabitantibus, & venerando Altaris ministerio dedicatis. Statuimus propterea, atque decernimus, quod, qui sunt Clerici, aut prima Tonsura, aut Ordinibus minoribus initiati, nullumque Ecclesiasticum Beneficium possidentes, qui neglectis Concilii Tridentini Decretis, habitum Clericalem, ac Tonsuram non deferant, vel si etiam deferant, non tamen certæ Ecclesiæ, aut Loco Pio, cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint, inserviant, sive in Seminario Ecclesiastico, vel in aliqua Scola, aut Universitate de licentia sui Ordinarii non versentur; Episcopi, nulla etiam præmissa monitione, eos privilegio Fori privatos declarent, eorumque adscriptionem servitio certæ Ecclesiæ anteà factam deleri jubeant. Sique ii meliorem vitæ rationem non inierint; aut etiam si alii sint, quos ex propria culpa efficiendos idoneos promotioni ad Sacros Ordines sperari nequeat; iidem Episcopi, servatâ formâ à Sacris Canonibus traditâ, ad privationem aliorum Clericalium Privilegiorum contra ipsos procedant. Ubi verò reperiantur Clerici Cappellanias, vel Beneficia cujuscumque etiam tenuis reditus, obtinentes, quorum improba vita aliis offensionem præbens destruat potiùs, quàm ædificet, vel concubi-

De puniendis Clericis officia Clericalia non explentibus.

narii

narii, aut fœneratores, vel ebrietati, Judiſvè aleārum dediti, vel ſatores rixarum, vel negotiatores, vel arma geſtantes, vel incertis ſedibus vagantes, vel Clericalem habitum, Tonſuramque non deferentes, vel Eccleſiaſtica Immunitate in fraudem tributorum, & vectigalium à Laicis non exemptis ſolvendorum temerè abutentes, vel qui demum ſimilia, aut majora crimina patrantes, numero magis, quàm merito ad Eccleſiam pertinere viſi fuerint; Epiſcopi, præmiſſis tamen neceſſariis monitionibus, ſervatiſque aliis de jure ſervandis, contra ipſos, ad pœnas à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, & à Sacris Conciliis impoſitas, & etiam ad privationem Beneficiorum, Cappellaniarum, & Eccleſiaſticorum Officiorum in omnibus illis caſibus, in quibus prædicta privatio à Sacris Canonibus impoſita eſt, humanis quibuſcumque rationibus poſthabitis, procedant, memores ſeipſos neglectæ ſubditorum emendationis condignas, Deo vindice, pœnas perſoluturos.

Clerici interſint Miſſæ Conventuali ſecundis Veſperis & collationibus ſuper caſibus conſcientiæ.

VII. Sed & cum Perſonæ Eccleſiaſticæ nunquam ſatis in obſequiis ſupremo Numini exhibendis, iiſque præſtandis, quæ eorum ſtatui conſentanea ſunt, exerceri valeant; plurimùm in Domino commendamus pium morem in pleriſque Hiſpaniarum Diœceſibus vigentem, ut Clerici tàm in minoribus, quàm in majoribus Ordinibus conſtituti, atque etiam Presbyteri, tametſi Beneficia, vel Officia Eccleſiaſtica non habentes, ſuperpelliceo induti in Eccleſiis, quibus adſcripti fuerint, Miſſæ Conventuali cum Cantu celebratæ, nec non primis, & ſecundis Veſperis Officii diebus Dominicis, aliiſque Feſtis aſſiſtant. Quin imò enixè hortamur, ut Epiſcopi aliarum Diœceſium, in quibus mos ille inſtitutus hactenus non fuerit, id in poſterum ſervari curent in omnibus, ac inſuper ſatagant, ut omnes Eccleſiaſtici prædicti etiam collationibus habendis coram Parochis ſuis, vel aliis ab Epiſcopo deputatis ſuper caſibus conſcientiæ forum concernentibus, & ſuper ritibus, ac cæremoniis ſacris interſint.

De Cappellaniis in Hiſpaniarum Regno ſufficienti reditu deſtitutis.

VIII. Et quoniam in prædictis Hiſpaniarum Regnis reperiri intelleximus Beneficia, & Cappellanias etiam de Jurepatronatus vel Eccleſiaſticorum, vel Laicorum, nullo tamen certo proventu inſtructas, vel adeo tenui, ut nec ad dimidiam, nec ad tertiam partem congruæ pro Clericis ad ſacros Ordines promovendis neceſſariæ aſcendat; malis haud quidem levibus indè erumpentibus occurrere cupientes, ſtatuimus, & mandamus, quod Epiſcopi ad Beneficiorum, & Cappellaniarum, quæ nullum certum reditum habent, ſuppreſſionem ſtatim deveniant. De aliis verò Beneficiis, & Cappellaniis, quarum certus annuus fructus ad memoratam ſaltem tertiam Congruæ partem non aſcendit, decernimus nulli in poſterum conferendam eſſe primam Tonſuram ratione juris aſſequendi aliquod ex dictis Beneficiis, & Cappellaniis. Utque Patronatuum jura, quantùm fieri poſſit, ſalva remaneant; liceat Patronis tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis ad dicta Beneficia, & Cappellanias nominare, non tamen veluti ab Beneficia Eccleſiaſtica requirentia in nominandis primam Tonſuram, ſed tanquam ad legata pia; & nominati, tametſi primam Tonſuram non habentes, ea retinere poſſint uti pia legata cum onere adimplendi omnia onera à Fundatoribus injuncta.

De Animarum Cura.

IX. Non ſine gravi Noſtri dolore etiam accepimus, quod, quamquam Tridentina Synodus decreverit omnes, qui Parochiales, vel alias curam Animarum annexam habentes Eccleſias quocumque modo obtinent, debere diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcere ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ Chriſtifideles ad ſalutem ſcire oportet, ac explicando Divinæ legis præcepta, Fideique Dogmata, pueroſque ejusdem Fidei rudimentis imbuendo, & brevi, facilique ſermone vitia denuntiando, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat; nihilominus nonnulli Parochialium Eccleſiarum Rectores, hæc, quæ ſuarum partium adeò ſunt, prætermittunt, culpam hujuſmodi à ſe amoliri nitentes, vel prætextu immemorabilis, ſed quidem pravæ conſuetudinis, vel quia hæc ab ipſis præſtari neceſſe non videatur, ſuppetente nimirum copia aliorum habentium Sacras Conciones in aliis Eccleſiis, itemque imbuentium pueros Myſteriis Fidei, vel in ſcholis, vel in compitis. Ne itaque ſub inani iſtarum, aliarumque ſimilium excuſationum prætextu tanta Chriſtianæ Reipublicæ pernicies ſtruatur, diſtinctè præcipimus ſingulis Hiſpaniarum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui animarum curam gerunt, munia prædicta per ſeipſos, vel, ſi legitimè impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exequantur. Si verò aliqui non ſatis habiles ad illa obeunda reperiantur; iidem Archiepiſcopi, & Epiſcopi per alios à ſe deputandos ſumptibus Parochorum minùs idoneorum opportunè ſuppleri curent: & in poſterum Beneficia, quibus Animarum cura imminet, nonniſi verè idoneis ad memorata Officia per ſe ipſos adimplenda conferantur.

De vero Conſtitutionis Pii V. ſenſu.

X. Præterea, ne Conſtitutionis Sancti Pii V. etiam Prædeceſſoris Noſtri, in qua taxatur congrua fructuum portio Vicariis perpetuis Animarum curam exercentibus aſſignanda, interpretationem ab ejus ſententia alienam fieri contingat, declaramus Conſtitutionem illam pertinere dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Eccleſiarum Parochialium, quæ aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, Beneficiis, & Locis Piis unitæ ſint: nec non portionem annuam fructuum, quæ ibidem ſtatuitur aſſignanda ipſis Vicariis in ſumma non majori, quàm centum, nec minori, quàm quinquaginta ſcutorum, intelligi debere de ſcutis argenteis juliorum decem monetæ Romanæ pro quolibet ſcuto.

De deputandis Coadjutoribus & Vicariis temporariis eorumque congrua.

XI. Quoties itaque in aliis Parochialibus Eccleſiis, quæ, ut præfertur, unitæ non ſint, oportuerit ex aliqua juſta cauſa provideri per Coadjutores Parochorum, aut per Vicarios temporarios; curæ erit Epiſcopis pro data ſibi à Tridentina Synodo poteſtate partem fructuum prædictis Coadjutoribus, aut Vicariis aſſignandam determinare in ea quantitate, quæ pro ſuo prudenti arbitrio, & conſcientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita redituum, & emolumentorum Eccleſiæ Parochialis, in qua deputati fuerint, nec non inſpectis conditionibus Loci, numero Animarum, qualitate laboris, & quantitate impenſarum, quas commiſſi Officii neceſſitas poſtulaverit. Quod ſi Parochi ab Epiſcopis moniti, congruo iisdem termino præfixo, Coadjutores, ſive Vicarios temporarios, quoties opus fuerit, aſſumere neglexerint, poterunt ipſi Epiſcopi eos, quos huic muneri idoneos cenſuerint, auctoritate propria deputare cum aſſignatione antedictæ portionis fructuum. Et nihilominus ubi etiam prædicti Coadjutores, aut Vicarii temporarii à Parochis nominati, vel aſſumpti fuerint, de eorum idoneitate Epiſcopis conſtare per examen debeat, ante-

quam

quam ad exercitium admittantur; nec satis sit, quoad ad Confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus ad Curam Animarum rectè exercendam opportunis prædíti noscantur. Quibus si careant, nec Parochi deinde intra alium similem terminum ab Episcopis præfigendum alios verè idoneos nominaverint: tunc pariter ad ipsos Episcopos liberè spectet deputatio cum dicta congruæ assignatione; nec ulla Parochorum contradictio, aut exemptio, aut appellatio, aut cujuscumque Judicis inhibitio executionem deputationis, & assignationis certæ partis fructuum in casibus præmissis suspendere possit, itemque non obstante qualibet contraria consuetudine, etiam immemorabili.

De Casu quo Parochiani ad Parochiales Ecclesias Divini cultus gratia accedere nequeunt.

XII. Verùm quia non satis Animarum curæ, & necessitatibus quandoque consultum est per hoc, quod ad obeunda Parochialia munia alii Sacerdotes Parochis adjungantur, sed majora remedia adhiberi oportet, quoties nempè ob Locorum distantiam, sivè itineris difficultatem Parochiani sine magno incommodo pro Sacramentis percipiendis, Divinisque Officiis audiendis accedere ad Ecclesiam Parochialem nequeant; tunc quidem meminerint Episcopi licere sibi pro suo arbitrio, invitis etiam Rectoribus, vel intra easdem Parochias destinare alias Ecclesias, in quibus Sacerdotes Parochorum Coadjutores Sacramenta ministrent, & Divinum Cultum exhibeant, vel novas Parochias, novasque Parochiales Ecclesias à veteribus distinctas constituere, iisque novos Parochos præficere, assignata ex reditibus ad veterem Parochialem Ecclesiam quomodocunque pertinentibus convenienti portione ad victum eorum, qui, vel tamquam Coadjutores in dictis aliis Ecclesiis deputati, vel tamquam distincti, & independentes Parochi curam Animarum exercuerint; nulla ad præmissa impedienda suffragante appellatione, aut inhibitione.

De honore Episcopis exhibendo.

XIII. Cum ad præscriptum quoque Tridentinæ Synodi Episcopis is honor tribuendus sit, qui eorum dignitati convenit, eisque in Choro, & in Capitulo, in Processionibus, & aliis actibus publicis primus locus esse debeat, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas; mandamus id religiosè, ac perpetuò observari in omnibus actibus adeo justæ hujusmodi præeminentiæ, & auctoritati consentaneis, non obstantibus privilegiis etiam ex fundatione competentibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, sententiis, juramentis, & concordiis, quæ suos tantùm obligent auctores.

De Religiosorum numero ultra reddituum vires non multiplicando.

XIV. Præterea, ut claustralis quoque disciplinæ vigor illibatus permaneat, Pontificiæ Nostræ solicitudinis partes etiam duximus interponendas. Cum itaque experientia compertum fuerit quantum detrimenti illi afferatur, ex quo plures ad religiosum habitum admittantur, quàm vires reddituum patiantur: moderno, ac pro tempore existenti Nostro, & Apostolicæ Sedis in iisdem Hispaniarum Regnis Nuntio per præsentes committimus, & mandamus, ut curet, & vigilantiam adhibeat, ne contra præscriptum memorati Concilii Tridentini in Monasteria, Conventus, & Domos, tam Virorum, quàm Mulierum, sive Bona immobilia possideant, sive non possideant, major numerus recipiatur, quàm qui, vel ex proventibus propriis ipsorum Monasteriorum, Conventuum, aut Domorum, vel ex consuetis eleemosynis, aliisve quibuscunque obventionibus, in commune tamen conferendis, commodè possit sustentari.

XV. Quoties verò Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omninò Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum à piæ memoriæ Clemente Papa VIII. Prædecessore etiam Nostro confirmatum die 15. Martii 1596., quo sancitur non ad alium, quàm ad Episcopum Diœcesanum Literas Dimissorias pro eorumdem Ordinum susceptione à suis Superioribus esse dirigendas, præterquam in casu, quo Diœcesanus à Diœcesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus; quo etiam casu in Litteris Dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio, vel de prædicta Episcopi Diœcesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet, quod Ordinationes non sit habiturus: exceptis tamen quoad prædicta Regularibus illis, quibus per speciale privilegium à Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut à quolibet Catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo Indulto nihil per præsentes innovare intendimus. Noverint autem Episcopi se debere per semetipsos, secluso ægrotationis casu, Ordines conferre, & sacrorum Ordinum collationem statutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, & adstantibus Canonicis, publicè habendam esse, vel si in alio Diœcesis loco, semper tamen in Ecclesia quantum fieri poterit digniori, & præsente Clero ejusdem loci. Ne verò incertitudo, an ipsi ordinationes sint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis, varia Diœcesis loca inhabitantibus; per mensem ante singulis vicibus publico Edicto ab iisdem Episcopis denuntietur, se ordinationes esse habituros, adeo ut quoties denunciatio hujusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant Regulares, Episcopum Diœcesanum Ordinationes ea vice minimè esse habiturum, sibique idcircò licitum futurum Ordines ab alio Episcopo suscipere cum Litteris Dimissoriis suorum Superiorum ad eum directis, servata in iis forma superiùs expressa.

De Regularibus ad Ordines promovendis, eorum Literis dimissoriis ad Episcopum Diœcesanum dirigendis & Ordinationibus ab eo habendis.

XVI. Episcopi in omnibus Mulierum Monasteriis sibi subjectis Ordinaria, in aliis verò exemptis auctoritate Sedis Apostolicæ inconcussè observari curent, quæ circa Sanctimonialium clausuram, vetitumque in dicta Monasteria ingressum, tam in Decretis Tridentinæ Synodi, quàm in Constitutione similis memoriæ Gregorii Papæ XIII. etiam Prædecessoris Nostri edita Idibus Januarii anni millesimi quingentesimi septuagesimi quinti providè ordinata sunt.

De servandis in mulierum Monasteriorum.

XVII. Perpendentes etiam Christianæ Reipublicæ in primis expedire, ut ministerium, ac potestas clavium in remittendis, retinendisque peccatis rectè exerceatur; declaramus Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones limitatam, vel quoad genus Personarum, vel quoad tempus, non posse pœnitentiæ Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus Personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, quocumque privilegio etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, competente nullatenus suffragaturo. Cumque idem Innocentius Prædecessor per suas die decima nona Aprilis anni millesimi septingentesimi expeditas Litteras decreverit Sacerdotibus tam Secularibus, quam Regularibus non licere confessiones eorum, à quibus ex Indulto prædictæ Bullæ Cruciatæ ad id electi fuerint, audire, absque præcedenti approbatione

De obtinenda à Sacerdotibus Ordinariorum approbatione & licentia pro confessionibus audiendis.

Ordinarii illius Loci, in quo ipsi Pœnitentes degunt, & Confessores eligunt, etiam ab Ordinariis aliorum Locorum antea approbati fuissent, ac etiamsi Pœnitentes Ordinariis illis, qui Confessores Electos approbassent, subditi essent; necnon Confessiones aliter factas, ac respectivè exceptas, nullas fore, irritas, & invalidas, & Confessores ipso jure suspensos esse: Nos eamdem Constitutionem approbantes, confirmantes, & innovantes declaramus insuper prædictis Sacerdotibus tam Secularibus, quam Regularibus ad Confessiones excipiendas, vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ, vel ex quocunque alio Privilegio electis suffragari minimè etiam posse, quòd approbati alias fuerint ab Episcopo illo, qui aliquando fuerit Ordinarius Loci, in quo Confessiones audiendæ sint, sed talis tunc temporis ampliùs non existat, vel quia ab humanis excesserit, aut Episcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam Ecclesiam auctoritate Apostolica translatus reperiatur; sed necessariam omninò esse illius, qui actualiter, & pro tempore Ordinariam Jurisdictionem in ea Diœcesi exerceat, approbationem. Hæc tamen suffragetur etiam tacita, eaque adesse censeatur, quousque præcedens licentia, sive approbatio duret, & revocata ab eo non fuerit; in quo casu nova, & expressa impetranda erit, si illa præcedenter obtenta, vel per temporis adscripti lapsum expiraverit, vel per posteriorem revocationem sublata fuisset.

De confessionibus Monialium.

XVIII. Meminerint quoque Regulares se excipere non posse Confessiones Monialium, tametsi eorum regimini, & gubernio subjectæ sint, nisi ultra licentiam suorum Prælatorum Regularium præcedat examen coram Episcopo Diœcesano faciendum, ejusque specialis quoad Confessiones dictarum Monialium approbatio; remota quacunque contraria consuetudine, etiam immemorabili.

De deputando extraordinario pro Monialibus Confessore.

XIX. Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confessor extraordinarius bis, aut ter in anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confessiones audiat; si in posterum Superiores Regulares quoad Monasteria ipsis subjecta toties prædictum extraordinarium Confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem aut Secularem, aut Regularem alterius diversi Ordinis Professorem: in his casibus Episcopi pro suo arbitrio, & conscientia deputationem hujusmodi facere possint, nec illa quovis titulo, aut prætextu à Superioribus Regularibus valeat impediri.

De removendis abusibus contra Ceremoniale Episcoporum Rituale Romanum & rubricas Missalis seu Breviarii.

XX. Episcopi insuper abusus omnes, qui in Ecclesiis aut Secularibus, aut Regularibus contra præscriptum Cæremonialis Episcoporum, & Ritualis Romani, vel Rubricas Missalis, & Breviarii irrepserint, studeant omninò removere. Et, si adversùs ea, quæ in dicto Cæremoniali statuta sunt, consuetudinem, etiam immemorabilem allegari contingat; postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari, utpotè irrationabilem, de jure non posse: executioni eorum, quæ in dicto Cæremoniali constituta sunt diligenter incumbant; nec ulla suspensiva appellatio admittatur.

Et contra Concilii Tridentini de Missarum celebratione Decretum.

XXI. Sedulò pariter curent iidem Episcopi, ut eliminentur abusus, si qui forsàn, tam quoad Ecclesiasticos Seculares, quam quoad Regulares inducti fuerint adversùs Concilii Tridentini Decretum de observandis, & evitandis in celebratione Missarum sess. 22., & contra Regulares, si opus fuerit, procedant ex Apostolica delegatione in eo decreto ipsis indulta, postposita quacumque appellatione suspensiva, sed solum reservata in devolutivo super quocunque dubio, quod excitari contigerit, declaratione Congregationis pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium memorati Concilii Interpretum.

Confirmatur & declaratur Decretum Clementis Papæ XI. de celebratione Missarum in Oratoriis privatis & usu altaris gestatorii.

XXII. Cumque circa Missarum celebrationem in privatis Oratoriis, necnon circa usum Altaris gestatorii, à recol. memor. Clemente Papa XI. Prædecessore etiam Nostro opportunum Decretum promulgatum fuerit die 15. Decembris anni 1703. Episcopi dent operam, ut omnia ibidem Statuta etiam in Regnis Hispaniarum serventur, idemque Decretum in suis respectivè Diœcesibus, ut faciliùs omnibus innotescat, publicari faciant, addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium Cellis, sive Cubiculis erigatur Altare pro re Sacra ibidem facienda, & contra quoscunque contravenientes censuris etiam Ecclesiasticis procedant, adhibita quoad Regulares auctoritate Sedis Apostolicæ in memorato Decreto ipsis delegata, remotaque quacunque contraria consuetudine, etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod cum in prædicto Decreto statuatur, non licere Episcopis extra Domum propriæ habitationis in Domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere; hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de Domibus etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi fortè occasione Visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus à Jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia absentes à Domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcircò faciant in aliena Domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus, ac in Domo propriæ ordinariæ habitationis.

Servanda quæ in sess. 25. cap. 25. ejusdem Syn. Trid. præscribuntur.

XXIII. Præcipimus quoque accuratè attendi, ac adimpleri quæcunque alia præscribuntur in ejusdem Generalis Synodi sess. 25. de Regularibus, & Monialibus. Cumque in cap. 25. amplissimè derogetur omnibus contrariis Privilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon Constitutionibus, & Regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel Præscriptionibus, etiam immemorabilibus; sciant omnes derogationem hujusmodi non ad ea tantùm referri, quæ in prædicto Capite continentur, sed etiam ad alia, quæ in singulis superioribus Capitulis ejusdem sessionis constituta sunt.

De appellationibus in causis criminalibus ab Ordinariis locorum ad Nuncium Sedis Apostolicæ seu Metropolitanos.

XXIV. Ad hæc, ut recta in Judiciis ratio servetur, præcipimus, quod ubi in Causis Criminalibus Ordinarii Locorum in Regnis Hispaniarum processerint ex Officio, hoc est non ad ullius querelam, sive accusationem, si ab eorumdem Ordinariorum Sententiis appellatio, vel ad Sedis Apostolicæ Nuntium, vel ad Metropolitanos interposita fuerit; tunc (ne alioquin, si nullus Actoris partes gerat, delinquentes pœnam suis criminibus debitam effugiant), Procuratores Fiscales Tribunalis Nuntiaturæ Apostolicæ, & respectivè etiam Curiæ Metropolitanæ, instantias, aliosque actus desuper necessarios peragant, & prosequantur, ut prædictæ Ordinariorum sententiæ justam confirmationem, & executionem obtineant. Quod si dictis Procuratoribus Fiscalibus non citatis, & inauditis, contrarias Sententias in gradu appellationis proferri contigerit;

iste

istæ prorsùs nullæ sint, ac irritæ cum omnibus actis gestis, nullumque sortiri debeant effectum: quin immo præcedentes Ordinariorum sententiæ executioni mandentur, perindè ac si appellatio ab iis interposita nullatenus fuisset.

Servanda generaliter quoad appellationes & inhibitiones Decreta Innocentii I Papæ IV. & Urbani VIII.

XXV. Cæterùm cum generaliter circa appellationes, & inhibitiones satis provisum fuerit per Constitutionem piæ mem. Innocentii Papæ IV. Prædecessoris etiam Nostri in Cap. *Romana*, ac etiam per Decreta Concilii Tridentini, itemque alia edita die 16. Octobris 1600. à Congregatione Negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, & à præfato Clemente VIII. Prædecessore confirmata, ac denique etiam alia promulgata tempore Pontificatus similis mem. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris itidem Nostri, die videlicet 5. Septembris 1626., volumus, & mandamus, quod quidquid in omnibus memoratis Constitutionibus, & Decretis statuitur, diligentissimè per omnes iis comprehensos observetur in Causis ad Curias Ecclesiasticas pertinentibus in Regnis Hispaniarum; quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis privilegio, aut stylo concedendi etiam quasdam Inhibitiones nuncupatas temporarias penitùs excluso.

Quoad Civilia innovantur Constitutiones Innocentii IV. Alexandri IV. Bonifacii VIII. Gregorii XV.

XXVI. Quo verò ad Judices Conservatores, & modum, ac facultatem procedendi in Causis Civilibus, quæ ad eorum cognitionem pertinere possint, inviolatè custodienda erit norma præscripta in Constitutionibus fel. rec. Innocentii IV., Alexandri IV., Bonifacii VIII., Gregorii XV. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum hac de re editis, nec non in Decretis Concilii Tridentini, sub pœnis ibidem contentis, quas præsenti nostra Constitutione innovamus, & confirmamus; hoc etiam addito, ut iidem Judices Conservatores, & mandatorum suorum Executores exhibere debeant Episcopis, aliisque locorum Ordinariis litteras suæ deputationis, quarum vigore procedere intendant.

Finalis ad Concilii Tridentini observationem exhortatis & obstantium remotio.

XXVII. Enixè denique, & ex intimo Paterni Cordis Nostri sensu omnes è religiosissima Hispanica Natione monemus, ut memores sint teneri se exactè, firmiter, & cum effectu observare etiam omnia, & singula in cæteris omnibus ejusdem Tridentini Concilii Decretis sancita. Et ne eorum executio post hac ullo modo impediatur, aut retardetur; decernimus, ac declaramus nullum pro impedienda, aut suspendenda executione Conciliarium sanctionum ejusmodi, aut Decretorum, quæ ab Ordinariis edita fuerint pro executione pariter eorum, quæ in ipso Concilio statuta sunt, suffragari posse, ac debere contrarium Privilegium, quod ante prædicti Concilii promulgationem à Sede Apostolica obtentum fuerit, nisi etiam post ipsum Concilium fuerit in forma specifica ab eadem Apostolica Sede confirmatum, vel noviter concessum; itemque obstare non posse ullum Statutum, vel Concordiam, quæ à prædicta Apostolica Sede specialiter confirmata non sit, neque quemcumque longævum non usum, aut contrariam consuetudinem, vel præscriptionem etiam centenariam, vel immemorabilem, nisi forsan præfatæ consuetudinis, aut præscriptionis materia capax sit, & insuper consuetudo, aut præscriptio immemorabilis probata jam sit admissa à competenti Judice per tres Sententias conformes, vel per unam, quæ in judicatum transierit, nec demum quamcumque appellationem, sive inhibitionem etiam temporariam; reservato dumtaxat recursu in devolutivo ad memoratam Congregationem Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum, quibus etiam tamquam Exequutoribus præsentium nostrarum litterarum, non solum committimus, & mandamus, ut eas, ipsarumque Decreta, & Ordinationes omnes perpetuò, & inviolabiliter observari faciant cum eadem potestate, quæ iisdem Cardinalibus à Sede Apostolica tributa est pro executione Decretorum memorati Concilii, sed etiam privativè facultatem impertimur, quandocumque opus fuerit, interpretandi, explicandi, ac declarandi eamdem nostram Constitutionem, omnesque, & singulas Ordinationes in ea contentas (exceptis his, quæ ad Cæremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, & Rubricas Missalis, & Breviarii pertinent) quatenùs illis dubietas aliqua, aut difficultas emerserit; non retardata tamen interim illarum executione, adeo ut ante hujusmodi executionem nec ullus recursus ad eamdem Congregationem Cardinalium, nec ulla super quovis Dubio consultatio promoveri possit. Decretis verò, & Declarationibus à prædicta Congregatione faciendis, postquam Nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis approbatio accesserit, statim quæcumque reclamatio, aut consultatio omninò cessare, perpetuumque silentium desuper impositum censeri debeat.

Decreta pro firmitate.

Decernentes pariter easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcusè observari debere; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuntios, alioswe quoslibet quacunque præeminentia, & potestate fungentes, functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure qaæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, & quorumvis Monasteriorum, Conventuum, Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumque longissimis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Institutis & Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Monasteriis, Conventibus, Ecclesiis & Locis Piis prædictis, illorumque respectivè Superioribus, aliisve quibuslibet Personis, etiam specialissima mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam Motu proprio, ac ex certa scientia, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine in genere, vel in specie, seù aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus

ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, nou autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeù quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & inſererentur, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Fides Tranſumptorum.

Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides, tàm in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Maii 1723. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Die 13. Maii 1723. P. A. ſecundo.

Confirmat ut in rubr.

§. 2. Cùm autem, ſicut accepimus, tametſi præmiſſa à memorato Innocentio Prædeceſſore maturo, ac ſaluberrimo fuerint conſtituta, & ordinata Conſilio, illa nihilominus, nec dùm plenariæ executioni, ut par erat, demandata fuerint, neque proindè optatos fructus uſque quaque proferre valuerint; Hinc eſt, quòd Nos probè conſiderantes, nihil magis alios ad veram Pietatem, & Dei Cultum aſſiduè inſtruere, & excitare, quàm eorum vitam, & exemplum, qui ſe Divino Miniſterio dedicarunt, facilèque fieri poſſe, ut Populus in via Domini proſperè, & feliciter progrediatur, ſi Clerus illi præluceat, ac ſuavem in eo Sanctioris Diſciplinæ, bonorumque Operum odorem diffundat, ac propterea eorumdem præmiſſorum ad hunc tàm pium, & ſalutarem finem tendentium ſubſiſtentiæ, ac paratæ executioni, ſublatis quibuſvis impedimentis, quantum cum Domino poſſumus, Paſtorali noſtra cura, & ſollicitudine conſulere cupientes, præinſertas Innocentii Prædeceſſoris Litteras, & quæcumque in eis conſtituta, ordinata, ſancita, decreta, & declarata, ac aliàs quomodòlibet contenta, & expreſſa, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac quatenùs opus ſit, innovamus, & de novo conſtituimus, ordinamus, ſancimus, decernimus, & declaramus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

Mandatum pro Executione.

§. 3. Nec non tam Dilecto Filio noſtro, & Sedis præfatæ in Regnis Hiſpaniarum Nuncio nunc, & pro tempore exiſtenti, quoad ea, quæ ad ipſum, ejuſque Tribunal pertinent, quàm Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Locorum Ordinariis, & Superioribus, ac etiam Dilectis Filiis utrique Clero Seculari, & Regulari eorumdem Regnorum diſtrictè, ac ſub interminatione Divini Judicii Auctoritate præfata harum Serie præcipimus, & mandamus, ut illa omnia, & ſingula omni mora, dilatione, & cunctatione ſublata, debita Obedientia exequantur, & accuratè, ac exactè ſervent, faciantque reſpectivè illa ab iis, ad quos ſpectat, & quandocumque ſpectabit in futurum eadem Auctoritate omnimodæ executioni demandari, & inviolabiliter obſervari.

Clauſula ſublata & decretum irritans.

§. 4. Decernentes pariter, ita in præmiſſis per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ipſius S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & Auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio.

§. 5. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ prædictus Innocentius Prædeceſſor in Litteris ſuis præinſertis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Præſentium publicatio intimationis perſonalis vim habet.

§. 6. Ut autem eædem præſentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, ſeu earum Exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari; Sicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctari, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Tranſſumptorum fides.

§. 7. Utque ipſarum Litterarum tranſſumptis, ſeù Exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides tàm in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Septembris 1724. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

D. 23. Septembris 1724. P. A. primo.

F. Card. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quarto, Indictione ſecunda, die verò Prima Octobris, Pontificatus SS. D. N. D. BENEDICTI, Divina Providentia Papæ XIII. Anno Primo, ſupradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Principis Apoſtolorum, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris, prout ſimiliter ad valvas Cancellariæ Apoſtolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, & in acie Campi Floræ, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis Urbis, dimiſſis copiis, ut moris eſt, per Nos Franciſcum Baldum, & Dominicum de Martinis Apoſtolicos Curſores.

Joannes del Rè Mag. Curſ.

II.

Litteræ in forma Brevis ad univerſos Fratres Ordinis Prædicatorum Profeſſores adverſus Calumnias Doctrinæ SS. Auguſtini & Thomæ intentatas.

Romæ MDCCXXIV.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Prædicatorum Profeſſoribus.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecti Filii Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEmiſſas preces, & æquiſſimas conqueſtiones veſtras, quas dilectus filius Auguſtinus

ſtinus Pipia totius ordinis Magiſter Generalis Religioſæ vitæ exemplis, ac doctrina prudentiaque commendatiſſimus; ſupplici libello ad Nos detulit, ea benignitate complexi ſumus; quam & veſtra in Catholicam Religionem ampliſſima merita, & Noſtra, quam dudum profeſſi ſumus erga ordinem Prædicatorum obſervantia filialis, Noſtræque demum humilitati impoſitum paternæ caritatis, & ſollicitudinis officium poſtulabant. Quod igitur ægrè admodum, ut par eſt moleſteque feratis erroribus à fel. rec. Clemente Papa XI. Prædeceſſore Noſtro per Conſtitutionem, quæ incipit *UNIGENITUS DEI FILIUS*, ſaluberrimo, & ſapientiſſimo judicio rejectis damnatiſque Auguſtinianæ & Angelicæ Doctrinæ nomen obtendi, indeque audeque audere nonnullos Apoſtolicæ auctoritati, ac veſtræ exiſtimationi detrahere, quod ipſa veſtrarum ſententiarum capita ejus Conſtitutionis cenſuris, notiſque inuſta eſſe calumnientur; Juſtam quidem animorum veſtrorum offenſionem laudi damus; qua nimirum vos germanos S. Thomæ diſcipulos maximè probaſtis. Magiſterio enim tanti Doctoris imbutos nihil decet magis, quam ut in addictiſſima huic Sanctæ Sedi Fide obedientiaque præcipuum ſtudiorum ſuorum fructum, & laudem collocent; & abſonas refraganteſque Apoſtolicis Decretis opiniones non averſentur modò, ſed per arma etiam lucis, & veritatis diſſipent, & evertant. Tantum tamen abeſt ut vicem veſtram doleamus, ut vobis potius gratulemur, quod hac etiam in parte cauſa veſtra ab hujus Sanctæ Sedis rationibus ſejuncta eſſe non potuerit; quodque alienæ prorſus calumnioſæque interpretationes ad conſtandam memoratæ Conſtitutioni invidiam temerè excogitatæ ad injuriam quoque veſtri nominis redundarint. Cæterum non adeò vobis erat, aut dolendum, aut mirandum, quod cum ipſis Divinorum librorum oraculis, & Apoſtolicis definitionibus pro impotenti, obfirmatoque partium ſtudio paſſim vis afferatur, hac eadem contentionis pervicaciæque licentia Angelicam Doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potius jure mirandum, quod tam prapoſtero conſilio in hac cauſa locus eſſe potuerit, ubi Sancti Thomæ exploratiſſimis ſententiis, damnati errores diſertiſſimè confutantur. Quandoquidem omnipotentis Dei providentia factum eſt (a), ut Angelica Doctoris vi, ac veritate Doctrinæ, non ſolum innumeræ, quæ vel ipſius ætate, vel antea graſſatæ ſunt, ſed multæ etiam deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ, & convictæ diſſiparentur. Magno igitur animo contemnite Dilecti filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris de gratia præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla præviſione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino, & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo Dei ſummorumque Pontificum, & Conciliorum Decretis & Patrum dictis conſonas eſſe ſchola veſtra, commendabili ſtudio gloriatur. Cum igitur bonis, & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores, niſi dolum loqui velint ſatis perſpiciant SS. Auguſtini, & Thomæ (b) inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata nullis prorſus antedictæ conſtitutionis cenſuris eſſe perſtricta, ne quis impoſterum eo nomine calumnias ſtruere, & diſſentiones ſerere audeat, ſub Canonicis pœnis diſtrictè inhibemus. Pergite porrò Doctoris veſtris opera ſole clariora ſine ullo prorſus errore (c) conſcripta, quibus Eccleſiam Chriſti mirâ eruditione clarificavit (d) inoffenſo pede decurrere, ac per certiſſimam illam (e) Chriſtianæ Doctrinæ regulam ſacro Sanctæ Religionis veritatem incorruptæque diſciplinæ ſanctitatem tueri, ac vindicare. Hæc ſunt enim Dilecti filii quæ Prædeceſſores Noſtri de Sancti Thomæ doctrina ſenſerunt, & prædicarunt; quæque Nos non modò ad curarum veſtrarum lenimentum, ſed ad animi quoque Noſtri ſolatium libentiſſimè uſurpamus, & præconio Apoſtolicæ vocis efferimus. Inclytus enim ordo iſte cui nomen dedimus, & quem expreſsè, Domino miſerante, profeſſi ſumus eodem Angelicæ doctrinæ lacte Nos aluit, ac licet impari inſtitutionis fructu, ad gerendam Eccleſiarum ſollicitudinem eduxit; ut privato etiam diuturnoque colendarum artium experimento ediſcere potuerimus, quod ex Apoſtolatus ſpecula per haſce Litteras annunciamus. Deum interea, qui pacem, & veritatem diligendam præcipit, ſupplices rogate, ut ſincero Angelici Doctoris ſtudio, omnes in ſimplicitate cordis nitantur, quæ ille docuit, intellectu conſpicere, atque in unitate ſpiritus, & caritate fraternitatis quæ ille egit imitatione complere. Ac Vobis, Dilecti Filii, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 6. Novembris 1724. Pontificatus Noſtri anno primo.

Carolus Archiepiſcopus Emiſſenus.

(a) Pius V. in Bulla Mirabilis Deus 1567.

(b) Alexander VII. in Brevi incipiente Litteras 1660.

(c) Clemens VIII. in Brevi incipiente Dilecti Filii 1603.

(d) In Collecta feſt.

(e) Pius V. in Bulla ut ſupra.

CONSTITUTIO III.

Qua locorum Ordinariis Italiæ, Inſularumque adjacentium diſtrictè mandatur, ut Seminariorum erectionem ſedulò promoveant, eorumque honeſtæ ſubſtentationi provideant Taxâ, & ſubſidiariâ reſpectivè unione Beneficiorum juxtà modum à Sacro Tridentino Concilio præſcriptum; ac inſuper nova inſtituitur Congregatio Seminariorum nuncupanda, quæ recto illorum regimini, & adminiſtrationi præſideat, cum aliis ordinationibus, & clauſulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam

Exordium à ſuis pro ſedula Clericorum Inſtitutione curis.

CREDITÆ Nobis cœlitus diſpenſationis Officium ſalubriter exequi, adjuvante Domino, ſatagantes, ad ea mentem, curaſque Noſtras libenter convertimus, per quæ ſedulæ Clericorum inſtitutioni opportunè proſpicitur. Ubi enim illi à teneris annis, ſeù plantæ novellæ, benigniori culturâ educentur, Litterarumque ſcientiam in Seminariis accuratè informentur, cum poſteà ad laborioſa Eccleſiaſtica Miniſteria in Viam Dominicam tranſplantantur, Eccleſiarum regimini, populorumque ſaluti maximè fructuoſos, ac utiles eſſe diuturnâ plurimorum annorum experientiâ ſatis compertum habemus.

Præcipit ut in rubr.

§. 1. Cum itaque Seminarii Ecclesiastici erectio à Sacrâ Tridentinâ Synodo *cap.* 18. *sessione* 23. *de reformat.* Episcopis omnibus tantoperè commendata, & ad Ecclesiasticam Disciplinam conservandam adeò necessaria, in pluribus Cathedralibus Ecclesiis, quemadmodùm non sine gravi animi Nostri mœrore accepimus, huc usque neglecta fuerit; Nos pro Pastorali vigilantiæ Nostræ debito pium hoc, & sanctum opus strenuè promovere cupientes, Motu proprio, ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine universis, & singulis Locorum Ordinariis Italiæ, Insularumque adjacentium, hac Nostrâ perpetuo valiturâ Constitutione districtè injungimus, præcipimus, & mandamus, ut in Cathedralibus, in quibus Seminarium hactenùs erectum non fuit illud quamprimùm erigi, ac omninò institui curent; Ubi verò jam reperitur erectum, sed congruis reditibus ad Alumnorum, Magistrorumque sustentationem necessariis instructum non est, de iis, ut infrà, opportunè provideant. Utroque igitur casu, nimirùm tam pro erectione novi Seminarii, quàm pro supplemento redituum Seminarii jam erecti, Taxam cum consilio duorum de Capitulo, & totidem de Clero conficiant à memorato Tridentino Concilio *cap.* 18. *sessione* 23. *de reformat.* præscriptam, incipiendo ab integris fructibus Mensæ Episcopalis, & absque ullo discrimine prosequendo juxtà normam ibidem expressam, & providè constitutam. Eidem verò Taxæ omnia, & singula Beneficia Secularia, & Regularia per quoscumque, etiam Venerabiles Fratres Nostros Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nec non Nostros, & pro tempore existentis Romani Pontificis Familiares, & Cameræ Nostræ Apostolicæ Clericos, Ministros, ac Officiales quoscumque præsentes, & futuros obtenta, & in posterum obtinenda, ac omnia insuper Beneficia Secularia Prioratibus, Commendis, vel Bajulatibus Ordinis Fratrum Sancti Joannis Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de cætero unienda, nec non fructus, ac reditus Confraternitatum Laicorum, ex certis fundis, & capitalibus provenientes (non autem summas pecuniarias, quæ à Confratribus quolibet mense, vel anno, vel per modum eleemosynæ, vel in vim Statutorum contribuuntur) subjici, & ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus, & mandamus; Declarantes ab eâ exemptos esse debere Regulares pro iis tantùm Beneficiis, vel fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes disertè, ac expressè, & ex causâ vere, ac propriè onerosâ indulsit, ut ab onere Taxæ pro Seminario exempti sint.

Taxæ summa & Exactor.

§. 2. Porrò ejusmodi Taxa juxta locorum qualitatem respondere debeat summæ scutorum trium pro quolibet centenario proventuum Beneficii, & si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario, ita numquam minor scutis tribus, neque major sit scutis quinque pro quolibet centenario, & anno; ac in illius confectione regula à Tridentino Concilio in prædicto *cap.* 18. sancita accuratè, & ad amussim observetur. Donec autem nova hæc Taxa confecta, & à Congregatione à Nobis deputata, ut infrà dicetur, approbata fuerit, alia Taxa, quam Seminarium anteà exigere consueverat, omninò persolvatur. Cæterum novæ Taxæ exactio semper committatur personæ fide, & facultatibus idoneæ ab Episcopo, & Cathedralis Ecclesiæ Capitulo specialiter approbandæ, ac deputandæ, ita quidem ut quoties Exactor hujusmodi negligens, aut minus idoneus repertus fuerit, illius culpam idem Episcopus, & Capitulum præstare debeant, & pro non exactis, atque deperditis respectivè de proprio teneantur, liceatque Seminario tam contra Exactorem, quàm contrà Deputantes, eorumque hæredes, quocumque tempore agere nedùm pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad præcisam Taxæ faciendæ normam, & quantitatem.

Ejus solutio.

§. 3. Præterea Episcopi, & Capitula portiones, seù quotas sibi obtingentes juxtà præfatam Taxam quolibet anno realiter, & cum effectu deponere teneantur penes Exactorem, deputatum, qui eas solvat, seu eroget in sumptus pro Seminarii manutentione necessarios, & tam hujus depositi, quàm successivæ solutionis, seù erogationis, simulque cujuslibet alterius exactionis non factæ, & qua de causa, documentum per eosdem Episcopos, & Capitula ad antedictæ Congregationis Secretarium quotannis transmittatur.

In casu insufficientiæ prædictorum, Ordinarii alia Seminario Beneficia unire possint.

§. 4. Quod si in aliqua Diœcesi computatis propriis Seminarii reditibus, si qui sint, nec non Beneficiorum anteà cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum Conventuum suppressorum præcedenter applicatis (quas quidem tum Beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum Conventuum firmas esse volumus) per hujusmodi etiam Taxam erectioni, & sustentationi Seminarii ad necessitatem nimirum uniuscujusque Diœcesis, & Alumnorum, non autem ad pompam, & voluptatem, sufficienter provideri nequiverit; tunc, & eo casu, ac in subsidium tantùm, Ordinarii locorum eidem Seminario unire, & applicare possint, ac debeant Beneficia simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam Juris patronatus Ecclesiastici, vel quomodocumque affecta, & dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, sine tamen ullo divini cultus, ac illa obtinentium præjudicio. Hæc porrò unio fiat statim, & ante eorumdem Beneficiorum vacationem: nempè uniantur Beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui reditus quantitatem in ipsâ unione specificandam, quæ computatâ Taxâ insufficienti, satis esse possit sustentationi certi numeri Alumnorum pro unoquoque Seminario designatorum, ipsaque unio, statim ac Beneficia prædicta quomodocumque vacaverint, debitum, atque integrum sortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII., ac Urbani pariter VIII., nec non aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, vel Decretis in contrarium facientibus non obstantibus.

Præservantur Beneficia pro congrua Sedis Apostolicæ Ministrorum sustentatione commendata.

§. 5. Cæterùm considerantes Monasteria, Prioratus, & Beneficia Consistorialia, nec non aliqua alia indispensabiliter necessaria esse, ac fore pro congruâ sustentatione S. R. E. Cardinalium, & Ministrorum Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ actualiter inservientium, volumus, & declaramus, quod Abbatiæ, Prioratus, & Monasteria Consistorialia, seù Beneficia quovis modo Apostolicâ autoritate commendata, & ad præsens obtenta, ac in futurum obtinenda per antedictos S. R. E. Cardinales, seu veros, & proprios Papæ Familiares, Nuncios Apostolicos, & Prælatos, Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretarios dumtaxat, memoratis Seminariis uniri, & applicari numquam possint, & uniones, quas forsan fieri contigerit, nullæ, ac irritæ prorsùs sint, firmâ in reliquis remanente libertate, & facul-

facultate uniendi (servatâ tamen formâ superiùs expressâ, & non aliter) cætera omnia Beneficia, etiam, ut præfertur, affecta, & reservata, vel aliàs ad provisionem, ac dispositionem Sedis Apostolicæ quomodòlibet pertinentia.

Erigitur Congregatio Seminariorum cum opportunis facultatibus.

§. 6. Cùm autem, sicut accepimus, Seminaria plerisque in locis ideò erecta minimè reperiantur, vel quia Episcopi Taxam conficere detrectant, ne illam à semetipsis inchoare cogantur, vel quia Beneficia simplicia, quorum dispositio ad eos liberè spectat, occurrente illorum vacatione, suis Familiaribus, aliisve personis sibi gratis, & benè visis conferre volunt; Hinc est quod Nos omnes scopulum, ac obicem impeditivum boni spiritualis ab ejusmodi Seminariorum erectione provenientis è medio prorsùs tollere, ac removere intendentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, Congregationem Seminariorum nuncupandam, in qua Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi super negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium, nec non Congregationi Interpretum Concilii Tridentini præfati, utriusque Congregationis Secretarii Datarius, seu Prodatarius ac Subdatarius, nunc, & pro tempore existentes esse debeant, tenore præsentium perpetuò erigimus, ac instituimus, ejusdemque Congregationis Secretarium illum ipsum, qui Congregationis Concilii prædicti Secretarius pro tempore fuerit, constituimus, ac deputamus; prædictæque Congregationi, ac illius Secretario omnium, & singulorum Seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non sunt, erigendorum, & ubi erecta quidem sunt, sed sufficientes non habent reditus, iis pro modo indigentiæ, ut præfertur, augendorum omnimodam curam committimus, ac demandamus, nec non ejusdem Congregationis Deputatis prædictis semel singulis mensibus, & quoties opus fuerit, se congregandi, dictorum Seminariorum erectionem promovendi, jam erectorum statum, & proventus recognoscendi, eorum necessitatibus opportunè consulendi, Taxas approbandi, reformandi, & augendi, numerum Alumnorum in singulis Seminariis taxandi, & præfigendi, eumque pro modo reditûum augendi, & minuendi, Statuta pro recto, felicique eorumdem Seminariorum regimine, & administratione condendi, eaque mutandi, variandi, corrigendi, ac toties quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controversias summariè, solâque facti veritate inspectâ, cognoscendi, & definiendi, Visitatores etiam, qui ejusmodi Seminaria diligenter perlustrent, & an rectè, atque fideliter administrentur, ac in iis potissimum regulæ à Tridentino Concilio præscriptæ sedulò adimpleantur, inspiciant, & recognoscant, ubi, quando, & quoties opus esse judicaverint, facto tamen prius verbo cum Romano Pontifice pro tempore existente, delegandi, ac deputandi, aliaque in præmissis necessaria, & opportuna pro datâ ipsis à Domino prudentiâ, decernendi, & gerendi, & exequendi, plenariam, atque omnimodam facultatem, potestatem, & autoritatem tribuimus, concedimus, ac impartimur.

Mandatum ad Episcopos de taxa conficienda & præfatæ Congregationi transmittenda.

§. 7. Universis itaque Episcopis, quorum in Diœcesibus non adsunt, vel congruis reditibus instructa non sunt, Seminaria, per præsentes injungimus, & mandamus, ut quamprimùm præfatam Taxam sedulò conficiant, eamque ad antedictæ Congregationis Secretarium infra sex menses à die publicationis præsentis Constitutionis computandos omninò transmittant una cum distinctâ, & accuratâ relatione omnium Beneficiorum suarum Diœcesum, eorumque annui valoris, nec non locorum, animarumque, & Ecclesiarum in illis existentium cum suis qualitatibus, ad hoc ut eadem Congregatio, omnibus maturè perpensis, statuere possit, an prædicta Taxa approbari, necne debeat, simulque numerum Alumnorum in unoquoque Seminario retinendorum, & summam pro singulorum substentatione necessariam præscribere, & reliqua tandem omnia, quæ rectâ eorumdem Seminariorum administratione, sedulaque Alumnorum institutione utilia, ac opportuna judicaverit, salubriter decernere valeat.

Inhibetur iisdem usus inservientium seminario cum præservatione Episcopi Pontificalia exercentis.

§. 8. Omnibus insuper Episcopis præfatis, ne de cætero pro se, vel suis Vicariis, aut Familiaribus quibuscunque, sub quovis colore, & prætextu, habitatione, coquinâ, famulis, Ministris, aut Officialibus Seminarii, vel Lectoribus, Magistris, Sacerdotibus, Clericis, quoquomodo inservientibus eidem Seminario, & Alumnis, vel à Seminario salariatis, & substentatis, ac quomodòcunque retentis, uti audeant, districtè sub pœnâ Interdicti ab ingressu Ecclesiæ vetamus, ac inhibemus: Non tamen per hoc prohibere intendimus Episcopo Pontificalia exercenti, ne Cæremoniarum Magistro, vel Sacerdotibus à Seminario retentis, uti possit: imò ut eorum operâ, ac assistentiâ in hujusmodi sacris functionibus liberè uti valeat, plenam ipsi Episcopo tribuimus facultatem.

Studia quibus in præfatis seminariis incumbendum.

§. 9. Postremò saluberrimæ præfatî Concilii dispositioni inhærentes, volumus, præcipimus, & sancimus, ut in omnibus Seminariis tam hactenùs erectis, quàm in posterùm erigendis, Alumni Grammatices, Cantus Gregoriani, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium tantum disciplinâ erudiatur, & Sacræ Scripturæ, Cathechismi, aliorumque Ecclesiasticorum Librorum, præsertim verò de Sacramentis, Sacrisque Ritibus, & Cæremoniis tractantium, lectioni diligenter incumbant, ut cum ad Vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos, utilesque Operarios sese probare valeant, fructumque ei reddant uberrimum temporibus suis.

Decretum roborans, irritans & Clausula sublata.

§. 10. Decernentes præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec non præmissa omnia, & singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, & in futurum quomodòlibet spectabit, exactè, & inviolabiliter perpetuò observari; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacunque potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac autoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 11. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis quibuscunque, & præfatis Clementis VIII., & Urbani pariter VIII. Prædecessorum Nostrorum aliisque Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis ad favorem quarumcunque personarum editis generalibus; vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, ac Institutorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum dero-

gatoriis, aliisque efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, vel aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & ex presse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis mandatum & fides transumptorum.

§. 12. Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; utque earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 13. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatis, sanctionis, prohibitionis, institutionis, deputationis, præfectionis, commissionis, mandati, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, septimo Idus Maij Pontificatus Nostri Anno I.

D. 9. Maij 1725. P. A. Primo.

P. M. Card. Prodat.

F. Card. Oliverius.

Visa *de Curia I. C. Archiepiscopus Amesanus.*

Loco † Plumbi.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vicesimo quinto, Indictione tertia, die verò 8. mensis Junii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI, Divinâ Providentiâ Papæ XIII. Anno secundo supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Baldum Apost. Cursorem.

Antonius Pellicia Magister Cursorum,

Constitutio qua san. mem. Gregorii Papæ XIV. Literæ Apostolicæ certa excipientes delicta, & casus, in quibus Inquisiti Laici Ecclesiasticâ Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, & ad alia etiam delicta, & casus extenduntur, ac ampliantur: Necnon Curiis Ecclesiasticis forma in eorumdem Inquisitorum extractione à locis immunibus observanda præscribitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis. IV.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à sua sollicitudine pro tuendis Ecclesiarum Immunitatibs.

Ex quo, divinâ disponente clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum Immunitatem sartam tectam, inviolatamque ubique custodiendi inter graviores susceptæ Apostolici Ministerii curas meritò recenseri: diù, multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum venerationis, & reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus Orbis Catholicis regionibus ita observaretur, quemadmodùm prisca Majorum Nostrorum disciplina, & vetus Canonicarum Sanctionum norma præscripsit.

Tenor Constitutionis Gregorii Papæ XIV.

§. 1. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primùm incurrit celebris illa Constitutio à fel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædecessore nostro edita, quæ incipit *Cum aliàs*, qua quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor pro Pastorali zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, & Indulta à quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim à S. Pio V., & Sixto etiam V., Prædecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus certorum criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatusque fuit; Simul autem delictorum frequentiæ, unde publica tranquillitas maximè perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora à pravis hominibus patrarentur sub certâ impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus, in quibus laicos delinquentes Ecclesiasticâ Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, nec ne in eadem Gregorianâ Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium à locis immunibus observandam stabilivit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuò observari mandavit, quemadmodùm in prædicta Constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591. nono Kal. Junii promulgatâ ulteriùs continetur.

Confirmat innovat & extendit prout in rubr.

§. 2. Quoniam verò post editam hujusmodi Constitutionem ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter Ecclesiastica, & Secularia Tribu-

nalia

nalia exortæ fuerunt ; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim piæ me. Clemens IX. Clemens X. & Clemens XI. Prædecessores similiter nostri de præfatis contentionibus dilucidâ casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii Prædecessoris mens pleniùs executioni demandaretur, Curiis Ecclesiasticis præscribere cogitabant ; sed ab aliis distracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod Nos omninò expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorumdemque Prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes, Motu proprio, ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuò valitura Constitutione, in primis providam memorati Gregorii Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis in eâ contentis, atque dispositis amplissime confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenùs opus sit, criminum in illâ exceptorum reis, & delinquentibus Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Prætereà non absque gravi animi Nostri dolore animadvertentes ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam sæpè, ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minùs, quàm illa in Gregorianâ Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantùm fieri poterit, coërcendam, pro Apostolici muneris nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

Unicus actus Latronem efficit.

§. 3. Cum itaque prædictâ Gregorianâ Constitutione cautum sit, ut publicis Latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minimè suffragetur ; non levis autem inter Doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus Latro, & Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur : Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantùm grassationem in viâ publicâ, aut vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus Latro, & Grassator dici valeat, dummodò tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus & declaramus.

Extensio quoad homicidia & mutilationes in Ecclesiis committentes.

§. 4. Insuper ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregorianâ Constitutione sancitum est : verùm etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant : Nec nos eos, qui stantes extrà Ecclesiam, aut Cœmeterium, occidunt stantes intrà Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant : ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesiis, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt : Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos non illius tantùm Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

§. 5. Ad hæc in crimine Assassinii non modò Mandatarios, qui in ipsâmet Gregorianâ Constitutione apertè excipiuntur, sed etiam Mandantes, qui certum præmium, aut mercedem sive in pecuniâ, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodò Assassinium re ipsâ patratum fuerit ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuò haberi volumus, & mandamus.

Privantur immunitate Assassinii Mandatarii & Mandantes.

§. 6. Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio Interficientes Proximum suum animo præmeditato, ac deliberato : Falsificantes Literas Apostolicas : Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria ità minuatur ; ut pœnæ ordinariæ locus sit : Conflantes, adulterantes, vel detondentes quascumque Monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittetur, liberum habeant usum, & commercium : vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint : Illos demùm, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque re ipsâ committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi fortè reperiri contigerit, dummodò homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

Exclusio variorum ab eadem immunitate.

§. 7. Cæterùm cum diuturnâ experientiâ compertum fuerit Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hactenùs evenerunt, difficulter probare, & consequenter declarare potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum, propter variam earumdem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Prædecessoris mentem quoad normam ab ipso præscriptam recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt : statuimus, præcipimus, & mandamus nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregorianæ Constitutionis, quæ à quocumque Doctore prodierit, neque pravis à quibuslibet Curiis, aut Tribunalibus invictæ, imò nec quarumcumque declarationum, quæ ab hujus Almæ Urbis nostræ Tribunalibus, sivè etiam à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum emanaverint, quatenùs præsenti nostræ Constitutioni adversentur ; sed in occurrentibus casibus normam hic à Nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Abolentur interpretationes & declarationes contrariæ.

§. 8. Quotiescumque igitur Curia Ecclesiastica à Curia Seculari fuerit requisita, ut Laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personæ reiterate submini-strata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur ; tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem Delinquentis extractionem ab Ecclesiâ, aliisve locis immunibus,

De modo delinquentes è locis immunibus extrahendi.

ope, ac medio ſuorum Executorum, implorato etiam, quatenùs opus ſit, brachii ſecularis auxilio, & cum interventu Perſonæ Eccleſiaſticæ ab Epiſcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad ſuos Carceres aſportari, ac ibi ſub tutâ cuſtodia detineri curet, & faciat. Ubi verò ex Proceſſu informativo deſuper conficiendo conſtet de crimine excepto, ac inſuper adversùs eumdem extractum talia reſultent indicia, ut crimen ab eo fuiſſe patratum moraliter credi poſſit (quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur ultra torturam) eo tandem caſu præfatum Extractum Miniſtris & Officialibus Curiæ Secularis tradere, & conſignare poſſit, ac debeat, exactâ tamen, receptâque prius ab ipſis obligatione in formâ Juris validâ reſtituendi Extractum Eccleſiæ ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ Nobis, ac pro tempore exiſtenti Romano Pontifici reſervatæ, quatenùs idem Extractus indicia contra ipſum acquiſita in ſuis defenſionibus purget, ac diluat. Quod ſi ea minime purgaverit, & verè delinquens repertus fuerit, Curiæ Sæculari in ipſum tali caſu, ut juris eſſe cenſuerit agere, atque procedere liceat.

Confirmatur Gregoriana Conſtitutio quoad inhibitionem ſecularibus ullo modo in præfatis ſe ingerendi.

§. 9. Prætereà conſiderantes ſæpedictum Gregorium Prædeceſſorem in ſuâ Conſtitutione optimo quidem jure ſanxiſſe, ut ſoli Epiſcopi, & non alii Epiſcopis inferiores, etiamſi locorum Ordinarii ſint, aut nullius Diœceſis, aut Conſervatores à Sede Apoſtolicâ ſpecialiter, vel generaliter deputati, cognoſcere, & declarare valeant an delicta, pro quibus Inquiſiti ad loca immunia confugerunt, & in eis ſe receperunt, ſint, nec ne de genere, ac numero exceptorum: Nos providam ejuſmodi diſpoſitionem approbantes, & confirmantes, eique inhærentes, motu, ſcientiâ, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, tenore præſentium quibuſcumque Magiſtratibus, Officialibus, & Miniſtris Secularibus, nec non quibuſvis aliis perſonis cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtant, etiamſi Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana Dignitate, aut auctoritate præfulgeant, diſtrictè interdicimus, ac inhibemus, ne hujuſmodi cauſis vel conficiendo proceſſus, vel Inquiſitos extrahendo à locis immunibus, vel declarando crimina ab eis admiſſa eſſe de exceptis in Gregoriana, aut in præſenti noſtra Conſtitutione, ullo pacto ſeſe ingerant, aut immiſceant. Quod ſi ſecùs quidquam attentare præſumpſerint, ex nunc omnia in contrarium præmiſſorum gerenda irrita, & inania, nulliuſque roboris, vel momenti perpetuò fore, ipſoſque Attentantes in Cenſuras, & alias pœnas à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis adversùs eos, qui Jurisdictionem Eccleſiaſticam quoquo modo lædunt, ac violant, inflictas incurrere decernimus, & declaramus: volentes, intendentes, ac expreſsè mandantes, quod omnimoda cognitio, atque judicium de criminibus in Gregoriana Conſtitutione exceptis, & à Nobis ſuperius explicatis, tùm etiam de aliis, quæ in præſenti noſtra Conſtitutione adjicienda, & ſimiliter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus, & excepimus, ad Epiſcopos tantùm, privativè quoad omnes alios, perpetuò ſpectet, atque ſpectare debeat; & donec ipſi in occurrentibus caſibus declaraverint delictum eſſe de exceptis, & cætera omnia à Nobis ſuperiùs conſtituta adimpleverint, Inquiſitos Eccleſiæ, vel alterius loci ſacri, ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto debere, ac in ea conſervandos, & manutenendos eſſe ſtatuimus, præcipimus, & mandamus.

§. 10. Univerſos demùm, & ſingulos Venerabiles Fratres Noſtros Frtriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quos hujus noſtræ Conſtitutionis Executores, deputamus, in viſceribus Domini Noſtri Jeſu Chriſti hortamur, & paterna charitate admonemus, ut quanti momenti ſit hoc negotium, ſeriò cogitantes, in occurrentibus caſibus qualitatem teſtium, & probationum pondus ſummo ſtudio, ac vigilantia ſcrutentur, omnemque fraudem, dolum, procul arceri ſatagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotieſcumque opus fuerit, iis omnibus obſiſtant, qui ejusdem præſentis Conſtitutionis executionem, ac obſervantiam quomodòcumque temerario auſu impedire præſumerent. In reliquis porrò caſibus tam in hac noſtra, quàm in Gregoriana Conſtitutione non exceptis, memores quàm acriter ſemper, & qua eximia, ac prorsùs ſingulari animi fortitudine Majores noſtri pro Eccleſiaſtica libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque ſacris juribus labem ullam irrogari patiantur, ſed ea pari ſane zelo, atque conſtantia tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ cauſa potius, quam miſerationis, & juſtitiæ titulo, Eccleſiaſtica Privilegia aſſerere velle videantur.

Exhortatio ad Executores.

§. 11. Decernentes eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque ſemper valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque integros, atque plenarios effectus ubique ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit quomodòlibet in futurum, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, aliosve, quoſlibet quavis præeminentia, & poteſtate fungentes, ac functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum roborans, irritans, & clauſula ſublata.

§. 12. Non obſtantibus quibuſcumque Cancellariæ noſtræ Apoſtolicæ Regulis, nec non quorumcumque Prædeceſſorum Noſtrorum Litteris Apoſtolicis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus quibuſvis Perſonis etiam ſpeciali mentione dignis, & quavis quantumcumque ſublimi dignitate, & authoritate fulgentibus, & ex quibusvis etiam gravibus, ac urgentiſſimis cauſis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficarioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs quomodòlibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeù quævis alia expreſſio facienda; aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, ac alia etiam ſpeciali expreſſione digna præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis,

Derogatio contrariis.

inſer-

insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præsentes publicandæ & transsumptis fides adhibenda.

§. 13. Ut præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Literarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 14. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, sanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Idus Junii Pontificatus Nostri Anno secundo.

D. 8. Junii 1725. P. A. secundo.

P. M. Card. Prodat.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco † Plumbi.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicatio. *Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vicesimo quinto, Indictione tertia, die verò 15. mensis Junii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI, Divinâ Providentiâ Papæ XIII. Anno secundo supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Baldum Apost. Cursorem.*

Antonius Pellicia Magister Cursorum.

V. Constitutio pro Civitate Beneventana, ad quam, variis terræ motibus labefactatam, extenditur Constitutio XXII. Gregorii Papæ XIII. incipiens: *Quæ publicè utilia*, ad ornatum Urbis Romæ augendum edita A. D. 1574.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. INter divinæ ultionis flagella, quæ in sacris Literis contra peccata hominum immittenda, in que sanctorum Patrum monumentis sæpe numero immissa nunciantur, terræ motus magnos præcipuo loco numerari didicimus. Nos ipsi, dum Beneventi, altissimi Dei voluntate in pastorali ministerio præpositi, adessemus, ejus potentiam & benignitatem ter manifeste vidimus, hoc flagello concussi. Nam & civitatem Nostram commoviisse, potentiæ fuit, & firmasse, benignitatis. Non enim mortem peccatoris vult Deus, sed eum converti, & vivere, ut terræ motus flagello prætereunte, metus non transeat, sed in cordibus Nostris supersit, eoque meliores efficiamur. Itaque tertio Nostri Archiepiscopatus anno recurrente, in prima concussione Beneventana, reliquarum summe terribili, cujus mentio Omnipotentis misericordiam Nobis ob oculos ponit, Nos cum toto Episcopio prostrati & consepulti, brachio Excelsi, & præsenti ope beati Philippi Nerii Confessoris, Cleri & civitatis patroni, inter communes ejulatus ex lamentabili strage & ruinis erepti fuimus. Sed contra evenit quamplurimis ovibus Nostris, ædificiorum mole obrutis & extinctis. Siquidem præter episcopium utraque basilica metropolitana, & beati Bartholomæi Apostoli, collapsæ sunt; ædes quoque virginum Deo sacrarum, cœnobia ordinum regularium, & magna pars afflictissimæ civitatis cum mœniis & turribus corruit; adeoque amplissimi Ducatus olim caput, ipsoque ævo Nostro clarissima civitas in tristitiam & luctum conversa est.

Beneventum terræ motibus, divinæ ultionis flagellis concussum.

§. 2. Nos ergo inscrutabili Dei providentia ex sede Beneventana ad Petri cathedram evectos decere arbitramur, post multas & graves pastoralis muneris curas hanc nequaquam negligere, ut civitas, in qua Dominus per totos octo triginta annos sedere nos voluit, eodem benedicente, Apostolatus Nostri largitatem experiantur. Quamobrem memoria repetentes damna, à tribus terræ motibus, & præsertim à primo, quem memoravimus, Benevento illata, civitatisque, beati Petri Apostolorum principis, Sedisque Apostolicæ imperio subjectæ, instaurationi pro debito officii Nostri in posterum consulere cupientes, Constitutionem pro hujus almæ Urbis Nostræ ædificiis ornandis ampliandisque, per felicis recordationis antecessorem Nostrum Gregorium XIII. editam, cum Benevento communem facere, atque ad ejus ornatum & commodum extendere decrevimus. Itaque quum novarum ædium, à Romanis civibus dilatandarum reædificationi, absque vicinorum jactura idem Gregorius antecessor Noster prospicere vellet, provida Constitutione anno tertio sui Pontificatus vulgata, cujus initium: *Quæ publicè utilia*, super hujusmodi novis ædificationibus, emendique, & retrahendi jure vicinorum domos, quædam à jure congrui non recedentia, sed æqua eidem & consona, in judiciis hac de re habendis, observanda, disposuit atque decrevit, ut in jam dicta Constitutione uberius legitur: quam totam hic renovatam, & præsenti huic Nostræ, veluti de verbo ad verbum insertam haberi, & censeri volumus. Nos vero, qui eandem Nostram civitatem Beneventanam, beati Petri fidelissimam filiam, verè paterno & nunquam, nisi nobiscum interituro amore complectimur, eandemque in dies per generosos cives novis ædificiis sacris & civilibus ornari & augeri cupimus, ut hoc facilius & alacrius peragatur, debitaque juris honestate servata promoveatur, prædictam Gregorianam Constitutionem, omniaque & singula in ea disposita, statuta, & servanda in dilatandis, ampliandisque ædificiis, emendisque, & retrahendis vicinorum domibus causa dilatationis, ampliationis, & ornatus ejusmodi, Nos Apostolica auctoritate, ad civitatis Beneventanæ utilitatem & beneficium perpetuò extendimus, diffundimus, & ampliamus, ita ut super emtionibus & retractibus domuum, sternendisque ejus-

Constitutio XXII. Gregorii Papæ XIII. pro Urbe Roma, ad civitatem Beneventanam extenditur.

dem civitatis viis & plateis, erigendisque privatis & publicis ædificiis, illius ornatum spectantibus, Gregoriana Constitutio semper & ubique observari debeat; judicesque in causis coram se ventilandis, ad formam ejusdem Constitutionis, & non aliter, definire & judicare teneantur.

In emendis retrahendisque vicinorum domibus pro locis Deo dicatis instaurandis, justum pretium tantum, & non amplius solvatur.

§. 3. Sed quia in eadem Constitutione Gregoriana expresse cavetur, ut, si quis in propria domo, fundo, solove ædificare voluerit, vicini suas domos, & loca, ejusmodi ædificiis utilia, seu necessaria, ut pote eidem domui, fundo, & solo contermina, neque ab ipsis culta, sive habitata, sed tantum locari solita, ei vendere omnino cogantur; pretio tamen aucto ad duodecimam partem, ultra æquum & congruum ejus æstimationis pretium faciendam; sique ædificio, quod insigne evasurum sit, perficiendo quæpiam domus, à proprio domino habitata, sive hortus, aliusve locus, muris cinctus, tali ædificio exstruendo cohæreat; tunc, eo jam cœpto, & à duobus saltem lateribus domui, horto vel loco ejusmodi cohærente, cujus æstimationem quadruplo ædificium illud sit excessurum, domus, horti vel loci dominus, etiam in illis habitans, cogatur ea vendere, aucto tamen ad quintam partem pretio solvendo; nos hæc perpendentes, & locis Deo dicatis, ut summum Pontificem decet, providere volentes, ædes sacras, monasteria, aliaque loca pia ab utroque hujusmodi pretio & augmento absolvimus, eximimus, & liberamus, Ecclesiasque, monasteria, aliaque loca pia, volumus & statuimus, ut tanti dumtaxat, non pluris, quanti domus & cætera loca, eorum domibus, fundis, ac solo vicina, juste æstimata fuerint, pro tali emptione & retractione solvere teneantur.

Hæc Constitutio in partem Beneventanæ civitatis ornatui magis favorabilem, semper explicanda & interpretanda.

§. 4. Ubi vero hæc omnia & singula, præsentibus Apostolicis Literis Nostris comprehensa, atque statuta, fortasse in aliquibus circa legitimum sensum in controversiam adduci contigerit, volumus & decernimus, in eam partem explicari debere; quæ civitatis ornatui magis favere videatur, semperque sive in judicio, sive extra judicium, ubique favorabilia censeri; atque ita ab universis judicibus, etiam Nostri Palatii Apostolici, & S. R. E. Cardinalibus, sublata quavis aliter explicandi, interpretandi & judicandi potestate, explicari, interpretari & judicari debere: sique secus fiat, id totum fore irritum & inane.

Pro hac Constitutione firmanda cæteris quibuscunque derogatur.

§. 5. Hæc autem fieri volumus atque statuimus, non obstantibus quibuscunque, & felicis recordationis Symmachi & Pauli II. antecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, legibusque etiam civilibus, dictæque civitatis Beneventanæ, & Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque religiosorum, sive piorum, ordinumque, bona ejusmodi possidentium, statutis, & consuetudinibus, nec non testantium voluntatibus, aliisque dispositionibus, etiam jurejurando, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis; privilegiis quoque & Literis Apostolicis, eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & locis, eorumque superioribus, capitulis & conventibus, seu populo Beneventano, & aliis quibuscunque, concessis, ac quibusvis Sedis Apostolicæ indulgentiis: per quæ præsentium executio, & per eas tributæ jurisdictionis explicatio posset quomodòlibet impediri vel retardari: quibus omnibus, eorum tenores pro plenè & integrè expressis habentes, de plenitudine potestatis derogamus cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam extensionis, ampliationis, renovationis, concessionis, sanctionis, indulti, decreti, & derogationis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Hanc Constitutionem nemo violare audeat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, pridie Idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. 12. Decembris 1725. P. A. secundo.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

Visa de Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Constitutio pro Tertiariis Ordinis Sancti Francisci. Universa privilegia toti Tertiariorum cœtui, in tres status distincto, à Summis Pontificibus concessa, confirmantur; ipsique Tertiarii omnimodæ jurisdictioni, & regimini Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, pro tempore exstituri, denuo subjiciuntur, & commendantur. VI.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Sedis Apostolicæ amor erga Dei famulos Tertiarios præsertim Beati Francisci.

§. 1. Paterna Sedis Apostolicæ providentia erga pios homines, sub habitu humilitatis & pœnitentiæ Deo famulantes, sæpe Romanos Pontifices antecessores Nostros impulit, pro eorum solatio & commodo pridem concessa approbare, & renovare, & jam approbata, rursus Apostolica auctoritate munire, ut eo firmiora persisterent, quo sæpius essent ejusdem Sedis auctoritate suffulta. Hinc, ut Ordinis *Tertiariorum*, Beati Francisci *de Pœnitentia* nuncupati, qui in tres status divisus, secularium scilicet, collegialiter viventium, & Regularium, magnos pietatis, & doctrinæ fructus in Ecclesia Dei semper protulit, & quotidie proferre satagit, quieti, regimini, atque incremento probè consuleretur, ab iisdem Romanis Pontificibus antecessoribus Nostris complures Literæ diversis temporibus jamdudum vulgatæ fuerunt, in quibus variæ gratiæ, concessiones, libertates, prærogativæ, favores, immunitates, exemptiones, indulgentiæ, declarationes, facultates, privilegia, & indulta eisdem immediatè, & directè, vel etiam per communicationem cum aliis Ordinibus, præsertim Fratrum Minorum, concessa, ampliata, extensa, & confirmata fuere, prout in ipsis Apostolicis Literis plenius, & uberius continetur.

Motiva hujus Constitutionis.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, per hujusmodi concessiones, ampliationes, declarationes, extensiones, communicationes, & confirmationes, adhuc omnimodæ ejusdem Ordinis, & illius professorum tranquillitati plene, ut decet, non consulatur; asserentibus nonnullis, gratias, & indulta hujusmodi non esse in usu, vel revocata, aut restricta fuisse, nec ea parte subsistere, quæ directionem, curam, & regimen eorumdem Tertiariorum concernit; sive Tertiarios tantùm Regulares, seu sub clausura, vel collegialiter dumtaxat viventes respicere, non autem alios in seculo commorantes; cum tamen idem Ordo pro utriusque sexus Christifidelibus in ipso seculo, & in conjugio, propriisque domibus manentibus, à Beato Francisco institutus, nonnisi quartodecimo labente seculo, in

Italia præsertim, ad statum religionis fuerit evectus, & propterea Tertiarios hujusmodi ab Ordinariis locorum alicubi controversiis, & litibus in dies molestari, ac perturbari contingat; non sine ejusdem instituti, & Fratrum ipsorum detrimento, & quietis jactura.

Lites, & controversiæ quæcunque abolentur, & extinguuntur.

§. 3. Ideo Nos, attenta consideratione pensantes, quantum utilitatis Catholicæ religioni, morumque instaurationi per humilitatis, suique abjectionis exempla Ordinis prædicti professores hactenus attulerint, & imposterum, juvante Domino, afferre valeant; ac proindè volentes, ut decet, eorum conservationi, incremento, & tranquillitati uberius providere, motu proprio, non ad ipsorum Fratrum, aut Sororum, nec alterius pro eis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, & ex certa Nostra scientia, ratione eorum, quam profitentur, altissimæ paupertatis, omnes, & singulas lites, ac controversias tum in prima, cum etiam in secunda, & ultima instantia actu pendentes, ac coram quibuscunque Judicibus, & Tribunalibus, quantumvis exemptis, & privilegiatis, etiam prævia commissione manu Nostra signata, vel coram Palatii Apostolici causarum Auditoribus, aut Sacris Congregationibus, necnon Nostris, & Sanctæ Sedis de Latere Legatis actas, ipsasque, earumque status, nomina, & cognomina judicum, & conlitigantium, aliorumque, necessario exprimendorum qualitates, & circumstantias præsentibus Literis Nostris pro sufficienter expressis habentes, & ad Nos advocantes, harum serie extinguimus, cassamus, & abolemus, perpetuumque silentium de cætero eis imponi volumus, & mandamus.

Omnia privilegia à Summis Pontificibus Tertio Ordini S. Francisci concessa approbantur & renovantur.

§. 4. Quascunque insuper Literas, & gratias, tàm spirituales, quàm temporales, concessiones, indulgentias, exemptiones, indulta, privilegia, communicationes, extensiones, libertates, prærogativas, favores, peccatorum remissiones, & similia, tam in genere, quàm in specie Fratribus, & Sororibus prædictis de Pœnitentia, eorumque Monasteriis, Domibus, Conservatoriis, aut aliis, quovis nomine nuncupatis habitationibus, Ecclesiis etiam, Oratoriis, & Cappellis vel immediatè, & directè, aut etiam per communicationem cum aliis Ordinibus, & præsertim Fratrum Minorum, à Romanis Pontificibus antecessoribus Nostris, quomodòlibet concessa, quorum tenorem, ac si de verbo ad verbum his Nostris Literis insereretur, haberi volumus pro expresso, harum serie approbamus, & confirmamus, ac pro potiori cautela, Apostolica auctoritate singula de novo concedimus, & largimur.

Triplex Tertiariorum status unum, & eundem Tertium Ordinem, sanctum, meritorium, & verum, non confraternitatem componit: quorum regula denuo confirmatur.

§. 5. Ut vero detractorum calumniis adversùs hunc Ordinem, quantum Nobis ex alto conceditur, occurramus, Antecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, qui hunc videndi modum, & formam approbarunt, vel confirmarunt, aut etiam summis laudibus extulerunt, Nos eundem sanctum, meritorium, & Christianæ perfectioni conformem, necnon verum, & proprium Ordinem, unum in toto Orbe ex Secularibus, aliisque collegialiter viventibus, & Regularibus promiscuè compositum, & à quacunque Confraternitate ex comprehensis in Bulla recolendæ memoriæ Clementis PP. VIII. omnimodè distinctum, utpote qui sub propria Regula, ab hac Romana Sede approbata, cum Novitiatu, Professione, & Habitu sub certis modo, & forma, prout cæteri Ordines tum Regulares, tum Militares, & alii hujusmodi consueverunt, dispositus reperitur; fuisse semper & esse decernimus, & declaramus; atque motu simili, Regulam prædictam à felicis recordationis Antecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Nicolao IV. pro Tertiariis utriusque sexus, & cujuscunque status, sive Ecclesiastici, sive Laicalis, quomodòcunque in seculo sub proprio tecto, ac in conjugio ipso degentibus, 16. Kalendas Septembris 1289. approbatam, à Clemente V. 3. Kalendas Septembris 1308. atque à Gregorio XI. 8. Idus Februarii 1372. aliisque in forma specifica confirmatam, necnon per Leonem X. pro personis, tria substantialia vota emittentibus, accommodatam, & appropriatam per quasdam suas Literas incipientes: *Inter cætera &c.* sub dat. Romæ 20. Januarii 1521. Nos denuo approbamus, & confirmamus, atque Apostolica auctoritate perpetuum firmitatis robur illis adjicimus.

Minister Generalis totius Ordinis Minorum, & Secundarii Superiores confirmantur in auctoritate supra omnes Tertiarios utriusque sexus.

§. 6. Sed quia accidit olim, & non sine animi Nostri dolore in dies etiam didicimus evenire, ut Fratres dicti Ordinis, Seculares præsertim, Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, & Provincialium respectivè, quorum curæ, & jurisdictioni hæc Sancta Sedes eos subesse voluit, obedientiam, & regimen detrectantes, & non parere, ut debent, sed imperare, quod non possunt, sæpius affectantes, omnia susque deque vertant, Regulamque prædictam, ac statuta, atque adeo Nostrorum etiam Antecessorum Constitutiones, quamvis contraria intendentes, atque præcipientes, inflectant in sensus suos, & multoties Ordinariis locorum, aut sponte sua, aut ad eorum Fratrum Tertiariorum instantiam, mittentibus, & quo prohibiti sunt, extendentibus manum in non suam hanc messem, pro bona fruge, quæ, ut desideranda est, etiam expectanda esset, zizania tantummodo producantur, Nos memoria recolentes, primum hunc Tertii Ordinis statum, Secularium nempe sub proprio tecto degentium, dum Institutis suis obedienter insisteret, non tantum pravos populorum mores in melius reformasse, sed etiam Sanctitatis egregiæ fructus uberrimos protulisse, cupientesque ipsum ad pristinæ observantiæ, quem tenuit apicem, revocare, motu simili, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascumque Literas Apostolicas, per quas aliqua superioritas, præeminentia, & auctoritas in ejusdem Instituti Fratres, & Sorores primario Ministro Generali prædicto totius Ordinis Minorum, aliisque secundariis Superioribus conceditur, & tribuitur, præsentium tenore non solum approbamus, & confirmamus, verum, & concessa renovamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & mandamus; speciatim verò quæ in Literis Innocentii PP. IV. incipientibus: *Vota Devotorum &c.* sub datum Lugduni Idibus Junii 1246. in aliis Nicolai IV. incipientibus: *Ungenitus Dei Filius &c.* sub datum apud Urbem Veterem 6. Idus Augusti 1290. in aliis Martini V. incipientibus: *Licet inter cætera &c.* sub datum Romæ 9. Decembris 1427. in aliis Sixti IV. incipientibus: *Romani Pontificis Providentia &c.* sub datum Romæ 18. Kalendas Januarii 1471. in aliis Alexandri PP. VI. incipientibus: *Exponi Nobis &c.* sub datum Romæ 16. Maii 1500. in aliis Julii II. incipientibus: *Exponi Nobis fecisti &c.* sub datum Romæ 15. Octobris 1507. in aliis Leonis X. incipientibus: *Superioribus diebus &c.* sub datum Romæ 14. Maii 1517. in aliis denique Beati Pii PP. V. incipientibus: *Ea est officii Nostri &c.* sub datum Romæ 5. Nonas Julii 1568. continentur, auctoritate,

& tenore præmissis de novo confirmamus, & renovamus.

Privilegia Apostolica Congregationum particularium extenduntur ad universum Tertium Ordinem.

§. 7. Extendimus deinde ad universum Tertii Ordinis gregem quæcumque Apostolica Indulta, aut privilegia, regimen, & directionem hujusmodi respicientia, pro una, vel altera Congregatione in particulari aliàs vulgata, & speciatim, quæ pro Tertiariis Ferrariæ in quibusdam Joannis, in sua obedientia nuncupati XXIII. incipientibus; *Cum privilegiis, & Litteris Apostolicis ambigitur &c.* sub datum Bononiæ 16. Kalendas Julii 1414. & aliis Pii II. pro Tertiariis regnorum Castellæ, incipientibus: *Pia Deo, & Ecclesiæ desideria, &c.* sub datum apud Abbatiam S. Salvatoris Clusii 111. Idus Julii 1462. aliis etiam Pauli III. pro Tertiariis Universæ Hispaniæ, incipientibus: *Exponi Nobis &c.* sub datum Romæ 14. Septembris 1537. aliisque ejusdem Pauli III. similiter pro Hispaniis, incipientibus: *Ad fructus uberes &c.* sub datum Romæ 5. Nonas Julii 1547. ac aliis Alexandri VII. pro Hispanis, incipientibus: *Exponi Nobis &c.* sub dat. Romæ 28. Julii 1657. sicuti, & aliis Innocentii XIII. pro Brasiliis, incipientibus: *Ordines, & Congregationes &c.* sub datum Romæ 23. Januarii 1724. edita, & publicata fuere, omnia, & similia, directionem, & regimen Ordini Fratrum Minorum attribuentia, Apostolica auctoritate confirmantes, ad gregem ipsum universum extendimus, & ampliamus.

Omnes Tertiarii, non tamen Regulares Italiæ subjiciuntur directioni Fratrum Minorum.

§. 8. Mandamus propterea universis, & singulis hujusmodi instituti professoribus, per universum Mundum existentibus, præsentibus, & futuris, cujuscumque status, gradus, & conditionis existant, ac tam in seculo sub proprio tecto, vel in conjugio ipso, quam collegialiter congregatis, aut etiam sub clausura sub tribus votis essentialibus degentibus, ut sicuti cum primo & secundo Ordine, Minorum scilicet, & Clarissarum, unum, & eundem Institutorem, Auctorem, & Patriarcham habent, ita unum, & eundem ipsiusmet Fundatoris legitimum Successorem, veluti Patrem, & Caput totius Seraphici gregis, atque trium Ordinum Beati Francisci primarium Generalem honorent, observent, & recognoscant; ejusque secundarios Delegatos, sive Provinciales, sive Guardianos, aut etiam Commissarios Visitatores, tanquam suos legitimos, & veros Superiores venerentur, ita ut ipsorum judicio in dubiis, aut controversiis circa Regulam, & Statuta se conforment, atque in iis omnibus, quæ concernunt Ordinem ipsum, nec Regulæ sunt contraria, illis pareant, & obediant: quod si secus fecerint, ab eisdem cassari, atque habitu spoliari possint; imò nullis proinde Tertiariorum gratiis, & privilegiis gaudere decernimus, & jubemus. Non intendimus tamen per hoc Tertiariis Regularibus Italiæ præjudicium aliquod inferre, aut in aliquo derogare Constitutioni felicis memoriæ Sixti PP. V. Antecessoris Nostri, incipienti: *Romani Pontificis Providentia &c.* sub datum Romæ 29. Martii 1586. sed eam in suo robore permanere decernimus; imo pro potiori cautela ipsam de novo confirmamus; idem omnino statuentes circa Moniales, tria Vota essentialia emittentes, aut etiam Tertiarias alias in Conservatoriis communiter tantum viventes, ut scilicet pleno jure visitationi, correctioni, & directioni Fratrum Minorum subjaceant, nisi aliter ab hac Sede reperiatur specialiter ordinatum.

Ministro generali totius Ordinis Minorum injungitur propagatio Tertiariorum per universum Orbem, eidemque Ministro facultas conceditur statuendi, quæ bonum eorum respiciunt.

§. 9. Injungimus autem eidem Generali Ministro totius Ordinis, ut Beati Francisci Patris sui vestigiis inhærendo, ubilibet intra Provincias per universum Orbem eidem commissas, hujusmodi Tertii Ordinis Congregationes Seculares, tam Fratrum, quàm Sororum per patentes Litteras suas, vel sui Commissarii Generalis erigere, ipsasque sic erectas, juxta Constitutiones, seu Statuta à felicis recordationis Paulo PP. III. Antecessore Nostro approbata, vel secundum alia in speculo Seraphico contenta, atque Directorio trium Ordinum inserta, nec non per recolendæ memoriæ Innocentios PP. XI. XII. & XIII. confirmata, quæ etiam præsentium tenore renovamus, & approbamus, confovere, & moderari curet, studeatque; nisi tamen eidem Generali Ministro, & Capituli Generalis Patribus, aliud in Domino videbitur expedire: quibus propterea plenum jus, ac liberam auctoritatem ea innovandi, immutandi, augendi, aut minuendi, ac alia de cætero statuendi, quæ bonum dicti Gregis regimen concernere possunt; dummodo tamen Regulæ præfatæ, sacrisque Canonibus non adversentur, ad tenorem litterarum Clementis PP. VII. incipientium: *Dum uberes fructus &c.* sub datum 15. Martii 1526. perpetuis futuris temporibus facultatem facimus atque largimur.

Solis Superioribus Minorum competit quoscumque recipere ad Tertium Ordinem, eisque Confessarium, & Visitatorem, qui præsideat & rationes examinet, adsignare.

§. 10. Insuper dicti Ordinis profectum, & incrementum præ oculis habentes, ac prædictis Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus inhærentes; eidem Generali Ministro privativè quoad alios quoscumque, concedimus, ut per secundarios Superiores, ad id opportuna, & necessaria facultate suffultos, utriusque sexus Christifideles juxta morem dicti Ordinis recipere, Commissarium etiam Visitatorem, seu Confessarium, moribus, vitæ sanctimonia, & ætate idoneum, qui ipsis Ecclesiastica Sacramenta ministret, ac de præceptis Regulæ instruat, Congregationes, seu Congressus convocet, & in ipsis, ac aliis quibuscumque actibus, & functionibus præsideat; duplex etiam in paritate suffragium ferat, assignare possit, ac valeat; nec non easdem Congregationes, & earum Domos, Conservatoria, Hospitalia, Cappellas, & Oratoria opportunis temporibus, vel per seipsum, vel per Ministros Provinciales, aut etiam Commissarios Visitatores, seclusis locorum Ordinariis, & aliis quibuscumque personis cujusvis status, gradus, vel conditionis existant, & quacumque auctoritate fungantur, visitare, ac instruere, & paterne corrigere, ac reformare tam in capite, quam in membris, ad cassationem usque Mantelli, & Habitus, quæ correctionis, aut reformationis officio cognoverit indigere, aliaque ad bonum dicti Ordinis, juxta ejus Constitutiones ordinare, & exequi, sicuti in Domino expedire animadverterit; & speciatim, ut quoties sibi placuerit, per Visitatores suos libros, & rationes redituum, ac bonorum ipsarum Congregationum examinare, & recognoscere possit, quin in eorum administratione, aut eleemosynarum perceptione, vel distributione se ingerant; sed tantùm, an videlicet Deputati, & Officiales piis operibus, ac legatis, oneribusque præfatæ Congregationi injunctis, atque impositis, debitis modo, & forma, & opportuno tempore satisfaciant, concedimus, & indulgemus; & pro potiori cautela, piæ memoriæ Innocentii PP. XI. dispositionem per suas litteras in forma Brevis, incipientes: *Exponi Nobis &c.* sub datum Romæ 10. Februarii 1688. circa rationem redituum per omnia Monasteria Monialium, eorumque Exactores Superioribus Ordinis Minorum reddendam, expresè confirmamus, & ad universas Tertii Ordinis Congregationes, sive Fratrum Secularium sub proprio tecto, sive etiam Sororum, collegialiter viventium, extendimus, & renovamus.

Tertiarii possint sub proprio habitu, & Cruce, vel sub Cruce Minorum publicis processionibus, & associationibus interesse: nec in loca, ubi jam sunt, alii introducantur.

§. 11. Volumus proinde, ut Tertiarii ipsi, sub proprio tecto viventes, in omnibus se præbeant hujus seculi contempores, atque eorum exemplo cæteri alliciantur, & ad humilitatem incitentur, ut sub propria Cruce, vel etiam sub Cruce Fratrum Minorum, ad publicas processiones, & ad associanda cadavera, aliasque Ecclesiasticas functiones se conferre, & sub proprio habitu, per Ordinis Constitutiones designato, incedere valeant, ac possint, tenore præsentium concedimus, & largimur; præcipientes pariter, ad evitanda jurgia, & contentiones omnibus & singulis, etiam inter Subditos prædicti Generalis Ministri non comprehensis, & facultate pro fundandis Tertiis Ordinibus secularibus prædictis per Sedem Apostolicam concessa gaudentibus, ne quocumque prætextu audeant uti hujusmodi privilegio ubicumque Tertium Ordinem repererint jam fundatum, eoque minus jam fundatas Tertii Ordinis Congregationes ad se recipere, si à Conventu recedere, apud quem, & sub cujus directione, ac gubernio erecti prius inveniuntur, recedere voluerint. Propterea declaramus omnia irrita, & mera attentata, quæcumque ab aliis, præter voluntatem antedictorum Superiorum Ordinis Minorum circa Tertios Ordines istos, aut innovari, aut mandari contigerit contra hanc nostram Constitutionem, Tertiosque Ordines memoratos in posterum erigendos ubi jam alii erecti, & fundati sunt, aut à Conventu, apud quem existunt, transferendos ad alium, præsertim eidem Generali Ministro nequaquam subjectum, inter Tertios Ordines approbatos ab Apostolica Sede habendos non esse, minusque gaudere Indulgentiis, & privileglis Tertio huic Ordini per eandem Sedem Apostolicam impertitis.

Confirmantur indulgentiæ Tertio Ordini concessæ.

§. 12. Ut autem Christifideles sacrum hoc Institutum ferventius quærant, & inventum non dimittant, libentiusque vaeent exercitiis pietatis, & humilitatis, à Beato Francisco in Regula sua præscriptis, omnes, & singulas concessiones, & gratias tam spirituales, quam temporales, indulgentias præsertim per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros uni, vel alteri Congregationi Tertii Ordinis hujusmodi, sive secularium, sive collegialiter viventium, sive etiam Religiosorum, eorumque personis, atque Monasteriis, Domibus, Conservatoriis, Ecclesiis, Hospitalibus, Cappellis, & Locis quibuscumque, tam directè & specificè, quam etiam per communicationem cum aliis Ordinibus, Minorum scilicet, Sanctæ Claræ, Prædicatorum, Augustinianorum, Carmelitarum, aliorumque Mendicantium, nec non cum Archiconfraternitatibus Cordigerorum, & Confalonis de Urbe, sub quacumque forma, & expressione verborum concessas approbamus, & confirmamus, atque de novo concedimus, & largimur; singulatim vero illas, quæ leguntur in Litteris felicis memoriæ Antecessorum Nostrorum Clementis PP. V. incipientibus: *Cum illuminatum sit &c.* sub datum 8. Maii 1305. & aliis Sixti PP. IV. incipientibus: *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines &c.* sub datum Kalendis Augusti 1479. in aliis Leonis X. incipientibus: *Dudum per Nos accepto &c.* sub datum 10. Decembris 1519. atque etiam aliis Clementis VII. incipientibus: *Ad uberes &c.* sub datum 1526. sicuti & aliis Pauli PP. III. incipientibus pariter: *Ad uberes fructus &c.* sub datum 8. Novembris 1584. aliis etiam Clementis PP. VIII. incipientibus: *Ratio Pastoralis Officii &c.* sub datum 20. Decembris 1597. atque aliis Pauli PP. V. incipientibus: *Cum certas &c.* sub datum 11. Martii 1607. Eas præterea, quæ aliis quamplurimis continentur, ut Innocentii PP. XI. incipientibus: *Universis &c.* sub datum 30. Septembris 1681. & *Ecclesiæ Catholicæ &c.* 28. Junii 1686. atque etiam: *Exponi Nobis &c.* 5. Septembris, & *Alias emanavit &c.* 10. Octobris ejusdem anni, nec non *Exponi Nobis &c.* 15. Maii 1688. sicuti & aliis Innocentii PP. XII. incipientibus: *Ad ea &c.* sub datum 24. Decembris 1692. *Et debitum &c.* sub datum 19. Maii 1694. nec non: *Sua Nobis &c.* 17. Kal. Januarii 1695. & *Cum sicut Dilectus &c.* 21. Novembris 1696. atque: *Exponi Nobis &c.* 3. Decembris 1697. sicuti: *Ex debito Pastoralis &c.* quæque aliis aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Litteris in favorem dicti Ordinis expeditis, continentur, auctoritate, & tenore præmissis renovamus, & confirmamus.

Clausula pro hujus Constitutionis observatione.

§. 13. Decernentes has nostras litteras Apostolicas semper & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosque toto plenarios, & integros effectus obtinere, & sortiri debere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet nunc spectat, & in futurum spectabit, firmiter, & inviolabiliter observandas, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, & qualibet causa, quantumvis pia, legitima, & juridica, etiam ex eo, quod Tertii Ordinis prædicti, & quicumque in præmissis, & circa ea quomodòlibet, & ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione, jus, vel rem habentes, aut habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi fuerint, & causæ, propter quas eædem Præsentes litteræ prodierint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individuam mentionem, ac expressionem requirente, defectu; sive etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint; aut ex quocumque alio capite, à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua, resultante, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causa, etiam in corpore juris clausa, occasione, aliave causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra, & aliis superius expressis nusquam appareret, seu aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris; aut aliud quodcumque facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seù quomodòlibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concesso, impetrato, seu vulgato uti, vel se juvare in judicio, vel extra, posse; neque ipsas præsentes Litteras Apostolicas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore extituros, & Sedem Apostolicam prædictam, etiam in crastinum assumptionis eorumdem Successorum ad Summi Apostolatus apicem, vel alias motu proprio, & ex certa scientia, ac consistorialiter, & ex

quibuslibet cauſis, & ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis; etiamſi de eiſdem præſentibus Litteris Apoſtolicis, eorumque toto tenore, ac Data ſpecialis mentio fiat, pro tempore factis, & conceſſis, ac faciendis, & concedendis, comprehenſas, ſed ſemper & omninò ab illis exceptas, & quoties illæ prodierint, toties in priſtinum, & validiſſimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data conceſſas eſſe, & fore, Sicque, & non aliàs in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, ac alios quomodolibet quavis auctoritate, poteſtate, prærogativa, & privilegio fungentes, ac honore, & præeminentia fulgentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quovis judicio, & quavis inſtantia, judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Miniſtro generali totius Ordinis Minorum injungitur hujus Conſtitutionis executio.

§. 14. Quocirca dilecto Filio actuali Miniſtro totius Ordinis Minorum, ejuſque Succeſſoribus pro tempore extituris per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe, vel per ſe, vel per ſuum Commiſſarium Generalem, ſive per Judices, Conſervatores ipſius Ordinis, aut etiam per alios quoscumque ſibi beneviſos, & ab ipſo Delegatos; præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties fuerit requiſitus, ſolemniter publicans, illiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat auctoritate noſtra, tanquam Commiſſarius Apoſtolicus ad hunc effectum ſpeciatim Delegatus, eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta hujuſmodi ab illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari; omneſque, & ſingulos, quos ipſæ præſentes litteræ concernunt, præmiſſorum omnium, & ſingulorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; non permittens, illos ſuper his à locorum Ordinariis, aut ab alio quocumque, quavis auctoritate fungente, quomodòlibet, & indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari; nullum, & inſubſiſtens declarans quidquid ſit, aut fuerit in contrarium factum; diviſiones, obſtacula, & perturbationes inter præfatum Tertium Ordinem, præſertim ſecularium, & contra ipſos Tertiarios prædicto Ordini Minorum, ut præmiſimus, ſubjectos, inſimulque rebelliones, ac ſublevationes adverſus Superiores, & Religioſos primi Ordinis, eorumque in prædictum Tertium Ordinem ſuperioritatem, correctionem, juriſdictionem, & privilegia ſub quocumque prætextu, ratione, vel cauſa exortas, latas, & deductas, non permittens; contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; legitimiſque ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

Contrariis derogatur.

§. 15. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus Dietis, dummodò ultra tres Dietas aliquis vigore præſentium ad judicium non trahatur; aliiſque quibuſdam forſan in contrarium præmiſſorum quomodolibet editis, vel edendis, ſpecialibus vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Tertii Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis irritantibuſque; & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac etiam Conſiſtorialiter, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium eorundem præmiſſorum conceſſis, approbatis, innovatis, & confirmatis; etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod illis per quaſcumque literas Apoſtolicas, etiam motu proprio, ac conſiſtorialiter, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, pro tempore conceſſas, quaſcumque etiam derogatoriarum derogatorias in ſe continentes derogari non poſſit, neque cenſeatur eis derogatum, niſi hujuſmodi derogationes conſiſtorialiter factæ, & per diverſas literas intimatæ fuerint: quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & cauſas, etiam quantumvis prægnantes, pias, & privilegiatas præſentibus pro plenè, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, inſertis, expreſſis, ac ſpecificatis habentes; illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum omnium, & ſingularum validiſſimum effectum, hac vice dumtaxat, latiſſimè, & pleniſſime, ac ſufficienter, nec non ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Hujus Conſtitutionis tranſſumptis habenda fides.

§. 16. Volumus præterea, ut earumdem præſentium literarum tranſſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus ex Secretariis Miniſtri, vel Commiſſarii generalis dicti Ordinis, ſive Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Officii ejuſdem Miniſtri, vel Commiſſarii, aut Procuratoris generalis ipſius Ordinis, vel alterius perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extrà adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nemo hanc Conſtitutionem violare audeat.

§. 17. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, innovationis, approbationis, conceſſionis, extenſionis, ordinationis, largitionis, Decreti, voluntatis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,

ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

D. 10. Dec. 1725. P. A. secundo.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri anno secundo.

Loco † Plumbi.

P. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

VII.

Constitutio Apostolica qua BENEDICTUS XIII. declarat & præcipit omnibus & singulis Congregationibus Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Indiarum, & Lusitaniæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum ut inter ipsos servetur uniformitas in Cantu Gregoriano, Rasura Barbæ, & Caputio Rotundo.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Declarat & præcipit ut in rubr.

§. 1. CUm, sicut accepimus, inter dilectos Filios Fratres Congregationum Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Indiarum, & Lusitaniæ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum multiplex, & magna diversitas tam circa recitationem Divini Officii in Choros, quod in quibusdam Conventibus, & Regionibus cum Cantu, & nota celebratur, quàm circa Habitum Regularem introducta sit; Quidam enim Religiosi Caputio Rotundo, alii verò acuminato utantur, ac denique alii Barbam oblongam deferant, alii è contrà eam totaliter radant. Nos, ut uniformitas in his omnibus ex commissi Nobis cœlitus Pastoralis Officii nostri debito servetur, providere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectis Filiis Vicariis Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus Prioribus, ac universis Fratribus Discalceatis Ordinis, & Congregationum hujusmodi, ut tàm ipsi, quàm cæteri omnes, & singuli earumdem Congregationum Religiosi Professi uniformitatem in Cantu Gregoriano, Rasura, & Caputio Rotundo omninò servare teneantur, harum serie præcipimus, & mandamus.

Clausulæ præservativæ.

§. 2. Decernentes ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seù in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci posse.

Decretum irritans.

§. 3. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, & Congregationum hujusmodi, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Transsumptorum fides.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium literarum transsumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. 22. Januarii P. A. secundo 1726.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 22. Januarii 1726. Pontificatus Nostri anno secundo.

F. Card. Oliverius.

Copia hæc cum suo Originali concordat de verbo ad verbum, in cujus rei fidem Nos subscripsimus. Fr. EUSTACHIUS A SANCTA AGNETE, *Procurator Generalis Augustinorum Excalceatorum Congregationis Gallicanæ. Romæ 2. Febr. 1726.*

VIII.

Pro recta justitiæ administratione, & litigantium, præsertim pauperum, utilitate de visitandis Causidicorum, & Notariorum officiis publicis, archivis, & curiis forensibus universis per S. R. E. Cardinalem, quolibet decennio eligendum: cui muneri obeundo nunc deputatur Eminentissimus Dominus Cardinalis. Vincentius Petra.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam

Summus Pontifex litigantium vexationes tollere satagit.

§. 1. SUmmi Apostolatus officium, divinitus humilitati nostræ commissum, eam sollicitudinem nobis imponit, ut per Antecessorum Nostrorum vestigia incurrentes, præter fructuosam Dominici agri culturam, negotia pariter, quæ in hujus almæ Urbis Nostræ publicis Magistratibus, judiciariis tribunalibus, & curiis forensibus per Notarios, Cursores, causarum Procuratores, & quoscumque Actuarios geruntur, incorruptè, sincerè, & minori, quo fieri potest, litigantium dispendio & incommodo, majorique eorumdem tribunalium, totiusque generalis curiæ decore, atque ornamento peragantur, ut litibus ad finem optatum perductis, ipsi litigantes ab indebitis vexationibus, assiduisque molestiis atque impensis tandem liberi evadant.

Diuturnæ litium ambages, & subterfugia omnino abolenda.

§. 2. Hæc nobis cogitantibus recti viri & justitiæ percupidi per suos libellos supplices, non sine magno animi nostri mœrore, significandum curarunt, quorumdam paucorum

calli-

calliditates, nullo pacto ferendas, eò deveniſſe, ut in eaſdem forenſes curias, ac tribunalia urbana, licet probis & ſpectatis viris frequentia, ſenſim irrepſerint: quæ, niſi illis mox occurratur, immodico juſtitiæ detrimento eo reſpicere videntur, ut litigantes diutiſſimè exagitent, liteſque, eorum artibus per varias ambages in foro circumductæ, doloſis ſubterfugiis interminabiles & perpetuæ reddantur, ita ut exiguam nummorum alteri creditam ſummam recuperaturus, diuturno judiciorum gyro irretitus, deque foro in forum tranſlatus, ſummam, ſibi debita longè majorem, impendere, & perſæpe, quod dolentes dicimus, à pecuniis & amicis imparatus, ob anguſtiam rei familiaris in deſperationem adactus juſtam cauſam prorſus deſerere, & rem ſuam amittere cogatur.

Clemens XI. Pont. Max. ut fraudes forenſes evellereret, generalem viſitationem curiarum & officiorum faciendam decrevit.

§. 3. Hæc quam dedeceant tabellionum & cauſidicorum nomina, quibus fides alieni juris commiſſa eſt, ſeriò Nos perpendentes, deque fori & curiæ urbanæ honore ſolliciti, quæ toto orbe ſuſpiciente, viris integerrimis, ſcientia & probitate conſpicuis, ſub Pontificibus Anteceſſoribus Noſtris maximè floruit, Eccleſiaſticis appellationum cauſis celerrime expediendis ex univerſis Chriſtianorum provinciis ad eam confluentibus; ne unquam, Nobis ipſis videntibus, pauci, ſuo nomine prorſus indigni, cæterorum probitatem & virtutis famam dehoneſtare videantur, gliſcenti malo conſulere decrevimus, cui alias felicis recordationis anteceſſor Noſter Clemens XI. pro ſua ſapientia conſulere ſtuduit. Is enim, ut hac in re publico bono proſpiceret, fraudeſque omnes in damnum litigantium latentes, vel emergentes, funditus evelleret, ſuo ſpeciali decreto, ſeu reſcripto, dato die 1. Decembris anni 1702. dilectum filium Galeatium Sacræ Romanæ Eccleſiæ tituli ſancti Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem Mariſcottum nuncupatum, virum cana fide, juſtitiæ zelo, rerum uſu, cæteriſque virtutibus commendatum, deputavit, qui ſingulas forenſes curias, & publica officia ſedulo inviſeret, quemadmodum vigilanti ſtudio, nec diſpari pietate & religione, quindecim menſium ſpatio præſtitiſſe compertus eſt.

Nova ſingulis decenniis curiarum, & officiorum forenſium viſitatio per S. R. E. Cardinalem facienda.

§. 4. Sed cum raro contingat, ut inter triticum zizania & lollium non pullulent ac ſuccreſcant, Nos iterum eo rem proceſſiſſe intelleximus, ut corruptelæ poſtmodum introductæ nova remedia ex paſtorali munere Noſtro vehementiſſime flagitent. Idcirco ad reipublicæ utilitatem, incorruptæque juſtitiæ normam ſancte cuſtodiendam, mentis Noſtræ oculos paterna caritate intendentes, præmiſſorum conſideratione, populis imperio ſancti Petri ſubjectis, ac quorumcumque litigantium indemnitati & ſolatio, quantum cum Deo poſſumus, conſulere volentes, motu proprio, ex certa Noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præſentibus Apoſtolicis Literis Noſtris decernimus & ſancimus, ſingulis decenniis per Nos & ſucceſſores Noſtros Romanos Pontifices, aliquem ex venerabilibus fratribus Noſtris Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, doctrina & rerum peritia inſignem, diligendum, qui auctoritate Apoſtolica, tantæ rei neceſſaria, pleniſſimè inſtructus, & huic muneri aptus, curias judiciarias viſitet, ac diligentiſſimè recognoſcat, an decreta, & ſanctiones, de iis benè gerendis per Romanos Pontifices anteceſſores Noſtros editæ, impleantur, novoſque abuſus, ſi qui ſint, tollere ſatagat, prout ejus prudentia opportunum cenſuerit.

Modus viſitationis quomodo faciendus.

§. 5. Hujuſmodi autem generalem viſitationem formalem & materialem, omnium & ſingulorum archiviorum, omniumque, & quorumcunque officiorum, & curiarum, in urbe exiſtentium, cum facultatibus neceſſariis & opportunis reformandi, corrigendi, ſtatuendi & decernendi peragere valeat. Ad hæc, omnia & ſingula Notariorum cujuſcunque curiæ, tribunalis & magiſtratus tam Eccleſiaſtici, quam ſecularis; Secretariorum Cameræ Apoſtolicæ, curſorum & mandatariorum officia, per ſeipſum viſitare, inſpicere, ſibique omnia expoſita & patefacta rimari & contrectare poſſit, diligentiſſime exploraturus ſcripturas, codices, & earum forulos & pluteos, ut plenè videat, an ea, qua decet fidelitate obſerventur, ſuæque executioni mandentur ordinationes, ab Anteceſſoribus Noſtris vulgatæ, præſertim vero quæcumque idem Cardinalis Mariſcottus in jam dicta viſitatione ſua obſervanda mandavit.

Cardinalis Viſitator quid facere debeat.

§. 6. Ad eumdem pariter Cardinalem Viſitatorem, nunc & in poſterum deputandum, pertinebit extrajudiciales informationes, quibus exacte inſtruatur, accipere, & quærere etiam, utrum recurſus ad Nos facti, eidemque Cardinali communicandi, vel alii, durante viſitatione, faciendi, circa quoſcunque abuſus & defectus in eaſdem curias introductos, vel introducendos, juſtitiæ & terminationi cauſarum, præſertim pauperum litigantium, ob futuros, vere inoleſcere, & exiſtere comperiantur. Quos ſi Cardinalis viſitator veros eſſe deprehenderit, vel fortaſſe alios etiam ſine cujuſcunque recurſu, in rebus judiciariis vigere obſervaverit, eidem incumbere volumus, ut de perſonis, actiſque ſecreto edoctus, unde ejuſmodi abuſus, debitum juſtitiæ curſum pro pauperibus litigantibus impedientes, oriantur, eos omnino tollere valeat, decretiſque & ſtatutis ſuis opportunis proſpicere, ne amplius introducantur. Notarios quoque, ſubſtitutos, curſores, mandatarios, & cauſidicos, cæteroſque in dolo repertos ad tempus ab officio ſine ordine judiciario, & ex conſcientia informata, ſuſpendere poſſit; ſique perpetua ſuſpenſione opus fuerit, de hoc Nos vel Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices monitos reddat. Quod etiam factum volumus quotieſcumque crimina, quibus gravior pœna debeatur, in eadem Viſitatione detegentur. Denique Cardinalis Viſitatoris oculata cognitio & circumſpecta prudentia Nobis Noſtriſque Succeſſoribus ſuggerere debebit quidquid amplius tanta res pro bono reipublicæ, & populi Nobis commiſſi tranquillitate poſtulare videbitur.

Aliæ facultates Cardinalis Viſitatoris.

§. 7. Ut autem celerius & expeditius, quo fieri poteſt, vota Noſtra, juſtitiam & æquitatem reſpicientia, ſuum exitum conſequantur, Cardinali Viſitatori facultatem impertimur mandata quæcunque, etiam vivæ vocis oraculo ex Nobis accepta, illis, ad quos pertinebit, referendi, & oretenus per Nos imperata executioni mandandi: quibus relationi & mandatis, juſſu Noſtro factis, plenam & indubiam fidem ab omnibus adhiberi, & firmiter obtemperari, tanquam mandatis Noſtris Apoſtolicis, omnino volumus & jubemus. Præterea eidem Cardinali, omnium curiarum viſitatori, facultatem his Litteris Noſtris concedimus eligendi pro eadem Viſitatione materiali & formali alios conviſitatores rerum peritos, ſeu Prælatos, ſeu forenſes & curiales viros, ſuo arbitrio, pro diverſitate curiarum viſitandarum, mutandos: qui conviſitatores ſuffragio conſultivo in rebus & caſibus ex arbitrio Viſitatoris pendentibus, potiantur. Idem etiam Cardinalis Viſitator ſibi Notariorum in munere cancellarii ſumat, & Curſorem, quos ex quacunque curia ſibi ſumendos judicaverit, eorumque opera in Viſitatione utatur ad conſcribenda, & quibus opus fuerit nuncianda decreta & acta: eoſdemque Notariorum & Curſorem pro arbitratu ſuo mutabit ſecundum curiarum diverſitatem. Idem porro

Notarius & Cursor à Cardinale Visitatore secum assumpti, exactè & fideliter suum munus in visitatione exequantur, pro laboribus suis debitam mercedem accepturi. Tota autem visitatio intra annum compleatur, ab initio ejus computandum, Nobis reservata facultate eam prorogandi, ut res postulare videbitur.

Amplissimus Cardinalis Petra primus Visitator deputatus.

§. 8. Jam vero primum hujusmodi Visitatorem, præmissis facultatibus, muneri opportunis, instructum, post maturam deliberationem, unum ex pluribus per Nos putavimus eligendum, dilectum filium Nostrum Vincentium Sacræ Romanæ Ecclesiæ tituli Sancti Onuphrii Presbyterum Cardinalem Petram nuncupatum, virum utraque jurisprudentia eximium, pari animi virtute atque integritate præstantem, rerum experientia & consilio apud recolendæ memoriæ decessores Nostros, utrumque Innocentium XII. & XIII. & eo amplius apud Clementem XI. Nosque ipsos, in plerisque hujus Romanæ Sedis gravibus negociis adhibitum & probatum, quodque hac in re magni refert, olim in curia forensi judicem. Hic ergo auctoritate Nostra munitus easdem curias visitabit, quæque corrigenda, emendanda, & moderanda censebit, emendare, corrigere, & moderari sataget, & litigantium utilitati, juxta animi Nostri sensum, propensamque ad sublevandos populos Nostros voluntatem, consulet, volentes, ut quæcunque ab eodem Cardinali Visitatore decreta, statuta, emendata, correcta, ordinatave fuerint in præmissis, ea inviolabiliter observentur, idemque firmitatis robur obtineant, quod illis inesset, si Nos ipsi eadem mandavissemus.

Clausulæ derogatoriæ hujus Constitutionis.

§. 9. Præsentes vero Apostolicas Literas Nostras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quovis alio defectu, etiam ex eo, quod forsan rem habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quacunque alia causa, quantumvis legitima & juridica, ac etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, aut in jus vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel sub quibuscunque aliis constitutionibus & Literis Apostolicis in contrarium, etiam pari motu, & consistorialiter editis, vel edendis, aut aliis quomodòlibet contrariis dispositionibus, nullatenus comprehendi posse, sed validas & efficaces semper fore & esse volumus: sicque, & non aliter per quoscunque judices, etiam causarum palatii Apostolici auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, & quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane, decernimus; non obstantibus eorumdem officiorum, archiviorum, & curiarum forensium erectionibus, constitutionibus Apostolicis, aliisque earumdem curiarum reformationibus, statutis, consuetudinibus juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis & renovatis: quibus omnibus, aliàs in suo robore permansuris, hac vice speciatim & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

D. 4. Febr. 1726. P. A. secundo.

Datum Romæ apud S. Petrum pridie nonas Februarias anno Dominicæ Incarnationis millesimo septingentesimo vicesimo sexto, Pontificatus Nostri anno secundo.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

Visa De CURIA J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vicesimo sexto, Indictione quarta, die verò 19. mensis Februarii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D.N.D. BENEDICTI Divinâ Providentiâ Papæ XIII. Anno secundo Supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Bartolottum Apostolicum Cursorem.

Nicolaus Capellus Magister Cursorum.

IX.

Regulare & claustrale institutum professos omnino prohibens quacunque de causa transire ad profitendam regulam alterius ordinis; in quo regularis & claustralis observantia non vigeat: item cujuscunque ordinis hospitalarii, aut militaris, vel etiam hospitalarii simul & militaris, licet in eis regularis & claustralis observantia vigeret. Facultas hujusmodi transitus imposterum concedendi reservatur uni summo Pontifici, præterea nemini.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam

Quid Tridentina Synodus, & Sanctus Pius V. statuerint de recipiendis ad professionem regularem.

§. 1. LIcet sacra Tridentina Synodus, ut integritati disciplinæ regularium prospiceret, provido consilio statuerit, neminem cujuscunque ordinis Prælatum, vel Superiorem vigore cujusvis facultatis aliquem ad habitum & professionem admittere posse, nisi, ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat: & licet Pius Papa Prædecessor Noster Constitutionem ediderit, qua omnia privilegia abrogavit, quibuscumque ordinibus, monasteriis hospitalibus, & locis piis olim concessa, excipiendi & retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, alioque, quamvis in ordine mitiori professos; prohibendo, ne illi imposterum ad habitum & professionem regularem admitterentur, etiam perpetuo manere & vivere deberent in claustro; nihilominus viri pietate & prudentia conspicui Nobis exposuerunt, se longa experientia didicisse, nosque ipsi, qui, Deo favente, hac ipsa die regulare institutum Ordinis Prædicatorum in adolescentia professi fuimus, & adhuc profitemur, sæpe longo usu cognovimus, prædictas sanctiones & cautelas pro recta ordinum regularium disciplina, adversus calliditatem & malitiam hominum tuenda, parum sufficere. Siquidem compluries contigit, & in dies contingere videmus, quospiam, ordinis regularis, & claustralis institutum professos, deinde postquam illud apostasia deseruerunt, vel etiam aliquando sine apostasia, peculiares ob causas, ejusmodi transitus facultatem postulare & impetrare consueviisse à propriis Superioribus, se privilegium subditis suis regularibus eumdem transitum ad alias religiones concedendi, habere jactantibus; vel ejusmodi facultatem sibi dari procurare à S. R. E. Cardinalibus Legatis, vel ab ejusdem Ecclesiæ Cardinali majori Pœnitentiario, & non raro à Nostræ civitatis Avenionensis Vicelegato, vel ab alterutra ex Congregationibus venerabilium Fratrum Nostrorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negociis Episcoporum & Regularium præposita, & sacri Concilii Tridentini interpretum. Quæ facultas transeundi ad profitendam regulam alte-

Sessione XIV. *cap.* 11. *Sessione* XXX. *cap.* 29.

Const. XXXIX.

rius religionis, in qua nulla vigeat clauſtralis & regularis obſervantia; vel in aliam religionem hoſpitalariam, aut militarem, vel hoſpitalariam ſimul & militarem, ubi etiam vigeat clauſtralis & regularis obſervantia, compluribus decretis earumdem Congregationum, & optimo ſtatui ordinum regularium maximè opponitur.

Profeſſi ordinem regularem & clauſtralem prohibentur tranſire ad ordinem in quo regularis & clauſtralis obſervantia non vigeat, atque etiam ad ordines militares, & hoſpitalarios, in quibus regularis & clauſtralis obſervantia vigeat.

§. 2. Quare præcipua ſollicitudo noſtra erga omnes regulariam familias, quas veluti acies caſtrorum, ad excubias militantis Eccleſiæ ordinatas, magno & vere paterno amore complectimur, nos monet, ut præſenti Conſtitutione, in ſuo pleno robore & vigore perpetuis temporibus duratura, integriori eorumdem regularium diſciplinæ providentes, prædictam corruptelam evellere ſtudeamus. Itaque omnibus & ſingulis Regularibus, in quocunque Regulari & clauſtrali ordine profeſſis, tranſitum ad quemcunque alium ordinem in quo clauſtralis & regularis obſervantia non vigeat, poſt maturam hac de re habitam deliberationem, motu proprio, & ex certa ſcientia omnino prohibemus. Tranſitum etiam ad quemcumque ordinem hoſpitalarium, vel militarem, vel hoſpitalarium ſimul & militarem, etiamſi in hujuſmodi ordinibus clauſtralis & regularis obſervantia vigeret; ac etiamſi ageretur de apoſtata, vel non apoſtata, à primævo ſuo ordine ad ejuſmodi alium tranſire volente, pari modo prohibemus. Inſuper quibuſcunque Superioribus regularium, S. R. E. Cardinalibus Legatis ejusdem R. E. Cardinali majori Pœnitentiario, Nunciis Apoſtolicæ Sedis, Vicelegato Avenionenſi, utrique Congregationi Cardinalium, negotiis Epiſcoporum & regularium præpoſitæ, ſacrique Concilii Tridentini interpretum, per præſentes tollimus, revocamus, & abrogamus quæcunque privilegia, auctoritates, facultates, & conſuetudines, ejuſmodi tranſitum concedendi cuicunque regulari clauſtrali, apoſtatæ, vel non apoſtatæ, quacunque de cauſa; quamvis etiam conſenſus, tam Superioris, in cujus ordine antea profeſſus fuerit, quam alterius Superiores in cujus ordine novam profeſſionem emittere voluerit. Nobis autem noſtriſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus pro tempore exſtituris ſimiles conceſſiones penitus reſervamus, itaut in poſterum S. R. E. Cardinales Legati, ejusdem S. R. E. Cardinalis major Pœnitentiarius, Nuncii Apoſtolicæ Sedis, Vicelegatus Avenionenſis, prædictæque Congregationes in examine libellorum ſupplicum, hujuſmodi tranſitus poſtulantium, hac de re nihil omnino decernere poſſint, niſi noſtro vel Romani Pontificis pro tempore exſtituri ſpeciali reſcripto, ejuſmodi libelli ſupplices ad illos remiſſi fuerint: quo reſcripto etiam obtento, nihilominus tranſitus facultatem, etiamſi cauſæ ejus concedendi ſummæ viderentur, nullo modo concedere valeant, niſi poſtquam nobis, & pro tempore exſtituro Romano Pontifici, totius rei diſtincta & accurata relatio facta fuerit, & poſtquam à nobis ipſis vel à Romano Pontifice, pro tempore exſtituro earumdem cauſarum pondus approbatum, & tranſitus facultas conceſſa fuerit.

Tranſitus regularium, non obſervata hac Conſtitutione, nulli & invalidi.

§. 3. Eiſdem vero præſentibus litteris noſtris quoſcunque tranſitus, non obſervato ad unguem harum tenore, impoſterum faciendos, nullos & invalidos fore & eſſe declaramus; Ordinariis locorum concedentes, vel ad illos extendentes eamdem facultatem procedendi in eos, qui deinceps, præſenti Conſtitutione non obſervata ad alium ordinem tranſire, auſi fuerint, quam Tridentina Synodus Ordinariis conceſſit in regulares extra monaſteria vagantes, & crimina committentes.

Seſſione VI. *cap.* III

§. 4. Decernimus quoque præſentes de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quovis alio defectu notari, ſeu impugnari, aut quacunque ratione, tanquam fortaſſe contra alias Apoſtolicas, canonicaſque ſanctiones, jam pridem uſu receptas, facientes, aut quovis alio quæſito colore, in jus & controverſiam vocari, aut invalidari, ac ad terminos juris reduci, non poſſe; ſed ſemper validas, efficaces, ac perpetuo duraturas: ſicque in præmiſſis univerſis & ſingulis per quoſcumque judices ordinarios, & delegatos, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ac cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, & definiendi facultate, & auctoritate, judicari, interpretari, & definiri debere; nec non irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta pro firmitate

§. 5. Quocirca mandamus univerſis locorum Ordinariis, ut, quando, ubi, & quoties opus fuerit, eaſdem præſentes ſolemniter publicantes, eis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant, non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Conciliis etiam generalibus editis quibuſcunque: nec non ordinibus ejuſmodi, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis: privilegiis quoque, indultis, Litteris Apoſtolicis, eisdem ordinibus, illorumque ſuperioribus & fratribus, quomodolibet, etiam plures conceſſis & approbatis: quibus omnibus & ſingulis etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè motu ſimili derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Clauſulæ derogatoriæ

§. 6. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, prohibitionis, decreti, mandati, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei temerario auſu contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo ſexto, Idibus Februariis, Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

D. 13. Febr. 1726. P. A. ſecundo.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

Viſa De CURIA *J. Archiepiſcopus Ancyranus.*

L. Martinettus.

Anno à Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo ſexto, Indictione quarta verò die 19. *menſis Februarii Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D.N.D. BENEDICTI Divinâ Providentiâ Papæ XIII. Anno ſecundo Supradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis per me Franciſcum Bartolottum Apoſtolicum Curſorem.*

Nicolaus Capellus Magiſter Curſorum.

X.

Constitutio Renovatoria Bullæ *Apostolici Ministerii* circa disciplinam præsertim Regularem pro Regnis Hispaniarum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

PAstoralis Officii sollicitudo nos admonet in his vigilantiæ, & auctoritatis Nostræ partes libenter interponere, ut quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris ad Dominici Gregis, animarumque salutem, & directionem providè constituta reperiuntur, suum plenarium sortiantur effectum.

Querela de dictæ Constitutionis inobservantia & contra eam hactenus gestorum annullatio.

§. 1. Cum itaque quamplurium ex Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Regnorum Hispaniarum literis non ita pridem intellexerimus, Constitutionem pro Ecclesiasticæ disciplinæ in eisdem Regnis conservatione, & instauratione à fel. record. Innocentio PP. XIII. Prædecessore Nostro die 13. Maii 1723. post maturum consilium editam, quæ incipit: *Apostolici Ministerii &c.*, ac subindè à Nobis per quasdam Nostras in simili forma Brevis die 23. Septembris 1724. desuper expeditas litteras, quibus totum ipsius Constitutionis tenorem inseruimus, confirmatam, & innovatam per nonnullos præsertim Regulares in dd. Regnis degentes haud omninò, ut par erat, servari, quinimo ejus executionem variis artibus, inanibusque prætextibus retardari, atque eludi; graviter commoti fuimus, nec defuimus conceptum inde dolorem, ac indignationem Nostram cum Superioribus generalibus ipsorum ordinum communicare, eisque disertè explicare firmam, constantemque voluntatem, ac intentionem Nostram esse, ut memorata Constitutio promptæ, & omnimodæ executioni demandaretur, & in transgressores, seu inobedientes condignis pœnis animadverteretur: Ipsi vero Superiores Generales pro ea, qua præditi sunt, prudentia, probitate, & filiali in Nos, & hujus S. Sedis mandata obsequio, id contra, & præter eorum mentem, ac non sine intimo animi sui mœrore accidisse Nobis, ingenuè declararunt, vehementer etiam improbantes quidquid contra eamdem Constitutionem scripto, vel facto attentatum fuerit per aliquot suos subditos, pro quibus erroris, ac noxæ veniam à Nobis suppliciter implorarunt, simulque polliciti sunt sedulam se daturos operam, ut quæ in ea facienda, servandaque præscribuntur, ab omnibus, & singulis suis Religiosis absque mora adimpleantur. Licèt autem Nos non minus ad enixas eorumdem Superiorum Generalium preces, quam ob peculiarem paternæ charitatis affectum, quo Religiosas semper prosequuti sumus, & prosequimur familias, in quarum altera, inclito nempè Fratrum Prædicatorum Ordine diù versati sumus à pœnis adversus dictos transgressores infligendis abstineamus, nihilominùs quæcumque hactenus ad remorandam, sive eludendam, aut quomodolibet impediendam prædictæ Constitutionis executionem à nonnullis ex præfatis Regularibus scripta, acta, & gesta fuerunt cum inde sequutis, & quandocumque sequuturis, autoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, & damnamus, ac pro reprobatis, & damnatis ab omnibus haberi volumus, & decernimus.

Uberior declaratio dispositionis.

§. 2. Præterea graviùs mentis Nostræ super eadem Constitutione testimonium, ac Judicium perhibere volentes, districtè, ac in virtute sanctæ Obedientiæ Nobis Vicaria Christi potestate in Terris fungentibus ab Universis Christifidelibus debitæ, harum, serie denuò præcipimus, & mandamus, ut exactè, & inviolabiliter, omnique colore, prætextu, titulo, & contraria quavis interpretatione prorsùs sublatis, serventur omnia, & singula in enarrata Innocentii Prædecessoris Constitutione sancita, ordinata, declarata, ac quoquo modo contenta, quæ Clerum tùm Secularem, tùm Regularem prædictorum Regnorum concernunt, etiam juxtà formam in hisce literis Nostris, ut infra, præscribendam. Cum igitur in eadem Constitutione inter alia cautum fuerit, ne in Monasteria, Conventus, & Domos tàm Virorum, quàm Mulierum plures Personæ reciperentur, quam quæ vel ex proventibus ipsorum Monasteriorum, Conventuum, aut Domorum, sivè ex consuetis eleemosynis, aliisque obventionibus in commune conferendis possint commodè substentari; Hinc pro firmiori saluberrimæ istius sanctionis robore statuimus, ut Superiores eorumdem Monasteriorum, Conventuum, & Domorum subditis suis, sivè Clericis, sivè Conversis ibidem degentibus subministrari curent, & faciant omnia ad victum, & vestitum necessaria; Et si plures Religiosos in aliquo Conventu nunc existere compertum fuerit, quàm in eo juxtà modum præmissum sustentari valeant, Superior Provincialis, sivè Prælatus eos ad alterum ejusdem Provinciæ Conventum, qui ipsorum sustentationi idoneus, & sufficiens sit, statim transferat; Quatenùs verò numerus Religiosorum in singulis Provinciis degentium, vires Conventuum uniuscujusque Provinciæ respectivè excedat, non alii deinceps ad Religiosum habitum in ea suscipiendum admittantur, donec per obitum hodiè viventium illo redactus sit, ut commodè ali valeant: Dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Nostro, & Apostolicæ Sedis in eisdem Hispaniarum Regnis Nuncio seriò injungentes, quatenùs sedulò curet, ut præmissa plenarium suum effectum obtineant, prout illi in dicta Constitutione demandatum fuerat.

De observatione Decretorum super collatione Ordinum.

§. 3. Similiter volumus, ut in promotione Regularium ad Ordines, decretum piæ memoriæ Clementis PP. VIII. Prædecessoris etiam Nostri, juxta memoratam Constitutionem accuratissimè observetur, districtè quoque inhibentes omnibus Archiepiscopis, & Episcopis præfatis, ne eosdem Ordines conferre præsumant alicui Regulari, qui vel in Monasterio, siue Conventu intra suam Diœcesim sito non degat, vel si de familia Monasterii, seu Conventus alterius Diœcesis fuerit, litteras dimissorias sui Superioris Regularis non exhibeat, servata in præmissis decreti Clementis, ac Constitutionis Innocentii Prædecessorum prædictorum dispositione.

De Sanctimonialium clausura custodienda.

§. 4. Eisdem quoque Archiepiscopis, & Episcopis sub interminatione Divini Judicii denuò præcipimus, ut quibuscunque mulierum Monasteriis tam sibi subjectis, quàm etiam quomodolibet exemptis, omni studio, ac diligentia incumbant, & advigilent executioni eorum, quæ pro custodienda Sanctimonialium clausura, impediendoque in dicta Monasteria exterorum ingressu, tum in Sacri Concilii Tridentini Decretis, tum in Constitutione similis memor. Gregor. PP. XIII. Prædecessoris itidem Nostri, quam idem Innocentius Prædecessor in præfata sua Constitutione innovavit, desuper sancita fuerunt.

De confessionibus Regularium.

§. 5. Porrò injungimus quoque exactam ejusdem Innocentii Constitutionis observantiam circa Confessiones à Regularibus prædictis, nec etiam ex Indulto, quod eis competere perperam prætenditur in vim Bullæ Cruciatæ Sanctæ nuncupatæ, nec

ex alio quocumque privilegio expediendas abſque præcedente approbatione, & licentia Ordinarii pro tempore exiſtentis loci, in quo Sacramentum pœnitentiæ miniſtretur, ſervata quoque limitatione, quæ in ipſa licentia ab eodem Ordinario adjecta fuerit, vel quoad tempus, vel quoad locum, vel genus Perſonarum; Declarantes, quod in omnibus caſibus prædictis confeſſiones aliter factæ, & reſpectivè exceptæ nullæ, atque invalidæ, ipſique Confeſſarii eo ipſo ſuſpenſi erunt.

Super Epiſcopi Diœceſani approbatione obtinenda pro audiendis Monialium Confeſſionibus.

§. 6. Ad hæc rursùs prohibemus, atque interdicimus, ne Regulares cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti excipere audeant Confeſſiones Monialium, etiam eorum regimini ſubjectarum, & ab Ordinarii Juriſdictione quomodolibet exemptarum, niſi, ultra licentiam ſuorum Superiorum Regularium, examinati fuerint, & pro ipſarum Monialium Confeſſionibus audiendis ſpecialiter approbati ab Epiſcopo Diœceſano; Et ſi ſecùs factum fuerit, tunc quoque Confeſſiones irritas, & Confeſſarios ipſo Jure ſuſpenſos fore itidem declaramus; Ab hujuſmodi tamen lege, & ordinatione ad ſupplicationem Dilecti Filii Noſtri Ludovici S. R. E. Cardinalis Belluga, & Moncada nuncupati eximimus Superiores Generales, ac etiam Provinciales cujusvis Ordinis Regularis, quibus, ut Confeſſiones Monialium ſibi tamen ſubjectarum dumtaxat, abſque iſtiuſmodi ſpeciali approbatione Epiſcopi Diœceſani audire licitè, & validè poſſint, permittimus, & indulgemus.

Pœna contravenientium Decreto circa deputationem Confeſſarii extraordinarii pro Monialibus.

§. 7. Et quia mentis, ac intentionis Noſtræ eſt, ut remota quavis diverſa intelligentia, & interpretatione præcisè ſerventur ea, quæ in eadem Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutione ſuper aſſignatione, ſeù deputatione Confeſſarii extraordinarii Monialibus ſub Prælatorum Regularium gubernio viventibus diſpoſita fuerunt, ſtatuimus quoque, ut Superiores, qui Decretum illud quocumque titulo, vel prætextu non ſervaverint, vel ejus executioni aliquod impedimentum directè, aut indirectè præbuerint, ipſo facto ſuſpenſionem ab eorum Officiis, nec non privationem vocis tam activæ, quam paſſivæ incurrant.

It. infringentium Decreta de Oratoriorum privatorum Miſſis & uſu Altaris portatilis.

§. 8. Eiſdemque pœnis eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis ſubjicimus etiam Regulares, qui ſancitis, & ordinatis tum à rec. memor. Clemente PP. XI., tum ab ipſo Innocentio Prædeceſſoribus quoad celebrationem Miſſæ in Oratoriis privatis, ſive eorumdem Regularium Cellis, nec non uſum Altaris geſtatorii, ſeù portatilis qualitercumque contravenerint, ſeù minimè obtemperaverint.

Clauſulæ præſervativæ.

§. 9. Decernentes pariter eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari debere; ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenùs opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, & quorumvis Monaſteriorum, Conventuum Eccleſiarum, Locorum Piorum, aliisvè quibuſvis etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, ac præſcriptionibus quantumque longiſſimis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Monaſteriis, Conventibus, Eccleſiis, & Locis Piis prædictis, illorumque reſpectivè Superioribus, aliisvè quibuſlibet perſonis, etiam ſpecialiſſima mentione dignis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis irritantibuſque, & aliis Decretis etiam motu proprio, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in genere, vel in ſpecie, aut alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & inſererentur, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Derogatio contrariis.

Publicationis Mandatum & tranſſumptorum fides.

§. 11. Ut autem eædem præſentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranen., ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos quos illæ concernunt, perinde arctari, & affigere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; utque ipſarum litterarum tranſſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides tàm in Judicio, quàm extrà illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 27. Martii 1726. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

Die 27. Martii 1726. P.A. ſecundo.

F. Cardinalis Oliverius.

Loco ✠ Annuli Piſcatoris.

Publicatio.

Anno à Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Indictione quarta, die verò 28. *menſis Martii, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divinâ Providentiâ Papæ XIII. anno ſecundo ſupradictæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicarum Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Mariæ Majoris, Cancellariæ Apoſtolicæ, Montis Citatorii, & in Acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Marchetti Apoſt. Curſ.*

Nicolaus Capelli Mag. Curſ.

Litteræ

X. Literæ quibus gratiæ, & privilegia à ſan. mem. Clemente PP. XI. aliàs conceſſa Academiæ Theologicæ in Archigymnaſio Sapientiæ de Urbe erectæ confirmantur, & innovantur, aliaque plurima pro ſalubri ejuſdem Academiæ directione, præſidio, & incremento conceduntur, cum diverſis ordinationibus.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IN Excelſa Sedis Apoſtolicæ ſpecula conſtituti, illa, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, ad excitanda Sacrarum Literarum, & bonarum Diſciplinarum ſtudia, debitumque virtuti honorem rependendum, prudenti diſpoſita conſilio, & felici, fauſtoque inchoata eſſe noſcuntur principio, proſequi, & quantùm Nobis ex alto conceditur, perficere ſtudemus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis, rationi, ac recto ordini conſentaneum fore in Domino arbitramur.

Tenor Conſtitutionis Clementis XI. emanatæ ad favorem Academiæ Theologicæ. §. 1. Aliàs ſiquidem emanarunt à fel. rec. Clemente PP. XI. Prædeceſſore Noſtro, ad favorem Academiæ Theologicæ nuncupatæ non ità pridem in Urbe inſtitutæ, Literæ in ſimili forma Brevis tenoris, qui ſequitur videlicet.

Clemens Papa XI. Ad perpetuam rei memoriam. Inſcrutabili Divinæ Bonitatis, atque ſapientiæ providentiâ ad Eccleſiæ Catholicæ per univerſum Terrarum Orbem diffuſæ regimen, meritis licet imparibus, evecti, inter multiplices Paſtoralis vigilantiæ Noſtræ curas, Sacrarum Literarum, ac præſertim Theologicæ Facultatis ſtudia, per quæ depulsâ ignorantiæ caligine mortalium mentes luce veritatis illuſtrantur, ad ſupernæ Deitatis eſſentiam veraciter contemplandam iter panditur, ſana doctrina aſſeritur, Catholicæ Fidei puritas ab Hæreſibus, praviſque Dogmatibus gladio ſpiritus vindicata eniteſcit, illiuſque, & Divini Cultus propagationi, ac aliis Chriſtianæ Reipublicæ commodis conſulitur, ubique locorum, ac præcipuè in hac Alma Urbe Noſtra, ex quâ Doctrinæ, & bonorum operum exempla in reliquas Chriſtiani Orbis partes aſſiduè promanant, quantùm Nobis ex Alto conceditur, promovere, excitare, & confovere ſtudemus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæque Decus, & præſidium, ac Chriſtifidelium utilitatem cognoſcimus in Domino ſalubriter expedire. Cum itaque aliàs, nempè ab ipſis Pontificatus Noſtri primordiis, quædam Academia Theologica nuncupata, in qua plures in ea facultate verſati, ac etiam Magiſtri, ſeù Doctores, aut aliàs graduati ad pleniorem, & ſublimiorem Sacrarum, Divinarumque rerum cognitionem aſpirantes, Sanctæ Theologiæ, nec non Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Diſciplinis præcipuam, ſedulamque operam laudabiliter hactenùs navarunt, & adhuc indefeſſis ſtudiis navare non deſiſtunt, ſub auſpiciis Noſtris, ac Nobis annuentibus in Urbe præfata erecta, ſeù inſtituta ſit, eique uſum loci in ædibus publici Gymnaſii Sapientiæ nuncupati ejuſdem Urbis pro ſuis Conventibus habendis, & functionibus peragendis, ſub certis modo, & forma tunc expreſſis aſſignaverimus, & conceſſerimus, & ſicut plurimorum præſtantium Virorum teſtimonio, imò etiam nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, qui Literariis ipſius Academiæ exercitationibus, & diſceptationibus ſæpiùs interfuerunt, relatione accepimus, Dilecti Filii Academici eidem Academiæ adſcripti, notabiles in prædictis Diſciplinis progreſſus jam fecerint, & in dies facere pergant, unde non obſcura ſpes affulgeat, fore ut dicta Academia, benedicente Domino, non ſolùm majora in poſterum ſuſcipiat incrementa, verùm etiam ſuaviſſimos, ubereſque fructus in Eccleſiâ Dei quandoque proferat, in eumque finem prædicti Academici pro recto, ac felici Academiæ hujuſmodi gubernio nonnullas Conſtitutiones, ſeù Statuta, quæ per bon. mem. Thomam Mariam, dum vixit, ejusdem S. R. E. Cardinalem Ferrarium Sancti Clementis nuncupatum juſſu Noſtro reviſa, & ſubindè approbata fuerunt, jam pridem condiderint, quorum tenor eſt, qui ſequitur videlicet. *Conſtitutiones Academiæ Theologicæ. Academiam Theologicam ſolùm illis patere volumus, qui Theologiæ ſaltem quadriennio ſedulam operam navarunt. Horum ingeniis exercendis, perfectaque doctrina imbuendis bis in hebdomada ſcilicet feria tertia, & ſexta de Sacris, Diviniſque rebus diſputabitur. Alternis Theologica, alternis hiſtorica diſputatio erit; identidem verò vel ad Noſtræ Religionis dogmata pertinentes controverſiæ, vel ad Sacras Literas diſceptabuntur. Ab exercitationibus vacatio erit à Dominica Sexageſimæ ad Dominicam Quadrageſimæ; à die Palmarum ad diem Dominicam in Albis, & à decimo ſexto Kalen. Octobris ad decimam quintam Kalen. Decembris. Ex univerſa Theologia, atque Hiſtoria Eccleſiaſtica præcipuæ quæſtiones à Cenſoribus ſelectæ triennii diſputationibus abſolventur: eorumdem judicio, quæ in contrarias partes diſputari poſſunt, quæve in alteram tantùm decernetur. Ordo in Theologicis ad ſummam Divi Thomæ; in Hiſtoricis ad ſeriem temporum accommodabitur. In quocunque Conventu Academicus, cui id fuerit injunctum, primùm ea, quæ in quæſtione verſantur, breviter, ac luculenter explicabit; dùm duo cum eo ſolidam horam diſceptando decertabunt, ille eorum argumenta, & conquiſitas rationes acutè refellet, & confutabit. Quilibet Academicus exacto anno ſolemnem diſputationem habebit; ſex horas, tres antè, tres poſt meridiem diſputabit. Omnes Academicorum munia triennio ſaltem obibunt, & labores quà diſputando, quà in ſolemnibus diſputationibus accuratè diſceptando ſuſtinebunt: Completo triennio proximum à Cenſoribus locum, ac Sedem honoris ergo habebunt, de omnibus; quæ ab Academicis conſciſcentur, ſuffragium ferent. Quicumque ſex annos Academici munia obierit, & labores ſubierit, inter Cenſores referendus. De controverſiis diſceptandis Cenſoris judicium erit; unus minùs ſolemnibus, tres ſolemnibus diſputationibus præſidebunt: quid de illis ſentiant, judicabunt; ſuffragia occulta erunt. Soli Academico à ſecretis nota, ut poſſit, cum fuerit opportunum, doctrinæ cujuſque teſtimonium perhibere. Academicus à Secretis, qui & Cenſor erit, cunctis ſolemnibus diſputationibus unà cum duobus aliis Cenſoribus præerit, non ſolemnibus, tunc cùm Cenſorem non adeſſe contigerit. Diem ſolemnibus diſputationibus ſtatuet; eum pro iis habendis deſignabit, quem integrum annum in Academia exegiſſe conſtabit, annum autem non dierum, ſed laborum curſu metimur. Certiores faciet Cenſores de quæſtionibus, quarum diſceptationibus debebunt præſidere, eas Academicis omnibus, adjecto die ad diſputandum deſtinato, ſcriptas tradet: controverſias diſceptandas quolibet menſe in tabella deſcriptas exponet, ſcriptoreſque, qui de illis uberiùs, & luculentiùs diſſerunt, indicabit, Acta omnium, quæ geruntur conficiet: Academicorum nomina in albo deſcribet; & tempus quo adſcripti fuerint adnotabit. Academicorum doctrinam, labores, Cenſorum judicio probatas diſputationes publicis Literis pro cujuſque meritis teſtabitur.* Ac proindè ſicut memorati Academici exponi Nobis nuper fecerunt, ipſi non

non minùs ejusdem Academiæ erectionem, seù institutionem, perpetuique usus loci eis, sicut præmittitur, assignati concessionem, quàm Constitutiones, & Statuta præinserta, quò firmiùs subsistant, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, & aliàs desuper Paternæ providentiæ Nostræ partes interponi plurimùm desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Academiæ prædictæ prosperum statum, & directionem, uberioraque incrementa sinceris exoptamus affectibus, eorumdem exponentium votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, benignè annuere, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, erectionem, institutionem Academiæ supradictæ, perpetuique usus loci ei in ædibus dicti Gymnasii, ut præfertur, assignati, concessionem præfatas, nec non Constitutiones, & Statuta præinserta, cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica, tenore præsentium, sine tamen Universitatis Studii Generalis ejusdem Urbis, ac cujusquam alterius præjudicio approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, & præsidium adjicimus, ac quoscumque juris, & facti defectus, si qui in præmissis quomodòlibet intervenerint, amplissimè supplemus. Et nihilominùs dictam Academiam Theologicam, quatenùs opus sit, auctoritate, & tenore similibus itidem perpetuò erigimus, & instituimus, eique perpetuum usum loci præfati denuò concedimus, & assignamus. Porrò ne unquàm in eadem Academia perpetuis futuris temporibus Censores, qui Academicorum disputationibus præsint, aliasque eis per Constitutiones, & Statuta præinserta demandatas functiones obire valeant, desiderari contingat, volumus, & eadem auctoritate decernimus, ut præter, & ultrà eos in ejusmodi Statutis, & Constitutionibus designatos, omnes, & singuli Sacræ Theologiæ in eodem Gymnasio Lectores nunc, & pro tempore existentes, qui Collegium Theologorum inibi constituunt, Officium Censorum in dicta Academia pariter obtineant: Præterea, ut Academici nunc, & pro tempore similiter existentes, mercedis laborum suorum aliquando recipiendæ spe excitati, memoratis disciplinis eo impensiùs, solertiùsque incumbant, eosdem Academicos, qui cuncta Academiæ munia sedulò, ac laudabiliter adimpleverint, in Dignitatibus, Personatibus, Canonicatibus, & Præbendis, aliisque Beneficiis Ecclesiasticis, ac iis præsertim, quibus cura immineat animarum, per collationem, vel electionem in cujusque ipsorum Patriis respectivè providendis, aliis omnibus cæteris paribus tam in Romanâ Curiâ, quàm extrà eam præferri volumus, & mandamus; seriò idcircò requirentes, & monentes Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, nec non dilectos Filios Nostros, & Apostolicæ Sedis Nuncios, cæterosque Prælatos, seù Locorum Ordinarios, ac quoscumque Beneficiorum ejusmodi Collatores, & Collatrices, ut Academicos præfatos, quorum multi exteri, & ex diversis Nationibus existunt, cum eos in suas Regiones reverti contigerit, si sese supradictæ Academiæ adscriptos, in eaque diu cum laude versatos fuisse legitimis probationibus, atque in primis Literis testimonialibus Manu Secretarii ejusdem Academiæ subscriptis, ejusque Sigillo munitis, docuerint, in collatione eorumdem Beneficiorum, quatenùs ipsi reditibus ad congruam sui substentationem sufficientibus caruerint, aliis omnibus cæteris paribus similiter præferant; quia vero etiam nonnulli Regulares prædictæ Academiæ adscripti plurimum adjumenti, atque splendoris huc usque attulerunt, & ut in Domino confidimus deinceps quoque allaturi sunt, idcircò eos itidem peculiari favore gratiæ prosequi volentes, earumdem tenore præsentium decernimus, ut postquàm iidem Regulares Academiæ præfatæ adscripti, & in futurum adscribendi, de Superiorum suorum consensu, omnes Academicorum partes per sexennium rectè, ac diligenter expleverint, id eis, & eorum cuilibet suffragari debeat in omnibus, & per omnia, perindè ac si Sacram Theologiam in suis respectivè Monasteriis, Conventibus, seù Domibus Regularibus per triennium actu legissent, ita tamen ut duo dumtaxat, & non plures Regulares hujusmodi ex unoquoque Monasterio, Conventu, seù Domo Regulari de Urbe præfata ubi studia vigeant, & actu Sacra Theologia legatur, à suis respectivè Superioribus deputentur, ad hoc ut Academiæ hujusmodi adscribi, & in ea cuncta Academicorum munera exercere valeant: iis autem transacto sexennio alii duo, & non plures subrogentur, sicque de sexennio in sexennium servari debeat. Demum ut ejusdem Academiæ conservationi, bonoque regimini, nec non Academicorum commodis, & utilitatibus uberiùs consultum sit, promptumque & paratum eis suppetat præsidium, dilectos filios Nostros Joannem Baptistam Sancti Cæsarei Spinulam, Joannem Dominicum Sanctæ Anastasiæ Paraccianum, Carolum Augustinum Sancti Augustini Fabronum, Joannem Baptistam Sancti Stephani in Monte Cœlio, Prolomeum titulorum Presbyteros, nec non Annibalem Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Albanum nuncupatos, Nostrum secundùm Carnem ex fratre germano nepotem prædictæ Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, memoratæ Academiæ Protectores, & Defensores constituimus, & deputamus, quorum consilio, ope, ac patrocinio tam supradicta, quàm quæcumque alia ad Constitutionum, & Statutorum præfatorum observantiam, Academicorum admissionem, & expulsionem, Secretarii, & Censorum deputationem & amotionem spectantia, ac generaliter omnia & singula, quæ ad salubrem Academiæ directionem, illiusque progressum, decus, & ornamentum tendere, & conducere videbuntur, agantur, statuantur, & ordinentur: Nos enim eisdem, ac pro tempore existentibus Protectoribus per Nos, & Sedem Apostolicam pariter deputandis plenam, liberam, & amplam ad præmissa facultatem, & auctoritatem, harum serie, tribuimus, & impartimur. Decernentes ipsas præsentes literas, ac omnia & singula præmissa firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in eisdem præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum

Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenùs opus sit Urbis, & Gymnasii præfatorum, ac quorumcumque Ordinum Regularium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis. & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Aprilis 1718. Pontificatus Nostri Anno 18. F. Cardinalis Oliverius. Loco † Annuli Piscatoris.

Fructus uberrimi in Ecclesiam ex præfata Academia promanentes laudantur.

§. 2. Cum autem Nos, qui, dum Cardinalatus honore fungebamur, prædictæ Academiæ functionibus, & exercitationibus summâ cum animi Nostri jucunditate interfuimus, eamque memorato Clementi Prædecessori magnopere commendavimus, ac re ipsa adjuvare non defuimus, nunc ita disponente Dei providentiâ, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquàm ea, quæ sunt, ad Supremi Apostolatus fastigium nullo licet meritorum nostrorum suffragio evecti, ac providè considerantes quantum splendoris, atque ornamenti Almæ Urbi præfatæ, nec non utilitatis universæ Reipublicæ Christianæ accederet, si eadem Academia novis, validioribusque præsidiis constabiliretur, quorum ope firmius subsisteret; majoresque in dies progressus faceret: Sic namque multi (ut meritò sperare licet) nedùm in Urbe prædicta, sed in aliis etiam Christiani orbis partibus degentes, qui consueto Sac. Theologiæ cursu in Scholis absoluto, illius studium prorsus abjiciunt, ad hanc Academiam convolantes; Sacrorum Dogmatum, Historiæ Ecclesiasticæ, ac Scholasticæ Theologiæ studia alacri animo prosequentes, seu aggredientes, ad Ecclesiastica munia ritè, & rectè obeunda in primis idonei redderentur, puriori, solidiorique scientiæ pabulo enutrirentur, & in sana Doctrina eruditi, illam in suis respective regionibus docere, & propagare, atque adversùs profanas vocum, sententiarumque hisce præsertim temporibus admodùm increbescentes novitates strenuè propugnare possent: Illi verò, qui censuræ gradu post diuturnos labores in dicta Academia adepto in eadem Urbe commorarentur collatis inter se consiliis, aut in confutandis libellis, qui nimiâ temeritate adversùs Orthodoxæ Fidei puritatem, sanctioraque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ jura, ac probatas, & à majoribus Nostris receptas traditiones, & Sententias passim circumferuntur, aut in vetustioribus SS. Patrum codicibus fideliter evulgandis, vel novis elucubrationibus pro temporum opportunitate edendis, rem Catholicam, ac Literariam tueri, & illustrare valerent; hos proinde, aliosque uberiores ab eo qui incrementum dat, & preces, ac vota humilium excedit, fructus ex eadem Academiâ præstolantes, gratias, & privilegia ei ab ipso Clemente Prædecessore, sicut præfertur concessa ampliare, & extendere decreverimus.

Confirmatio de qua in rubr.

§. 3. Hinc est, quod ejusdem Academiæ statui, conservationi, & incrementis opportunè prospicere, ac dilectos filios illius Academicos specialis favore gratiæ prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantùm consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, præinsertas Clementis Prædecessoris Literas, ac omnia, & singula in eis contenta & expressa auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac quatenùs opus sit innovamus, & de novo concedimus, statuimus, & ordinamus illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjungimus.

Subsidia pro pauperibus.

§. 4. Præterea cum, sicut accepimus, plerique ex eis qui eidem Academiæ hactenus nomen, & operam dederunt, rei familiaris angustiâ pressi, à cœptis absistere, & aliò studia sua convertere debuerint, pluresque, ne prædictæ Academiæ adscriberentur, hac ipsa de causâ deterriti fuerint, indeque factum sit, quod dicta Academia optatos progressus huc usque minimè facere potuerit, quin etiam timeri possit, ne sensim decrescente Academicorum numero tandem omninò deficiat, & concidat, nisi aliquot ex benignitate Apostolica depromptis subsidiis fulciatur, atque sustineatur; volumus, ut partim ex illis qui actu dictæ Academiæ adscripti reperiuntur, partim ex iis, qui eidem adscribi cupiunt, viginti pauperes Ecclesiastici, qui saltem per quadriennium Sacræ Theologiæ assiduè studuerint, per Ven. Fratres Nostros S. R. E. Cardinales ipsius Academiæ Protectores nunc, & pro tempore existentes deinceps deligantur, eorumque singulis, donec aliter per Nos, seu Romanos Pontifices Successores Nostros provisum fuerit, summa quinquaginta scutorum monetæ Romanæ per Datariam Apostolicam ex pecuniis Romano Pontifici pro tempore existenti ex eadem Datariâ obvenien. quotannis ab initio præsentis Anni incipien. assignetur, & persolvatur, donec expleto sexennio censuræ gradum assecuti fuerint, ac subindè alii per prædictos Cardinalos in eorum locum subrogentur, quibus enarrata pecuniæ summa itidem subministretur.

Parænesis ad Censores.

§. 5. Censores autem ipsius Academiæ pro tempore quoque existentes seriò hortamur, & monemus, quatenùs non ea tantùm, quæ in ejusdem Academiæ Constitutionibus sibi injunguntur, fideliter, ac sedulo adimpleant, verùm etiam in errores refutandos, Ecclesiæ, & Sedis prædictæ jura asserenda, & vindicanda, ac Ecclesiasticam historiam illustrandam juxta modum, & formam sibi à nobis, vel Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, aut Cardinalibus Protectoribus præfatis præscribendos, viribus omnibus incumbentes, Deo, & Ecclesiæ se devovere, ac jugiter defervire procurent.

Academiæ præsertim Censores in Beneficiorum collatione anteferendi.

§. 6. Et quia debitus Justitiæ ordo exigit eos, qui Sacrarum Literarum studiis se dedunt, aliisque in Divinarum rerum scientiâ præcellunt, condignis ab hac Sancta Sede gratiarum muneribus donari, cumque idem Clemens Prædecessor in præinsertis Literis Academicos prædictos in collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum aliis anteferri monuerit, Nos ipsius Clementis Prædecessoris vestigia sectantes, omnes, & singulos quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum Collatores similiter requirimus, ut quos diutiùs in dicta Academiâ cum laude versatos esse constiterit, aliis in ejusmodi collatione, cæteris paribus præferant, præcipuè verò eosdem Romanos Pontifices Successores Nostros enixè rogamus, ut secum reputantes quantopere Academia Theologica præfatam Almam Urbem ornare, quotque uberes in Ecclesia Dei fru-

ctus, benedicente Domino, afferre possit, si eam maximè vigere, ac florere contigerit, in Canonicatibus, aliisque Beneficiis hujusmodi conferendis, pensionibusque Ecclesiasticis reservandis, & aliis gratiis impertiendis, dictos Academicos, præsertim si Censores fuerint, præ oculis habere velint, prout singulorum merita postulaverint, quemadmodum nos facere non omittemus.

Commendandi ad varia munia ecclesiastica.

§. 7. Ad hæc cum æqui bonique rationi conducere dignoscatur, certis muniis exercendis adhibere, qui tutum adeò Doctrinæ experimentum palàm dederunt, maximèque deceat honoribus etiam augere, qui omni cura, ac studio ampliorem sibi sapientiam comparere, Academiam prædictam in publicum Ecclesiæ bonum, ac commodum colere, servare, & augere non desinunt, dimensosque sibi litterarios labores pro veritate tuenda, dictæque Sedis dignitate asserendà ultrò suscipiunt, & tolerant, eisdem Cardinalibus Protectoribus injungimus, ut quandocumque novi Philosophiæ, aut Sacræ Theologiæ Lectores publici in prædicto Gymnasio Sapientiæ, vel in Collegio de Propagandâ fide nuncupato de eadem Urbe constituendi venient, aut etiam quoties novi designandi erunt in Urbe præfatâ Examinatores ad Confessiones, Sacros Ordines; & Beneficia, Qualificatores Officii Inquisitionis adversùs hæreticam pravitatem, Consultores Congregationum eorumdem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus, Indici librorum prohibitorum, & expurgandorum, ac Indulgentiis, Sacrisque Reliquis præpositarum, aut Examinatores Episcoporum in facultate Theologicâ; Nobis, ac Romano Pontifici pro tempore existenti commendare non prætermittant Censores Academiæ prædictæ, sivè Ecclesiastici Seculares, sivè Regulares fuerint, idemque præstent, cum de promotione ad Episcopales, aliasve Ecclesiasticas Dignitates faciendâ agetur, ut singulorum meritis debitâ circumspectione libratis eos eligamus, quos ad majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem in Domino expedire censuerimus.

Requisita Censorum.

§. 8. Quoniam autem, ut Nobis quoque innotuit, multis ex Academicis prædictis antehac Censoris Academiæ hujusmodi munus delatum fuit, Volumus quod præter eos, qui jam Censoris gradum obtinuerunt, nemini imposterum hoc munus deferatur, nisi illis Academicis, qui exacto laudabiliter sexennio, & sex peractis publicis disputationibus juxta præfatæ Academiæ Constitutiones, nomen, & officium Censoris dictæ Academiæ Theologicæ sibi promeruerint.

Confirmatio & subrogatio Protectorum.

§. 9. Cæterùm cum idem Clemens Prædecessor memoratos Cardinales dictæ Academiæ Protectores, & Defensores constituerit, ac deputaverit, quibus fel. rec. Innocentius Papa XIII. Prædecessor etiam Noster Dilectum Filium Nostrum Bernardum Mariam tit. S. Bernardi ad Thermas ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Comitibus nuncupatum addidit, ac nonnulli ex illis ab humanis decesserint, Nos ipsos Cardinales Protectores, & Defensores Academiæ prædictæ sic Deputatos, ac de præsenti existentes, auctoritate præfata confirmantes, in locum defunctorum Venerabilem Fratrem Nostrum Fabritium Episcopum Ostien. & Velitern. Paulutium Sacri Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegii Decanum, ac Dilectum Filium Nostrum Ludovicum tituli S. Silvestri in Capite, ipsius S. R. E. Card. Picum respectivè nuncupatos, auctoritate præfatâ subrogamus, ac in Protectores, & Defensores hujusmodi pariter constituimus, & deputamus.

§. 10. Decernentes quoque easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocunquè spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, alioſve quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum roborans & clausula sublata.

§. 11. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in præinsertis Clementis Prædecessoris Litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die 6. Maji 1726 Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Derogatio contrariis.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

F. Card. Oliverius.

CONSTITUTIO XII.

Per quam confirmatur Erectio Conservatorii pauperum Puellarum Oppidi *de Guimarens* Bracharen. Diœcesis in Monasterium Ordinis B. V. MARIÆ de Monte Carmelo, eademque, quatenus opus sit, suppleto quocumque defectu sanatur, & convalidatur; Moniales verò à Jurisdictione Archiepiscopi, & Parochi perpetuò liberantur, & Superioribus Fratrum dicti Ordinis immediatè subjiciuntur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium à fovendo & confirmando pauperum Puellarum Monasterio.

SAcrosanctæ Militantis Ecclesiæ Gubernacula ex Summi Sacerdotii cathedra Nobis, meritis licèt imparibus demandata tenentes, ad ea per quæ pauperes Puellæ olim sub aliquali vivendi Regula in communi Domo Conservatorii viventes, tandem spretis hujus infelicis seculi illecebris, tanquam prudentes Virgines accensis lampadibus obviam ituræ Sponso Jesu, eadem Domo in Monasterium erecta, assumptoque Regulari habitu perpetuum Altissimo famulatum impendere, æternamque beatudinem consectari valeant, ac exindè honoris flores, & honestatis fructus, Regularisque Vitæ propagatio deveniant, propensis studiis intendimus, & ne in posterum de hujusmodi erectionis validitate hæsitari contingat, sed litium anfractibus, & dissidiis super hoc habitis hucusque finis perpetuò imponatur, ac personæ in ea degentes Divinis laudibus ea, quæ par est mentis puritate, & cordis sinceritate liberius insistant, erectionem Monasterii hujusmodi Apostolicæ confirmationis munimine roborantes, Pastoralis Officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout personarum hujusmodi ac locorum, & temporum qualitatibus matura consideratione

Conservatorii fundatio, professionis emissio & in Monasterium erectio.

pensatis in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, alias videlicet de Anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo quinto, seù alio veriori tempore in Oppido de Guimarens Bracharen. Diœcesis simplex Conservatorium nonnullarum Puellarum in communi viventium per quondam tunc in humanis agentem Franciscum Antunes Torres, dum viveret, seù juxta ejus sub qua ab humanis decessit dispositionem Testamentariam fundatum, & erectum extiterit. Subindè verò scilicet de anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo Puellæ præfatæ habitum, & institutum Ordinis Fratrum Carmelitarum Tertii Ordinis nuncupatorum de manibus ejusdem Ordinis Superiorum susceperint, adauctisque paucis ab inde annis tam illius Fabrica Regio Diplomate mediante constructa, quàm annuis reditibus, & Tertiariarum numero, tunc existens loci Ordinarius non tantum Ecclesiæ de ejus licentia extructæ benedictionem impartiri, verum etiam ibidem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reponi, Claustra benedici, nonnullas Sepulturas pro eisdem Puellis aperiri concesserit, dictæque Puellæ sese noviter Jurisdictioni, & Gubernio tunc existentium Superiorum ejusdem Ordinis submiserint, ac sub Regimine Dilecti Filii Fratris Antonii de Incarnatione tunc existentis Commissarii Generalis dicti Ordinis in Regno Portugalliæ per aliquod temporis spatium permanserint. Cumque in Constitutione Pii Papæ V. Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Circa pastoralis, &c.* caveatur expresè, quod Puellæ in hujusmodi Conservatoriis degentes, vel in manibus propriorum Superiorum solemnem emittere teneantur Professionem, aut Conservatoria hujusmodi dissolvantur, & supprimantur, propterea que de anno pariter Domini millesimo septingentesimo quarto, seù etiam alio veriori tempore, cum tunc existentes Puellæ præfatæ opportunum situm Clausuram, Officinas, Dormitoria, Cellas, ac Suppellectilia Sacra, & profana, necessarioque annuos reditus haberent, & nemine contradicente, concurrentibusque in eisdem omnibus necessariis requisitis pro erectione Conservatorii præfati in Monasterium Monialium præfati Ordinis, earum solemnem Professionem in manibus præfati Commissarii Generalis specialiter ad id à tunc existente dicti Ordinis Superiore Generali deputati expresè emiserint; qua solemni professione trium substantialium Votorum, ac perpetuæ Clausuræ in manibus Superiorum dicti Ordinis juxta Constitutionem præfatam, ut præfertur emissa licet dictum Conservatorium formale Monasterium, ac Puellæ præfatæ Moniales dicti Ordinis respectivè evaserint, & ab omnimoda Jurisdictione Ordinarii exemptæ Superioribus dicti Ordinis, qui eas usque ad annum ejusdem Domini millesimum septingentesimum septimum pacificè gubernarunt subjectæ extiterint, nihilominus eo tempore, ut etiam accepimus, tam à Venerabili Fratre moderno Archiepiscopo Bracharen. quàm à Dilecto etiam Filio moderno Parochialis Ecclesiæ ejusdem Oppidi Rectore eo sub prætextu, quod Puellæ præfatæ per illius manus Paschale Sacramentum non suscepissent, ac sub prætensione, quod ipsæ verè Moniales non existerent, nec à Jurisdictione ejusdem Ordinarii exemptæ essent varias litium molestias passi fuerant; quapropter habito per Dilectas in Christo filias Modernas Priorissam, & Moniales præfati Monasterii in gradu appellationis ad Tribunal Nunciaturæ Apostolicæ Portugallen. recursu de anno similiter Domini millesimo septingentesimo octavo, in libera possessione exemptionis ab Ordinarii præfati Jurisdictione, prout erant manuteneri obtinuerunt, & deindè ad Sedem Apostolicam pro approbatione & confirmatione Erectionis præfati Monasterii, ac quatenus opus esset cujuslibet nullitatis, quæ in ea intervenire potuisset sanatione recursu etiam desuper habito de anno pariter Domini millesimo septingentesimo decimo octavo, à Dilecto etiam Filio Nostro, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncio in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis commoranti favorabilem informationem reportaverint, dictusque Archiepiscopus ab indè citra se opposuerit sub prætextu, quod Conservatorium præfatum absque Sedis Apostolicæ præfatæ licentia, ac Ordinarii consensu nulliter in Monasterium Monialium erectum fuisset, ac Priorissa, & Moniales præfatæ utpote nulliter professæ sub illius Jurisdictione adhuc remanere deberent.

Ordinarii ejusmodi erectioni se opponunt & Moniales ad Nunciaturam Apostolicam recurrunt.

Laudatur earum in observando sui Ordinis instituto assiduitas.

§. 2. Nos igitur, qui quantum in Domino possumus personarum quarumlibet præsertim Monialium Regularis Vitæ disciplinam servantium quietem, & tranquillitatem, litium jurgiorumque perturbatione semota Paternis, & sinceris desideramus affectibus, ac attendentes, quod licet Conservatorii hujusmodi, ut præfertur in Monasterium præfati Ordinis Erectio, & Institutio usque, & de præfato Anno Domini millesimo septingentesimo quarto earum plenarium sortitæ fuerint effectum, ac Priorissa, & Moniales præfatæ in eodem Monasterio ad formam Erectionis, & Institutionis præfatarum Altissimo famulatum exhibentes in Divinis laudabiliter deservierint, & deserviant de præsenti; & ab indè citra Constitutiones, seu Ordinationes, aut Regulæ secundum earum institutum pacificè, & absque ulla contradictione per eas observatæ fuerint.

Confirmatio de qua in rubr.

§. 3. Nihilominùs ne de Erectionis, & Institutionis hujusmodi viribus, ex quo illæ Apostolica auctoritate factæ non fuerint, ac expressus Ordinarii loci hujusmodi desuper consensus non intercesserit, & ne de ejusdem Monasterii stabilitate ullo unquam tempore hæsitari contingat, Monasterii præfati statui, & stabilitati, dictarumque Priorissæ, & Monialium conscientiarum quieti, & tranquillitati in præmissis opportunè providere, easque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, necnon earum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfati Monasterii Erectionem, & Institutionem, ut præfertur factas, Apostolica auctoritate præfata, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, & quatenus opus sit sanamus, & convalidamus; ac dicti Monasterii Priorissam, & Moniales nunc, & pro tempore existentes ab omnimoda Jurisdictione præfati moderni, & pro tempore existentis ejusdem Parochialis Ecclesiæ Rectoris etiam perpetuo eximimus, & liberamus, ac immediatè pro tempore existentium Superiorum Regularium præfati Ordinis, à quibus actu reguntur, & gubernantur Jurisdictioni, ac Regimini subjicimus, cum facultate eisdem Superioribus Regularibus pro tempore existentibus tradendi Priorissæ, & Monialibus præfatis nunc, & pro tempore existentibus tàm probationis, quàm Professionis Velum, ità tamen

men, ut Moniales, quæ in eodem Monasterio sub illius Regula recipientur, & admittentur in futurum habitum per alias Moniales præfati Ordinis gestari solitum suscipere : & tempore probationis elapso Professionem per easdem emitti consuetam expresse emittere, Regulam, necnon perpetuam Clausuram, ac Ritus, mores, consuetudines, & Regularia Instituta præfati Ordinis servare, Divinisque laudibus, & Officiis insistere debeant, & teneantur.

Exemptio bonorum à decimis.

§. 4. Et insuper eidem Monasterio, illiusque Priorissæ, & Monialibus nunc, & pro tempore existentibus, quod omnia earum bona, ac quicumque Census, Terræ, Domus, Possessiones, bona mobilia, & immobilia, quovis nomine nuncupata per quoscunque Christifideles in perpetuum, vel ad tempus, simulque, vel successivè pro augmento bonorum Monasterii hujusmodi, & Monialium in eo pro rempore degentium, seu alicujus earum intuitu, vel contemplatione, ac etiam titulo eleemosynæ, vel aliàs quomodòlibet donata, assignata, & erogata, ac in posterum donan. assignan. & eroganda ex nunc prout, & postquam donata, assignata, & erogata fuerint, libera, immunia, & exempta à decimis & aliis quibuscunque oneribus, & impositionibus esse debeant; Ita quod liceat Priorissæ, & Monialibus nunc, & pro tempore existentibus præfatis corporalem, realem, & actualem illorum, Juriumque, & pertinentiarum quorumcunque possessionem per se, vel alium, seu alios earum, ac dicti Monasterii nominibus propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, fructus quoque, reditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta ex eis provenientia quæcumque percipere, exigere, levare, arrendare, locare, dislocare, ac in communes earum, & dicti Monasterii usus, & utilitatem convertere, Diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minimè requisita.

Communicatio privilegiorum aliarum Monialium.

§. 5. Quodque Priorissa, & Moniales nunc & pro tempore existentes præfatæ omnibus, & singulis Privilegiis, facultatibus, Immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, Indultis, Indulgentiis, favoribus, & gratiis universis tàm spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliæ Moniales dicti Ordinis in genere, vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, aut aliàs quomodòlibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, similiter, & pariformiter, ac absque ulla prorsùs differentia uti, frui, potiri, & gaudere possint, & valeant in omnibus, & per omnia, dummodò tamen illa seù illæ sint in usu, & non revocata, seù revocatæ, nec sub aliqua revocatione comprehensa, & comprehensæ, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, dictique Ordinis Institutis non adversentur, eadem Apostolica auctoritate similiter perpetuò concedimus, & indulgemus, necnon Constitutiones, aut Ordinationes, seù Regulas hujusmodi pro firmiori illarum validitate, & subsistentia Apostolica auctoritate præfata etiam perpetuo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim, & efficaciam, adjicimus, illasque ab omnibus ad quas nunc spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri debere volumus.

§. 6. Omnesque, & singulos tàm Juris, quàm Facti, & solemnitatum, aliosque quantumvis substantiales defectus, si qui in Erectione hujusmodi quomodòlibet intervenerint, eadem auctoritate supplemus, præsentes quoque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, seù alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Nos, & Sedem Apostolicam præfatam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis etiam motu simili, & de scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine paribus pro tempore factis; & facien. comprehendi, vel confundi, sed tanquam ad majus Divini Cultus augmentum factas, & emanatas semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacunque posteriori data per nunc, & pro tempore existentes Priorissam, & Moniales Monasterii præfati quandocunque eligen. concessas, ac validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque, & non aliàs per quoscunque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere. Et si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane Motu pari decernimus.

Sanatio defectuum erectionis.

Deputatio Executorum.

§. 7. Et insuper quatenus opus sit pro præmissorum observatione Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Lacedemonien. & Episcopo Tagasten. ac Dilecto similiter Filio Emanueli Alvares Cidade Canonico Ecclesiæ Elboren. motu simili per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seù alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcunque ubi, & quandocunque opus fuerit, & quoties pro parte Priorissæ, & Monialium nunc, & pro tempore existen. præfatarum requisiti fuerint solemniter publicantes, eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate Nostra illas, & in eis contento hujusmodi ab omnibus, & singulis ad quos spectat; & pro tempore spectabit inviolabiter observari, illisque pacificè, frui, & gaudere, non permittentes quempiam ex Priorissa, & Monialibus nunc, & pro tempore existen. prædictis desuper quomodòlibet indebitè molestari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & Facti remedia, servata tamen forma Concilii Tridentini, appellatione postposita compescendo.

Derogatio contrariis.

§. 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò tamen ultra tres dietas aliquis vigore earumdem præsentium extra suam Diœcesim ad Judicium non trahatur & quibuscumque prætensionibus prædicti Archiepiscopi, sive ejus Promotoris Fiscalis, & quacumque lite in quocunque Tribunali, aut Congregatione, Urbis & de Partibus indecisa pendente, ac quibusvis Apostolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Univer-

salibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel Generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Privilegiis, quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eidem Monasterio, ac quibusvis aliis Superioribus, & personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum forsan quomodòlibet concessis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, aliàs de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expresè, nec non opportunè, & validè, hac vice dumtaxat motu simili deque scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 3. Augusti 1726. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. 3. Aug. 1726. P. A. tertio.

P. Cardinalis Prodatarius.

I. B. Archiep. Nisiben. Subdatarius.

A. Magister Brevium.

Loco † Sigilli.

O. de Carconiis.

XIII. **Binæ Apostolicæ Litteræ in forma Brevis expeditæ.**

In quarum primis ejusdem Constitutio : *Paterna Sedis Apostolicæ providentia* pro Tertiariis Ordinis S. Francisci anno 1725. quarto Idus Decembris emanata ad Tertiarias Ordinis Servorum B. M. V. extenditur, & ampliatur ; Ita ut à Jurisdictione, & dependentia Ordinariorum eximantur, & Priori Generali ejusdem Ord. pro tempore existenti Curæ, & Superioritati subjectæ omninò sint.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatio. §. 1. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni Prior, & Procurator Generales Fratrum Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, quòd cum ipsi longa experientia cognoverint nonnullas molestias, vexationesque, quas ejusdem Ordinis Tertiariæ tolerant, ab illis locorum Ordinariis, qui ejusmodi Tertiarias ad eorum dependentiam, seù superioritatem adigere volunt, exoriri, idque eisdem Tertiariis animi perturbationem, & spiritus dispersionem, atque prædicti Ordinis Superioribus non modicam inquietudinem parere, dicti Exponentes, quò similibus inordinationibus occurrant, Litteras Nostras sub plumbo desuper ad perpetuam rei memoriam anno Incarnationis Dominicæ 1725. quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri anno secundo expeditas, per quas inter alia Tertiariæ Ordinis Sancti Francisci à Jurisdictione, & dependentia Ordinariorum eximuntur, ad Tertiarias primò dicti Ordinis per Nos extendi summopere desiderant, præsertim quia hunc Ordinem à fel. rec. Innocentio PP. VIII. Prædecessore Nostro ad participationem privilegiorum quatuor aliorum Ordinum Mendicantium admissum fuisse memoratur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Extensio de qua in rubr. §. 2. Nos igitur ipsos Priorem, & Procuratorem Generales specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodòlibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Litteras Nostras prædictas, per quas Tertiariæ secundo dicti Ordinis omnimodæ jurisdictioni, & regimini earum Ministri Generalis subjiciuntur, ad Tertiarias primodicti Ordinis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus ; ita ut illæ Prioris Generalis pro tempore existentis hujus Ordinis curæ, & superioritati subjectæ omninò sint.

Contrariorum derogatio. §. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenùs opus sit primò dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ad de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti 1726. Pontificatus nostri anno tertio. D. 8. Aug. 1726. P. A. tertio.

F. Card. Oliverius.

XIV. In secundis verò perpetuis futuris temporibus locus Consultoris Sac. Rituum Congregationis uni ex Professoribus ejusdem Ordinis decernitur, & ordinatur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. RAtio Justitiæ exigit, ut Religiosorum Virorum Ordines in Ecclesia Dei piè, sanctèque instituti, qui multos pro Religione labores continuò substinent, congruis honoribus, & gratiis decorentur.

Supplicatio. §. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius modernus Prior Generalis Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis Nobis nuper exponi fecit, ipse, qui unus ex Consultoribus Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositæ existit, locum fixum Consultoris hujusmodi, eidem suo Ordini assignari summoperè desideret ; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infrà, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur erga prædictum Ordinem, quem in visceribus gerimus charitatis, aliquod

Paternæ noſtræ benevolentiæ monumentum exercere cupientes, ipſumque Priorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodòlibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantùm conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus locus Conſultoris prædictæ Congregationis Cardinalium, ſuccedente illius pro tempore vacatione, uni ex memorati Ordinis profeſſoribus concedi, & aſſignari debeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, & ordinamus.

Decernit prout in rubr.

Decretum roborans & irritans.

§. 3. Decernentes pariter eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Auguſti 1726. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Die 8. Aug. 1726. P. A. tertio.

F. Card. Oliverius.

XV.

CONSTITUTIO

De recta adminiſtratione Hoſpitalium, & Montis pietatis Civitatis Cæſenæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Commemorat ſuam pro Eccleſiæ Cæſenate, tùm paſtoralem olim, tum. p. t. Pontificalem ſolicitudinem.

§. 1. QUotieſcumque cogitamus (hoc autem ſæpe contingit) nos Eccleſiæ Cæſenati ſex & quadraginta ab hinc annis paſtorali officio præfuiſſe; toties memoria repetimus regulas, inſtructiones, edicta, & ſynodales conſtitutiones, quibus illius epiſcopatus rebus, & præcipue locorum piorum adminiſtrationi pro noſtri ingenii viribus providere curavimus. Poſtquam vero ineffabile Dei conſilium, nullis exigentibus meritis noſtris, in cathedra beati Petri Apoſtolorum principis ſedere nos voluit, ſæpenumero ad eandem dilectiſſimam olim ſponſam noſtram Eccleſiam Cæſenatem oculos pontificiæ caritatis convertimus, ut aliquod noſtræ pro ea ſollicitudinis argumentum oſtenderemus; dumque ſe nobis primo obtutu Seminarium Clericorum Secularium epiſcopatus obtulit, ſtatim de illo amplificando, noviſque reditibus augendo decrevimus, ut adoleſcentes, militiæ eccleſiaſticæ nomen daturi, in eo moribus & literis, quæ decent ſacros miniſtros, commodius imbuantur.

Hujus Conſt. motiv. eſt deploranda Hoſpitalium & Montis pietatis Cæſenæ ſtatus.

§. 2. Quum vero nuper haud modica animi noſtri perturbatione rurſus nobis innotuerit, quod cæteroquin oculis noſtris olim adſpeximus, atque hiſce manibus contrectavimus, Xenodochia nimirum, ſive Hoſpitalia, & Montem pietatis Cæſenæ ob incuriam & culpam laicorum, non ea, qua decet cura & vigilantia gubernari; eorum reditus, in peregrinorum & pauperum beneficium convertendos, Dei timore poſtpoſito, diſſipari; quæque pii eorumdem auctores Dei obſequio & religioni deſtinaverant, jam dudum dilapidari; nos huic malo remedium aliquod allaturi, præſentem Conſtitutionem noſtram edere decrevimus, duodecim capita complectentem, pro eorumdem Xenodochiorum, ſive Hoſpitalium & Montis pietatis tutiori adminiſtratione impoſterum obſervanda, ne amplius ea, quæ peregrinis & pauperibus Chriſti veterum Cæſenatium pietas danda eſſe voluit, in alios uſus, contra eorum mentem manifeſta Dei offenſione, transferantur. Capita vero, quæ diximus, huic noſtræ Conſtitutioni inſeri volumus, ut perpetuis futuris temporibus legi, neque ab ullo, ad quem pertinere videbuntur, ignorari unquam poſſint. Hæc autem ſunt.

PRO HOSPITALI SANCTISSIMI Crucifixi.

Priorum numerus, ordines & electio.

I. Priores, ad regimen Hoſpitalis ſanctiſſimi Crucifixi deputati, perpetuis futuris temporibus ſint decem tantum; horum quinque ſint ex ordine Eccleſiaſtico ſeculari: unus ex canonicis Eccleſiæ cathedralis decretorum doctor, qui Primicerii vocabulo utatur: duo alii ſint ex numero Parochorum: cæteri duo ex numero ſimplicium Presbyterorum. Quinque reliqui, de more, ſint ex laicis, Quinque vero illi Eccleſiaſtici ab Epiſcopo eligantur, ad nutum ejuſdem Epiſcopi quandocunque & quomodocunque ipſi placuerit, inde amovendi. Sed quinque reliqui ex ordine laicorum, de more, à publico & generali cœtu conſiliariorum civitatis eligantur.

Officiorum inter eos diſtributio.

II. In quocunque munere & officio, quod inter Priores ejuſdem Hoſpitalis ſanctiſſimi Crucifixi diſtribui contigerit, nunquam bini aut ſinguli tantum laici habeantur, ſed unus ex Eccleſiaſticis, alter ex laicis.

Rationarii electio, Officium & ſtipendium.

III. Inter Miniſtros Hoſpitalis ſanctiſſimi Crucifixi Rationarius ſeu Calculator & Director ejus redituum, ſit ſemper extraneus, à ſolo Epiſcopo eligendus, cujus etiam nutu, ex officio ſuo removeri poſſit. Ad eumdem Rationarium & Calculatorem pertineat examinare & recognoſcere adminiſtrationes, quæ fiunt in cæteris locis piis civitatis: quæque propterea eam portionem in annuum ejuſdem Rationarii ſtipendium, de ſuo conferant, quam Epiſcopus ei tribuendam, & conferendam judicabit, omni recurſu & appellatione remota.

PRO HOSPITALI SANCTI TOBIÆ.

Priorum Ordo & electio.

IV. Ex duodecim Prioribus, ad regimen Hoſpitalis ſancti Tobiæ deputatis, perpetuis futuris temporibus ſex ſint ex ordine eccleſiaſtico ſeculari, nimirum duo ex canonicis Eccleſiæ cathedralis, duo ex Parochis, duo ex ſimplicibus

Presbyteris. Hos sex solus Episcopus eligat, semper ejus nutu inde amovendos. Cæteri sex sint ex ordine laicorum, eo modo eligendi, quem Constitutiones ejusdem Hospitalis præscribunt.

De prompta prædictorum executione.

V. Ut hæ nostræ sanctiones plenum & citissimum effectum obtineant, venerabili fratri nostro Joanni Baptistæ Episcopo injungimus, ut statim ac præsentem nostram Constitutionem acceperit, ex Prioribus laicis, regimini ejusdem Hospitalis sancti Tobiæ deputatis, sex solos antiquiores in suo officio relinquat; sed pro sex reliquis recentioribus, itidem laicis, ipse eligat sex alios ex ordine Ecclesiastico, ut superius dictum est.

Abolitio trium prandiorum, Eleemosynarum & sumptuum inutilium.

VI. Ne reditus Hospitalis, qui Christi pauperibus & peregrinis alendis sunt adsignati, deinceps in commessationes, compotationes & convivia impendantur, primo volumus, atque harum tenore jubemus & declaramus, ut tria prandia, sumptibus ejusdem Hospitalis sancti Tobiæ, sub prætextu viatorum, quotannis parari solita in festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, feria v. in cœna Domini, & in festo Resurrectionis Dominicæ, omninò aboleantur, nec amplius parari possint. Secundò, omnes eleemosynæ tritici, panis, leguminum, nummorum, carnis, vini, aliarumque rerum, quæ hactenus bis in anno, hoc est in solemnibus Natalis & Paschatis Christi Domini distribui consueverunt, pari pacto aboleantur. Tertiò omnes sumptus inutiles, & omnino supervacanei in prandiis, jentaculis, comessationibus, conviviis, cœnis, refrigerationibus, & cæteris hujusmodi voluptatibus, occasione congregationum, processionum, recognitionum & bonorum visitationum, fieri soliti, omnino aboleantur, sub pœna singulis transgressoribus centum scutorum argenteorum ipso facto incurrenda, & eorumdem ære pro rata solvenda : quæ Seminario Clericorum secularium ejusdem episcopatus applicabitur.

Ex necessariis sumptibus residua Clericorum Secularium Seminario applicanda.

VII. Completo anno administrationis ejusdem Hospitalis sancti Tobiæ, & statim recognitione facta, quæcumque ex annuis & necessariis sumptibus ejusdem Hospitalis supererint, volumus, ut perpetuò eidem Seminario Clericorum secularium adjudicentur.

Jus Episcopi in æqualitate suffragiorum.

VIII. Quotiescumque ejusdem Hospitalis Priores congregari contigerit, ut de rebus ad Hospitale pertinentibus aliquid secretis suffragiis decernant, eorumdemque suffragia fuerint numeri utrinque paris, rursus ad nova suffragia non procedatur, sed Episcopus ipse, vel ejus Vicarius generalis jussu & nomine ejusdem Episcopi suo proprio suffragio possit & debeat illorum suffragiorum æqualitatem tollere, eique parti adhærere, cui pro sua prudentia & arbitrio sibi adhærendum censebit. Nullus verò actus, nulla congregatio sine præsentia Episcopi, aut ejus Vicarii generalis fieri possit. Hoc sub pœna omnium actorum nullitatis observandum indicimus : atque hoc idem caput etiam de Hospitali sanctissimi Crucifixi dictum intelligatur.

Solutio pensionis annuæ.

IX. Idem Hospitale & Confraternitas sancti Tobiæ, cæteræque duæ sanctæ Mariæ à Populo, & sanctæ Mariæ à suffragio, quibus singulis per Litteras nostras Apostolicas in forma Brevis, editas die 30. Maii elapsi anni 1725. injunctum fuit onus perpetuæ pensionis scutorum argenteorum monetæ Romanæ quinquaginta, Seminario Episcopali Clericorum secularium, perpetuis futuris temporibus persolvendæ, ejusdem pensionis medietatem singulis semestribus anticipato solvere debant. Si octiduo ab elapso semestri aliqua ex iis tribus Confraternitatibus medietatem ejusdem pensionis anticipato solvere neglexerit, tunc duplicatam pensionem solvere omnino debeat.

PRO MONTE PIETATIS.

Æstimator pignorum ejusque merces.

X. Cæteris ministris & officiaiibus Montis pietatis adjungatur æstimator pignorum, semper à solo Episcopo eligendus, eidemque subjectus, atque inde ejus nutu & arbitrio amovendus. Huic autem ministro, uti reliquis, eam mercedem solvat Montis pietatis, quæ ab Episcopo solvenda censebitur.

Eligendi duo Præsides Ecclesiastici.

XI. Præter duos præsides laicos ejusdem Montis pietatis, publico & generali cœtu Consiliariorum civitatis eligendos, Episcopus duos alios eligat ex ordine ecclesiastico seculari, ejus nutu & arbitrio inde amovendos, quibus eadem onera & emolumenta dabuntur, quæ duobus præsidibus laicis dari consueverunt.

Episcopi circa regimen facultates.

XII. Episcopus perpetuis futuris temporibus independenter à quocunque, plena & libera facultate potiatur augendi, minuendi, declarandi, moderandi Constitutiones, ordines & capitula, pro bono regimine ejusdem Montis pietatis sancita, & statuta, quibus non tantum ministri & Officiales ejusdem Montis subjaceant; sed etiam officiales civitatis in omnibus & quibuscunque rebus ad eumdem Montem pietatis pertinentibus sub pœnis, quæ in iisdem Constitutionibus vulgabuntur.

Derogatio contrariis.

§. 3. Hactenus capita duodecim ad Hospitalia sanctissimi Crucifixi, & sancti Tobiæ, ac ad Montem pietatis Cæsænæ pertinentia, perpetuisque futuris temporibus inviolabiliter observanda, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, & quatenùs opus sit, Seminarii, Hospitalium & Montis pietatis prædictorum, respectivè, fundatione, erectione, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, eorumdemque Seminarii, Hospitalium & Montis pietatis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia, respectivè, roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis & Litteris Apostolicis, eis, & eorum cuilibet, respectivè quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis : quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque, respectivè, tenoribus expressa mentio habenda esset in his nostris litteris, ad præmissorum omnium & singulorum effectum, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè ac speciatim, & expresè, hac vice dumtaxat, Apostolica auctoritate, respectivè derogamus, & derogari volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, decreti, statuti, & declarationis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ 1726. 18. Kalendas Septembres, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. 15. Aug. 1726. P. A. tertio.

P. Card. Prodat.

F. Card. Oliverius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

XVI. Alia Declaratio Constitutionis sa. me. Innocentii Papæ XII. super exemptione Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque inferiorum Prælatorum Regni Neapolis à Spoliis, Cameræ Apostolicæ debitis, ac bonorum, per eos ex reditibus Ecclesiasticis acquisitorum, applicatione in commodum Ecclesiarum, illis commissarum, editæ, & à Sanctissimo D. N. ad casus, in quibus dicti præsules extra residentiam decesserint, ampliatæ; quod scilicet illa comprehendat etiam bona hujusmodi, de quibus iidem Præsules per Donationem, aliumve contractum inter vivos, cum reservatione eorum fructuum, usus, vel alterius commoditatis ad sui vitam aliter, quam favore Ecclesiarum prædictarum disposuerint.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. ROmanum decet Pontificem æqui, bonique Supremum assertorem in terris à Domino constitutum, illa, quæ ex circumspecta sua, ac Prædecessorum suorum providentia piè, sapienterque processerunt, cum aliorsum, quam justitiæ ratio postulet, detorqueri intelligit, ita declarare, ac extendere, ut sequioris, & ab eorum intentione deflectentis interpretationis occasio cuilibet præcidatur.

Causæ & tenor Constitutionis Innocentii XII. §. 1. Alias siquidem felicis recordationis Innocentius PP. XII. Prædecessor Noster animo recolens, ingentem extare in Regno Neapolis numerum Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, quibus Prælati inferiores, vel Dignitates, quasi Episcopalem jurisdictionem, seu Ordinariorum jura habentes, præerant, congruis pro majori parte carentium reditibus, adeoque illa, quam Dei domus exposceret, majestate, & eleganti structura, nec non decenti suppellectili Sacra, & Ministris Ecclesiasticis sufficientibus, ac idoneis, cæterisque divino cultui necessariis, ob earum inopiam, ut plurimum destitutam; Simulque considerans multiplices angustias, & graves molestias, quibus earumdem Ecclesiarum Archiepiscopi, & Episcopi, ac alii Prælati inferiores, dum ægritudine premebantur, & quandoque etiam in extremis laborant, à Subcollectoribus Spoliorum sub prætextu assecurandi Jura ad Cameram Nostram, tunc suam, Apostolicam pertinentia, identidem vexari, ac perturbari consueverant, per quamdam suam Constitutionem, cujus initium est: *Inscrutabili æternæ Sapientiæ*: Anno Incarnationis Dominicæ 1693. tertio Kalendas Februarii, Pontificatus sui anno tertio editam, ab omni, & quocumque Jure, quod ad Cameram Apostolicam prædictam, ex antiquissima consuetudine, & Constitutionibus Apostolicis eatenus spectasse dignoscebatur, percipiendi, exigendi, habendi, assequendi omnes, singulas, & quascumque pecunias, res, effectus, jura, semoventia, & bona etiam stabilia cujuscumque pretii, valoris, speciei, qualitatis, & quantitatis existerent, per memoratos Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos inferiores dicti Regni, etiam ex Ordinibus Regularibus assumptos, ex reditibus, fructibus, & proventibus præfatarum Ecclesiarum quomodocumque verè, & propriè acquisita, Spolia nuncupata, nec non fructus naturales à solo separatos, civiles, tempore mortis perceptos, seu exactos ex reditibus earumdem Ecclesiarum, etiam inconsumptos, & incommixtos, non tamen pendentes, seu inexactos, ex specialis dono gratiæ perpetuis futuris temporibus Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos inferiores Regni prædicti omnino exemit, & liberavit, ac exemptos, & liberatos esse, & fore censeri voluit, & mandavit, ad effectum tamen, & non aliàs, aliter, nec alio modo, ut præmissa omnia, & singula ad supradictas Metropolitanas, aliasque Cathedrales, & reliquas, quibus ipsimet Archiepiscopi, & Episcopi, seu Prælati inferiores præsedissent, illisque non indigentibus, ad Parochiales Ecclesias, eorum regimini commissas, spectare, & ad earumdem favorem, beneficium, seu utilitatem cedere, applicari, converti, & erogari deberent.

Ampliatio ad casus quibus Episcopos & Prælatos extra residentiam decedere contigerit. §. 2. Ac subindè per Nos accepto, quod postquam ejusmodi Constitutio promulgata fuerat, debitæque executioni demandari cœperat, Cameræ præfatæ Thesaurarius, ac Commissarius generales, nec non spoliorum in memorato Regno Neapolis Collectores, & Subcollectores pro tempore existentes, prætenderent sub eadem Constitutione minimè comprehendi, nec comprehensa censeri debere spolia bonorum, & fructuum quorumcumque spectantium ad Archiepiscopos, & Episcopos, & Prælatos inferiores ejusmodi, decedentes extra fines Ecclesiarum, & Diœcesum, apud quas personalem residentiam facere tenebantur; Nos æquum fore censentes, ut nullum hac in re constitueretur discrimen inter Præsules extra residentiam, vel in residentia decedentes, cum eorum factum obesse minimè deberet Ecclesiis, quarum favor, utilitas, & beneficium in ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutione principaliter consideratum, ipsique Pontifici, quemadmodum ex toto illius tenore manifestè colligebatur, propositum in primis fuerat, statuimus, ac declaravimus, memoratam Innocentii Prædecessoris Constitutionem, expeditasque super præmissis ejus Litteras suum integrum, plenarium, ac omnimodum effectum, atque executionem in posterum sortiri, ac obtinere debere in prædicto Regno Neapolis, etiam in casibus, in quibus Archiepiscopos, Episcopos, & inferiores Prælatos prædictos extra residentiam obire contingeret, & quatenus opus esset, easdem Innocentii Prædecessoris Litteras ad omnes, & singulos ejusmodi casus extendimus, & ampliavimus, & alias, prout tam in præfati Innocentii Prædecessoris, quam in Nostris anno itidem Incarnationis Dominicæ 1724. quarto Idus Julii Pontificatus Nostri anno primo confectis desuper Litteris, quarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Nova Declaratio de qua in rubr. §. 3. Cum autem, sicut ad Apostolatus Nostri notitiam pervenit, nonnulli enarratas Literas Apostolicas minimè obsistere, aut impedire prætendant, quominus Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati inferiores dicti Regni bona ex reditibus suarum Ecclesiarum acquisita, seu provenientia, ad aliorum, quam ipsarum Ecclesiarum favorem, reservatis sibi, quamdiu in humanis egerint, eorumdem bonorum fructibus, seu usu, aut commoditate, inter vivos donare, sive aliàs de eis disponere valeant.

Nos animadvertentes, non aliam præfati Innocentii prædeceſſoris, ac Noſtram in præmiſſis mentem, atque conſilium fuiſſe, quam ut gravibus Metropolitanarum, Cathedralium, aliarumque Eccleſiarum prædictarum neceſſitatibus ſubveniretur, ipſæque Eccleſiæ, poſt Præſulum ſuorum obitum, ex bonis eis è reditibus earumdem Eccleſiarum quæſitis, aliquod levamen recipere, illiſque juvari, inſtaurari, ornari, rebuſque ad divinum præſertim cultum neceſſariis inſtrui poſſent; facilis verò præberetur aditus, ſaluberrimas ejuſmodi Sanctiones evertendi, ac eludendi, dictaſque Eccleſias earum effectu, deſtinatoque ſibi inde ſubſidio fruſtrandi, & defraudandi, ſi per donationem, ſeu alios contractus, qui fieri dicuntur inter vivos, eiſdem Præſulibus de dictis bonis, cum reſervatione eorum fructuum, uſus, vel commoditatis, donec viverent, diſponere liberum eſſet; quandoquidem ex ejuſmodi diſpoſitione ipſi nullum pene incommodum ſentirent; Eccleſiæ autem præfatæ ingens acciperent detrimentum, ac propterea omnem, quæ hac in re enaſci poſſet, controverſiam, & ambiguitatem tollere, ipſarumque Eccleſiarum quieti, tranquillitati, ac indemnitati, quantum cum Domino poſſumus, proſpicere volentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſupradictas Innocentii Prædeceſſoris Literas per Nos ampliatas, & extenſas, ut præfertur, illa etiam pecunias, res, Jura, cæteraque bona præfata tam mobilia, quam ſtabilia per Archiepiſcopos, Epiſcopos, ac Prælatos inferiores dicti Regni, ex reditibus, & proventibus ſuarum Eccleſiarum acquiſita, de quibus ab eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis per donationem, ſeu alios contractus inter vivos, cum reſervatione illorum fructuum, uſus, vel cujusvis alterius commoditatis ad ſui vitam, aliter, quam in prædictarum Eccleſiarum beneficium, & utilitatem quomodòlibet diſpoſitum fuerit, ſeu diſponi quandocunque contigerit, comprehendere, ac in illis locum obtinere, & ad illa extendi, tenore præſentium declaramus, nec per ejuſmodi donationes, contractus, & diſpoſitiones ullum Metropolitanis, Cathedralibus, & aliis Eccleſiis prædictis, earumque Juribus præjudicium inferri, ac generari debere, aut poſſe perpetuò ſtatuimus.

Decreta pro firmitate.

§. 4. Decernentes eaſdem præſentes Literas, & in eis contenta etiam ex eo, quòd quilibet, etiam ſpeciali, & individua mentione digni, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodòlibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, neque cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarunt, ſufficienter, aut ullatenus adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, ſeu ex alia quacunque, quantumvis pia, juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, vel capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſu, aliove quolibet, quamtumvis magno, formali, & ſubſtantiali, ac inexcogitabili defectu notari, infringi, impugnari, retractari, in controverſiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adversùs illa aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodcunque juris, facti, ſeu gratiæ remedium impetrari, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo quempiam in Judicio, vel extra illud uti poſſe; Sed ipſas præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

Clauſula ſublata & Decretum irritans.

§. 5. Sicque in præmiſſis, cenſeri, atque ita, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, & alios quoſlibet, quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, & quandocunque functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obſtantibus quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, necnon omnibus, & ſingulis, quæ tam Innocentius Prædeceſſor, quam Nos in Literis præfatis conceſſimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Tranſſumptorum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur in Judicio, & extra illud, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Octobris milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Pontificatus Noſtri Anno tertio.

D. 12. Octobris 1726. P. A. tertio.

Pro D. Card. F. Oliverio.

Carolus Archiepiſcopus Emiſſenus.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERUM ET MATERIARUM OMNIUM,
Quæ in hoc Octavo Volumine continentur, Alphabetico Ordine digestus.

ABbatia S. Benigni, *vid. Monitorium.*
Absolutio à quodam Delegato Tribunalis prætensæ Monarchiæ Siculæ concessa Officialibus Civitatis Liparensis, *Catapani* nuncupatis, quos ex causa violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ excommunicaverat Episcopus ejusdem Civitatis, nulla declaratur *Clem.* XI. *part.* 1. *const.* 53. *§.* 2. *&* 5. *pag.* 104. 105. *&* 106.
Eosdemque Officiales in majorem Excommunicationem incurrisse decernitur, *ibidem §.* 6. *pag.* 106.
Absolutio concessa ab Episcopo Astensi nonnullis Excommunicatis ob læsam Jurisdictionem ac Immunitatem Ecclesiasticam, nulla & invalida declaratur, *Clemens* XI. *part.* 3. *Decr.* 2. *Congr. Imm. Eccl. pag.* 428. *&* 429.
Reliqua *vid. in v. Confessarii.*
Abulensis Ecclesiæ Gubernator, *vid. Electio.*
Abusus contra Ceremoniale Episcoporum & Rituale Romanum vel Rubricas Missalis aut Breviarii in Regnis Hispaniarum Episcopi removeant, *Bened.* XIII. *const.* 1. *§.* 1. *n.* 20. *p.* 476.
Academiæ Theologicæ de Urbe Constitutiones confirmat, *Clem.* XI. *part.* 1. *const.* 94. *§.* 3. *p.* 193. *&* 194.
Ejusdem Academiæ Academicis nonnulla privilegia concedit, *ibidem §.* 4. *pag.* 194.
Et illius Protectores deputat nonnullos S.R.E. Cardinales, *ib. §.* 5
Eadem privilegia confirmat & alia addit, *Benedict.* XIII. *const.* 11. *pag.* 497. *seq.*
Administratores Ecclesiarum Gnesnensis & Uladislaviensis, *vid. Electiones.*
Adscriptio prima tonsura initiandorum & ad Ordines Sacros promovendorum in Regnis Hispaniarum ad certam Ecclesiam, *Bened.* XIII. *const.* 1. *§.* 1. *n.* 2. *pag.* 472. *&* 473.
Æstimator pignorum pro Monte Pietatis Civitatis Cæsenæ, *Bened.* XIII. *const.* 15. *§.* 2. *num.* 10. *pag.* 505.
S. Agathæ Virg. & Mart. officium, *vid. Officium.*
Aggregationes Archiconfraternitatibus Almæ Urbis, *vid. Archiconfraternitates.*
Agnus Dei, *vid. Cera* Sacræ. *vid. Reliquiæ.*
Agriculturæ quam gravia damna acciderint ex Boum pestilentia anno 1714. *Clem.* XI. *part.* 1. *const.* 70. *§.* 2. *pag.* 133.
Agrigentinus Episcopus Civitatem & Diœcesim Agrigentinam, à quibus per abusum Secularis potestatis fuerat expulsus, Interdicto Ecclesiastico subjicit & Expulsores suos in Censuras incidisse declarat, *Clemens* XI. *part.* 1. *const.* 68. *§.* 2. *p.* 125.
Alexander Papa VII. Regnum Siciliæ & Hierusalem infeudat Carolo II. Hispaniarum Regi in minoribus constituto, *Innoc.* XIII. *const. unic. §.* 6. *pag.* 468. *&* 469.
Altaria privilegiata. *vid. Missa. vid. Indulgentiæ.*
Altaris Portatilis privilegio Regulares uti non possunt cum à Sacro Tridentino Concilio fuerit revocatum, *Clem.* XI. *part.* 3. *Decr.* 1. *Congr. Int. Conc. Trid. pag.* 417.
Eodem privilegio quatenus fruantur Episcopi in Regnis Hispaniarum, *Bened.* XIII. *const.* 1. *§.* 1. *num.* 22. *p.* 476. *conf. const.* 10. *§.* 8. *pag.* 496.
Alumni Collegii Urbani de propaganda fide quo tempore sint admittendi ad juramentum ab ipsis præstari solitum, *Clem.* XI. *part.* 3. *Decr.* 2. *Congr. de prop. fid. pag.* 425.
Alumni Seminariorum Ecclesiasticorum in Italia & Insulis adjacentibus, quibusnam debeant studiis incumbere. *Bened.* XIII. *const.* 13. *§.* 9. *pag.* 481.
B. Andreæ Avellini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum Canonizatio, *Clem.* XI. *part.* 1. *const.* 52. *p.* 98.
S. Andreæ Avellini ortus, Patria, Parentes, adolescentia, studia, castitas, illiusque heroica conservatio, *ibidem §.* 5. *pag.* 99.
S. Andreas Avellinus Jurisperitus & Sacerdos effectus Congregationem Theatinorum ingreditur *ibidem §.* 7.
S. Andreas Avellinus charitatem, humilitatem, cæteraque Christianas virtutes, quam sedulo exercuerit, *ibidem §.* 10. *pag.* 99. *&* 100.
S. Andreæ Avellini consiliis D. Carolus Borromeus non raro utitur, *ibidem §.* 17.
S. Andreæ Avellini mors, & miracula, *§.* 26. *seq. pag.* 102. *seq.*
Animalium Epidemica lues, *vid. Indulgentiæ, vid. Agricultura.*
Annunciationis B. Mariæ Virginis festum in feriam sextam in Parasceve incidens transferri mandatur, *Clem.* XI. *part.* 2. *Edict.* 17. *pag.* 256.
Servandum tamen esse decernitur præceptum audiendam Missam & abstinendi ab operibus servilibus, *Clem.* XI. *part.* 3. *Decr.* 24. *Congr. rit. pag.* 439.
S. Anselmi officium, *vid. Officium.*
Antiqua monumenta marmorea, ac cujuscumque alterius generis, *vid. Statuæ, vid. Picturæ.*
Antoninus Cloche, *vid. Magister* generalis ordinis Prædicatorum.
S. Antonini Archiepiscopi Florentini officium, *vid. Officium.*
Appellantes ad futurum Concilium, *vid. Excommunicatio.*
Appellationis seu protestationis actus à Procuratore Fiscali Regni Siciliæ editus adversus constitutiones à Sanctitate Sua promulgatas super extinctione prætensæ Monarchiæ Siculæ & super modo judicandi causas Ecclesiasticorum in eodem Regno, damnatur & abrogatur, *Clem.* XI. *part.* 1. *const.* 80. *§.* 1. *p.* 161.
Appellationes in causis criminalibus ab Ordinariis locorum ad Nuntium Apostolicum aut Metropolitanos, quomodo in Hispaniarum regnis tractandæ, *Bened.* XIII. *const.* 1. *§.* 1. *num.* 24. *pag.* 476. *&* 477.
Quoad appellationes generaliter servanda, *ibid. num.* 25. *p.* 477.
Aquilanæ Civitatis regia audientia, *vid. Immunitas Ecclesiastica, vide etiam Excommunicatio.*
Aquilæ Civitas Terræ motu eversa, *Clem.* XI. *part.* 1. *const.* 33. *§.* 4. *pag.* 57.
Archiconfraternitas S. Hieronymi Charitatis Urbis.
Responsa Sacræ Congregationis ad plura dubia œconomicam illius administrationem & pia opera quæ ibid. exercentur respicientia, *Clem.* XI. *part.* 3. *resp.* 5. *Cong. Int. Conc. Trid. p.* 420. *seq.*
Archiconfraternitates Almæ Urbis pro expensis aggregationum nihil ultra unum scutum auri exigere valent sub variis pœnis, *Clem.* XI. *part.* 3. *Decr.* 12. *Congr. Indulg. & Rel. p.* 447.
Archiepiscopi Sebasteni remotio à Vicariatu Apostolico Missionum Hollandicarum, *Clemens* XI. *part.* 1. *const.* 34. *pag.* 61.
Archiepiscopus Tarraconensis, *vid. Isidorus Bertran.*
Archigymnasii Sapientiæ Lectores, *vid. Lectores.*
Arma in Christianorum damnum ad Hostes deferentes, *vid. Excommunicatio.*
Arma prohibita deferendi facultas Officialibus & Ministris Cameralibus concessa declaratur, *Clemens* XI. *part.* 2. *Decr.* 2. *Congr. partic. pag.* 383.
Edictum in eos qui deferre, retinere, conficere, vel in Ecclesiasticam dictionem invehere ausi fuerint parvos cultros vetitæ qualitatis & mensuræ, *Clemens* XI. *part.* 3. *Edicto* 1. *Congr. neg. Stat. Eccl. pag.* 458.
Artis agrariæ eamque exercentium Beneficio plurima disponuntur, atque ordinantur, *Clemens* XI. *part.* 1. *const.* 70. *p.* 133. *seq.*
Audientia Regia Civitatis Aquilanæ, *vid. Immunitas Ecclesiastica, vid. etiam Excommunicatio.*
Auditores Rotæ Maceratensis, *vid. Rota.*
Auditores Rotæ Perusinæ, *vid. Rota.*
B. Augustini Dalmatæ Missa, & Officium recitari pro Diœcesibus Lucerina, Zagabriensi, & Traguriensi & pro Ordine Prædicatorum, indulgetur, *Clem.* XI. *part.* 1. *const.* 9. *p.* 18. *&* 19.
BAnniti. Indultum generale concessum inquisitis & Bannitis, qui in Bello contra Turcas sub signis Venetorum militabunt, *Clem.* XI. *part.* 3. *Decr.* 2. *Congr. neg. Stat. Eccl. p.* 459.
Beatificatio Servi Dei Joannis Francisci Regis Sacerdotis professi Societatis Jesu, *Clem.* XI. *part.* 1. *const.* 82. *§.* 2. *pag.* 163.
Benedictio Crucium, altarium & processionum. *vid. Cruces.*
Beneficia Ecclesiastica. Si personalem residentiam requirant, de eis provisi debent infra constitutum terminum ab Urbe discedere, *Clemens* XI. *part.* 2. *Edict. Card. Prodat. pag.* 290.
Singulis descriptis & describendis in notula provisionis Beneficiorum, mandatur ut intra tres menses à die affixionis ejusdem notulæ computandos, Bullas Apostolicas expediant sub pœna privationis, *ibidem.*
Beneficiati an, & quomodo possint patrocinari causas. *vid. Clerici.*
Beneficium in diversa à suo Domicilio Diœcesi obtinens in Regnis Hispaniarum quomodo ad ejus titulum sit ordinandus, *Bened.* XIII. *const.* 1. *§.* 1. *num.* 5. *pag.* 473.

Beneficia quæ certum reditum non habent, in Hiſpaniarum regnis ſupprimenda, ſufficientem non habentia tamquam pia legata ſolummodo conferenda, *ibidem num.* 8. *p.* 474.
Beneficia curam animarum annexam habentia, nonniſi idoneis perſonis ſunt conferenda, *ibid. num.* 9.
Beneficia quæcumque ſimplicia poſſunt uniri Seminario Eccleſiaſtico Italiæ & adjacentium Inſularum in caſu inſufficientiæ redituum, non expectata eorum vacatione, *Bened.* XIII. *conſt.* 3. §. 4. *pag.* 480.
Beneficia commendata ad congruam Sedis Apoſtolicæ Miniſtrorum ſuſtentationem non poſſunt uniri, *ibid.* §. 5.
Beneventum Terræ motibus ſæpe concuſſum *Bened.* XIII. *conſt.* 5. §. 1. *pag.* 485.
ad Beneventum extenditur Gregorii XIII. Conſtitutio de ornatu Urbis Romæ, *ibid.* §. 2.
S. Benigni Abbatia, *vid. Monitorium.*
Bethlehemitæ Fratres, *vid. Congregatio.*
Bipartita inſtituta pro recto regimine Congregationis S. Bernardi Hiſpaniæ Ordinis Ciſtercienſis, *vid. Congregatio.*
Bonorum retentio competit Neophytis, *vid. Neophyti.*
Brabantiæ conſilium, *vid. Sententia.*
Bulla in Die Cœnæ Dominicæ contra Hæreticos & alios edita *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 3. *pag.* 6. *ſeq.*
Vide latius in verbo *Excommunicatio.*

CAdavera Eccleſiaſticorum in funeralibus officiis exponi debent induta ſacris veſtibus eorum ordini congruentibus, *Clemens* XI. *part.* 2. *Edict.* 10. *pag.* 251.
Cadavera quorumcumque etiam nobilium, & Magnatum deferri debent ad Eccleſiam cum feretro, præcedente cruce, non autem cum Rhedis aliiſque vehiculis, *ibid. p.* 252.
Cadavera in Eccleſiis exponi ſemper debent ſupra feretrum ad præſcriptum Ritualis Romani, *ibid. ed.* 8. *p.* 248.
Cæremoniarum Magiſtri, *vid. Magiſtri.*
Cæremoniæ Sinenſes, *vid. Cauſa.*
Cameræ officiales & Miniſtri quoad armorũ delationem. *v. Arma.*
Canonizatio S. Pii V. Pontificis Maximi, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 51. *pag.* 92. *ſeq.*
Canonizatio S. Andreæ Avellini Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 52. *p.* 98. *ſeq.*
Capitula generalia Ordinis Redemptionis Captivorum, *vid. Fratres Sanctiſſimæ Trinitatis.*
Capitulum Patriarchale Ulyſſiponen. *vid. Patriarchalis.*
Cappella Pontificia. Locus in ea conceditur P. P. Generali, & Procuratori Generali Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, *Clem.* XI. *part.* 3. *Decr.* 2. *Congr. Cær pag.* 457.
Ac etiam P. P. Generali & Procuratori Generali Ordinis B. M. V. de Mercede, *ibid. Dec.* 2. *pag.* 457. & 458.
Cappellæ Regiæ in Civitate Ulyſſiponenſi perpetuo uniuntur tres Parochiales Eccleſiæ de Jurepatronatus Regis Portugalliæ, pro augmento proventuum eidem Cappellæ inſervientium, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 84. §. 3. *p.* 167.
Cappellaniæ certo reditu deſtitutæ in Regnis Hiſpaniarum ſupprimendæ, & ſufficientem non habentes tamquam pia legata ſolummodo conferendæ, *Bened.* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *n.* 8. *p.* 474.
Cappuccini, *vid. Fratres Cappuccini.*
Cardinalis de Noailles Inſtructio Paſtoralis damnatur, prohibita etiam illius lectione & retentione, *Clem.* XI. *part.* 3. *Decr.* 14. *Congr. S. Off. pag.* 404.
Cardinales quoad aſſecutionem Decanatus S. Collegii, *v. Decanat.*
Cardinali Protectori Eccleſiæ S. Mariæ Montium reſervata eſt adminiſtratio bonorum temporalium ejuſdem Eccleſiæ & Collegii, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 49. §. 8. *p.* 88.
Idem Cardinalis Protector habet facultatem viſitandi Eccleſiam & Collegium, corrigendi alumnos, & amovendi Rectorem, *ibidem* §. 13. & 14. *p.* 89.
Cardinalis Curiarum Urbis Romæ viſitatoris Officium, *Bened.* XIII. *conſt.* 8. §. 6. & 7. *p.* 492.
Cardinalis Vincentius Petra primus Viſitator deputatur, *ibidem* §. 8. *p.* 493.
Carmelitarum Ordo, *v. Fratres Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo.*
Carnibus veſci in Monaſteriis Ordinis Carthuſienſis, etiam Cardinalibus, prohibetur, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 50. *p.* 92.
Carolo V. Romanorum Imperatori Leo Papa X. infeudat Regnum Siciliæ & Hieruſalem cum terra citra Pharum, *Innoc.* XIII. *conſt. unic.* §. 2. *p.* 467.
Carolo II. Hiſpaniarum Regi in minoribus conſtituto Alexander Papa VII. idem Regnum infeudat, *ibid.* §. 6. *p.* 468. & 469.
Carolo II. ſine liberis defuncto, Clemens XI. inveſtitura ejuſdem Regni ſuperſedet, *ibid.* §. 7. *p.* 469.
Carolus VI. Imperator Romanorum pro Regni ejuſdem inveſtitura ſupplicat, *ibid.* §. 8.
Carthuſienſes Monachi, *vid. Monachi.*
Caſus reſervati, *vid. Confeſſarii.*
Caſuum Conſcientiæ Lectio certis anni temporibus in deſignatis Monaſteriis ac Conventibus eſt habenda, *Clem.* XI. *part.* 2. *Ed.* 23. *pag.* 262.
Catapani ſeu Officiales Civitatis Liparenſis excommunicati ob læſam Immunitatem Eccleſiaſticam, *vid. Abſolutio.*
Cathechumenorum, & Neophytorum Cauſæ, quæ olim cognoſcebantur à Cardinali Protectore, nunc privative ſpectant ad R. P. D. Viceſgerentem, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 20. §. 1. *p.* 31. *Vide latius in verbo Viceſgerens.*
Cauſa Rituum ſeu Ceremoniarum Sinenſium. Injungit omnia obſervari ea, quæ alias in hac cauſa à Sanctitate ſua decreta fuerunt, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 78. *pag.* 155. *ſeq.*
Reſponſa Sac. Congregationis S. Officii in eadem cauſa, Apoſtolica Authoritate confirmata, *ibidem* §. 6. *p.* 156.
Acta ejuſdem cauſæ cum quæſitis & reſponſis datis à Sacra Congregatione *Clem.* XI. *part.* 3. *pag.* 387. *ſeq.*
Decretum ſuper omnimoda eorundem reſponſorum obſervatione, *ibid. Decr.* 7. *Congr. S. Off. pag.* 398.
Obedientia per nonnullos Regularium Ordinum Superiores ad hunc effectum pollicita, *ibidem.*
P. Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu amplior, ac ſolemnior ſuper hac eadem re Declaratio, *Clemens* XI. *part.* 3. *Decl.* 10. *pag.* 401.
Cauſarum propoſitiones in ſignatura Juſtitiæ, *v. Signatura.*
Cauſarum Commiſſiones, *vide Signatura.*
Cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in Regno Siciliæ, ut Canonice cognoſci poſſint, poſt jam abolitum prætenſæ Monarchiæ Siculæ Tribunal, modus præſcribitur, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 77. *p.* 152. *ſeq.*
Cauſæ S. Rituum Congregationis, *vid. Notarius.*
Cauſæ civiles ad quarum Conſtitutionum normam in Regnis Hiſpaniarum tractandæ. *Bened.* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *n* 26. *p.* 477.
Cenſores Academiæ Theologicæ de Urbe. Quinam ſint eorum Officium & requiſita, *Bened.* XIII. *conſt.* 11. §. 1. *p.* 498. & §. 5. *p.* 499. & §. 8. *p.* 500.
Cenſores iidem aliis in collatione Beneficiorum præferendi, *ibidem* §. 6. *pag.* 499.
Et ad varias Eccleſiaſticas dignitates commendandi, *ibidem* §. 7. *pag.* 500.
Cenſus de regno Siciliæ & Hieruſalem terrâque citra Pharum Sedi Apoſtolicæ hactenus non ſolutos, Carolo VI. Imperatori Innocentius Papa XIII. gratioſe remittit in ejuſdem regni inveſtitura, *Innocentius* XIII. *conſtitut. unic.* §. 10. *p.* 470.
Ceræ Sacræ Agnus Dei nuncupatæ. Pro illarum debita veneratione plura ordinantur, *Clem.* XI. *part.* 2. *Ed.* 20. *p.* 259. *ſeq.*
B. Ceslaus Odrovantius Ordinis Prædicatorum. Decretum in cauſa Beatificationis, & Canonizationis ejuſdem. *Clem.* XI. *part.* 3. *Decr.* 15. *Congr. rit. pag.* 436.
Cincturati S. Auguſtini & S. Monicæ, *vid. Indulgentiæ.*
Ciſternæ, Montaphiæ, & Cortanzæ, tum Incolis, tum Feudatariis, præceptum injungitur, ut Sanctam Sedem in ſupremam & directam Dominam dd. Feudorum recognoſcant, nullumque ſubjectionis actum præſtent Sereniſſimo Sabaudiæ Duci, minuſque contributiones, ſeu alia onera ab eo imponenda perſolvant, *Clem.* XI. *part.* 2. *præc.* 4. *Card. Camer.* §. 2. *pag.* 268.
Ciſternæ, Montaphiæ, Cortanzæ, & Cortanzoni, contra Communitates, & Homines quæ geſta, & attentata fuerant ab Officialibus Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ, in præjudicium ſupremi Dominii Sanctæ Sedis, nulla & irrita declarantur, *ibidem Decl.* 11. *pag.* 277. *ſeq.*
Vide etiam Officiales, vid. Sententia.
Ciſternæ Communitati & Hominibus idem præceptum renovatur, *ibidem Ren.* 7. *pag.* 272.
Ciſternæ, Montaphiæ & Cortanzæ loca de Dominio Sedis Apoſtolicæ in Diœceſi Aſtenſi, *vid. Edictum.*
Cives Urbinatenſes, *vid. Rota.*
Cives Urbini, *vid. Rota Peruſina.*
Civitatis privilegium competit Neophytis, *vid. Neophyti.*
Civitas & Diœceſis Lycienſis generali interdicto ſuppoſitæ, *vid. Interdictum.*
Civitas Recineti, *vid. Recinetum.*
Civitas Ulyſſipponenſis, *vid. Ulyſſiponenſis.*
Clemens Papa VIII. Regnum Siciliæ & Hieruſalem cum terra citra Pharum infeudat Philippo III. Hiſpaniæ Regi, *Innocent.* XIII. *conſt. unic.* §. 4. *pag.* 468.
Clemens Papa XI. Carolo II. Hiſpaniarum Regi ſine liberis defuncto infeudatione Regni Siciliæ ſuperſedit, *ibid.* §. 7. *p.* 469.

Clerici quoad veſtem & tonſuram, *Clem.* XI. *part.* 2. *Ed.* 11. *p.* 252. *Vide etiam Eccleſiaſtici.*
Clerici prima tonſura initiandi in Regno Neapolitano, *vid. Vicarii Capitulares.*
Clerici tàm cælibes, quàm conjugati aliique privilegiati, perentes admitti ad munera publica Communitatis, an, & quando gaudeant privilegio fori. Vide Reſolutiones Sacræ Congregationis Immunitatis, *Clemens* XI. *part.* 3. *pag.* 428.
Clerici in majoribus Ordinibus, etiam Beneficiati Reſidentiales, non poſſunt patrocinari Cauſas in Curia Capitolina, *Clemens* XI, *part.* 3. *Decr. Congr. Ref. Trib. pag.* 464.
In aliis vero Curiis Eccleſiaſticis non niſi de licentia Sanctiſſimi, *ib.*
Clerici in Epiſcopalibus Seminariis in Regnis Hiſpaniarum educati, quibuſnam divini ſervitii partibus adſtricti ſint, *Bened.* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *num.* 3. *pag.* 473.
Clerici peccantes contra Officia Clericalia in Regnis Hiſpaniarum, quomodo puniendi, *ibidem num.* 7. *pag.* 473. & 474.
Clerici iidem interſint Miſſæ Conventuali, ſecundis Veſperis, & Collationibus ſuper caſibus Conſcientiæ, *ibid. n.* 7. *p.* 474.
Coadjutorum pro cura animarum in Regnis Hiſpaniarum idoneitas, deputatio, & congrua, *Benedictus* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *num.* 11. *pag.* 474.
Collationibus ſuper caſibus Conſcientiæ interſint Clerici in Regnis Hiſpaniarum, *Ben.* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *num.* 7. *p.* 474.
Collegii Neophytorum in Urbe initia & progreſſus, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 49. *pag.* 85. *ſeq.*
Collegium prædictum modo adminiſtratur à Presbyteris Congregationis piorum operariorum, *ibidem* §. 4. *pag.* 88.
Admiſſio & dimiſſio alumnorum ſpectat ad Cardinalem Protectorem, *ibidem* §. 12. *pag.* 89.
Collegii prædicti Rector ſeligendus eſt ex Presbyteris dictæ Congregationis, qui tamen ſe præſentare debet Cardinali Protectori, & ad hunc ſpectat illius amotio, *ibid.* §. 14.
Collegium Doctorum Urbini, *vid. Urbinum.*
Collegii Urbani Alumni, *vid. Alumni.*
Computiſtariarum locorum Montium erectio, *Clemens* XI. *part.* 1. *conſt.* 27. *pag.* 39. *ſeq.*
Computiſtariarum hujuſmodi officia providenda ſunt per Datariam, perſonis tamen approbandis per Theſaurarium Generalem, *ibidem pag.* 40.
Comediæ, *vid. Theatra*, *vid. Vicarius.*
Commiſſiones cauſarum, *vid. Signatura.*
Conceptionis B. Mariæ Virginis Feſtum de præcepto ubique obſervandum eſſe mandatur, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 40. *p.* 69.
Concilii Tridentini obſervationem in Regnis Hiſpaniarum nihil impediat, *Bened.* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *num.* 27. *p.* 477.
Concilii Tridentini Statutum de recipiendis ad Profeſſionem regularem, ejuſque diverſimoda tranſgreſſio, *Benedictus* XIII. *conſt.* 9. §. 1. *pag.* 493.
Concordia quædam in Sedis Apoſtolicæ, & S. R. E. præjudicium inita, occaſione hybernarum ſtationum, per Milites Germanos factarum in Ducatu Parmæ & Placentiæ, nulla declaratur, etiam cum Cenſuris, aliiſque ordinationibus. *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 31. §. 1. *pag.* 53.
Concurſus ad Eccleſias Parochiales, *vid Epiſcopi.*
Confeſſariis omnibus interdicitur, ne pœnitentes à quibuſdam cenſuris & caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis abſolvant; & abſolutiones obtentæ nullæ & irritæ declarantur, *Clem.* XI. *part.* 2. *Decr.* 1. *Congr. part. pag.* 382.
Confeſſarii Monialium. Præſcribitur norma obſervanda à Confeſſariis ordinariis & extraordinariis Sanctimonialium quorumcunque Monaſteriorum Almæ Urbis, *Clemens* XI. *part.* 2. *Ed.* 15. *pag.* 255.
Confeſſariis & Cappellanis Monialium licet Miſſas celebrare Sanctorum, de quibus ipſæ recitant officium, cum nonnullis tamen reſtrictionibus ut ex decreto, *Cl.* XI. *Decr.* 28. *p.* 441.
Confeſſiones à quibus in Regnis Hiſpaniarum audiendæ & quænam requiratur licentia, *Benedictus* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *num.* 17. *pag.* 475. 476. & *conſtitut.* 10. §. 5. *pag.* 495. & 496.
Confeſſiones Monialium in iiſdem regnis à quibus audiendæ, *ibidem num.* 18. & *conſt.* 10. §. 6. *pag.* 496.
Confeſſor extraordinarius pro Monialibus in Regnis Hiſpaniarum quando poſſit ab Epiſcopo deputari, *Bened.* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *num.* 19. *pag.* 476. *conf. conſtitut.* 10. §. 7. *pag.* 496.
Confirmatio Litterarum Innocentii Papæ XIII. ſuper reſtaurandæ Diſciplina Eccleſiaſtica in Regnis Hiſpaniarum, *Benedictus* XIII. *conſtiiut.* 1. §. 2. *pag.* 478.
Confraternitates Laicorum quoad controverſias cum Parochis, *vid. Parochi.*
Confraternitates S. Rocchi, *vid. Indulgentiæ.*
Confratres & Conſorores Confraternitatum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo in locis, ubi proceſſiones in una Dominica cujuſque menſis peragi nequeunt, proprias Eccleſias viſitando, & alia præſcripta opera adimplendo, ſolitas Indulgentias conſequi declaratur, *Clemens* XI. *part.* 1. *conſt.* 60. *pag.* 113.
Confraternitates SS. Roſarii in Tunkini & Sinarum Regnis, *vid. Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum.*
Confraternitates B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, *vid. Confratres.*
Confraternitates S. Mariæ Montis Carmeli, *vid. S. Mariæ.*
Congregatio Benedictino Polona, *vid. Monaſteria.*
Congregationi Fratrum Bethlemitarum communicantur omnia privilegia, & facultates quæ Ordinibus Mendicantium, & Congregationi Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis competunt. *Clemens* XI. *part.* 1. *conſt.* 32. §. 2. *pag.* 55.
Congregatio Giunta nuncupata in Regno Siciliæ, *vid, Edictum.*
Congregatio Miſſionis, *vid. Indulgentiæ.*
Congregatio Muſicorum, *vid. Muſici.*
Congregatio obſervantiæ Lombardiæ nuncupata, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. Conſtitutio pro ſeliciori ejus regimine, *Clemens* XI. *part.* 1. *conſt.* 67. *pag.* 124.
Congregationi Piorum Operariorum de Urbe concedit Eccleſiam & Collegium S. Mariæ Montium, *Clemens* XI. *part.* 1. *conſt.* 49. *pag.* 85. *ſeq.*
Vid. etiam Pii Operarii, Collegium, Cardinalis Protector.
Congregatio S. Bernardi Hiſpaniæ Ordinis Ciſtercienſis. Præſcribitur modus & forma illam gubernandi, *Clemens* XI. *part.* 1. *conſtitut.* 44. *pag.* 74. *ſeq.*
Quomodo ſit regulanda diſtributio officiorum Capitularium dictæ Congregationis, *ibidem* §. 6. *pag.* 55. & 76.
Item ſpecifica eorundem officiorum diſtributio & alternativa Generalatus, *ibidem.*
Item diſtributio, Abbatiarum, Monaſteriorum & Prædicatorum Generalium, *ibidem.*
Item diſtributio Magiſtrorum & Prædicatorum cum voto, *ibid.*
Ad Cathedras Univerſitatum, qui, & quales Monachi dictæ Congregationis ſint eligendi, *ibid.*
Ad officium vacans intra triennium debet eligi alius ejuſdem Nationis, *ibidem.*
In omnibus Capitulis Generalibus debet jurari à Capitularibus obſervantia bipartitæ, eademque inſeri inter Conſtitutiones juratas dictæ Congregationis, *ibidem.*
Congregatio ſublevaminis pro Alma Urbe erigitur, & veteres Congregationes pro Annonæ regimine inſtitutæ abolentur, *Clemens* XI. *part.* 1. *conſtitut.* 2. *pag.* 6.
Eidem Congregationi amplæ tribuuntur facultates pro directione rerum ad Agriculturam, & ad Oeconomicum Cameræ Capitolinæ regimen pertinentium, *ibidem.*
Congregatio Seminariorum erigitur cum facultatibus opportunis, *Benedictus* XIII. *conſtitut.* 3. §. 6. *pag.* 481.
Congregationibus Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Indiarum & Luſitaniæ, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Diſcalceatorum præcipitur uniformitas in Cantu Gregoriano, Raſura barbæ & Caputio rotundo, *Benedictus* XIII. *conſtit.* 7. §. 1. *pag.* 491.
Congrua Vicariorum perpetuorum curam animarum in Regnis Hiſpaniarum exercentium, *Ben.* XIII. *conſt.* 1. §. 1. *n.* 10. *p.* 474.
Item Coadjutorum & Vicariorum temporariorum, *ibid. n.* 11.
Conſervatorii pauperum puellarum oppidi de *Guimarens* Bracharen. Diœceſis, fundatio, emiſſio profeſſionis & erectio in Monaſterium ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, quæ confirmatur & defectus quicunque ſanantur, *Benedictus* XIII. *conſtitut.* 12. §. 1. 2. 3. & 6. *pag.* 501. & 502.
Ejuſdem Monaſterii bona eximuntur à Decimis, *ib.* §. 4. *p.* 502.
Communicantur ei privilegia aliarum Monialium, *ibid.* §. 5.
Conſilium Brabantiæ, *vid. Sententia.*
Conſtantiniana militia, *vid. Religio.*
Conſtitutio *Unigenitus* ſuper damnatione quamplurium propoſitionum excerptarum ex libro Paſchaſii Queſnelli, *Clemens* XI. *part.* 1. *conſtitut.* 64. §. 5. *pag.* 121.
Sanctitas ſua Univerſitatis Sorbonæ privilegia ſuſpendit ob dictam conſtitutionem multiformiter ab ea impetitam, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſtitut.* 87. §. 5. *pag.* 181.
Monita Paſtoralia iis qui eidem Conſtitutioni debitam obedientiam præſtare recuſant, *Clem.* XI. *part.* 1. *conſt.* 98. *p.* 205. *ſeq.*
Tria opuſcula in Gallis adverſus eam evulgata damnantur, *Clemens* XI. *part.* 3. *Decr.* 11. *Congr. S. Off. pag.* 402.

